15. 2. 29

15 B · 2

N° S 4
P 3 P 2

Digitized by Google

Digitized by Google

Amedée (frère) de Bayeuse


PAULUS ECCLESIASTES
SEU
ELOQUENTIA CHRISTIANA
QUA
ORATOR EVANGELICUS
Ad Ideam & Doctrinam Divi Pauli formatur.

IN HOC OPERE

Celebriores utriuſque Pulpiti Oratores, cùm Veteres, tum Recentiores, unà conſpirant, ut multiplici facilique ratione omnes facultatis Eloquendi ſtudioſos, ac maximè Eccleſiaſtas, edoceant varia Dicendi Genera, diverſas Concionandi Formas, Ingenioſaſque Concionum Inventiones, Diviſiones, & Diſpenſationes, pro Diebus Feſtis & Dominicis, aliiſque propoſitis, per annum in Eccleſia Tractandis.

AUTHORE

PATRE AMADÆO BAJOCENSI
Prædicatore Capuccino.



VENETIIS,
TYPIS JO: BAPTISTÆ ALBRITII.

M. DCC. XX.

Superiorum permiſſu ac Privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo ac Reverendiſs. Domino D. Danieli Delphino Patriarchæ Aquilejenſi Electo.

ACceptam à majoribus meis hæreditatem cùm auctam, ornatamque pro viribus reddere quammaximè cuperem Illuſtriſſime, ac Re-

ve-

Digitized by Google

verendiſſime Præſul, non alia ratione me voti compotem fieri poſſe perſpexi, quàm ſi quidpiam elegantioribus, ac emendatioribus typis proprio meo cuderem nomine: Conſilium hoc quod nemo prudens rerum æſtimator laudare non poterat duæ morabantur difficultates, judicium nimirum operis quod prælo ſubjicerem, & electio Patroni cui ſiſterem opus; ſentiebam enim quòd ſi alterutrum fortaſſe deficeret, tantùm aberat ut aliquam laudem compararem, quin ſingulari memetipſum ludibrio committerem. Utrumque aptè declinaſſe, remque abſolutè confeciſſe mihi ſum viſus cùm è Gallicis prodeunte officinis, ac in meas fortè manus irrepente hoc de Chriſtianæ Eloquentiæ Tractatu ipſe Tu protinus menti occurriſti, cujus præclariſſimæ indoli ità bene cohærere intellexi ipſius operis inſtitutum, ut quamvis à glorioſiſſimo Tuo Nomine inſcribendo abſtinuiſſem, illud nihilominus ipſe CHRISTIANÆ ELOQUENTIÆ titulus retuliſſet. Verum enim verò cùm Te numeris omnibus in hac Sacra facultate verſatum, ceu vivam Chriſtianam Eloquentiam cuncti ſuſpiciant, planè video me Tibi in hoc volumine aliud nihil præter Tui ipſius imaginem

nem

nem obtuliſſe. Vel hoc igitur nomine primum iſtum diligentiæ, ac mei erga literariam Rempublicam ſtudii fatum deſpicere benignitas Tua minimè potuit, & indè eximium illud mihi obtigit beneficium, ut ex Sacris Infulis Tuis præclariſſimum nanciſcerer patrocinium, quo juxtà deſiderii modum copiam caperem perfruendi: Tale enim expetebam avidus, quod ſatis mihi eſſet præſidii ad obſiſtendum illi obtrectatorum frequentiæ, quos ſolet ut plurimùm invidiæ tuba colligere, & quo venuſtiorem in formam aſſurgentibus typis meis & pretium, & decus accederet. Me ſumma votorum attigiſſe quis ambigat? Quid enim ſperare non liceat ex Te, cujus tot tantaque ſunt ornamenta virtutum, ac tam ſingulares animi dotes, ut ned[illegible] inſcitiam meam, ſed & diſſertiſſimorum hominum eloquentiam mutam omninò detineant, injicientes periculum ne impari narratione ſuam potiùs famam corrumpant, quàm ornent? Excipe igitur inſigni ea humanitate in qua ne tantulum quidem cuipiam concedis hoc exile obſequii, ac ſummæ meæ erga Te pignus exiſtimationis, quod ſi clementi ut ſoles aſpexeris genio in ſpem, & fiduciam erectus animus meus mo-

lie-

Digitized by Google

lietur in dies majora, quæ omnes bonarum artium cultores (Tuque præ cæteris qui primos hoſce meos impensè adeò foves conatus) minimè contemnant, ni probent. Vale, meque perpetuò commendatum habe.

Illuſtr. ac Rever. Dominationis Tuæ

Humillimus, Addictiſs. ac Obſequentiſs. Famulus
Joannes Baptiſta Albrizzi.

ICON

Digitized by Google

ICON AUTORIS
ET OPERIS
SEU
Propoſiti deinceps tractandi prænuntia Declaratio.

EXPETITAM diu plurimorum votis methodicam Evangelici Oratoris Inſtitutionem, eamque ad Ideam & Doctrinam D. Pauli, Eloquentiæ Chriſtianæ, poſt ipſum Chriſtum Principis formatam, tradere conatus ſum; utinam expectationi fecerim ſatis, & negotium pluries tentatum feliciter expleverim. Quà id negotii mihi contigerit, paucis moneo.

Cauſa ſuſcepti operis.

Alteri quàm mihi primùm ſtudere mens non fuit, cùm operis hujus rudimenta duxi; atque ut impoſito mihi ex Superiorum gratia Concionatoris officio fungerer decentiùs, Concionandi formam ex omnibus penè Oratoribus cùm Sacris tum Prophanis, vetuſtis ac recentioribus, privato uſui ſolùm profuturam novitia manu delineavi. At, ut progreſſu temporis ac rerum fieri ſolet Hominibus etiam meticuloſioribus audacia; ita ego licet de me minùs ſentiens, multiplici Præceptorum Convenarum eruditione, & Sapientiorum in me jus habentium conſilio fretus, eò evaſi, ut ſperaverim privatum ſtudium poſſe pluribus duntaxat Eccleſiaſtis Tyronibus prodeſſe, ſi detractis iis quæ Sophiſtas & prophanos ſapiunt, vulgaretur ſacris tantùm Pulpitis conſecrandum. Eò igitur mentem appuli, quò ſpes invitabat; ideoque collectaneam ſupellectilem reviſens, & exceptaneas chartas, injuges ac ſæpiùs disjectas, immo ex incuria muceſcentes compingens, in hanc Methodum digeſſi, quæ mihi viſa eſt Oratorem Sacrum expedita ſatis ratione inſtituere.

Inſcriptio.

Florilegium Concionatorium, ſi lubet, inſcribe, non abs re ita nuncupabis; habes enim hìc ſertum ex pretioſioribus floribus apud cultiores Oratorum hortos decerptum. Scenam Evangelicam, vel Ambonem Chriſtianum dicito, ſi malueris, nec iterum extra rem; hìc enim, velut in Theatrum Sacrum prodeunt celebrioris Eloquentiæ Magiſtri, & alternis, aut quaſi æmulis vicibus, contendunt Evangelicum Oratorem inſtituere per faciles & peculiares methodos, à prophana & puerili ſorde quà licuit,

* * vendi-

Digitized by Google

vendicatas. Alium operi præfigas titulum, non inficior, modò intentum ſincerè prodat, quod eſt Concionatorem à primis Eloquentiæ rudimentis formare: *Paulum Eccleſiaſtam* dixi, en rationem.

Tituli ratio. Paulum eſſe Primarium Oratorem nemo ſapiens diffitetur. *Eſt flumen Eloquentiæ* (inquit Hieronym. ad Damaſ.) *Rugitus Leonis noſtri, Tonitruum Gentium. Quotieſcumque eum lego, videtur mihi non verba ſed edere Tonitrua. In ſuis Epiſtolis*, (ait Chryſoſt. lib. 4. de Sacerd.) *habemus Iſocratis terſum leporem, Demoſthenis amplam ſublimitatem, Thucididis verendam majeſtatem, Platonis excellentem dignitatem, &c.* Idem ſentiunt alii SS. Patres. Eò uſque æſtimatur ab Auguſtino præcelluiſſe facundia, ut præ omnibus votis deſideravit audire Apoſtolum concionantem: O ſi nobis contigiſſet ejuſmodi deſiderato Eccleſiaſta frui! ò ſi verbo aut ſaltem ſincero ſcripto Concionibus Apoſtolicis datum fuiſſet potiri! Non alia certè Inſtitutione Concionatoria indigeremus, quàm ea, quæ nobis ex abſoluto Eloquentiæ Chriſtianæ Exemplari proderetur: At quoniam, ita ordinante Divina Providentia, iſtud minimè licet; ſupereſt ſaltem, ut Oratorem ſacrum, aut expingamus ad Formam, quam ipſe Paulus in Epiſtolis ſuis præſcripſit, aut inſtituamus ad Ideam, quam ibidem videtur deſideraſſe; aut denique exquiſitam ex omnibus Oratoribus bene dicendi Artem, Paulo veluti Eloquentiæ Archetypo conſecremus. Hoc præſtare niſus ſum in hoc Opere, cui propterea *Pauli Eccleſiaſtæ* nomen dedi, quidni enim propoſitum toties Pauli, illius nuncupationem non ſibi vendicaret? Jure, ni fallor, *Paulus Eccleſiaſtes* dicetur Inſtitutio Methodica, quæ Concionatorem ſatagit effingere, vel ad Pauli Exemplar, vel ad ejus Doctrinam, vel ad ipſius deſiderium, vel denique ad ejuſdem honorariam clientelam.

Scriptores Cenſuris mordacibus ſunt obnoxii. Non moror in eluendis objectionibus, quæ à cavillatoribus ſolent moveri adverſus eos qui Rempublicam Litterariam propriis laboribus locupletare ſtudent. *Difficile eſt*, (inquit Hieronymus in Iſai.) *immo impoſſibile eſt placere omnibus, nec tanta vultuum, quanta ſententiarum diverſitas eſt. Aut nihil ſcribendum fuit*, (ait idem Epiſt. 2. ad Nepotian.) *aut ſcribentes noſſe, cunctorum adverſum nos maledicorum eſſe tela detorquenda*. Hinc ille plangit ſortem Clementis Alexandrini, Hippolyti Martyris, Tertulliani, Euſebii Cæſarienſis, qui obtrectatores invidos experti ſunt: deinde addit, *Certè ſi tanti & tam eruditi viri faſtidioſis lectoribus diſplicent, quid mihi facturi erunt?* Novi igitur quàm ſit inevitabile fatum Scriptoribus, Cenſorum dicteriis mordacioribus importunè laceſſiri, ſed etiam didici quàm laborioſum foret contorta mordacitatis ſpicula vel retundere vel retorquere. Malo te benevolentiorem præſumere Lector: Tecum ergo bona fide agens, hortabor, ut amica cenſura Opus iſtud (ſi licuerit) excipias. Auguſtini verbis utor, dum ſic ſcribit Lib. 6. in Luc. *Ego fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt & ſcribendo proficiunt: unde ſi aliquid vel incautius, vel indoctius à me poſitum eſt;*

non

non ſolùm ab iis qui videre id poſſunt, reprehendatur; verum etiam à meipſo, &c. nam nimis perverſe ſeipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat, &c. Quid humani non eſt pluribus mendis obnoxium? Quidve mendoſum, maximè ſi authoris intentum fugerit, quod non poſſit interpretatione benigna vel minui, vel excuſari? Eſto igitur ex æquo & bono rerum æſtimator: ſi quid boni hoc in Opere ſit, illud Deo tribue, ſed illo fruere, aut alios frui patere: defectus verò, aut benigniter condona, aut humaniter corrige, aut meo periculo monitus aliqüid melius aude. *Nihil eſt*, (inquit Rupertus) *tam facile, quàm otioſum & dormientem, de aliorum labore & vigiliis diſputare*. Vix eſt aliquis, ait Poeta, qui ſcribat ſine errore; ſic ille fatur.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala multa,
Quæ legis hic; aliter non fit, Avite, liber.

Ad Operis rationem depoſcor, hanc præſto. Intentum commune prodidi, videlicet Oratorem Evangelicum ab ipſis Eloquentiæ rudimentis inſtitutum ad ejus Apices perducere; Ideo duas Inſtitutionis partes feci. Prior neceſſaria Artis benè Dicendi præcepta tradit, poſterior peculiares Regularum uſus profert. Prima pars quinque Libris conſtat, nimirum, *Apparatu*, quo docetur Eccleſiaſtes, quæ ſint, quibus præmuniri debeat, ut optati miniſterii ſcopum feliciùs aſſequatur; *Promptuario*, quo aperitur Eloquentiæ prædives Theſaurus, unde Argumenta vel ad Probandum, vel ad Amplificandum idonea, uberrimè duci queant; *Oeconomia*, quæ artificioſam præſcribit Diſpoſitionem, cùm Partium Concionis, tum Probationum, tum Figurarum, ut nihil ſtet extra ſitum & ordinem; *Ornatu* quo prudenter diſpenſata Orationis ſupellex, appoſitis decoratur pigmentis & leporibus. *Imperio* denique inſignitur quintus primæ partis Liber, quo docetur Orator quomodo Affectibus Humani dominari poſſit. Hæc ſunt quæ priore Parte continentur, quibus adjeci Exempla & Exemplorum examen ad regulas, ne quid deeſſet quod Novitium à praxi remoraretur. Altera Pars quinque etiam Libris conſtituta peculiaria Dicendi Genera, eorumque ſpeciales Formas expendit, eamobrem Exercitationes Oratorias appellavi, quia uſui & exercitio prorſus deditur. Prior Liber, tractat de *Didaſcalico* ſeu Doctrinali Genere, cujus finis eſt Docere, ubi de Catecheſibus, Paraphraſibus, Controverſiis, Humili, Mediocri, & Grandi forma verſandis cum Exemplis agitur. *Demonſtrativum Genus*, quod Artem Laudationis aut Vituperationis explicat, Exercitatione ſecunda continetur, in qua delecta in magno numero Panegyrum propoſita de Myſteriis ac Feſtis celebrioribus per Annum produntur. Tertius Liber ſpectat *ad Deliberativum Genus*, ſeu ad Artificium Suadendi & Diſſuadendi, ibique pluſquam ducenta & quinquaginta propoſita, per ſingulos Anni Dominicos dies tractanda compendiariè notantur. Quarta Exercitatio, quæ dicitur *Multiformis*, docet methodum, qua Concionum Formæ variari poſſint, v. g. in modum Forenſis Diſcepta-

Operis ratio & Partitio.

tionis, Medico-moralis, Dialogiſmi, Horoſcopi, &c. Quintus tandem Liber eſt de Suggeſtu Eccleſiaſtico, ſeu de Pronuntiatione, ubi quæ attinent ad vocem, Geſtum ac Memoriam ſatis accuratè diſcutiuntur. En operis Intentum & Anatomiam.

Styli Ratio. De Styli ratione monere ſuperfluum eſt, quia patet intuenti; dicam ſolummodo, me non modicam fuiſſe paſſum difficultatem, ut appoſitum huic operi ſcriptionis modum ſeligerem. Arridebat quidem Grandior Stylus, quia ſublime ſapit & ab Oratorio Præceptore ferè deſideratur: At memini me regulas tradere, eò futuras utiliores, quò permultis Eccleſiaſtis ſæpiùs in politiore Latinitate minùs peritis fuerint evidentiores & intellectu faciliores. Sed ſi ad hanc uſque loquendi rationem quæ vicanæ barbariei affinis eſt, me dimiſerim, ajebam, provocabo ſtomachum comptulis Rhetoribus, qui putidum cenſent omne quod tornatis periodis, ac cincinnatis loquutionibus luxurians floſculos odoratos non prodigit. Quid igitur conſilii? iſtud melliflui Præſulis effatum, *Dum populi inſtruuntur, Grammatici ne timeantur;* vel Auguſtini non abſimile dictum, *Malo me reprehendant Grammatici, quàm non intelligant inerudìti.* Iſtud certè conſilium ſequutus, præcipuè cùm de Sacra & Evangelica Eloquentia res ſit magis, quàm de civili aut prophana, mediam inire viam conatus ſum, quæ à ſublimiore & demiſſiore Stylo recedens, exhibet formam loquendi Latinam, & puram quæ delicatioribus nauſeam non creet, perſpicuam & facilem, quæ imperitiores non deterreat. Votum Auguſtini repeto, *Utinam mihi Eloquentia ad explicanda ea quæ ſentio, pro deſiderio perveniſſet.*

D. Ambroſ. in Cap. 31. Prov.

Lib. 1. contra Creſcent. Gram. c. 1.

Proteſtatio Fidei. Cæterùm, cùm Exercitationes has Oratorias, quas privato commodo paraveram fecerim publici juris, in gratiam eorum quos ſancta Eccleſia Romana Sacrorum Myſteriorum Diſpenſatores mittit & probat; par eſt, ut quodcumque præter iſtud intentum ſucceſſerit improbem & deteſter. Iſte ſcilicet fuit Parentis mei D. Franciſci affectus; iſte eſt voti mei ac Regulæ quam profiteor, ſenſus; iſta eſt Fides quam ad Aras tuebor, Romanam Eccleſiam veluti legitimam Chriſti Sponſam, immobilem veritatis columnam, & ſecuram ſalvationis Arcam revereri. Hujus Judicio, me, meaque omnia cùm dicta, tum facta, humiliter ſubjicio.

ICON

ICON ORATORIS
SACRI,
SEU
CONCIONIS INSTRUENDÆ.
Speculum Methodicum.

Eccleſiaſtæ Dotes.

I. ECCLESIASTA fungitur Miniſterio præ omnibus ſublimi & neceſſario, pag. 5. ideo vocari debet non à ſe, ſed à Spiritu Sancto, ſecùs inique uſurpationis reus cenſetur. pag. 41. oportet ut præmuniatur Dotibus eximiis; Eruditione, pag. 44. Probitate, Zelo, ibid. Prudentia, &c. 46. Ejus Finis eſt Gloriam Dei, Hominumque Salutem promovere, 9. Officium eſt, Docere, Delectare, Flectere. 9. 10. improbatur Concionator plus nimio incurioſus, 17. Curioſus, & Comptulus, 22. 23. Præcipitantior, 25. Plagiarius, alienos labores furatus, 36. Propola, & Nundinator qui verbum Dei pecunia appendit, ibid.

Propoſiti delectus.

2. *Propoſitum tractandum* non eſt humani conſilii opus, ſed Dei ſolius cujus eſt ſecernere & demandare Legatos, eiſque negotia gerenda præſcribere, pag. 11. 12. Ideo nihil expendendum ſuſcipiat Eccleſiaſta, quin priùs humili & obſequente animo popoſcerit Gratiam qua præmonſtratum opus poſſit feliciter exequi pag. 722. Illud autem propoſitum præſumitur expedire, quod Gloriæ Dei, Hominum Saluti, opportunis circumſtantiis, & formandis moribus fuerit magis idoneum, 538. 539. Quomodo id peragatur vide pag. 722.

Genus Dicendi tractandum.

3. Poſtquam ſtatutum eſt de Propoſito tractando, proſpicere oportet quodnam Dicendi Genus illi conveniat, an Didaſcalicum? 355. 389. 612. an Mixtum, quod eſt Oratoribus ſacris familiare? 222. Quæ tum deceat Orationis Forma? an Grandis, Temperata, vel Humilis? 223. Theſis ad Hypotheſim, ſeu Quæſtio univerſalis ad peculiarem & ad familiares uſus debet converti. 37. 38.

Materię collectio.

4. *Materia* Propoſito probando neceſſaria deſumitur ex Promptuariis, ſeu Locis unde repoſita argumenta repoſci ſolent; ſeu ſint Dialectici, pag. 55. ſeu Oratoribus proprii, 75. ſeu Theologici, 79. vel Mi-

Digitized by Google

Miſcellanei, 89. vel accommodati ad ſingula Dicendi Genera; ad Didaſcalicum, 358. ad Demonſtrativum, 458. ad Deliberativum, 616. Vel illa ſupellex repetitur ab Exceptaneo codice, 102. aut ex Memoria, vel ex Indicibus Librariis. Apage ſublimiores ac difficiliores Quæſtiones ac conceptus, & obſervatiunculas inanes, quæ Oratorem conſtituunt Majeſtatis Divinæ Læſæ reum, ob inutiliter diſpenſatum tempus ac verbum curandis Animabus dedendum. Hinc ſcilicet oſtentatur ſolummodo vaniloquentia Logodædali Oratoris, miſera plebs impaſta luditur, 22.23. Procul eſto incondita plurium rerum farrago, qua premitur Auditor indigeſta rerum ſarcina, non ſuadetur, ibid.526.

Materiæ Oratoriæ Diſpoſitio.

5. Supellectilis Oratoriæ, ſeu Materiæ ad Concionem neceſſariæ apparatus & diſpoſitio ita fieri poteſt. Conſtituti Propoſiti excogitentur Partitiones capitalem propoſitionem dividentes, quæ concionis Partes ſeu Puncta erunt. Partiales illæ propoſitiones inſcribantur ſeparatim Chartæ probatitiæ ob eam rem paratæ: deinde unicuique parti ſubjiciantur ſummatim & paucis verbis collecta argumenta, quæ viſa fuerint eidem convenire, & propoſitum probare; ita ut illæ rationes repræſentent claſſem ſupellectilis concionatoriæ poſtea expoliendæ: V. g. ſuadere aggredior condonationem injuriarum, ab operis *Honeſtate*, *Utilitate*, *& Facilitate*; ſunt hæ tres Propoſiti totalis ac etiam concionis Partes. Inſcribo Chartæ meæ repoſitoriæ, iſtud verbum, *Honeſtas condonationis*, &c. idem de aliis partibus præſto, quas in diſtinctis Locis ſepono. Tum occurrunt mihi rationes iſtæ Honeſtatem ſuadentes, 1. Condonatio eſt opus magnanimi hominis ſeipſum hoc modo ſuperantis. 2. Imitatio eſt Heroum qui remiſere injurias. 3. Divinum eſt, & Divinam ſimilitudinem comparat condonatio, &c. Non profero plura, cùm ſufficiant iſta, ut moneatur Tyro, quà poſſit materiam congeſtam præparare, non ſecus ac Architectus ſeponit lapides vel ligna, deſignatque ſeparatim prout intento convenerit operi: ita Eccleſiaſtes omnem ſupellectilem undequaque conquiſitam, ſic ſub ſingulis partibus per claſſes ordinat, & unamquamque rationem notis Arithmeticis deſignat, ideo ut proſpiciat quid Propoſito magis conveniat, ſuperfluum verò, quod punctum non directè attingit, repudiet, pag. 102. 108. 527. 529. 725.

Materiæ Oratoriæ Examen.

6. Methodus qua innoteſcit directa cùm Partium, tum Argumentorum convenientia, & ad propoſitum ſcopum collineatio, videtur mihi facilis per Syllogiſmi Logici ſtructuram. V.g. volo experiri, num mox citata de condonatione injuriarum materia quadret intento, ſic Argumentor, *Opus Glorioſum, Utile & Facile debet ab homine judicio pollente ſuſcipi; At condonatio injuriarum eſt opus Honeſtum, &c. Ergo debet ſuſcipi*. Pari methodo ſingulas propoſitiones diſcutio. v. g. *Quod Magnanimitatem ſapit, Heroes imitatur, & Dei ipſius in homine ſimilitudinem expingit, eſt Glorioſum & Honeſtum; At Condonatio injuriarum, hoc efficit; Ergo &c.* Deinde ſecundam partem ſic expendo. *Quod meretur*

tur

Digitized by Google

cur & parit remiſſionem Peccatorum, Gratiæ augmentum, & Beatitudinis palmam, eſt utile; At ejuſmodi eſt Condonatio, &c. Tertiam Partem poſtea ſic examino; *Quod convenit cordi humano naturaliter amorem ſpiranti; quod auxilio Divino juvandum præcipitur, & immenſo præmio compenſatur, illud cenſeri debet Facile; At talis eſt Condonatio injuriarum; Quid ſupereſt niſi ut habeatur Facilis? &c.* Si volueris propoſitionem ducere per oppoſita capita, quæ condonare nolentem conſequuntur; idem evidentiùs compertum habebis. V. g. quòd vindicta ſit opus Indecorum, Noxium & Difficile. Præmiſſum examen ſi adhibeatur quoties paratur Concionis Materia, conſtabit prorſus, quid ad ſcopum intentum directè collineet, quid ab illo declinet, pag. 53. 722. 725.

Thematis Delectus.

7. *Thema* deligi poteſt ante vel poſt collectam Materiam, 115. in fine, 227. Ex Scriptura Sacra, nonnumquam ex Officio Eccleſiaſtico, ibid. 722. continuo verborum textu enuntiatur, aliquando prætermiſſis aliquibus abrupto, 116. Præjuditium fit & prægustatio rerum dicendarum, ibid. 518. Themata contorta, malè aſſuta, per vim & aliquando impudenter ac irreligioſè aſſumpta repudientur, 116. 227. 529.

Exordii ſtructura.

8. *Exordium* eſt exterior Concionis aditus, ac veluti priùs occurrens Palatii veſtibulum, quo Auditor præmunitus de Dicendis, gratioſè invitatur ad Attentionem. Exordii neceſſitas, officia, virtutes & vitia deſcribuntur, pag. 109. & ſeq. Qui ſint Loci unde eruantur Exordia, pag. 113. & ſeq. Exordiorum Materiam, Formam, Expolitionem, Pronuntiationem, &c. Vide pag. 114. 115. Ideas & Exempla plurima, pag. 108. & ſeq.

Introductionis fabrica.

9. *Introductio* eſt alter poſt Propylæum ſeu veſtibulum aditus, quo Auditor in anteriorem domus partem jam admiſſus, officioſè allicitur in Aream quamdam communem, ex qua potiores & penitiores Palatii partes facilè proſpiciuntur ac penetrantur. Introductionis utilitas, ejuſque ab Exordio diſcrimen, pag. 131. 132. Ejus partes ſigillatim examinantur, 133. 134. Ejus Conditiones, 135. Fontes, Ornatus, Pronuntiatio & Exempla, 136. & ſeq. Introductio prætermittitur nonnumquam, cùm ut varietur Dicendi methodus; tum quia Res dicendæ in partibus redundant: Ideo Partitio vel præinſeritur Exordii clauſulæ: vel undè & apertè Ingreſſus fit ex Partium declaratione: v. g. *Tria hodie tractanda ſuſcipio*, ibid.

Introductionis ab Exordio diſcrimen.

10. En Exemplum quo Exordii ab Introductione *Differentia* conſpicitur. Res eſto de ratione qua poſſit Falſa Pœnitentia dignoſci. Exordii ſenſus poterit eſſe iſte: *Intereſt multum Falſam Pœnitentiam dignoſcere:* Hæc propoſitio facit Auditores Attentos & Benevolos à rei utilitate; poteſt etiam facilè probari & dilatari per argumenta, quibus probetur magni momenti eſſe iſtud examen. Introductionis ſumma erit iſta, *Difficile eſt Falſam Pœnitentiam certò dignoſcere*: Vides quomodo hæc propoſitio priorem conſequatur: altera erat in *Statu conjecturali*, quo quærebatur An res deberet fieri, aſſeritur nimirum id intereſſe.

Iſta

Iſta Introductionis propoſitio eſt in *Statu Qualitatis*, quo quæritur Quale ſit illud quod fieri debet, An facile? An difficile? Prior eſt diſpoſitio ad poſteriorem: poſtquam enim ſtatutum eſt Pœnitentiam debere dignoſci, rectè ſequitur Quæſtio An poſſit dignoſci. Deinde ſequitur alter Status qui etiam *Qualitatis* eſt, ſeu potiùs *Operis & Modi* quo res perfici debeat: indeque conſtituuntur Concionis partes. V. g. ſi non ſit Ficta & non vera: Manca & non integra, Mollior & non doloroſa. Vide pag. 690. Quæ partes ſunt (ut dixi) tot modi quibus falſæ Pœnitentiæ Dignoſis fiat. Conſtabit autem concionis ſenſus, ſi hæc ejus ſumma colligatur. *Intereſt multum dignoſcere falſam Pœnitentiam*, &c. *iſtud quidem factu difficile eſt, poteſt tamen fieri, ſi attendantur tres veræ pœnitentiæ conditiones, quibus Falſa caret, ſcilicet Confeſſio Sincera, Integra, Doloroſa*: Hinc enim conſtituitur iſte Syllogiſmus, Pœnitentia quæ caret Sinceritate, Integritate, & Dolore, eſt Falſa: At Pœnitentia hominum ſolet eſſe ejuſmodi: Ergo, &c. Ex his etiam liquet, quòd Introductio potuit confici ex conditionibus ad veram Pœnitentiam deſideratis, quæ fictitiæ deſunt.

Partitionum ſeu Diviſionũ Inventio, ac Diſpoſitio.

II. *Partitio*, ſeu Diviſio Propoſitum commune & univerſale diſtinguit ac diſtribuit in Membra vel Partes, quæ ipſi inerant, & tractari debent. Diviſio ad Perſpicuitatem facit, & Docilitatem, quidquid ſentiant Tenebriones qui odere Lucem, pag. 144. aliquando inſeritur Exordio, ſæpiùs extremam Introductionis partem occupat, 145. fieri debet per Partes quarum nulla includat aliam quæque ſimul totum ſenſum contineant: ac etiam per verba exquiſita, quæ acumen & ingenium ſapiant, pag. 146. Diviſionis Conditiones, 146. 147. Fontes & Loci unde poſſint deſumi aperientur, ibid. & ſeq. Partitiones ſolent duci, A Cauſis. v. g. Vindictam damnant, Lex Naturalis, Civilis & Divina. Ab Effectis v. g. Vindicta, offendit Rationem, expellit Gratiam, præpedit Gloriam. Ab enumeratione Partium, v. g. Qui ulſciſcuntur: alii corde, ſeu odio: alii ore, ſeu Detractione: alii opere, ſeu inſectatione, ultionem exercent. Cæteros Diviſionis fontes vide ibid. Enuntiatur Diviſio, vel ſimplicibus verbis; v. g. fuit Paſtor, Sacerdos, Judex, vel additur qualitas perficiens: v. g. Paſtor Pius, Sacerdos Sanctus, Judex integer, aut Paſtor pietate præcellens, Sacerdos Sanctitate inſignis, Judex integritate memorandus. Vel, detrahitur imperfectio ab attributa qualitate, v. g. Paſtor vigilans abſque remiſſione: Sacerdos Sanctus abſque macula: Judex Æquus ſine corruptione. Alias cùm Diviſionis, tum Subdiviſionis formas, vide pag. 154. Diviſiones de Attributis Divinis, habes à pag. 530. & ſeq. de Myſteriis ac Feſtis Chriſti Solemnibus: à pag. 533. ad 545. De Feſtis B. Virginis à 546. ad 555. De Angelis & Variis hominum ſtatibus, à 555. ad 556. De Præceptis Decalogi, 391. & ſeq. De celebrioribus Sanctorum Feſtis per ſingulos menſes, à pag. 557. ad 604. De pluribus propoſitis, quo in unoquoque Evangelio per omnis Anni Dominicas tractari poſſunt, à pag. 666. ad 692. de plurimis

vir-

virtutibus & vitiis à pag. 293. ad 349. & ſparſim per ſecundam hujus Operis partem.

12. *Subdiviſio* eſt Membrorum Concionis præcipuorum particularis Partitio. Ejus uſum probant illi, alii improbant, neutri adhærent parti, qui temperatiùs & equiùs judicant, pag. 153. Ne ſubdiviſio divertat orationem à ſcopo, ejus partes debent conſtitui ex iiſdem argumentis quibus propoſitio aliàs probaretur, ſed illa ingenioſè verſanda ſunt ut ex iis elegans partitio exurgat, quæ ab intento non declinet, 154. Ne langueat Oratio per Diviſiones, quæ Doctrinam ſapiunt & remiſſum ingenium, debent adhiberi Tranſitiones, quibus ab una parte progreſſus fiat ad alteram, cum figura & motu, 153. Ne prolixitas oriatur ex multitudine partium tractandarum; reſcinditur aut contrahitur Introductio: vel etiam paucis verbis enuntiantur propoſitiones quæ ſingularum partium conficiunt ingreſſum, ibid. Cætera ſunt Diviſioni cum Subdiviſione communia.

Subdiviſionum uſus.

13. Pars, ſeu punctum quodlibet præfigit ſuo capiti propoſitionem dilucidè ſed breviter explicatam, quæ ſenſum totius partis mox tractandæ probandum & confirmandum complectatur. v. g. *Vix eſt hominum aliquis, qui Honeſtatis motivo non alliciatur, &c. At quodnam opus cenſeri poteſt Honeſtius, quàm condonare injurias? &c. Magnanimitatis enim eſt facinus: Heroum fuit Laus: Deus ipſe in parcendo manifeſtat omnipotentiam ſuam, &c.* Hæ ſunt partes Subdiviſionis quæ propoſitionem diſtribuunt, & probant. Argumenta ad rem conducentia ſubjiciantur huic propoſitioni, ordinentur ac expoliantur. Ordo inter Argumenta ſtatuendus, multiplex eſt; Vel petitur *à Dignitate rerum*, quæ probationem conſtituunt. *V.* g. præmittitur Teſtimonium ex Scriptura Sacra; deinde ſubjiciuntur Conceptus è SS. Patribus ducti; poſtea Ratio: tum Exemplum aliquod probatum & ad rem appoſitum. Vel attenditur *Efficacitas Argumentorum*, ita præponuntur validiora quæ Adverſarium conterant, deinde quæ ſunt minoris valoris, ac tandem denſa ſpicula numero plura conglobatim in Adverſarium jam contritum congeruntur. Aut penſatur *Ordo Naturæ*, quo unum argumentum præcedit aliud, quaſi medium ad terminum, & radix ad ramos, eſtque iſtius præparatio, pag. 106. 160. vel denique variatur ingenioſè Argumentorum diſtributio. 161. 228. 520. 736. & ſeq.

Methodus qua ſolet inchoari quælibet pars.

Diſpoſitio Argumentorum varia.

14. Concionem infercire Argumentis Philoſophicis, videtur claſſicam Diſceptationem olere: citationes frequentiores adhibere, Commentarium & Interpretem ſapit; ſublimiores conceptus & difficiliores quæſtiones ſæpiùs verſare, admirationem apud imperitos parit, vix utilitatem apud aliquos; Prophanorum teſtimonia & exempla frequentiùs uſurpare, non ſatis Chriſtianum cenſetur: promiſcua & tumultuaria quorumlibet Argumentorum congeries, ferè ſimilis eſt Exercitui ex Gregariis & indiſciplinatis militibus undequaque corrogato, qui Domeſticis nocentior eſt quàm alienis; Politior verò & limatior argumentorum ſtructura, pompam magis quàm virtutem oſtentat: ac veluti

Quibus rebus & quomodo Partes locupletari & probari debeant?

Digitized by Google

luti unguentatæ & ornatæ Copiæ quæ Armiluſtriis idoneæ ſunt, nuſquam Expeditionibus militaribus: voluptuarias Aures fictitio & fucato eloquio miſerè ludit, non inſtituit, nec emendat. Satiùs eſt modica, ſed forti & exercitata Militum delectorum Manu Adverſarium aggredi: Oratori ſacro expedit, paucioribus ſed validioribus & prudenter diſpenſatis rationibus Auditores adoriri, pag. 21. 22. 520.

Perorationis & Epilogi ſtructura.

15. Concluſio, Peroratio & Epilogus idem ferè ſonant: videlicet poſtremam Concionis partem, in qua totius Orationis collectum robur ad propoſitum ſcopum vehementer adigitur. 164. Ex illius conſtitutione dignoſcitur Orator, ibid. Plures malè perorant, vel ob Imperitiam, vel ob Inſufficientiam, ibid. Duas partes illa continet, Commemorationem & Commotionem, 165. *Commemoratio* ſummatim, ſed aliis verbis ac figuris, retexit Argumenta præcipua, quæ per totam Orationem diſpenſata ſunt, hic præ oculis uno intuitu conſpicienda exhibet: caveri debet repetitio ejuſdem formæ, & prolixitas recenſionis, ne videatur inſtaurari concio potiùs quàm deſinere. 166. 167. *Commotio* omnes adhibet vires, ut Auditor inflammetur, excitentur Affectus, & Mores formentur, unde Moralitatis nomen pars iſta ſibi peperit, 167. 168. Moralitas apud Chriſtianos vix alium Affectum ſuſcitare ſatagit, quàm qui corrigendis aut perficiendis moribus humanis prodeſt: illius intentum eſt ferè unicum ſuadere virtutes & vitia diſſuadere, pag. 168. 169. . . . Huc conſpirant ardentiores figuræ & validiora argumenta vehementius contorta . . . . . metuendum eſt ne dum incaleſcit peroratio, remittatur per longiorem aut languidiorem narrationem, pag. 169. illa duci debet ex præmiſſis, veluti fructus ex propria ſtirpe: ſecus, erit malè aſſuta & inefficax, 168. 629. An debeat ex ſingulis partibus ſigillatim duci Moralitas, controvertitur: In Panegyricis poſſe ad communem & poſtremam totius Concionis partem ſervari arbitror: in aliis Dicendi Generibus unicuique parti propriam convenire Perorationem brevem puto, ſed non obſtat quin communi Moralitate claudatur Oratio, 169. 701. & ſequ. ubi habes Perorationis exempla, & Moralitatum Effectrices cauſas. 634. 635.

Commemoratio.

Commotio.

Moralitas.

Recenſio eorum quæ ad Concionem Inſtruendam proſunt.

16. Ad Concionem igitur inſtruendam videntur hæc conducere, 1. Propoſiti deſignationem à Deo humiliter expoſcere. 2. Præ oculis habere illud tractandum eſſe, quod ad Dei Gloriam Hominumque ſalutem promovendam viſum fuerit aptius. 3. Noſſe: quæ materia, quæ forma, quis ſcopus, quæ diſpoſitio, quæ Figuræ, quæ Pronuntiatio unicuique Concionis parti conveniat. 4. Secernere, ac ſeligere Rationes validiores, utiliores, rei tractandæ, Auditoribus, aliiſque Circumſtantiis peculiaribus magis accommodatas. 5. Authores prælegiſſe qui de eodem propoſito utilius agunt, 723. Figurarum, maximè acriorum exempla ebibiſſe, & Artem Affectuum tractandorum menti obverſantem tenere: his enim recens præmunitus Animus, ad opera conſimilia inſtruenda paratiſſimus accedit. 6. Pronuntiationis cultior methodus, quæ fortè à Natura negatur, poteſt arte & ſtudio comparari,

rari,

rari, qua ratione id fieri queat docetur fuſè, 724. & ſeq. ſed omnino neceſſarium puto, ante pronuntiationem meditari ſeriò res Dicendas: non jam ut Memoriæ committantur, quas præſumo illi priùs mandatas: ſed ut his imbuatur ac penetretur mens Oratoris: ſic enim occupatus & plenè convictus Animus eundem ſenſum facilius inſpirat aliis, quem ipſe ſuxit, & cordi profundiùs hærentem complectitur. Cætera quæ ad ſuggeſtum ſpectant habes à pag. 724. ad finem.

17. Peculiaria Dicendi Genera expenduntur in 2. hujus Operis parte. *Didaſcalicum* quod Docendi methodos tradit à pag 353. ad 447. Cathechiſticam Exercitationem, à pag. 357. ad 410. Paraphraſticam & Expoſitoriam, à pag. 410. ad 421. Polemicam, ſeu de Controverſiis, à pag. 422. cum Exemplis, ad 447. *Demonſtrativum Genus* tractatur, à pag. 449. ad 610. ubi referuntur ſupra quadringenta Concionum Diviſiones, de Attributis Divinis, de Myſteriis, de Feſtis Beatæ Virginis ac Beatorum celebriorum, à pag. 530. ad 604. *Deliberativum Genus* explicatur, à pag. 611. ad 728. ubi indicantur Ideæ ad propoſita pluſquam, 264. Concionum, quæ per ſingula Evangelia Dominica diebus Adventus, Quadrageſimæ, & per Annum præſcripta, poſſunt tractari, à pag. 670. ad 692. Artem variandi Concionum Formas habes, à pag. 693. ad 728. Varia Dicendi Genera.

18. Pro Coronide hujus Præmoniti non erit fortaſſe inutile ſubjicere Induſtriam, qua poſſit Eccleſiaſta Concionem inſtruere, ex improviſo, citiùs, ſed juſta occaſione id poſcente. Ad iſtud juvat præmuniri verſatilibus & translatitiis Concionibus de Propoſitis Generalibus, quæ poſſint ad peculiares caſus & opportunitates accommodari, pag. 456. v. g. de Sanctitate, de Amore erga Deum, & aliis cùm virtutibus, tum dotibus communibus quæ nulli vix non poſſunt attribui, ib. Quis enim Sanctorum laudem meretur, niſi quia Sanctitatis, Charitatis, &c. opera ipſe dedit? At ſunt quædam perſonarum genera quæ ſunt peculiaribus laudibus efferenda, ideoque conſulitur Eccleſiaſtæ, ut Collectanea quædam capita habeat in charta repoſititia, de virtutibus aliquibus communioribus, v. g. de Juſtitia, de Patientia, de Intentione recta, &c. Item de Statibus, qui frequentiores ſunt, v. g. de Prælato, de Sacerdote, de Religioſo, de Judice, de Pœnitente, &c. quæ collectanea ſint ferè ad formam Concionis peculiaris inſtructa: cùm enim neceſſitas datur Concionis extemporaneæ inſtruendæ: tunc aſſumuntur ab exceptaneo codice tot capita, quot rei tractandæ convenire judicantur. V. g. Sanctus fuit, Prælatus, Religioſus, & Judex, conjungi debent illæ tres Dotes, quæ in Collectionibus ſunt ſigillatim paratæ, & ex illis inſtituitur una Concio qua laudatur vir Sanctitate, Religione & Judiciali Magiſtratura commendandus. Methodus ad inſtruendam Concionem extemporaneam.

NOI

Digitized by Google

NOI
REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbazione del Padre F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Paulus Eccleſiaſtes, ſeu Eloquentia Chriſtiana : Authore P. Amadæo Bajocenſi Prædicatore Capuccino*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Gio: Battiſta Albrizzi Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. 9. Aprile 1720.

(*Gio: Franceſco Moroſini Cav. Ref.*

(*Alviſe Piſani Cav. Proc. Ref.*

(

Agoſtino Gadaldini Seg.

PAU-



PAULUS ECCLESIASTES
SEU
ELOQUENTIA CHRISTIANA
QUA
ORATOR EVANGELICUS AD IDEAM
& Doctrinam D. Pauli efformatur.

PARS PRIMA.

Præmonitum.

ANTEQUAM ulteriùs progrediar, Operæ-pretium duco rem à duobus auſpicari. Primum eſt, ut moneam de Ordine quo prima hæc Inſtitutionis Eccleſiaſticæ Pars digeritur; Alterum, ut aperiam quis Genius eidem potiſſimùm inſpergatur. De priore, dicam paucis, quinque libris conſiſtere, ſcilicet *Apparatu*, *Promptuario*, *Oeconomia*, *Ornatu* & *Imperio*. Horum rationem colligunt Oratores, vel à Militari Diſciplina, quam in pluribus imitatur Concionatoria, vel à Corporis Humani conformatione, vel etiam ab Ædificiorum Structura, quarum ſimilitudinem non deſpicit artificioſa Concionis fabrica.

Et quidem ſi de Militia res ſit; Decertat (inquiunt) Eccleſiaſta non ſecùs ac Miles, pugnatque contra peccatorem ille ad eundem ferè modum, quo iſte adverſus hoſtem inſurgit; alter lingua, manu alter præliatur; at utrobique methodus non multùm diſſimilis obſervatur, præſertim in efformando Tyrone. Primò enim uterque præmuniri debet communibus & initialibus præceptis, unde perdiſcat, quid Opus aut ſuſceptum aut ſuſcipiendum poſtulet, quidve ipſe præſtare queat; hoc habet Novitius Eccleſiaſta ex priore libro qui Ap-

Digitized by Google

paratus dicitur, in quo Præambula & Introductoria rudimenta Inſtitutioni perneceſſaria præmittuntur. Deinde, ut in Armamentario Miles reponit certaminis inſtrumenta, quæ repoſcat cùm certandi occaſio id exegerit; ita Concionator indiget Promptuario, hoc eſt Inventionis fontibus ac locis, à quibus rationes & argumenta ibidem aſſervata, in opportunitatem ſibi vendicet. Iterum, militaris ſupellex diſpenſari debet in ordinem & vices, quibus maximè valitura præſumitur; pari prorſus ſorte, locuples Oratorum Theſaurus ingeniosè diſtribui deſiderat in uſum ac finem debitos; officium iſtud eſt Œconomiæ ſeu Diſpoſitionis, quæ Concionis partes earumque probationes & figuras ſatagit ordinare. Quartò, venuſtatem & elegantiam non odit Exercitatio bellica, immo pulchritudinem oſtentat non injucundam, ſi ad regulas & ornatus militares componatur: at hic eſt præcipuus Eloquentiæ Genius, gratias & lepores ambire, ideoque amat expoliri per Elocutionis ornamenta, ſine quibus ſorderet. Quintò denique, & Miles & Orator dominium in homines affectant, quamquàm diverſimodè; prior vi & impetu etiam repugnantes ſubigere tentat; alter blandè & induſtriè in Affectus humanos ſe ſe inſinuans, eoſdem ad conſenſum pellicit fortiter, at non niſi ſuaviſſimè & jucundiſſimè; hinc florent gratiſſimum Eloquentiæ Imperium.

Atque hæc eſt primæ iſtius Concionatoriæ Inſtitutionis ratio, quam à conſimili Diſciplina colligere ſolent Oratores. Affinibus verbis idem ferè appellant Scholæ, dum ajunt Oratoris optimi partes eſſe, Argumenta ad perſuadendum appoſita invenire, Inventa diſponere, Diſpoſita ornare, ac denique Expolita & memoriæ firmiter mandata, venuſtè, cùm opus eſt, pronuntiare. Inventionis, Diſpoſitionis, ac Elocutionis præcepta expendimus in hac priori Parte, Memoriæ & Pronuntiationis leges in altera tradituri. Non immoror in retexendis rationibus, quas ineunt alii vel à Corporis, vel ab Ædificii ſtructura, ut indè numerum ac ordinem partium Orationis ſuſpicentur, de iis agendi aliàs dabitur occaſio, ad utiliora feſtinamus.

Quæris quem Genium hæcce prior Pars ſpiret, & quomodo ſecernatur à Poſteriore? Brevi dicam, utramque Partem ad efformandum Eccleſiaſtam conſpirare, atque illuc ſpectare quæcumque in alterutra præcipiuntur: At quia Regulis communibus & univerſalibus quæ ſpeculationem ſapiunt Prior occupatur magis, quàm Altera, quæ variis Concionandi formis ac Cauſarum Generibus ſpecialibus cum adhibitis exemplis deditur; Ideo hanc à Poſteriore tamquam Theoriam à Praxi, vel (ut ait Schola) tamquam Docentem ab Utente ſecrevimus. Ita tamen ſibi manus innectunt ambæ hujus Inſtitutionis Concionatoriæ Partes, ut ab invicem divelli vix patiantur abſque utriuſque injuria. Faxit Deus ut optandum finem utraque conſequatur.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

APPARATUS

ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ.

QUOD in aliis Diſciplinis Prolegomenon ſeu Introductorium vocari ſolet, nimirum Præliminaris Exercitatio, Tyronem Quæſtionibus aliquot præambulis, & præparatoriis præmuniens; illud (ut dixi) in Eloquentia Chriſtiana APPARATUM *deinceps appellabo; Principia ſcilicet quædam generalia Inſtitutionis Concionatoriæ, quorum Notitia ritè percepta Novitium Eccleſiaſtam inducat ad ulteriora Chriſtianæ Eloquentiæ Myſteria. Hinc nimirum diſcet, Quid ſit ipſum Opus quod aggreditur, quis ejus Finis, quæ Cauſæ, ac denique quæ Dotes in eximio deſiderentur Oratore. Hæc ſunt duntaxat, quæ in Apparatu, cui deditur prior iſte Liber perſpicuè & luculenter explicabuntur.*

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA, DIGNITATE, ET UTILITATE Eloquentiæ Chriſtianæ.

NATURAM & Eſſentiam Eloquentiæ Chriſtianæ nemo pingat meliùs, quàm ſimplici & aperta ejuſdem deſcriptione; ea eſt enim ipſi cum veritate cui famulatur ſors communis, ut innata venuſtate ambæ illuſtres, non indigeant alieno decore quo fulgeant. En ergo quid ſit Eloquentia Chriſtiana; *Eſt Habitus & Facultas animi ab Arte & Natura (Deo afflante) collatus, ad Dicendum ornatè & feliciter de rebus omnibus, quæ in Quæſtionem vocatæ, Gloriam Dei & Hominum ſalutem promovere poſſunt*. Præcipuas hujus Deſcriptionis partes brevi expendo, ut cæteræ hinc eluceſcant. Definitio Eloquentiæ Chriſtianæ.

Eloquentiam dixi *Habitum* & *Facultatem*, ut fortuitos & tumultuarios motus Indolis aliquando felicis, ſed incultæ & inordinatæ, à

vera Eloquentia ſecernerem; Illi enim ſubitò ferè & improvisò naſcuntur ac pereunt, ſcopum non niſi fortuitò pertingentes: Hæc verò menti firmiter inhæret rationem moderatura, ut debitum finem certiùs & faciliùs aſſequatur. Addidi tres Eloquentiæ Chriſtianæ Parentes, *Deum*, *Naturam* & *Artem*, tot enim ad Sacrum Miniſterium coeunt præcipuæ Cauſæ Effectrices. Aberrarint Prophani omne opus Oratorium Naturæ & Arti adſcribentes; Nos his religioſiores, Deo ceu omnium Authori omnia tribuimus; vel ſi quid diſtinctum inter Opificem & Opus agnoſcere liceat, profitemur Eloquentiæ germen Naturæ ſinu foveri; Artis excoli ſtudio, Dei verò gratia feliciter increſcere. Denique (ut cæteras Definitionis partes aliunde explicandas prætercam) ſubdidi Eloquentiam Chriſtianam *Gloriæ Dei Hominumque Saluti invigilare*; his verbis Oratorem Sacrum ſemovens à Prophano, qui terrena & temporalia lucra ferè ſemper venatus, digniorem ſcopum aut minimè novit, aut ſi noverit non ambit: At Chriſtianus Eccleſiaſta, ſe totum Deo & Proximo impendit, illius Gloriam, iſtius Salutem promovens, nec alium ſpectat finem, quàm qui ad hujus Propoſiti aſſequutionem conduxerit.

Cauſæ effectrices Eloquentiæ Chriſtianæ.

Eloquentiæ Chriſtianæ Dignitas, & Encomium.

Hinc conſtare debet Eloquentiæ Chriſtianæ dignitas; quanti enim fieri debet Diſciplina quæ Deum progenitorem agnoſcens, ipſius Honori omnino allaborat? eſt enim Eloquentia ſacra quaſi Lingua, Vox & Os Dei; Luminis æterni Radius; Primæ Veritatis oraculum; Legis Archetypæ præco; Evangelij Organum & Tuba; Religionis Gladius & Propugnaculum. Hac ſcilicet lingua Deus homines alloquitur; hac voce ſua Myſteria reſerat; hoc Ore divina promulgat Placita; Eloquentiæ Radio affulget hominibus æternum Lumen; in mentes illabitur ſuprema veritas hujus Oraculi beneficio, quo & Lex Primæva terris innoteſcit, & Evangelium ſuadetur orbi, & Religio ſtabilita Errores fugat, extinguit ſcelera, ac denique quidquid Pietati adverſatur impugnat, perimit, delet. Quanti rurſus penſanda eſt Ars Sacra, quæ hominum Saluti mancipatur tota & deditur? Purgat, Illuminat, Perficit Hominem integrum; modò intellectus, voluntatis modò, modò aliarum facultatum ægritudines curans, eaſque priſtinæ reſtituens ſanitati. Pluribus parco ne fiam moroſior in Eloquentiæ laudibus recenſendis; ſed injuria foret, Encomium tacere quod ab ipſo ducit Chriſto Oratorum Principe, qui Eloquentiam dignatus eſt ſuo decorare ſtudio & labore. Teſtem adhibeo ſacrum Codicem, Luc. 8. 1. *Ipſe* (inquit) *iter faciebat per Civitates & Caſtella, prædicans & Evangelizans Regnum Dei*. Hoc quidem officio digniſſimè functus eſt Chriſtus, quandiu terris immoratus homines habuit Diſcipulos & Auditores; at hinc abſceſſurus ad Patrem, munus quod geſſerat Apoſtolis demandavit; ut quemadmodum Soli recedenti ſuccedunt Stellæ ejus vicariæ, ita Chriſto hominibus valedicenti ſubſti-

tueren-

Digitized by Google

tuerentur Sacri Oratores, auguſtum Prædicationis Miniſterium ipſius vice ſuſcepturi. En Delegationis verba Marci 16. 15. *Dixit eis; Euntes in Mundum univerſum, Prædicate Evangelium omni Creaturæ*, &c. O digniſſima prorſus Eloquentia Chriſtiana! Ars ſacra omni ex parte laudibus extollenda! ſileat humanæ Rhetoricæ Encomiaſtes, & quas palmas verboſæ linguarum venalium Paleſtræ affigere nititur, eas Eloquentiæ ſanctæ, quam Cœli Donum, Terræ Decus, Chriſti Vicariam, Fidei Aſylum, Pietatis denique Firmamentum agnoſcimus, appendat & conſecret.

Non prodeſt minùs quàm præcellit Ars Evangelica: ea ſiquidem Reſpublica Chriſtiana ſtat, regitur & fulget; ea Religio Pietaſque oriuntur, foventur & florent; ea denique Fides & Evangelium innoteſcunt, firmantur & triumphant. Quid foret Orbis abſque Sacra Eloquentia? Terra ſine Sole, inanis ſcilicet & vacua, tenebrarum Abyſſo plane ſepulta & obvoluta. Non coleretur Deus, non abjiceretur Dæmon; Beatitudo non pareret ſui deſiderium, nec ſui metum Infernus; non placeret virtus, nec ſcelus fœteret, niſi Eloquentia Chriſtiana docuiſſet homines quæ fugere & quæ amplecti conveniret: Ille ſcilicet qui omnia creavit Verbo, is univerſa inſtaurat eodem per Artis Divinæ miniſterium. Norunt omnes quas lauros de ſuis hoſtibus retulit Eccleſia, ipſis Eloquentiæ armis, quibus illi in hujus perniciem conſpiraverant. Hoc Gladio Origines, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, Athanaſius aliique Religionis Heroes innumera Errorum Vitiorumque Monſtra trucidavere. Quid ergo utilius hac Arte, ex qua, ceu ex Turri David, mille clypei pendent & omnis armatura fortium? Id ſane fuerat expertus nequam ille Imperator perduellis, id ſenſerant plurimi ejuſdem impietatis ſectatores Tyranni, qui nihil non ſunt moliti, ut Scolas, Libros & Præceptores ſacri Eloquii vetantes, Eccleſiæ fortiſſimum Propugnaculum, & uberrimum Armamentarium Chriſtianis ſurriperent.

His adde inſignes titulos, quibus Scriptura Sacra Prædicatores honorans, gloriæ & neceſſitati auguſti Miniſterii litat: vix ſancti Codicis pagina vacat ejuſmodi præconiis. Audies Pſalmiſtam Regium Concionatores Cœlis comparantem Pſ. 18. *Cœli* (inquit) *enarrant Gloriam Dei*. Cœli ſunt, qui, ut ait Nazianz. in Apolog. moribus & doctrina cœleſtes, divinum pabulum, cœlicam virtutem in inferiora depluunt. Quod dicitur 1. Reg. 2. *Domini enim ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*, ad laudem & utilitatem Prædicatorum traducitur; ſic enim ait D. Petrus Damian. ſer. 1. de S. Math. Orbis ſuper Cardines terræ ponitur, cùm ſancta Eccleſia tamquam ſuper baſes Doctrinis Evangelicis ſolidatur. Horum commendationi non parum favet Iſaias, Concionatores Nubibus volatilibus aſſimilans; *Qui ſunt* (inquit) *iſti, qui ut nubes volant?* Reſponſio liquet, Eccleſiaſtæ ſunt:

Prædicatorum Encomiaſtica nomina.

quid

quid enim Nubium volantium ſinu recluditur ? Tria hæc , Lux, Aqua, Fulgur: Totidem rebus onuſti per orbem feruntur Evangelii Præcones ; Luce fulgidi ignorantiæ tenebras depellunt ; Aquis , ſeu potiùs doctrinæ roribus graves , Pietatis agros fœcundant ; Fulgure armati obſtinatos peccatores terrent & conterunt. Vulgare eſt illud Malachiæ 2. 7. de Sacerdote dicentis, *Angelus Domini Exercituum eſt*; quia (ut ait D. Hieronymus) Dei & Hominum ſequeſter eſt , ejuſque ad populum nuntiat veritatem . Sed omnino mirum quod à D. Chryſoſtomo aſſeritur Hom. 7. in Epiſt. ad Epheſ. c. 3. n. 7. Pauli Concionatoris Miniſterium præſtare Angelorum Officiis ; hi ſcilicet fuere tantùm Synagogæ Veteriſque Legis præcones, ille Eccleſiæ Legiſque Novæ Doctor extitit; Hi Naturæ & Moyſi obſequuti ſunt, ille Gratiæ & Chriſto famulatus eſt . Quid ſi ulterius luberet ſacros Textus revolvere , nihil aliud ſonarent quàm Prædicationis Encomium. Nunc Eccleſiaſtæ vocantur *Lux Mundi & Sal terræ*, Math.5. 13. nunc *Diſpenſatores Myſteriorum Dei*, 1. Cor. 4. Appellantur modò Patres Chriſti, ut ait Paulus 2. Cor. 11. *Donec formetur in vobis Chriſtus:* modò nuncupantur Mediatores Dei & Hominum; *Dedit nobis miniſterium reconciliationis* (inquit Apoſtolus) *poſuit in nobis verbum reconciliationis*; 2. Cor. 5. Denique pluribus ſuperſedens, Eccleſiaſticas Epigraphes claudam hac ultima, qua Doctor Gentium gloriatur Epiſtola mox citata , num. 20. *Pro Chriſto Legatione fungimur*, &c. Unde prorſus conſtat Eloquentiæ Chriſtianæ tum Dignitas , tum Utilitas, quæ nimirum ſit Naturæ Divinæ & Humanæ quaſi Confinium, Creatoris & Creaturæ vinculum, utriuſque tamdem Orbis, ſuperioris & inferioris commercium.

Eloquentiæ tres ſunt ſpecies, Divina, Heroica, Humana.

Cæterum triplex diſtingui poteſt Eloquentiæ ſpecies; Alia Divina, Heroica Altera, Tertia Humana. Divina Eloquentia non à Scholæ præceptis ediſcitur, ſed à Spiritu ſancto infunditur . Talis extitit in Prophetis, Apoſtolis, nec-non in aliquibus ejuſmodi Theodidactis. Heroica, non quidem infuſa eſt, ſed labore & ſtudio parta, cœleſti tamen Numine afflata , hinc magnam vim , egregiaſque Dotes trahit. Sic Eloquentes fuere D. Baſilius , D. Ambroſius , & Hieronymus, & D. Cyprianus, D. Auguſtinus, D. Chryſoſtomus, &c. Humana denique Eloquentia, methodum rectè ornateque dicendi à Præceptoribus & Regulis acceptam profitetur; hæc claruit in Demoſthene, in Cicerone, Fabio, aliiſque magni nominis Oratoribus : Eloquentia Chriſtiana complectitur Heroicam & Humanam : ita enim præceptionibus nititur, ut plura ſperet à Deo quàm à Natura & Arte. Ejus Definitionem, dignitatem, utilitatem & partitionem expendimus, ipſius finem & officium inveſtigemus.

C A-

Digitized by Google

CAPUT II.

De fine & Officio Eloquentiæ Chriſtianæ.

FINIS ab Officio tamquam terminus à via diſtinguitur: Finis enim eſt id quod intenditur obtinendum, eſtque velut ſcopus in quem intentio & actio diriguntur: Officium verò eſt id quo Finis obtinetur, ſeu curat de mediis quibus ſcopus attingatur. Eloquentiæ Chriſtianæ Finis v. g. eſt Perſuaſio per Dictionem facienda, ut gloria Dei Hominumque ſalus promoveatur: Officium autem eſt dicere appoſitè & convenienter ad efficiendam ejuſmodi Perſuaſionem. De utroque duobus Articulis ſequentibus agimus.

Finis & Officii diſtinctio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FINE ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ.

De virtutibus & vitiis, quæ in Perſuaſione occurrunt.

FINIS Oratoris Chriſtiani eſt (ut mox dixi) perſuadere quæ ad Gloriam Dei Hominumque ſalutem ſpectant; ex quibus verbis conjicere licet duplicem iterum Finem, quorum alter alteri ſubordinatur, ſeu potiùs ad illum dirigitur tamquam Finis non ultimatus vel medius ad Ultimum; Prior eſt Perſuaſio quæ intenditur à ſacro Eccleſiaſta quatenus Orator eſt, ipſique cum prophanis Oratoribus communis eſt, omnes enim perſuadere nituntur; at Chriſtiano Oratori non ſufficit perſuadere quodlibet, ſed ejus Perſuaſio debet ordinari ad Gloriam Dei, quæ eſt primarius & ultimus Finis, quò tendere debet Orator ſacer, & omnia Perſuaſionis Media convertere; hoc enim ſcopo ipſi proprio & præcipuo diſtinguitur à cæteris perſuaſionem conſectantibus, qui aliò ſpectant, v. g. Gloriolam inanem vel temporale lucrum aucupantur.

Finis Eloquentiæ Chriſt.

Finis ultimus & primarius, medius & ſecundarius Eloq. Chriſt.

Perſuaſionis ab Oratore Chriſtiano faciendæ, hæ potiſſimùm occurrunt Dotes à Tyronibus multum advertendæ.

1. Veritas in Quæſtionem vocata, V. G. *Eleemoſyna eſt facienda*, ita proponatur & argumentis probetur, ut Auditores planè intelligant & judicent rem ita ſe habere quemadmodum Orator demonſtravit; id eſt, ipſis liquidò conſtet rem mereri amplexum aut fugam; V. G. Eleemoſynam fieri debere, vel cavendum eſſe ab Avaritia.

Conditiones perſuaſionis efficiendæ.

2. Eadem veritas verbis & Oratione ita confirmetur, ut Auditores non tantùm rei aſſentiantur, v. g. ſuadeantur bonum eſſe facere Eleemoſynam, vel malum, Avaritiæ ſe dedere, (quod ad intellectus ſpecula-

culativi convictionem pertinet) ſed penitus ſtatuant apud ſe rem deinceps, vel amplecti, vel fugere, prout ab Oratore didicerunt: v. g. ſtatuant quamprimùm facere Eleemoſynam vel fugere Avaritiam; quod ſpectat ad intellectum practicum & voluntatem praxim ſuaſionis decernentes.

3. Orator oſtendat vias, media & auxilia quibus Auditores uti debeant & poſſint ad facilem propoſiti executionem, ſive de amplexu agatur ſive de fuga. V. G. quomodo Eleemoſyna facienda ſit, aut qua via ſe poſſit Avarus expedire à nimio pecuniarum affectu.

4. Ad Perſuaſionis efficacitatem maximè confert ſeligere Concionis Themata & probationes, quæ ſpeciem triplicis Boni, ſcilicet Honeſti, Utilis & Facilis induentes, ad Praxim omnino tendant, vel ſi ſpeculativum quid ſonent, continuò ad opus inflectantur. Huc quoque conſpirat, initio Concionis diſtinctè & clarè proponere quid ſuadere velis, ut jam Auditor de hoc monitus & inſtructus incipiat affici, vel ſaltem eò cogitationem dirigere, quò novit Eccleſiaſtæ mentem & intentum ſpectare. Item ad Suaſionem plurimum valent Partitio elegans, Probationum & conceptuum exquiſitorum delectus, Elocutionis ornamenta, & Pronuntiationis lepores.

Obſtant officiuntque Perſuaſioni, Defectus enumeratis Dotibus oppoſiti.

Defectus Perſuaſionem impedientes.

1. Veritatem verborum ſenſuumve tenebris obvolvere, ſeu his obvolutam non clarè & dilucidè revelare. v. g. non diſtinctè nec jucundè explicare, vel naturam, proprietates, & præſtantiam alicujus virtutis; vel eſſentiam, deformitatemve vitii alicujus: Etenim cùm nemo rem incognitam vel amet vel odio habeat, fruſtra Orator ſuadere nitetur aut virtutis amorem aut vitii odium, niſi priùs explicuerit apertè, quæ ſint alterutrius natura & proprietates.

2. Impedit Perſuaſionem, non adhibere motiva ſeu motus quibus Auditorum affectus pelliciantur & inducantur ad praxim Propoſiti. Hinc non ſuadent nec ſuadere poſſunt, qui Conciones inferciunt multitudine rerum etiam exquiſitarum, ſed ſpeculativarum, id eſt, quæ nullatenus Praxim ſpectant, quæ intellectum otioſè & inutiliter paſcunt; quales ſunt ferè omnes Quæſtiones tum Philoſophiæ tum Theologiæ, aliarumve Scientiarum difficiles, ſublimes, & intricatæ; quales ſunt etiam plurimi Conceptus ingenioſè quidem excogitati, ſed merè ſpeculativi; quales denique ſunt inordinatæ Textuum vel à Scriptura vel à Patribus petitorum farragines: Hæc, inquam, niſi reſecentur, aut digerantur in Praxim, Suaſioni obſiſtent.

3. Obeſt Suaſioni non indicare modum quo quis poſſit facilè & cito exequi rem ab Oratore propoſitam. Quid enim v. g. proderit, probaſſe Peccatorem debere pœnitere, niſi doceatur quomodo benè pœniteant? Furem impuliſſe ad reſtitutionem, niſi addatur modus quo reſtitu-

ſtitutionem præſtet? Is ergo defectus, qui Concionatoribus frequentior eſt, enervat Eloquentiam (ſi quæ tamen ſit Eloquentia, quæ hoc vitio laboret) vanam & inutilem reddit Orationem, quæ Aures tantum pulſat, ſed Cor non penetrat.

4. His adde Ignorantiam & neglectum practici Thematis, dilucidæ Propoſitionis, Partitionis diſtinctæ, vis argumentorum, Eloquutionis decoræ & Pronuntiationis venuſtæ. Horum & ſimilium vel ignorantia vel deſpectus, maxime vitiat Suaſionem, niſi penitus impediat.

ARTICULUS II.

DE ORATORIS OFFICIO,
Quod eſt Docere, Delectare, & Flectere.
Item de iis quæ tria hæc vel juvant vel impediunt.

OFFICIUM Chriſtiani Oratoris eſt adhibere Media ad Perſuaſionem apta, ſeu (quod idem eſt) optimis idoneiſque verbis & ſententiis dicere. Hujus vero Officii tres ſunt Partes, ſcilicet *Docere*, vel Probare, *Delectare*, & *Flectere:* Probare autem, eſt Neceſſitatis; Delectare, Suavitatis: Flectere, Victoriæ. Diverſimodè à diverſis colliguntur Officii Oratorii partes: Alii ducunt à triplici Statu qui poteſt in Auditoribus reperiri, Ignorantia nimirum, Diſtractione ſeu faſtidio, & Obſtinatione. *Docemus* propter ignaros, neque enim agere aut amplecti poſſunt quod ignorant: *Delectamus*, propter diſtractos & faſtidientes; ſuavitate enim conciliatur attentio, & removetur faſtidium: *Flectere* nitimur obſtinatorum duritiem, quæ non niſi acrioribus ſententiis, & motibus debellatur. Alii triplex iſtud Oratoris munus colligunt ex triplici Genere dicendi, *Submiſſo*, *Temperato & Sublimi:* Docere ſpectat ad Submiſſum: Delectare ad Temperatum: Flectere ad Sublime. Alii denique referunt Docere ad Rationis ſeu Intellectus inſtructionem; Delectare, ad Appetitus Concupiſcentis pabulum; Flectere, ad Appetitus Iraſcibilis excitationem vel repreſſionem. Horum trium Munerum, hæ ſunt dotes & vitia.

Triplex Officium Oratoris Chriſtiani; Docere, Delectare, Flectere.

Docere, eſt clarè & expeditè voluntatem ac præcepta Dei populis aperire, Fidei Dogmata explicare, Chriſtum ejuſque Myſteria declarare &c. Ad bene Docendum tria requiruntur. 1. Ut res ſint Graves, Utiles & Neceſſariæ, hæ enim Docilitatem ſibi maximè vendicant apud Auditores. 2. Ut res tractentur diſtinctè, ordinatè & accomodatè ad captum Auditorum, conſideratis etiam aliis circumſtantiis, ſcilicet Quid Orator dicturus ſit, Quibus, Quando, Quomodo & Quantum temporis. 3. Requiritur in Docendo Diluciditas, quæ

Quid ſit Docere, & quomodo Docendum.

Digitized by Google

tollat omnem verborum aut ſententiarum difficultatem, obſcuritatem & ambiguitatem.

Vitia quæ docentis officio nocent.

Hinc, à vera Docendi methodo recedunt, 1. qui Philoſophicas aut Theologicas Quæſtiones curioſè & ſubtiliter in Suggeſtu ſacro inter concionandum verſant, & varias Doctorum diverſimodè ſentientium opiniones recenſent: quid enim inde fiet aliud quàm ut plebs his ſubtilitatibus impar abſcedat impaſta, nimirum deluſa rebus captum ejus ſuperantibus, quibus affici nullatenus queant. Rariſſimè ergo & magna ſolertia ejuſmodi Quæſtiones in Concionibus ſunt admittendæ. 2. Nec etiam Doctrinæ methodum aſſequetur Eccleſiaſtes qui nimia rerum varietate & multitudine ſermonem onerabit; Quemadmodum enim dapes exquiſitiſſimæ nauſeam pariunt ſi copioſiores fuerint, hiſque gravatur ſtomachus potiùs quàm proficiat; ita ſuperfluis rebus obſtupeſcit intellectus, tantum abeſt vt erudiatur. Item non ritè docebit qui res inordinatas & confuſas Auditori proponet. 3. Denique contra Doctrinæ methodum peccat ambiguitas obſcuritaſve cùm verborum tum ſententiarum, his enim non inſtruitur ignarus, ſed majoribus adhuc tenebris involvitur.

Delectare quid ſit & quomodo delectabit Orator.

Delectare, eſt Auditorum animos ita ſuſpenſos tenere, ut ſine moleſtia, immo cum ſuavitate & voluptate audiant quæ docentur: atque his allecti ſinant ſe in quamcumque partem voluerit Orator, flecti. Delectabit Eccleſiaſtes, his modis obſervatis & adhibitis. 1. Per Loca Scripturæ ſacræ ſapienter & ingenioſè enucleata, per elegantes & pulchras Metaphoras, per Allegorias eximiè traductas, per Figuras, per Exempla & per accomodatas Deſcriptiones. 2. per ordinatam rerum Methodum, per exquiſitam Partitionem, per genus dicendi dilucidum, excogitando res novas vel novo modo dictas (ſi tamen ſint utiles.) Denique per varietatem ornatuum, ne Auditor nimia ſatietate defatigetur, & modò varietas illa ſuſpicionem Artis non inducat aut Affectuum motus non præpediat.

Defectus vitioſæ delectationis.

Falluntur ergo qui Delectationem ab Oratore ſacro adhibendam, in eo ſitam arbitrantur, ut Delectare ſit facetiis riſum movere aut verboſis luxuriantis Rhetorices floſculis Auditorum aures delinire: falluntur, inquam, ſcurræ potius quam Eccleſiaſtæ his nugis operam dantes; Majeſtati tanti miniſterii faciunt injuriam, & Auditorum Religioni illudunt: nec enim licet ridiculis jocari, dum tractantur maximè ſeria, qualis eſt Populorum ſalus, aliaque ſimilia de quibus in Pulpito decertatur: nec etiam Delectabit, qui requiſita ad Delectationem quæ ſupra recenſuimus neglexerit.

Flectere quid ſit & quomodo Auditorem flectet Orator.

Flectere aut Movere, eſt, ut ait D. Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. Flectere voluntatem ut amet quod polliceris: timeat quod minaris; oderit quod arguis; quod commendas, amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat; cum quid lætandum prædicas, gaudeat &c.

Deinde

Digitized by Google

Deinde; cum id docetur quod agendum eſt, & ideo docetur ut agatur: fruſtra perſuadetur verum eſſe quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe quo dicitur, ſi non ita dicitur ut agatur. Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid quod agendum eſt, non ſolum Docere, ut inſtruat, verùm etiam Flectere ut vincat &c. Hæc ex Auguſtino, quibus ad rem nihil melius dici poteſt. Plura dicentur in 5. lib. ubi de Motibus ciendis agemus. Supereſt ut moneamus non rectè ſentire, qui putant Movere eſſe importunè vociferari, & Peccatores inani verborum fulmine verberare; hoc videtur aliquando terrere ſimpliciores, ſed à Prudentioribus ferè ſemper irridetur.

CAPUT III.

De Cauſis & Mediis, quibus Eloquentia Chriſtiana comparatur & perficitur.

QUINQUE potiſſimum Cauſæ Effectrices & Media Eloquentiam Chriſtianam aut pariunt, aut perficiunt, Deus, Natura, Ars, Exercitium & Imitatio. Totidem Articulis caput iſtud diſtinguetur.

ARTICULUS I.

De Deo, primaria & præcipua Eloquentiæ Chriſtianæ cauſa.

Deus eſt primaria cauſa Eloquentiæ.

ABſque Deo nihil fieri, ſanctio eſt Catholica, in omnibus quidem rebus vera, ſed in Evangelico Miniſterio veriſſima: in eo enim opere nihil ſive parum ſive multum fieri poteſt, abſque illo per quem omnia facta fuere & fiunt: *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, ajebat Chriſtus primis Evangelii Præconibus Matth. 10. 20. Verbum igitur egreſſum à Deo Patre & in hæc inferiora progreſſum, ut divina Myſteria revelet hominibus Prædicatorum Miniſterio, in ipſum unde exierat ſinum, Deo iterum duce regreditur, hoc eſt, in ſuis Præconibus illapſum vult agnoſci, tanquam germanus Divinæ Naturæ partus, quo docente diſcimus quæ noſtrum nemo noſſet, niſi manifeſtaſſet. Audiamus quid de hoc Paulus ſenſerit; *Fiduciam* (inquit) *talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti.* 2. Cor. 3. 4. Ingenua, ſed juſta prorſus hæc confeſ-

ſio, quæ Deum Eloquentiæ Evangelicæ unicum authorem agnoſcit & proclamat. Huc etiam ſpectat illud D. Gregorii, Hom. 30. in Evangel. Niſi corda Auditorum Spiritus ſanctus repleat, ad aures corporis vox docentium in caſſum ſonat.

Deus Eloquentiam Chriſtianam ſibi vendicat, ob tres cauſas.

At quamobrem (dicet aliquis fortaſſe curioſior) Deus Miniſterii Eccleſiaſtici curam ſibi tantopere vendicat, ut ſibi ſoli totum adſcribi velit & jubeat? Reſpondebit Paulus Divini conſilii ſcrutator & interpres, eoque docente diſcemus, tribus potiſſimùm titulis id fieri. Primò quidem, quia Prædicatio Dei opus eſt, cui elaborando committitur Prædicator tanquam Chriſti Vicarius, ſic enim ajebat Doctor Gentium, 1. Cor. 5. *Pro Chriſto Legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, &c.* Opus ſanè Dei eſt, quod ipſius celebrat encomia, promulgat Leges, Myſteria docet, tuetur authoritatem, Imperium firmat, &c. Altera ejuſdem rei cauſa ſubjicitur à Paulo, dum ait, 1. Cor. 1. 19. *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia, &c. his ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi.* Ibid. Sed quorſum hæc? ſibi reſpondeat Paulus, Roman. 9. 23. *ut oſtenderet Divitias Gloriæ ſuæ.* Quaſi diceret; Ideo Prædicationis munus curat Deus plus cæteris rebus, quia magnam inde ſibi conſciſcit gloriam: non enim ut Mundum ſubiret, elegit Miniſtros nobiles & ſapientes, quibus fortaſſe tanta victoria potuiſſet adſcribi; ſed adhibuit *ignobiles & inſipientes* (ut cum Paulo loquar) *ne glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* 1. Cor. 1. Ex illa inquam infirmitate & inſipientia, plus ſibi gloriæ peperit Deus, quàm ſi Angelorum legiones, Imperatorum exercitus, academias Doctorum, aliaque media his ſimilia vocaſſet ad ſubactionem totius Orbis. Intereſt ergo Dei, Miniſtrorum infirmitatem & inſipientiam induere virtute & ſapientia, quibus tot potentiſſimos hoſtes expugnet. Tertia denique ratio, cur Deus huic Miniſterio ſollicitè præſit, videtur hominum Salus; Etenim cùm ex ſupra memoratis conſtet Eloquentiam Chriſtianam eſſe toti Eccleſiæ per omnia utilem & neceſſariam; hinc etiam pendet plurimorum Beatitudo quam juvat maximè Ars ſacra: *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem* (inquit Paulus) *ſed adversùs Principes & Poteſtates.* Epheſ. 6. 12. His turbatur, his præpeditur noſtræ Salutis negotium, at his reſiſtimus *in gladio ſpiritus (quod eſt Verbum Dei.)* Inde accipimus armaturam Dei, inde ſumimus loricam Juſtitiæ, Scutum Fidei & galeam Salutis, quibus omnia tela Nequiſſimi extinguimus: Hæc ſunt vera verba Pauli docentis Prædicationem eſſe Armamentarium cœleſte, unde arma depromimus ad debellandos noſtræ ſalutis adverſarios; ſed ex his iterum liquere debet cur Deus tantopere ſatagat de Chriſtianæ Eloquentiæ Miniſterio, ejus Peculium & opus eſt, quo innoteſcit Orbi; ejus Victoria & Triumphus eſt, quo Mundi Dominus coronatur; ejus denique Promptuarium

eſt,

Digitized by Google

eſt, ex quo Pugiles Chriſtiani deſumunt arma: Ægroti Pharmaca; Famelici alimenta; Afflicti ſolatia; omnes denique quotquot hic Viatores degunt media & auxilia ad Salutem neceſſaria ſperant & accipiunt. Nemo ergo miretur ſi tot modis addictum Deo Miniſterium ipſius curæ penitùs ſubjaceat.

Non indiget pluribus hæc veritas ut probetur, conſtare enim omnino debet inter Catholicos; nec in ea vel minimum fuiſſem immoratus, niſi ut monerem Eloquentiæ Chriſtianæ Novitium, cavere à tribus quæ ab Eccleſiaſta prorſus exulare debent. Primum eſt, ne in auguſtum Miniſterium quaſi in proprium Peculium temerè involet, gloriolæ alicujus forte aucupio illectus: temeritatis ſiquidem periculum ſubit; eſt enim Prædicatio patrimonium & opus Dei, operarios ipſe eligit & vocat; indiſcretè verò & impudenter irrumpentes reſpuit & plectit. En quid ad hoc Paulus ait, Hebræ. 5. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Secundò, monendi ſunt Prædicationis Tyrones, ne glorientur de fœlici Concionum effectu, vel animo deſpondeant ſi contra evenerit; ſciant ex Paulo 1. Cor. 3. 7. Quod *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Si ergo fœliciter excepta fuerit Concio, ne id ſibi tribuat Eccleſiaſtes, ſed Deo, à quo totum accepit quod proſperè ceſſit: ſi verò ſuis non reſponderit votis Prædicatio, ſuæ forſitan imperitiæ & negligentiæ illud aſcribat, ac de his pœniteat; At ſi nihil omiſerit eorum quæ ab Oratore ſolerte & erudito adhiberi ſolent, ne ultra triſtetur; ſed revereatur Decretum Dei, illud ob ignotas & æquiſſimas rationes permittentis; metuat tamen ſemper ne occaſionem infœlici eventui ipſe dederit. Tertium denique monendum, ex mox dictis oritur, in eoque ſtat, ut Eccleſiaſtes de ſuis quidem viribus diffidens, in Deo autem confiſus, ipſumque humiliter deprecatus, in auguſtiſſimum Miniſterium omni cura & labore digniſſimum, impendat Naturæ dotes, Artis ſolertiam, Exercitii denique ſtudium & Imitationis diligentiam.

Prædicationis officium aggreſſurus, moneri debet de tribus, ne muneri ſit injurius.

ARTICULUS II.

De Natura ejuſque Dotibus.

NATURAM appellamus Indolem ſeu Ingenium, quo quiſque ex principiis inſitis, corpus & animum efformantibus coaleſcit. Ea autem eſt præcipua (poſt Deum) effectrix Eloquentiæ Cauſa; eſt quaſi fundus ſeu ager cui cætera inſeruntur; fundamentum cui tota Eloquentiæ ſtructura innititur: Illa ſi deſit, reliquæ partes deficiunt; ſi adſit, facillimè ſuccreſcent. Deſideratur ergo in Oratore eximia quædam Natura

Quid ſit Natura in Oratore.

ſuis

ſuis numeris abſoluta; cùm autem corpore & anima conſtet, utriuſque dotibus perficitur.

Quæ dotes corporis in Oratore deſiderandæ.

Corporis dotes ſunt hæ; 1. Firma latera, id eſt reſpiratio nec brevior nec debilior. 2. Vox canora & beata. 3. Soluta & volubilis lingua. 4. Oris & totius corporis elegans ac venuſta conformatio.

Animi dotes ſunt 1. Solertia & ſagacitas ad inveniendum. 2. Facilitas ad explicandum. 3. Acumen & celeritas tùm ad confirmandum, tùm ad refutandum. 4. Elegantia ad exornandum. 5. Memoria ad retinendum. 6. Judicium ad perpendendum quo loco & qua ratione unaquæque res ſit ordinanda. 7. His addunt alii Audaciam quamdam, verecundia tamen moderatam, quæ metum ab Oratore excutiat animumque augeat. Hac enim deſtituti celeberrimi Oratores, aliquando obmutuere: audacter ergo & liberè dicere nitatur Eccleſiaſtes; modò non petulanter, nec temerè & perfricta fronte proloquatur.

Quas Animi dotes habere debeat Orator.

Ingeniorum genera, tria præſertim enumerantur. 1. Alia ſunt ſtupida & inertia. 2. Alia præcocia & citiùs matureſcentia, quæ plerumque præcipite labore abſumpta in ſtultitiam aut furorem degenerant. 3. Alia denique ſedata, conſtantia & fœlicia: Ex his, duo priora rejiciuntur ab Eloquentia, ceu ad illam inepta, poſteriore retento, quod iterùm in tres ſpecies ſubdividitur. 1. Quædam enim præſtant naturali facundia, qua facillimè & jucundè dicunt quidquid voluerint. 2. Quædam, vivacitate & ſagacia adeo pollent, ut exquiſitos conceptus & aptiſſima ad probandum media celeriter excogitent. 3. Quædam denique fœlicitate & gratia Vocis vel Actionis ita præcellunt, ut Auditores in quam partem voluerint pelliciant & inflectant. Tandem illæ dotes habentur vel in ſummo & exquiſito gradu, vel in mediocri & temperato, vel in tenuiſſimo & infimo.

Ingeniorum tria genera.

Cæterùm, cùm ex ſupradictis abundè conſtet, quæ dotes tùm corporis tùm animi requirantur in Oratore; gaudeant quidem fœliciter nati & potiore Indole non inſoleſcentes, eam ſedulò impendant in meritiſſimum Concionandi Miniſterium. Ne tamen ſpe animoque cadant, quibus Natura primas non indulſit dotes; ſciant enim, nihil ferè in rebus creatis exiſtere, quod aliquibus non ſordeſcat nævis, & plurimos Naturæ defectus poſſe tandem labore & exercitio ſuperari. Valetudinem prorſus infirmam vicit Cicero; inſuavem omnino Pronuntiationem expolivit Fabius; omnia fere Vocis & Actionis vitia Oratori adverſantia Demoſthenes emendavit. Nemo ergo deſperet ſi Artis induſtriam adhibere non dedignetur.

AR-

ARTICULUS III.

DE ARTE.

SECTIO PRIMA.

Artis Eſſentia, Origo & Utilitas.

ARS eſt complexio Præceptionum & Regularum quibus inſtructus aliquis, certiùs & meliùs finem intentum attingit. Paucis additis & immutatis, hæc Definitio Artis in communi, fiet propria Eloquentiæ Chriſtianæ Arti: *eſt* enim *complexio Regularum, quibus ſufficienter edoctus Orator faciliùs ſuadet ea quæ Gloriam Dei & Hominum Salutem promovere* poſſunt. Quid ſit Ars Eloquentiæ Chriſtianæ.

Ars eſt Naturæ partus ejuſque ferè parens, & ab illius obſervatione profecta, eidem operationis rectitudinem & venuſtatem rependit. Etenim cùm Homines modò perfectè, modò imperfectè dicerent; obſervatus eſt modus aptior magiſque idoneus ad fœliciter & appoſitè dicendum; indeque collecti ſunt rectè dicendi Canones, qui iterum longo & repetito ſublimiorum Ingeniorum uſu & experientia probati, evaſere in Artem quæ Rhetorica nuncupatur. Prophana quidem, quamdiu in umbratili ſapientiæ humanæ Schola deliteſcit; Chriſtiana verò, dum excuſſo vanæ dicacitatis jugo, Chriſto ejuſque Eccleſiæ obſequitur. Addo in commendationem ſancti Eloquii, ejus Artem non traxiſſe originem ſolummodo ex prophanorum Oratorum obſervationibus, ſed præcipuè ex ſacris, quales fuerunt Prophetæ, Apoſtoli, & ſancti Eccleſiæ Doctores, qui Deo afflante & inſpirante loquuti, mirabilem quamdam & exquiſitiſſimam dicendi Artem nobis prodidere, quæ Prophanæ & Forenſi longè antecellit. De his ſic fatetur Auguſtinus lib. 4. de Doct. Chriſt. c. 6. *Non ſolùm nihil eis ſapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt*. Illi inquam ſacri Oratores tot tamque varia Divinę Rhetoricæ exempla ſuis indidere ſcriptis, ut ex his tamquam ex prototypis veræ Eloquentię exemplaribus, Ars emerſerit, quæ depravatam inter Prophanos Eloquentiam emendaret, & caſtigatiſſimam, ac ſanctiſſimam dicendi Methodum Eccleſiaſtas ſacros edoceret. Origo Artis Oratoriæ, præſertim Chriſtianæ.

Artis Neceſſitas utilitaſve facilè colligitur, tum ex ſupra dictis de Eloquentiæ neceſſitate 1. cap. tum ex communi Sapientiorum conſenſu; tum denique ex officiis quæ ipſa Naturæ præſtat. Deus quippe ſic Naturam condidit ut in eam Diſciplinarum ſemina infuderit, quæ labore noſtro exculta increſcerent & perficerentur: Eloquentiæ quidem ſicut cæterarum rerum principia ex Dei Creatoris beneficio Natura ſuo ſinu complectitur, at indiget Artis induſtria, qua ingenitæ dotes expoliantur ac alimen- Artis utilitatis & officia.

Digitized by Google

alimentur. Artis autem officia Naturæ impenſa, hæc enumerantur præcipua. 1. Ars docet Eccleſiaſtam fontes ſeu promptuaria ex quibus argumenta & rationes deſumat, tùm ad faciendam ſibi apud Auditores fidem, tum ad movendos eorum affectus: deinde monet quò omnia quæ ad ſuaſionem excogitavit ſagax ingenium, ſint referenda, qua ratione diſponenda, quo ornatu decoranda, qua denique venuſtate pronuntianda; ut ſuo non fraudentur fine. 2. Ars judicat, an recta ſint & debitè ordinata quæ habentur tum à Natura, tum à ſtudio; quemadmodum enim Cæmentarii ne vel unicum lapidem in ædificio collocant, quin ſtatim regulam & amuſſim adhibeant; ita Orator Artis ſeu Amuſſis examine materiam & formam Concionis diligenter perpendens, nihil in alterutra ab intento ſcopo vel à certiori Suaſionis methodo exorbitare permittet. 3. Ars efficit ne fortuitò & imparatè dicamus: cum enim hæreat menti Habitus ex repetita multoties præceptorum complexione acquiſitus, eo inſtructus & præmunitus Orator ferè ſemper præſtò eſt ad dicendum; & quamvis non ita fœliciter tunc dicat, ac ſi longiori mora paratus fuiſſet; nihil tamen inſulſum, temerarium & inordinatum elabi patietur. Non immoror in recenſendis Sapientiorum ſententiis, qui Artis Oratoriæ neceſſitatem Concionatoribus ſacris uſquequaque probarunt. Unus pro multis erit mihi Paulus id in pluribus Epiſtolis aſſerens. Quid enim aliud eſt illud quod ad Timotheum ſcribit 1. Epiſt. c. 6. 3. *Docere & exhortari?* item Titi 1. 9. Epiſcopum debere amplecti *eum, qui ſecundùm Doctrinam eſt, fidelem ſermonem; ut potens ſit exhortari in Doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere?* Hæc inquam & ſimilia plurima, quæ paſſim apud Doctorem Gentium ocurrunt, Artis neceſſitatem in Eccleſiaſta prorſus innuunt; quomodo enim docebit aut hortabitur niſi utriuſque methodum priùs didicerit? Ad Pauli ſententiam accedit Auguſtinus de Doctr. Chriſt. ſic fatus. *Cum ergo ſit in medio poſita facultas Eloquii quæ ad perſuadendum ſeu prava ſeu recta valeat plurimùm; cur non Bonorum ſtudio comparatur ut militet veritati, ſi eam Mali ad obtinendas perverſas vanaſque cauſas in uſus iniquitatis & erroris uſurpant?*

Prædicator Artis præcepta deſpiciēs quot modis delinquat.

Ex his patet quàm vehementer arguendi, qui Artem Eloquentiæ deſpicientes & ignorantes in Pulpita ſacra temerè inſiliunt, aliqua fortaſſe facundia ſeu potiùs loquacitate audaciam faciente. Sciſcitare (ſi lubet) ab aliquo ex illis Regularum incurioſis, quam Methodum ſervet in Concione paranda, qua ratione media & affectus excogitet ad perſuadendum, quo ordine inventa diſponat; quibus ornamentis diſpoſita decoret; qua denique venuſtate pronuntiare ſtudeat: ridebit te quaſi ſuperflua & indigna ſciſcitantem, ridendus ipſe niſi deflendus. Da patientiæ locum, ridenti parce; Conciones parantem intuitor, audi pronuntiantem. Miraberis percurrentem brevi multorum Librorum Volumina, non quidem inſtar Apis, quæ Florum ſtaminibus inſidens liquatos ſuccos legit, quos deinde induſtrio labore in mella tranſmutet: non ita ille librorum ſen-

ſus

ſus & medullas ingenioſè fugit, ſed veluti Fucus & Crabro alienos labores audacter furatus, his impudenter paſcitur & pingueſcit. Indulgeas adhuc furtum penuria laboranti, perpende Concionis diſpoſitionem; deprehendes indigeſtam rerum juxta ſe invicem abſque vinculo poſitarum congeriem, Centones undequaque evulſos, ſed malè aſſutos & pejus coaleſcentes. Heu quæ Confuſio! fruſtra è pluribus forte Doctoribus citatis, qui in Codice velut Perſonæ in Scena miſcentur, potiorem tentaveris à ſitu dignoſcere; ordinem enim tenent non quem natura, dignitas aut ratio poſcebat, ſed quem fortuitus Indicis librarii occurſus dedit; qui prior occurrit, prior ſedit. Quid memorem de Fine quem ſpectare debent omnia Concionis argumenta? nullum ſcivit ſcopum ſibi appetendum, niſi horam verbis & rebus inconditis explere, nec alium attinget finem, ſi fortuna non objecerit ultrò, minimè ſatagenti. Ah quæ Pronuntiatio! quàm inſulſa! quam intempeſta! Auditoris patientiam fatigat prorſus & excruciat. Audebit tamen ille ſua Imperitia (ne dicam impudentia) petulantior effutire; Valeant inanes Oratorum methodi; eant peſſum inutilis Eloquentiæ Canones; his non indigeo ad Concionis apparatum. Sic loquitur inepta plurimorum inſcitia; ſic ſentit de Eloquentia, ſic operatur imperita Concionatorum turba Artis Oratoriæ incuria, quam proxima Sectione refellimus, altera deinde nonnullorum curioſitatem nimiam improbaturi.

SECTIO II.

Eloquentiæ Chriſtianæ artificioſa Methodus ab Incurioſis & Inertibus vindicatur.

ARTIS Oratoriæ Methodum convellere nituntur plurimi, & Eloquentiæ Regulas à ſacro Suggeſtu abjici debere contendunt; Hi autem in præceptiones Rhetoricas triplici errore delinquunt, ſcilicet aut verbis inconditis, aut ſententiis imbellibus, inornatis & indigeſtis, aut denique inſulſa & inconcinna Pronuntiatione. Horum delictum in exemplo mox allato patet. Triplicis igitur generis ſunt qui Artem improbant, alii enim Deſidia retinentur, Præſumptione alii, alii denique mendoſa ratione excuſationem fingente decipiuntur. Singulos audiamus & confutemus.

I. Horreo laborem qui Artis ſtudioſo eſt inevitabilis (inquiet Deſes aliquis & Piger) tot præceptis implicatur Rhetorica, tot obſervatiunculis ſcatent ejus partes ſingulæ, ut videatur Methodus omni patientia major; quis enim ad Concionem parandam diſcutiat multitudinem Locorum, ſeu Fontium ex quibus Argumenta erui vult Rhetorica? quis exactè rimari poterit, quis ſitus, quis ordo, quis ornatus, quæque figura conveniat unicuique parti, ſententiæ, & verbo? quis denique obſervare *Deſidis & Pigri rationes contra Eloquentiæ Artem refelluntur.*

poſſit in Pronuntiatione tot leges, quot de Voce & Geſtu ſanciuntur? Facilius eſt ſanè uſu quàm methodo Concionatorem fieri. Ita hallucinantur quos ſtudii labor ab Eloquentia deterret: At quis non doleat, hanc Artem, Eccleſiæ ac Religioni adeo neceſſariam, minùs fieri quacumque Artis ſpecie, cujus ne vilior & abjectior edificitur abſque labore & inſtitutione prævia? Eſto, ſit aliquis labor in perdiſcendis & obſervandis Rhetoricæ Præceptionibus: at pretioſa res eſt Eloquentia & quocumque pretio empta, minùs conſtabit, quàm valeat. Dii laboribus omnia vendunt, aiebat veteris ſapientiæ aliquis, ſed magnum adeo eſt Eccleſiaſtæ ſacri Miniſterium ut omni re majus non niſi gratis dari queat, & commiſſum, quemcumque mereatur laborem ut dignè & utiliter exerceatur. Hinc pendet Gloria Creatoris, hinc Creaturæ Salus: quis labor tanto negotio æquandus? deinde nec labor in Oratoriis Regulis tantus ineſt quantus Tyroni videtur: quis non fere rideat Novitium Logicum de Canonibus Syllogiſticis conquerentem? quanta iſte patitur cordis deliquia ad primum intuitum tot Modorum & Figurarum quibus pene exanimatur? brevi tamen & modico labore factus audacior, ridet ipſe quaſi puerorum terriculamenta, Regulas quas omni periculo majores priùs horruerat: jam facillimè, celerrimè & exactiſſimè argumentatur, etiam de Regulis minimè cogitans. Ita ſe res habet in Eloquentiæ Arte, initio quidem præ ſe fert aliquid quod Novitium Oratorem non nihil terreat, ſeu numero ſeu difficultate Regularum; laborat ſanè ut verſatile ingenium ad Præcepta cogat; ſed hoc indulgeat Tyrocinio, non ſugiat modicum laborem magna facilitate brevi compenſandum; modico uſu & exercitio ſcopuli terentur, miteſcent monſtra, labyrinthi evaneſcent. Is eſt diligentiæ Deſidiam ſuperantis fructus, & præmium.

Temerariorum de Indole nimis gloriantium cavilli adverſus Eloquētiam confutantur.

2. Præſumptione peccant, qui de felicitate quadam Indolis confiſi Artis Regulas deſpiciunt. Quibus dicam; primò, rariſſimas eſſe Indoles ejuſmodi adeo feliciter natas ut præceptis non indigeant, nec aliquem poſſe abſque temeritatis periculo Genium Artis non indigum ſibi arrogare. 2. Eſto, reperiatur aliquis ita beatus à natura ut ſine Arte dicat aliquando feliciter: Inficior, quod ſemper certò, ordinatè & utiliter dicat; feliciùs omninò diceret, ſi Ars Naturæ Dotes excolens ejuſdem nævos deleviſſet ac limaſſet. O Quantos defectus patitur ille qualiſcumque Genius! quantis maculis ſordeſcit illa Indoles, à quibus vacaret ſi Artis Methodo excultam Naturam ſublimaſſet ad illam Eloquii præſtantiam, quam ingenita ejus Dona pollicebantur! Deinde ut ad ejuſmodi Temerarios intorqueatur ſermo; num vos Genio, quo gloriamini, ſuperatis Baſilios, Nazianzenos, Cyprianos, Auguſtinos, alioſque ſacrorum Oratorum plurimos, qui pertinaciter ſcholis incubuere per annos multos ut Oratoriam Artem magnis ſumptibus & magno labore ſibi compararent? ne vos pudeat tot & tantorum Eloquentiæ Chriſtianæ Principum exempla Imitari: quacumque dicendi facundia vos donarit Natura,

tura,

tura, Artem adhibete ut illius Dotes hujus cura perficiantur & expoliantur.

Triplici argumento ſed mendaci deluduntur, qui ratione fulti Eloquentiam ab Eccleſiaſtico pulpito expellunt. Primum eſt quòd Gratiæ Ars obſit. Secundùm, quòd in ſacris Codicibus malè audiat,& præſertim apud D. Paulum. Tertium quòd D. Hieronymus vapularit Angelorum flagro eò quòd eſſet Ciceronianus; ergo inquiunt Eloquentiæ Incurii, Ars Oratoria exulare & vapulare debet. Scopuli chartacei ſunt iſti, qui terrent Ignavos Tyrones, ſed quos rideat ſtudioſus & ſolers, ſic enim ab his ſe ſe facillimè expediet.

Ut Natura non obeſt Gratiæ, nec Ars eidem oberit, immo ipſi famulabitur. Sit Verboſæ & Prophanæ Rhetorices iſtud piaculum, Gratiæ Dona metris & Periodis obſcurare; non tamen propterea erit probrum Eloquentiæ Chriſtianæ inurendum; neque enim verbis tantùm ſed rebus, non ſolùm figuris ſed ſententiis militat; gemeretque, ſi ad alium torqueretur uſum, quàm ad ejus gloriam, à quo progenita ipſius ſolius miniſterio obſequi gaudet. Non igitur Ars propter Gratiam deſpicienda ſed propter eandem ediſcenda & exercenda.

Paulus C. 1. Cor. 2. hæc ſcribens: *Cùm veniſſem ad vos, non veni in ſublimitate ſermonis, aut Sapientiæ,* &c. *Sermo meus & Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis,* &c. Is inquam nullatenus Improbat Eloquentiæ Chriſtianæ Artem; ſed hujus ſententiæ triplex poteſt eſſe ſenſus; prior quidem, ut damnet Rhetoricam fucatam, garrulam, fabulis intendentem, vanis inhiantem ſeu laudibus ſeu lucris,&c.ejuſmodi Arte diffitetur Paulus ſe unquam fuiſſe uſum,& nos cum ipſo fatemur eandem ab Eccleſiaſta ſacro proſcribendam; at nuſquam damnat Eloquentiam veritate gravem, ſententiis grandem, Myſteriis profundam, Dei Gloriæ hominumque ſaluti invigilantem. Alter ſenſus eſt, ut Paulus his verbis manifeſtet ac laudet Modum quo Evangelium propagatum eſt, ſcilicet non tam verbis quàm prodigiis & miraculis,& ut ipſe ait *in oſtenſione ſpiritus & virtutis*.ib. Tertius denique ſenſus utrique allato confinis erit, ſi dicatur Paulus in hoc commendare ſuum Apoſtolatum, quòd quemadmodum Deus infirma Mundi elegit ut confunderet fortia, Pauperes ſcilicet & Illiteratos Piſcatores ut Divitum ac Sapientum ſuperbiam retunderet; ita ipſe ſermonis ſimplicitate & elegantia uſus publicaſſet Evangelium Chriſti, ejuſque Imperio univerſum orbem ſubegiſſet: hìc Paulus non improbat Eloquentiam (ut dixi) ſed fatetur ſolummodò, eam non fuiſſe adhibitam ad efficiendam Mundi ſubactionem; cujus Effati rationem mox ſubdit, *ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*. 1. Cor. 1. 30. Hoc eſt (ut ait D. Ambroſ. L. 5. in Luc. c. 6.) Non Sapientes aliquos, non Divites, non Nobiles, ſed Piſcatores & Publicanos quos dirigeret elegit; ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.

Eloquentiæ ornatus ineſt Scripturis ſanctis.

At (Inquies) Rhetoricis Floribus deſtituitur Scriptura Sacra. Erras! nemo dilucidiùs narrat Moyſe; nemo acriùs hortatur Prophetis: feliciùs nemo ſcribit D. Paulo qui univerſum fere Dicendi Genus Epiſtolari ſtilo complexus eſt. Quid ſi Conciones quibus toties intonuit per ſuggeſtus typis mandatas fuiſſemus adepti? fateremur ſanè Eloquentiam nullibi ſuos obtinuiſſe lepores, magis quàm apud ſanctiſſimos Homines illos, qui Dei Eloquentiæ Principis afflatu Scripturas Sacras Poſteris tradidere. Paulus ipſe tanta viſus eſt Licaoniis præſtare Dicendi virtute, ut teſte Scriptura, iis crederetur Deus; ita D. Lucas refert Actor. 14. Lycaoniorum ſententiam. *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos, & vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipſe dux erat verbi.* D. Auguſtinus l. 4. de Doctrina Chriſt. rationibus & Exemplis demonſtrat Scripturæ ſacræ Eloquentiam. Fatetur quidem ſanctis Codicibus aliquando non ineſſe orationis Pigmenta, quæ numeroſis clauſulis fiunt; ſeu id acciderit ex Interpretis incuria, ſenſus rerum magis quàm verborum lepores attendentis; ſive ex ejuſdem induſtria Myſteriorum dignitatem dictionum neglecto contextu celante; ſive denique ex Translatoris inſufficientia, quæ veritatis tantùm ſollicita germanam patrii Idiomatis venuſtatem in alieno ſervare non potuit: At evidentiſſimè probat diſertiſſimus Doctor, Eloquentiæ Majeſtatem omnes ſuos obtinere nervos, ſuas habere methodos; immò & ſervare ornatus in ſacra Scriptura, quæ (ut ait ille) noſtra Eloquentia ita utitur per alteram Eloquentiam ſibi propriam, ut nihil ſapientiùs, nihil diſertiùs, accommodatiùs & perfectiùs nihil videri poſſit. Hæc ſummariè ex S. Doctore, quæ ille fuſiſſimè loco citato explicat & expendit.

S. Hieronymus Ciceronianæ Eloquentiæ addictus, an ideo vapularit?

D. Hieronymi ob Ciceronem vapulantis exemplum, Deſidibus minimè favet: ut enim vera ſit ejuſmodi animadverſionis hiſtoria; Inficior, quod ideo vapularit Hieronymus quia Ciceronianæ Eloquentiæ foret Diſcipulus; ſed quod neglectis Sacris Litteris ſe plus nimio Ciceroni dederet. Eſt certè modus in quacumque re etiam optima ſervandus; meliora, fiunt exceſſu peſſima: Ciceronis Rhetorica nihil ex ſe habet quod mereatur repudium, immo abundat exquiſitiſſimis præceptis quæ Eloquentiam aptiſſimè doceant; his uti poterit Eccleſiaſta ſacer, ut ea in Evangelicum munus impendat abſque piaculi plectendi metu. At ſi divina contemnens volumina ſoli vacaret Ciceroni, nec aliò ſpectaret quàm Eloquentiæ Prophanæ garrulitatem ediſcere, fieret profectò Eccleſiæ injurioſus, & Deo vindicante injuriam meritò vapularet. Liceat tandem ipſius Ciceronis teſtimonio ſectionem adverſus Deſides claudere: ſic ille ait 1. de Orat. n. 150. Qui ſe crebrò ſine Arte exercent, hoc tantùm conſequuntur, ut perverſè dicendo, perverſè dicere aſſueſcant. Heu! Effatum frequentioribus inter Eccleſiaſtas Exemplis vulgatiſſimum! D. Aug. l. 1. contra Creſcentium c. 1. & Confeſſ. l. 5. c. 6. Lactantius l. 1. de Doctr. Chriſt. & Gregor. Nazmirè commendant Eloquentiæ ſacræ Ornamenta.

SE-

SECTIO III.

Artis Cura nimia & Immoderata improbatur.

ERRANT non pauci à legitimis Eloquentiæ Chriſtianæ præceptis nimio Artis ſtudio, & inanes Rhetoricæ comptioris obſervatiunculas Immoderatiùs ſectati, in damnandos Curioſitatis luxus labuntur. Alii Sententiis; Verbis Alii; Alii Pronuntiatione modum excedunt; hos omnes brevi commonemus.

1. Artificium ſententiis immodicum tripliciter iterum excedit, ſcilicet, aut Rerum Multitudine, aut Conceptuum Sublimitate, aut Dictorum Indignitate.

Damnanda prorſus copioſior rerum congeries, qua plurimi Conciones inferciunt eruditionis opinionem forte aucupati. Quid enim ea multitudine aſſequuntur? nihil penitus quod Oratori conveniat. Atque ut diſtinctè notem defectus præcipuos qui ex ejuſmodi rerum farragine oriuntur, fiet inde: 1. Incondita & inconcinna Argumentorum coacervatio, quæ præ abundantia digeri non poterit, nec ornari, nec ſuam virtutem explicare. 2. Auditoris obtundetur Attentio, mens fatigabitur, gravabitur memoria, omniſque Cœtus recedet à Concione pertæſus & impaſtus. 3. Ipſe tandem Concionator hinc non leve patietur incommodum; nam & ejus Memoria multitudine rerum onerata, Pronuntiationem efficiet citiorem ut ab importuno fœtu ſe quam primùm expediat, & accelerata nimium linguæ geſtuſve functione, ut quæcumque excogitaverit proſerat intra horæ ſpatium, cogetur pluries delinquere in Orationis elegantiam quæ temporis ſicut aliarum rerum circumſtantia perficitur & conſummatur. Præſtat ergo pauciora optimè exculta proferre quàm plura indigeſta, inordinata, inculta & volubilitate immodica omnem Eloquentiæ vim debilitantia. Non quantum, ſed quam benè laudatur.

Nimia rerum abundantia in Concione improbatur, quare?

Sublimitate Rerum peccant Alii, qui profundiores Theologiæ reconditioris conceptus proferunt; qui difficillimas Quæſtiones, quibus excipiendis vix Schola ſufficit, enucleare contendunt coram Agreſtibus & Plebejis; qui denique probationum argumenta repetunt altiùs quàm par ſit, in Theſibus nimirum univerſalioribus immorantes diutiùs. Hi inquam omnes, ſublimiore cœlo inſtar Aquilarum delectati, minùs apti ſunt ad Inferiora iſta in quibus plebs degit; non eſt columbis Idoneum illud pabulum. Quid enim proderit Auditoribus Elementa fidei vix ſcientibus ſubtiliores Controverſias proponere de Attributis Dei, de Prædeſtinatione, de Proceſſionibus Divinis & ſimilibus rebus quibus Scholarum Exedræ occupantur? Tempus ſanè utilioribus dicatum hæc inutiliter abſument, & turbam aliunde ſamelicam ludent cibo ſubtiliore, ac propterea ſtupido appetitui nauſeam faciente. Theologia dicendi ſegetem

Nimia rationum ſublimitas, & ſubtiliorum quæſtionum frequentia nocet.

Digitized by Google

tem nobis ſuggerit ampliſſimam, fateor, ſed ſobriè & moderatè adhibitam; ne ſi frequentiùs & imprudentiùs uſurpetur, fiat ex Concione Evangelica Scholarum Diſſertatio. Attendendæ ſunt igitur circumſtantiæ temporis & loci, ac præſertim Perſonarum quibus ſermo habendus eſt. Eruditis quidem Auribus argumenta ſubtiliora convenire poſſunt, modò ſæpiùs non iterentur; ſed condimentorum inſtar parcè immiſceantur cibis, ad proritandum appetitum ſubacutioris ſaporis Jucunditate; Ita Doctis Docta miniſtrari queunt: At Plebi, nullatenus propinentur exquiſitiora illa; ſed ad ipſius captum ſint accommodata omnia quæ proferuntur: ſic Chriſtus docebat Plebem, uſus Proverbiis, Parabolis & Similitudinibus tritioribus quibus myſteria Legis Gratiæ redderet intellectu faciliora & ſenſibus ipſis ferè ſubacta: Ita Paulus ſublimitatem ſermonis fugiens, ad ſimpliciorem ſtilum demittebatur, ut ſimplices & rudes lucriſaceret. *Omnia* (inquit) *omnibus factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. 1. Cor. 9. 22.

Fabulæ aniles, & quæcumque res obſcœnæ vitandæ.

Fœtidiùs errant, qui Aniles Fabulas, comparationes aliquando turpes & obſcœnas, in ſancta & verenda Myſteria invehere attentant, quaſi ſagacem & curioſam Eruditionem oſtentaturi; qualis ille qui auguſtiſſimum Incarnationis Myſterium expendens, audebat comparare Naturam Humanam Andromedæ, Chriſtum Perſeo, B. Virginem Danaæ; plura referre ejuſmodi exempla vereor, ne fiam ſacrilegii conſimilis particeps. At heu! quæ ſocietas Chriſto cum Philoſtratis, Naſonibus, Martialibus? &c. quid convenit Evangelio cum Genealogiis mendacibus & impuris, quibus Dæmones Gentilibus diu illuſere? quiſquis eſt hujus facinoris reus, ſapiat ad breve ſed veriſſimum Apoſtoli monitum 1. Timot. 4. 7. *Ineptas & aniles fabulas devita*.

Immoderatus verborum cultus damnatur.

2. Verborum nimio cultu exorbitant qui phaleratis dictionibus, Periodis cincinnatis, & Antitheſibus Pompaticis concionari ambiunt: Hi inquam, quos pudet cum Apoſtolis loqui, quibus ſordent Eccleſiaſtica vocabula, quique Trinitatis Nomen non auſi proferre, quòd ea vox Tulliana non ſit, Ineffabile Myſterium temerario Verborum circuitu nituntur circumſcribere: Hi certè nimio Artis ſtudio peccant, & (ut loquar cum D. Paulo) Evangelium erubeſcentes, Adulterant Verbum Dei. 2. Cor. 2. 17. Proh dolor! eò tamen dementiæ devenere homines, ut qui dicunt & qui audiunt ament fumo paſcere & paſci; non fructibus, ſed floribus; non rerum ſolida veritate, ſed vacua verborum Imagine. Audiant quos Paulus noſter redarguat ſcribens, 1. Timot. 6. *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus; à veritate quidem auditum avertentes, ad fabulas autem convertentes*. Auguſtinus Paulo accinit, ſic loquutus. Bonorum Ingeniorum clara eſt Indoles in verbis differentium, verum amare non verba: quid enim prodeſt Clavis Aurea ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea ſi hoc poteſt, quando nil

quæ-

quærimus niſi patere quod clauſum eſt? Denique Cenſuram Synodalem excipiant Logodædali à B. Spiridione, qui Triphyllum Ledrenſium Epiſcopum aliunde diſertiſſimum, ſed in Oratione coram Concilio habita, *Lectum* in hiſtoria Paralytici pro *Grabbato* commutantem audiens, ſeveriùs ipſum increpavit dicens, Nonne tu melior es illo qui Grabbatum dixit? Caveat ergo Eccleſiaſtes à nimio Artis aucupio; loquatur eleganter & politè, ſed Evangelicè & Apoſtolicè; *Ut non evacuetur Crux Chriſti*. 1. Cor. 19.

3. Pronuntiationis modum tandem excedunt, qui artificioſiùs compoſiti Eccleſiaſticas pergulas ſubeunt quaſi Scenica Choragia ingreſſuri, undequaque ſcilicet comptuli, calamiſtrati, & unguentati: Qui capitis operculum, veſtem, ſtrophiolum, aliamve ſuppellectilem diſponunt curioſiùs. Qui denique ſcopula forſitan odorata barbæ alas comentes (heu pudet referre plura!) manus, brachia, cæteraſque corporis partes ita movent ad numeros, ut in ſceleratiſſimum non audeant iraſci, ne à menſura vel minimum recedant. Curioſiora ſunt iſta & à ſacro Miniſterio prorſus ableganda; veritas quæ aliunde quaſi malleus petras conterere apta eſt, languet in Oratore ad oculos compoſito: non terret dæmones Concionator unguentatus, ſicut nec adverſarios miles comptior. Tot nugis diſſipata mens ad ſalutem Animarum non attendit, & manus à præſcripto ſitu diſcedere verita, mollior eſt quàm ut fulmina tractet ac hoſtium jacula excipiat. Cave tamen, ne credas debere Concionatorem ſordere aut ſqualere, neutrum enim decet auguſtum miniſterium: ſit ſine arte ornatus, ſine ſorde modeſtus, ſine faſtu gravis, & nimium Artificium omnino fugiens, veritati per omnia famuletur. Hæc eſt Sapientia verbi, hic ſermo ſcientiæ qui inter Spiritus S. Dona enumeratur. Cor. 12. 8.

ARTICULUS IV.

De Exercitatione ejuſque ſpeciebus.

SECTIO PRIMA.

Exercitationis Utilitas.

EA eſt Habituum acquiſitorum natura, ut repetitis actibus parti iiſdem radicentur altiùs, & difficultatem operandi removentes facilitatem maximam conferant: Id experimur in omnibus ferè Artibus; neque enim Cytharœdus præceptis canendi optimè inſtructus, ideo tamen Teſtudinis fides eximiè pulſabit, niſi ad præcepta uſus & Exercitatio acceſſerint; nec liber de Arte navigandi ſcriptus faciet ſola Lectione Nau-

Nauclerum, niſi peritia & exercitia id dederint; unde à Poeta dicitur,

Artifices unus qui facit uſus erit.

Hoc eſt Eloquentiæ cum aliis Habitibus acquiſitis in communi, ut labore & ſtudio perficiatur. Ad hujus igitur Artis conſequutionem non ſufficit, Regulas rectè dicendi memoriæ mandare, nec quiſquam fiet propterea eximius Orator; ſed in iis ſe exerceat ſedulò, & præceptorum praxim diligenter frequentet; v. g. didicerit quomodo Diſponendæ ſunt Orationis Partes; quomodo Exornandæ, quomodo Pronuntiandæ; non inquam in ſola ejuſmodi præceptorum ſpeculatione ſiſtat, ſed ad uſum ſtatim progrediatur, Diſpoſitionis, Exornationis, Pronuntiationiſque methodos opere probet repetito pluries labore, & brevi temporis intervallo (niſi aliud obſtiterit) Eloquentiæ laudem conſequetur.

Qui Concionatoris munus ambit, in eo diu & ſæpe ſe exerceat.

Hac ratione Eloquentiam ſibi comparavere quotquot in ea excelluerunt. Audiamus Ciceronem de ſe loquentem in Bruto, num. 314. Cùm me (inquit) & Amici & Medici hortarentur, ut Cauſas agere deſiſterem, quodvis potiùs periculum mihi adeundum, quàm à ſpectata Dicendi gloria diſcedendum putavi, &c. Vide quanti emit Eloquentiam Oratorum princeps: quanti etiam conſtitit Demoſtheni, qui omnibus ferè tùm pronuntiationis, tùm actionis defectibus laborans, omnes tandem ſtudio & Exercitatione ſuperavit, ac demum in utraque ſumus evaſit. Plura non refero hujuſmodi exempla in Aſſertionis probationem, quia ſuperiùs rem attigi, cùm de Arte agerem; Evangelicum Tyronem ſolummodò iterum hortor, non terreri difficultatibus quibus rerum maximarum principia ſcatent: utor verbis Quintiliani, ſic ajentis l. 10. c. 3. Nihil rerum ipſa natura voluit magnum effici cito; propoſuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem, quæ naſcendi quoque hanc fecerit legem, ut majora Animalia diutiùs in parentum viſceribus contineantur. Ex his patet, quàm malè ſentiant Deſides qui liberioris vitæ blanditiis aſſueti, vigiliarum moleſtias fugiunt quibus Oratores fiant: ii profectò Eloquentiæ palma ſe fatentur indignos, & pigritiæ torpentes ſtupore, ea dicendi gloria ſe ſe abdicant, quam præſtantiſſimi quique Oratorum ſummo ſanitatis diſpendio conquiſivere. Mirari deſinamus (inquit Tullius l. 1. de Orat.) quæ cauſa ſit Eloquentium paucitatis, cùm ex illis rebus univerſis Eloquentia conſtet, quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt. Exercitationis autem ſpecies ſeu partes, ſex Oratoris Officiis continentur; ſcilicet Meditari, Dicere, Legere, Scribere, Audire & Memorari: quid ſingulis conferat Exercitatio, ſcrutemur.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Meditatione.

MEDITATIO ſolius hominis propria eſt, qua Mens ſeriò ad ſe revocata, diligenter apud ſe ponderat & perpendit rem aliquam ejuſque circunſtantias, ut hinc diſcat quid unicuique convenerit. Eſt velut Obſtetrix quædam officioſiſſima, quæ efformat & ſuſcipit omnia quæ ſibi aliunde comparavit Orator. Animus enim conquiſitis rerum plurimarum ſpeciebus gravis, eaſdem meditatione digerit & ordinat intra ſeipſum, quas deinde cogitatione diuturna elaboratas ceu maturos fœtus enititur. Meditatione indiget Concio ut benè fiat.

Hinc patet eos maximè falli, qui ingenio & affectu nimium præcipites profundunt Conciones currente calamo, & vix prævia cogitatione; quid enim parturiet Mens velocior? niſi præcocem fructum, immaturos fœtus, orationem paucis virtutibus laudandam, pluribus damnandam vitiis, & repetito labore corrigendam ac reparandam. Fiet, ut ait Poeta,

rudis indigeſtaque moles.
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Nec in his locum habere debet præcipitatioris compoſitionis excuſatio; reſpondebitur enim quod Apelles circumforaneo cuidam Pictori de Tabella paucis horis confecta arroganter jactitanti prudentiſſimè reſpondit; Nihil erat (inquit) cur moneres, id opus ipſum ſatis admonebat. Nec denuo proderit citiores Conciones multitudinis ſpecie prætexere, non laudatur enim potiſſimùm qui multa, ſed qui bona & optima egerit. Liceat rem illuſtrare Apologo non inſuavi. Leænam ridebat Lepus, quòd illi præſtaret fœtuum multitudine. Hujus jactantiam fregit illa brevi ſed acuto reſponſo; verum eſt (ait Leæna) ſuperas fœcunditate partus, non dignitate; ego quidem annuatim unipara ſum, ſed fortiſſimum Leonem edo: tu verò ſingulis menſibus es multipara, ſed imbelles egeris Lepores. Ex hoc licèt ementito Exemplo diſcimus, Conciones egere temporis intervallo ut benè fiant, neque enim opus eſt ſpatio ut quid malè fiat.

Supereſt, ut Meditationis Uſus doceatur ſequentibus monitis. 1. Ubi conſtiterit de Argumento ſeu propoſito tractando, mente revolvat Orator quæ aliquando vel legerit vel audierit ad rem idonea, eaque notet ac memoriæ conſignet mox repoſcenda. 2. Cogitet quibus rationibus probetur argumentum aſſumptum, quomodo partes orationis ſint ordinandæ, quomodo exornandæ ſingulæ ut fidem faciant & affectus concitent. 3. Efformata Concio iterum verſetur Meditatione ſeria, ut hinc liqueat an ſuis numeris fuerit abſoluta; an argumentis ſat validis & mul- Quomodo Meditatio ad Concionem adhibenda.

tis firmata; an denique omnia debito ſitu, ornamento & virtute donentur. 4. Ad Meditationem confert ſeceſſum quærere, quod factum legimus à Demoſthene qui ſubterraneum ſpecum diu incoluit, ne à ſtudio avocaretur. Item Meditatio (ut ait Quintilianus) quoties intermiſſus eſt ſomnus, ipſis noctis tenebris adjuvatur.

SECTIO III.

De Exercitatione in Dicendo.

Dicere ſeu Concionari ſæpius, juvat Eccleſiaſtem.

DICERE frequenter, ad Eloquentiam maximè confert; fiet enim ex Dictionis ſeu Declamationis frequentatione, ut quis poſtea faciliimè & liberrimè dicere aſſueſcat. Eccleſiaſtes ergo paratam Concionem ſeorſum repetat priùs quàm publicè pronuntiet; hac enim privata repetitione probabit, quid in ſingulis orationis partibus deficiat, vel quid eiſdem conveniat: nec una aut altera Concionis repetitione fieri Eloquentem arbitretur; ſed quo ſæpiùs eandem repetierit Concionem, pronuntiationis methodum præſertim obſervare exactiſſimè conatus, eò faciliùs Oratoris dotes quas optat aſſequetur; nec quidquam pronuntiabit dicetve elegantiùs quàm quod pluries pronuntiarit aut dixerit.

Exercitationis in Dicendo, methodus.

Ad dicendi Methodum ſeu uſum, præcepta ab Oratoribus ſanciuntur, iſta præcipuè. 1. Frequenter (ut mox dixi) aſſueſcat dicere Orator Novitius, hac enim dicendi conſuetudine corporis actionem, animique Genium ad Elegantiam Dicendi efformabit. 2. Non dicat ex tempore & imparatè, ne malè & inconditè dicere aſſueſcat. Plutarchus de Liber. Educ. monet, ne pueri dicere ex tempore aſſueſcant; quod enim (inquit) inconſultò fit ac temerè, id pulchrum eſſe nequit. Fabius l. 10. c. 6. docet extemporaneam dicendi rationem nullatenus ad Tyrones ſpectare, ſed eſſe Oratorum exercitatiſſimorum, qui maximam ſibi facilitatem longo uſu compararunt quaſi laborum compenſationem. Utilius eſt ergo Eccleſiaſtæ, ſumpto ſpatio, prout uniuſcujuſque Genius popoſcerit, Concionem parare, quàm abſque meditatione fortuitam & improviſam orationem fundere. 3. R. P. Borgia Societ. Jeſ. l. de Arte Concion. c. 7. monet, ſæpe fieri, ut Concionatori parato obveniant inter dicendum exquiſiti in ſpecie conceptus & rationes eximiæ, quas Dæmon ſuggerat & ſuſcitet, eo fine, ut compellat Oratorem, vel fœdè errare, ſi fortè occurrens argumentum excipiat tractandum imparatus; vel ſaltem inutiliter digredi à propoſito, quod prævia cogitatione meditatus verſaturus erat utiliùs & faciliùs. Quamvis igitur non debeat Eccleſiaſtes ita rebus priùs meditatis addici, ut ab his nunquam vel minimùm recedat; ſed prout Spiritus ſanctus aliquando dederit, ſe ſuoſque affectus divino Impulſui permittere neceſſe habeat; Cavere tamen debet ab ejuſmodi fortuitis & inconſultis conceptibus, qui vix à ſuſpicione vacant ne

à ſpi-

à ſpiritu nequam ingerantur. 4. Ad Loquutionem maximè utile eſt, eos qui benè loquuntur audire ſæpiùs; nam (ut ait Cicero in Bruto n. 210.) magni intereſt quos quiſque audiat quotidie domi, &c. item ſatagendum eſt, ne ullum verbum etiam in colloquio familiari proferatur niſi laudandum, & ſi fortè proferatur, ſtatim corrigatur.

SECTIO IV.

De Exercitatione in Legendo.

QUÆCUMQUE *ſcripta ſunt, ad noſtram Doctrinam ſcripta ſunt,* ait Paulus Roman. 15. 4. Scripturæ ſacræ Lectionem commendans: iiſdem verbis Oratorem Novitium ad frequens eruditæ ac ſelectæ Lectionis exercitium hortatus. Ut enim corporis vires languent & deficiunt, niſi ſumpto alimento ſuſtententur ac reparentur abſumptæ; ita & animus perenni eget pabulo, ex quo novas ſemper vires, novas rationes & argumenta accipiens, nova ſemper dicere aut ſcribere poſſit. Hæc autem præſtat Librorum Lectio, quam Apollonius Rhodius apud Senecam Epiſt. 86. vocat propterea *orationis Pabulum*. Alit enim Lectio Ingenium (ut ait idem Senec. Ep. 84.) & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen reficit. Circa Lectionis exercitium duo præſertim occurrunt notanda, ſcilicet qui Authores ſint legendi & quomodo legi debeant. Lectio ſeu ſtudium.

Quantum ad primum attinet; magnus librorum delectus habendus eſt, alii enim aliis longe potiores ſunt, & in brevi humanę vitę decurſu optandum foret ſtudioſis, ut libri non occurrerent niſi multa & idonea eruditione locupletes, quibus legentium memoria ditaretur, Intellectus pingueſceret & voluntas inflammaretur. At heu! quàm pauci qui ſtudioſorum votis reſpondeant! quàm pauci qui vigiliarum laborem æqua compenſent mercede! quin immo quàm multi ſunt, quos ubi percurreris integros, dicas meritò; Vox eſt iſte liber ac præterea nihil. Quot voluminibus gemunt Typi, vacua rerum imagine ſcrutantes illudente? Sunt nihilominus libri optimi quamvis pejoribus rariores; illis ceu limpidis fontibus aſſidendum eſt; iſtis ceu corruptis ſcaturiginibus nequaquam immorandum. Seligantur ergo Authores melioris notæ, iique præſertim, qui in eodem Idiomate & genere quo ſcribimus vel dicimus excellunt; qui autem illi ſint, dicetur Sect. ſequente, cùm de Imitatione agemus, ac planiùs explicabitur l. 2. de Promptuario ſacro. Illud ſolùm hìc eſt advertendum, quòd non omnia ſperari debent ab uno Authore, ſed è pluribus variam & integram Eruditionem eſſe exquirendam. Si denique occurrerint libri Nequitiæ & impietatis duces, repudientur prorſus quantacumque eruditione vel Eloquentia præſtent. Eſt forte Aureum Poculum, ſed virus grato ſapore delibutum incautis & plus nimio avidis palatis propinans: ne moveatur grave olens ſterquilinium, ne exhauriatur Optimi libri rariſſimi, Mali & inutiles frequentiſſimi.

 peſti-

peſtifera ſentina, ut gemmula floſculuſve his conſpurcatus & infectus prodeat in perſcrutantis diſpendium.

Methodus ad Legendum.

Quantùm verò ſpectat ad Methodum qua legi debeant Authores, hæ præſertim Regulæ traduntur. 1. Præſtat pauca legere, modò optime, quàm plura, perperam: coercenda eſt igitur nimia plurium librorum aviditas. Nam, ut ait Seneca Epiſt. 2. Nihil tam utile eſt quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum Librorum multitudo. Itaque cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas: ſed modò (inquis) hunc Librum evolvere volo, modò illum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege; & ſi quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Onerat etenim diſcentem turba, non inſtruit, multòque ſatius eſt paucis te Authoribus tradere, quàm errare per multos. Hæc Seneca ad Helluones librorum & Lectionis Omnigenæ voraces. 2. Attentè & moroſè fiat Lectio, non verò curſim & præcipitanter. De hac re ita ſcribit Fabius lib. 7. cap. 5. & lib. 10. cap. 1. Repetamus autem & tractemus; & ut cibos manſos ac prope liquefactos demittimus, quò faciliùs digerantur; ita Lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita & velut confecta memoriæ imitationique tradatur, &c. Deinde addit. Nec per partes modò ſcrutanda omnia, ſed perfectus liber utique ex integro reſumendus, præcipueque Oratio, cujus virtutes frequenter ex induſtria quoque occultantur, &c. Ex verbis Quintiliani patet Oratorem non debere ſegniter, otioſè, raptim & per tranſennam decurrere Libros quotquot occurrunt, ejuſmodi enim lectio velocior vix animo proficit, ſicut nec ſtomacho cibus non manſus; ſed legendum eſſe attentè, moroſè, & ſeriò, non tantùm ſemel ſed iterum; quia iterata lectione deprahenduntur ſæpe dicendi lepores qui primo intuitu non fuerant deprehenſi. Experientia denique conſtat unam paginam ſeriò & maturè verſatam & diſcuſſam prodeſſe plus, quàm Ingentia volumina perſunctoriè deguſtata.

Ad Lectionis Methodum ſpectat Indicare Tyroni, quid annotare debeat in Authoribus quos evolvit; quod ut ſciat, Advertat quæ ſequuntur. 1. Cùm Librorum alii materia ſeu rebus præſtent, alii forma ſeu rerum expolitione, alii denique utraque ſint commendandi; in ſingulis diligenter perſpiciat Lector, quid in unoquoque præcellat, v. g. obſervet conceptûs exquiſitos, rationes eximias, illuſtre aliquod exemplum, &c. attendat qua ratione & Arte tractatur Exordium, ducitur Introductio, diſtribuuntur Orationis partes, harumque probationes & argumenta texuntur. Perpendat denique quæ ſint tum verborum, tùm ſententiarum ornamenta. 2. Nec illa omnia obſervare tantùm ſufficit, ſed opus eſt Codice Exceptorio, in quem reponantur quæ notatu digna viſa fuerint, & quæ deinde ſolerti uſu noſtra faciamus; Apes imitari debemus (ait Seneca Ep. 84.)

84.) & quæcumque ex diverſa Lectione congeſſimus ſeparare: meliùs enim diſtincta ſervantur; deinde adhibita Ingenii noſtri cura & facultate in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiamſi apparuerit unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe quàm unde ſumptum eſt appareat, &c. Rem illuſtrat eleganti ſimilitudine petita à Nutritionis corporeç facultate, quæ diverſa alimenta ita excoquit ut in unum tranſmutet ſuccum ab alimentis diſſimilem; Idem in his, quibus aluntur Ingenia, Præſtemus (inquit) ut quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint; concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt, non in Ingenium, &c. 3. Denique quæcumque annotaverit ex libris diligens Orator, ſtatim eadem in uſum convertat, & efficere conetur quod ab aliis factum conſpexit. Sed de hoc Art. ſequenti agemus ubi de Imitationis Methodo.

SECTIO V.

De Exercitatione in Scribendo.

EXERCITIUM in Scribendo ſeu in efformando ſtilo, optimus eſt & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter, ait Cicero l. 1. de Orat. n. 150. quem de hac re ſic docentem audiamus iterum. Caput autem eſt, quod (ut verè dicam) minimi facimus. (Eſt enim magni laboris quem plerique fugimus) quamplurimum Scribere, &c. Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilè vincit: hanc ipſam profecto aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit, &c. Omnes enim ſive Artis ſunt loci, ſive Ingenii cujuſdam atque prudentiæ, qui modo inſunt in ea re de qua ſcribimus, conquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus oſtendunt ſe & occurrunt: omneſque ſententiæ, verbaque omnia, &c. Hæc ſunt quæ clamores & admirationes in bonis Oratoribus efficiunt; neque ea quiſquam, niſi diu multumque ſcriptitarit, etiamſi vehementiſſimè ſe in his ſubitis Dictionibus exercuerit conſequetur; & qui à ſcribendi conſuetudine ad Dicendum venit hanc affert facultatem, ut etiamſi ſubitò dicat, tamen illa quæ dicuntur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur, &c. Hæc & plura Cicero ibid. n. 151. & 152. quibus nihil meliùs ad Scriptionis frequentis commendationem; ſupereſt ut ſcribendi Methodus aperiatur. Methodus Exercitationis in Scribendo.

Scriptionis Documenta ſunt 1. Priùs Meditari quæ ſcribenda ſunt quàm ſcribantur, tumultuarium enim eſt & ſæpiùs temerarium, quod indeliberatè & inconſultè ſcribitur. Quis igitur ferat aliquos de ſe tam altè ſapientes, ut calamum ad ſcribendum accipiant, antequam quid debeant ſcribere cogitarint? Fateor aliquando non malè cedere, ſi in primaria charta ſeu Archetypo plura ſcribantur quæ prçvia meditatione non fuerunt excocta, ſed quæ incaleſcens dedit calamus; At longè feliciora ſuccedent ſi ſeria & diuturna meditatione digerantur. Deinde id exquiritur præſertim in Scriptione perfecta, hoc eſt, cui manus non ſit ampliùs adhibenda,

quæ cùm debeat vulgari, accuratiorem diligentiam omnino poſtulat. 2. Ne ſit igitur præceps Orator Novitius in Scribendo quidquid venit ad calamum, ſed habeatur delectus cùm Rerum tùm Verborum; nec ſcribat vel ſyllabam, de qua leviſſimè dubitet. Ideo verſanda ſuſquedeque verba & clauſulæ erunt, donec aurium Judicio factum fuerit ſatis. Ad quod proderit anteriora cum ſequentibus ſæpe repetere, ut eorum cohærentia, vel ipſo recitationis ſono probetur. 3. Recognoſcenda ſunt ſcripta, ad amuſſim ſeverè examinanda, & ſi quid in his peccatum fuerit ſtatim corrigendum eſt: nam, ut ait Plinius rigidioris cenſuræ erga propria ſcripta rationem reddens, l. 7. Ep. 27. Cogito quàm ſit magnum dare aliquid in manus hominum, nec mihi perſuadere poſſum, non & cum multis & ſæpe tractandum quod placere & ſemper & omnibus cupias. Propterea Fabius monet, ſcripta in aliquod tempus remitti debere, ut emendentur poſt intervallum, quo velut nova & aliena videbuntur: nam ſit ſæpe ut ſcripta noſtra tamquam recentes fœtus nobis initio blandiantur, nec maculas in ipſis, præ affectu quo parens diligere ſolet partum, advertamus. 4. Idem Emendationis modum docens monet, ut in Charta exemplari relinquatur ſpatium lituris forte faciendis ſatis amplum, nam ſæpe pigritiam emendandi anguſtiæ faciunt, aut certè novorum interpoſitione priora confunduntur. 5. Ne tamen ad omnia ſcripta redeat Scriptionis Tyro, Medico imperito ſimilis ſana & integra cum putridis reſecanti; accidit enim ut ſcrupuloſiore ſectione fiant omnia cicatricoſa, exanguia & pejora; in ejuſmodi rebus Ratio docet, quid delendum ſit, quia forte contra Artis præcepta peccat, quidve tolerandum, quia forte Tyrocinii prælibatio eſt, vel etiam provectioris ſtudii ſed meticuloſioris opus. 6. Tempori etiam in elaboranda Concione debet eſſe modus. Iſocrates quidem unicam Panegyrim elaboravit per decem annos, Cinna Smirnam novennio peperit: non ita moroſus ſit in inſtruenda Concione Orator Chriſtianus, de quo præſertim hic agitur, quemadmodum improbantur qui æſtu præcipiti ſcribunt, dicuntve citiùs non adhibita priùs meditatione; nec etiam laudantur qui in apparanda Concione vix faciunt finem: non poteſt tamen certi aliquid præſcribi de ſpatio ad Concionis apparatum neceſſario; Variæ etenim cauſæ plus minuſve temporis expoſcunt. Argumenta ſunt alia aliis tractatu difficiliora; Genio ſuperat alter alterum; alius inventione fœcundus, ſterilis alius; aliqui in Diſpoſitione & Eloquutione ſolertiſſimi & limatiſſimi, aliqui inertes ſunt & rudes; quis tam variis Ingeniis unum ad Scriptionem ſpatium proprium aſſignare queat? Id nihilominus in hoc certiſſimum, Tyrones longiori tempore indigere quàm peritos & exercitatos, nec his illos debere commenſurari. Hanc ſcribendi Methodum claudet Fabius l. 10. c. 3. inquiens, *Summa hæc eſt rei, citò ſcribendo non fit ut bene ſcribatur, benè ſcribendo fit ut citò.*

Quomodo Scripta ſunt emendanda.

Ad Scriptionis Methodum juvat ſcire quæ ſcribere & in quibus ſe ſe exercere debeat Eccleſiaſtes ut bene ſcribere diſcat; ad quod hæc obſervanda

vanda

vanda occurrunt. 1. Res quæ apud Authorem notata eſt, reddatur verbis aliis quàm maxime ſelectis in eodem genere Orationis & Dictionis. 2. Quod in alia lingua optimè ſcriptum legitur in aliam transferatur; hoc de ſe teſtatur Cicero l. 1. de Orat. n. 155. ſic loquutus: *Hoc aſſequebar ut cùm ea quæ legerem Græcè, Latinè redderem, non ſolùm verbis optimis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* Quod in Pictura fieri ſolet ut hujus Tyrones in efformandis ſeorſim aliquibus corporis partibus, v. g. capite, oculo, ore, &c. ſe exerceant priùs quàm ad ſtructuram totius accedant; hoc in Eloquentiæ Novitio ſervari debet, ut nimirum varias Orationis partes, v. Deſcriptiones, Hypotypoſes, Ethopæjas, Proſopopæjas, &c. aſſueſcat ſcribere priùs; deinde ubi in his ſe multùm exercuerit, tùm poterit ſecuriùs & faciliùs Integram Concionem aggredi. Sunt enim ejuſmodi privatæ Exercitationes, umbratiles quodammodo proluſiones ad majorem ſcribendi rationem utiliſſimæ..

SECTIO VI.

De Exercitatione in Audiendo.

EFFICAX eſt ad Eloquentiam via quæ fit Auditionis Exercitio: atque ut in re tanti momenti nihil proferam quod à ſummis Oratoribus non fuerit probatum, Verbis Quintiliani utar; Is l. 10. c. 1. ſic ait. *Excitat enim qui dicit ſpiritu ipſo, nec imagine & ambitu rerum, ſed rebus incendit; vivunt enim omnia & moventur, excipimuſque nova illa velut naſcentia cum favore ac ſollicitudine: Nec fortuna modò Judicii, ſed etiam ipſorum qui orant, periculo afficimur*, &c. Idem l. 2. c. 5. uti Præceptorum officium eſt docere, ſic Auditorum ſe præbere Dociles, &c. Eloquentia coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis accipientiſque concordia, &c. Quod ille de Forenſi & Scholari Auditione dixit, nos de Prædicationis Auditione aſſerimus, maximè ſcilicet profecturum Eloquentiæ Novitium qui celeberrimos Concionatores frequenter Audire ſategerit. Quod ut benè & utiliter fiat, hæc ſunt monenda.

Quomodo Audiendi ſunt Oratores Dicentes.

Primò. Notentur pulchriora & Elegantiora omnia, tùm in Verbis, tùm in Sententiis, tùm in Figuris, tùm in Varietate vel Argumentorum vel Tranſitionum, tùm denique in Pronuntiatione; quæ exactè obſervata in ſuum uſum poſtea transferat Eccleſiaſtes, conatus privato exercitio conſequi alterius gratiam & venuſtatem quam obſervaverit. 2. Defectus evidentiores Dicentis notentur, quæ fugiat Auditor: Hac ratione Granatenſis monuit Eloquii ſacri Tyronem, ne quidquam quod in ingrato & infelici Concionatore adverterat faceret, ſi ipſe ad Eloquentiæ dignitatem aſpiraret. 3. Ne tamen Auditor ſit nimium moroſus, cumque errata forte noverit, ne dicat: non ſum ego talis, quin immo,

hoc

Digitized by Google

hoc à ſeipſo percontetur, nunquid & ego talis ſum? metuat ne ſimili vel pejore errore peccet, ac ſemetipſum in alio contemplatus, bona ejus imitetur, fugiat pejora. Caveat igitur Eccleſiaſtes Auditor ne aliorum defectus acriore cenſura notet; nam, ut ait Plato in Phœd. *Contemnere aut reprehendere facile eſt, meliorem autem afferre rationem, in omnem partem eſt operoſum*. Deinde, ut ait Græcum Proverbium, nullum eſt adeo ſterile aut horridum fruticetum quod roſam aliquam non ferat; Ita nec ullus Liber aut Concionator vacat omni bono; non ſunt damnanda omnia, ſicut nec laudanda. 4. Denique qui vult Audiendo proficere, æquum Judicem ſe exhibeat, nec plus nimio ſit facilis & credulus, nec etiam difficilior & moleſtior: Nec Rerum minimarum ſit admirator; quales ſunt, qui laudant inconditos clamores, invenuſtos & indecoros Geſtus, &c. & in amicis vel affinibus nævos ſqualidiores amant; nec etiam ſit Rerum præſtantiſſimarum iniquus æſtimator; non favore vel odio, ſed veritate & Juſtitia innixus Judicium de Concionatoribus ferat.

Hic de Memoria dicendum foret quia illa ſicut & ceteræ omnes Oratoris partes multùm juvatur Exercitio; ſed in ultimæ Partis calcem remittitur expendenda.

ARTICULUS V.

De Imitatione.

UNICUIQUE *noſtrum Gratia data eſt ſecundùm menſuram*, dixit Paulus Epheſ. 4. 7. Et quemadmodum unius Corporis Membra non eundem actum habent, ita nec hominum ſinguli eandem ſortiti ſunt gratiam: *Alii quidem datur ſermo Sapientiæ, alii autem ſermo Scientiæ*, &c. *Diviſiones Gratiarum ſunt ab eodem Spiritu qui dividit ſingulis prout vult*. 1. Cor. 12. Hoc certè in omnibus rebus experiri licet; ſed præſertim in Eloquentia, cujus omnes partes unus & idem Orator perfectè vix ullus explet; ſed aliquid uni ſemper deeſt quod ab altero poſſit per Imitationem emendicari: Ea eſt enim Imitationis vis, ut ſit compendioſa ad quaſcumque diſciplinas conſequendas via; facile ſiquidem eſt exprimere effigiem quæ oculis obverſatur, & in Apographo efformare quod in Autographo ſeu Exemplari conſpicitur. Hac fere arte evaſere ſummi qui Eloquio præcelluerunt. Cicero non ſcripſiſſet Dialogos ſine Platone, Topica ſine Ariſtotele, Paradoxa ſine Zenone, Officia ſine Panætio, Orationes ſine Demoſthene: Virgilius in Eglogis, Theocritum; in Georgicis, Heſiodum; in Æneide Homerum imitatus eſt: Æqualis ſors ab Oratore Chriſtiano prorſus erit ſperanda, ſi optimum Eloquentiæ Exemplar ſibi propoſuerit Imitandum. Caveat ergo Eccleſia-

Methodus Imitationis.

cleſiaſtes ſacer ab eorum faſtu qui alios imitari dedignantur; quoſque meritò arguit Plinius Jun. l. 8. Epiſt. ad Avitum his verbis, *Statim ſapiunt*, inquit) *ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, Imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt*, &c. Contrà ille ſollicitus ſit plures Eloquentiæ Dotes à pluribus mutuari, & quod Natura negavit, comparare per inſpecti prototypi ſimilitudinem. De Imitatione occurrunt plurima quærenda ſcitu digniſſima. 1. an ſint plures Imitandi vel unicus. 2. Quis ille è pluribus? 3. Quæ ſit Imitandi optima Methodus? 4. Quæ vitia in Imitatione fugienda: ſingulis quæſitis ſat ſacere conamur.

1. Quæritur 1. ſint-ne plures Imitandi vel unus tantùm è pluribus? D. Thomas cenſet unicum Doctorem ſufficere. Plures verſare Authores damnat Seneca, ratus Tyronem debere unico vel paucis adhærere, ne multitudine diſſipatus nullum imitetur, *nuſquam enim* eſt (ait ille) qui *nullibi eſt*. Epiſt. 2. Ratio videtur huic ſententiæ ſuffragari; ſicut enim ſtomachus varietate ciborum læditur & obruitur, ſic Ingenium varietate Librorum confunditur ac opprimitur non verò eruditur. Alii contra opinantur, præſtare plures Authores legere, modò bonos, quàm paucos. Id liquet exemplo omnium qui doctrina vel Eloquentia excelluere, quique eruditionem nonniſi multo labore & multis Librorum Voluminibus ſibi peperere. Deinde, ut Cœlum plurimis variiſque Syderibus fulget ob varios effectus; ut Tabella diverſis coloribus pingitur, tum ex neceſſitate tum ad venuſtatem; ita Concionem varia Lectione divitem eſſe oportet & diverſorum Authorum Imitatione locupletem, ut fiat auditoribus gratior & ad perſuadendum efficacior. Quemadmodum enim ſtomachus varietatem ciborum palato ſuavem cogit in ſuccum ab alimentis quidem ſpeciè diverſum, ſed nutritioni idoneum; ſic Ingenium variæ Lectionis eruditione inſtructum vocat Doctorum plurimos ad ejuſdem Concionis apparatum, & quod in ſingulis eximium compererit, ſuo propoſito vel probando ingenioſè accommodat. Verum quidem eſt, illum qui Stili ſeu Eloquutionis formam ex alterius Imitatione adipiſci voluerit, debere uni maximè adhærere potiùs quàm pluribus, v.g. ab eximio aliquo Oratore quem ſibi imitandum propoſuerit mutuari elegantiam verborum & Sententiarum; at non erit incongruum è diverſis unam ſibi propriam & familiarem Dicendi Methodum comparare, nec illa plurimorum Magiſtrorum varietas videtur Eccleſiaſtæ nocitura, quin potiùs valitura ad vim & venuſtatem.

Quæres 2. Quos è pluribus Imitari conducat? Quæſtio ſanè difficilis & cui ſolvendæ imparem me profiteor; Quis enim poſſit rectum ferre Judicium de tot Authoribus quot Reſpublica Litteraria conſtat? Quis diſcernere an hujus Exemplum conveniat Imitatione indigenti? Adde quod æſtimantur ut plurimùm libri non ex Authorum merito, ſed ex Legentium beneplacito, qui probantur ſæpiùs non meliores ſed gratiores. At ſi in re ardua liceat mihi calculum addere ſapientiorum Judicio, dicam in Autho-

-ribus, duo præcipuè (quantùm Imitatori ſufficit) eſſe attendenda; Naturam rerum ſcilicet & Artem. Naturam Rerum appello, Rationes, Argumenta, Conceptus, Teſtimonia & ſimilia ex quibus tamquam ex partibus Concio coaleſcit; Artem voco Methodum qua res excogitantur, diſtribuuntur & expoliuntur. Si de Rebus agitur, nemini dubium eſt Eccleſiaſtam poſſe apud quemcumque Authorem (modò Integrum quoad cætera) eas indagare, & inventas in proprios uſus vertere. Quantum verò ad Artem ſpectat, Imitari debemus quem ex ſapientiorum Judicio novimus excellentiorem, tùm in Genere ſeu Dicendi ſeu Scribendi, tum in Idiomate & puritate ſermonis, ſeu vernaculi, ſeu externi quo dicimus aut ſcribimus. Alio modo ſcripſere veteres, alio recentiores ſcribunt: Alii ſcripſere Orationes, Hiſtorias alii, alii Conciones, alii alia dicendi genera edidere; Alii denique Prophani & Gentiles extitere; Alii Chriſtiani & Evangelici. Ex Prophanis unus Cicero videtur omnino imitandus; ille etenim omnes Oratoris partes ita explevit, ut inde Proverbium inoleverit, Eloquentem futurum neminem qui Ciceronianus non fuerit: Nihil tamen vetat voces & ſententias ex aliis Authoribus colligere, modò ii fuerint lecti & probati. De hoc Cauſſin. Rhetorices l. 3. c. 14. Eraſmus de Ratione Concion. l. 2. ex Chriſtianis verò Oratoribus, Eccleſiaſtes Imitari conetur præſertim, gravitatem & ſuavitatem D. Baſilii; vim & facundiam D. Athanaſii, acumen & vehementiam D. Gregorii Nazianzeni, maximè ubi Apoſtatam Imperatorem inſequitur. D. Cyprianus Eloquentia ſeria & compta commendatur. D. Hieronymus ad omnem Dicendi facultatem appoſitus eſt, & imprimis ad concitandos Affectus idoneus. D. Auguſtinus argutiſſimus eſt, & licèt ex tempore ſæpiùs dicat, ſuaviſſimus. D. Chryſoſtomi genium verbis pingere nequaquam facile eſt, id ſit Characteris loco quod Aurei Oris ſeu fluminis nomen à mirabili qua excelluit facundia meruerit. Alios ſileo legis Evangelicæ Authores quos omnes dicere poſſumus tot Demoſthenes, Quintilianos & Cicerones Chriſtianos: Ad D. Paulum venio quem ex omni parte & in omni genere dicendi Chriſtianis Oratoribus Imitandum aſſerimus: Ille eſt ômnigenæ Eloquentiæ Evangelicæ abſolutiſſimum Exemplar; ſi Docet, nihil dilucidius; ſi Diſputat, nihil acrius; ſi conſolatur, nihil blandius; ſi Minatur, nihil imperioſius. Hoc Prædicatore totum orbem ſibi Chriſtus peperit, unde Eccleſia ſic orat: *Deus qui univerſum mundum S. Pauli Prædicatione docuiſti*, &c. Hoc Magiſtro D. Chryſoſtomus evaſit ſummus Eccleſiaſtes, quo ipſe edoctus, volebat edoceri omnes, non modò Concionatores quibus illum aſſiduè volvendum ſuaſit, ſed & Laicos, etiam Opifices, quos ad lectionem D. Pauli hortatur in Præfat. Epiſt. ad Roman. B. Dominico D. Paulus apparuit, ſuas tradens Epiſtolas ad Concionandum, quibus ille memoria mandatis utebatur adeo feliciter, ut tot Hæreſes fugaverit, tot extirpaverit ſcelera, tot denique mores pietati & Religioni reſtituerit, quot ad Prodigia ſufficiant: ſuis etiam Fratribus ad prædicandum miſſus indixit ut ſola Biblia aut ſolas Pauli Epiſtolas ſecum deferrent.

Pau-

Paulus ergo ſit eximium Eloquentiæ Chriſtianæ Exemplar, iis, qui Apoſtolico muneri vacare deſiderant, Imitandum. Advertat nihilominus Pauli Imitator, quid ab illo mutuari deceat. Optandum ſanè foret, ut quidquid vel diceretur vel ſcriberetur à Chriſt ianis Oratoribus, formæ ſeu Methodo qua Paulus ſcripſit pleniſſimè concordaret; At quia Epiſtolas ille ſcripſit quæ à forma Concionis nonnihil recedunt, & Temporis Ætas (cui hac in re aliquid indulgendum videtur) propriam Concionandi methodum Pulpitis ſubſtituit; poterit Eccleſiaſtes recepta dicendi forma uti; ſed ſenſibus ac ſententiis, quibus Apoſtoli ſcripta abundant, inhæreat; & ſi poſſit latentem verborum cortice ſpiritum ebibat ac prorſus exſugat.

Quæres 3. Quæ tandem ſit Imitationis optima Methodus? R. Ad hoc ſequentes traduntur Regulæ. 1. Summus & eximius Orator ſeu Concionator deligatur (ut mox dixi) Imitandus. Illius ſumma & meliora proponantur imitanda: Item ille præſertim legatur & verſetur, qui idem Genus Dicendi ſimilemve Cauſam, quæ tractanda incumbit, ſeriò & diligenter tractavit: faciliora autem non ita anxiè imitari debemus (occurrunt enim ipſa nobis ultro) ſed ſumma & exquiſitiora tantùm ſunt attendenda, niſi noſtris viribus ſint majora. 2. Tria in primis Imitari operæ pretium eſt, ſcilicet, Inventionem, Diſpoſitionem & Eloquutionem; addo quartum, nempe Pronuntiationem ſi res ex Pulpito geratur: Hæ enim ſunt præcipuæ Orationis partes, quarum proprietates & virtutes ipſis ab Authoribus inditæ diſquirendæ ſunt accuratiſſimè & in nos per Imitationem transferendæ. 3. Tres ſunt Imitationis Methodi. Prima eſt, cùm mutatur Sententia, verbis retentis; Secunda, cùm verbis mutatis, retinetur Sententia; Tertia cùm ſenſus & verba retinentur penè eadem. Prioris exemplum eſto illud D. Leonis ſer. de Nativit. *Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire*, &c. Sic contraria omnino ſententia huic ſubſtituitur, iiſdem ferè verbis retentis. Agnoſce, ò Peccator, vilitatem tuam, & Diabolicæ conſors Naturæ, noli in veterem malitiam tuam degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis ſis membrum, &c. Secundo, ſic in re ſimili mutatis verbis retinetur eadem ſententia, ut in exemplo mox allato, ſi dicatur Religioſo; *Perpende, ò Religioſe, felicem tuum ſtatum, & Innocentiſſimæ nunc vitæ factus particeps, noli ad anteactæ vitæ fœditatem damnanda facilitate regredi. Memento cujus Inſtitutoris ſis diſcipulus*, &c. Tertio denique Senſus & Verba, Figuræ & Expoſitiones retinentur. Hujus Imitationis exempla cuique facilia ſunt & pervia; illud Auguſtini tract. de Symbol. ſic Chriſtianum monentis, *Detegeris & deprehenderis ò Chriſtiane, quando aliud agis, aliud profiteris*, &c. Senſus & verba poterunt ad Religioſum ſic transferri, Detegeris & deprehenderis, ò Religioſe, &c.

Quæres 4. Quæ ſint vitia in Imitatione fugienda? Tot ſunt quot ratio-

nes Imitandi laudandæ; hæc præſertim notantur. 1. Imperfectum & vitioſum Exemplar ſibi proponere Imitandum: quid enim fiet inde? ex ovo malo malus Corvus, ex Duce Cæco duorum caſus. 2. Cavendum eſt ne Exemplaris defectus (ſi qui ſint) Imitetur Tyro. Sicut revera vix eſt aliquis ſcirpus qui nævo careat, ita nec Orator qui aliquando non deficiat, ſitque ſeipſo minor. Horum igitur ſimilitudo fugienda; quemadmodum enim Platonis gibboſum dorſum fingentes Diſcipuli, ideo non videbantur probandi, quod Magiſtri gibbum æmularentur, ita Improbandus erit Imitator ille qui Celeberrimi Concionatoris aliquando ſomniantis defectus in ſe transferret. 3. Peſſimè Imitantur qui omnia omnibus accommodant & quodlibet dicendi Genus vel Formam, cuilibet propoſito aptant; v.g. grandem & gravem Elocutionem aut Figuram rei Submiſſæ, vel ſummis & Grandibus mediocria concedunt. Imitantur etiam peſſimè, niſi errent omnino, qui altiora & ſuo Genio majora imitari ambiunt; v. g. qui ex ſua Indole demiſſum tantùm Genus valentes explere, Sublime nihilominus ex ſublimi Prototypo ſibi vendicant; Ii clavam Herculis tractant Puſionis manu, vel Achillis arma Patroclo Induunt. Genus ergo & Formam Dicendi Imitetur quiſque quæ Genio & viribus Imitantis conveniant. 4. Peccant imitatione indiſcreta, qui frequentiſſimè uſurpant ſeu verbum, ſeu figuram, ſeu aliud quodvis quod in Exemplari deprehenderint ad guſtum; etſi enim illud prudenter dictum mereatur laudem, ſæpiùs tamen & importuniùs inculcatum & repetitum ſibi conſciſcit ex repetitione vituperium. 5. Errant denique Imitatores aliqui nimium accurati; qui ſcilicet Authores integros verbatim exſcribunt, ut jam non videantur paginæ ſimilitudinem effinxiſſe modò, ſed ipſammet paginam diſſuiſſe ut parcerent ſcriptionis labori, & ſuo Codici aſſuerent: Hi omnino damnandi, ſi ſuum faciant quod in alio ſunt ſurati; de Plagio rei, Cornice Æſopica impudentiores, Crabronibus ignaviores, alienis tantùm laboribus locupletati, his tamquam ſuis gloriantur & inſoleſcunt. Pari facinore inquinantur qui memoria præſtantes Concionibus integris, quas audiere, utuntur quaſi ſuis. Nemo ſanè prohibeat verba, ſenſus, & figuras Imitari; ſed Integras furari orationes vel earum magnam partem expilare, & in ſuos vertere uſus abſque alio labore quàm exſcribendi, ediſcendi & recitandi, Plagium eſt niſi ſit Simonia vel Sacrilegium, ut pote quod res ſacras aut vendat, aut emat, aut ſurripiat. Horum Judicium ſit penes eos quorum intereſt in Expilatores bonorum ſeu publicorum ſeu privatorum animadvertere. Hos certe damnat Spiritus S. his verbis Jerem. 23. 30. *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea, unuſquiſque à proximo ſuo, &c.* Quem locum Auguſtinus ſic interpretatur. Eos itaque dixit Deus, furari verba ſua, qui boni volunt videri loquendo quæ Dei ſunt, cùm mali ſint faciendo quæ ſua ſunt. Fuſiùs, & ad rem noſtram propriùs, Plagiarios alloquitur l. 4. de Doct. Chriſt. c. 19.

Vitia in Imitatione fugienda.

Concionum Prædones & Plagiarii.

CA-

CAPUT IV.

DE MATERIA, PARTIBUS, ET SUBIECTO *Eloquentiæ Chriſtianæ.*

MATERIAM Eloquentię dicimus illud omne quod ejus documentis efformandum ſubigitur. Eſt autem triplex ejuſmodi Materia; ſcilicet; aut *Circa quam* verſatur, & quam Logicus diceret objectum ſeu materiale ſeu formale; aut *Ex qua*, ſeu Partes quibus conſtat; aut *In qua*, ſeu, Subjectum quod Eloquentia perficiendo afficit. Duobus Articulis rem totam abſolvimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Materia, Forma, & Partibus Eloquentiæ Chriſtianæ.

1. ELOQUENTIÆ Materia ſeu Objectum Materiale, eſt illud omne quod ab Eccleſiaſta ſacro verſari poteſt ad Gloriam Dei & Hominum ſalutem: variis autem nominibus idem penè ſignificantibus appellatur; Græcis dicitur Theſis & Thema; Latinis, Quæſtio, Cauſa, Propoſitum, Poſitio, Propoſitio & Argumentum. Talis eſt iſta Quæſtio, An Deus ſit colendus, vel an Proximus ſit diligendus.

Quæſtio ſeu Cauſa, ſeu alio nomine dixeris, duplex: Alia Infinita ſeu univerſalis & illimitata, quæ propriè dicitur Theſis & nullis particularium circumſtantiis incluſa, vagatur per aliquod Genus abſque circumſcriptione, ut v. g. An virtus ſit colenda; Alia eſt Finita, limitata, & ſpecialis ſeu particularis, vocaturque Hypotheſis, quæ Circumſtantiarum cancellis arctatur, habetque in quæſtione certas Perſonas, Res, Loca, Tempora aliaque ſeu ſpecierum ſeu ſingularium Attributa, ut v.g. An virtus Temperantiæ ſit excolenda; An Pietas Militi conveniat, &c. *Eloquentiæ Materia Finita & Infinita.*

Quæſtionum ſeu Infinitarum ſeu Finitarum, aliæ ſunt Speculativæ, quæ pro fine habent ſolam rei ſcientiam & notitiam: ut v.g. An Deus conſtet genere & differentia? An Angeli ſint Incorporei? Aliæ ſunt Practicæ, quia Praxim & Actionem ſpectant; ut v. g. An Deus ſit amandus? An Angeli ſint invocandi? An Temperantia ſit exercenda? Item, aliæ ſunt ſimplices, quæ unica tantùm propoſitione conſtant, ut v. g. An Sobrietas ſit ſervanda? Aliæ ſunt Compoſitæ & Mixtæ, quæ duas in *Speculativa vel Practica.*

ſe

ſe Cauſas complectuntur, ut v. g. An Sobrietas ſit à viro ſtudioſo ſervanda?

Ex traditis Quæſtionum diviſionibus, tria occurrunt notanda. Primum eſt, ad Theſim ſeu Cauſam univerſalem tractandam, utendum eſſe Probationibus & Argumentis petitis à Locis Communibus Dialecticis, de quibus poſtea in Promptuario. Ratio eſt, quia cùm Theſes ſeu Cauſę univerſales, ſint (ut dixi) liberæ à Circumſtantiis individuantibus, non eſt cur has ad illarum probationem ſeu expoſitionem adhibeamus. V. G. hæc Theſis, An Temperantia ſit laudanda, probari debet ex Locis Communibus, quales ſunt Definitio, Partium Enumeratio, à Cauſis, ab Effectis, &c. Non verò ex Locis propriis & particularibus; quales ſunt, Perſona, Locus, Tempus, Ideſt, an Temperantia debeat ſervari à tali Perſona, hoc loco & tempore; hæ enim Circumſtantiæ ſtrictiores Latitudinem Theſis ad anguſtias Hypotheſis limitant. Ad Hypotheſim autem ſeu propoſitionem particularem ſpectant Probationes ab ejuſmodi Circumſtantiis ductæ, ut v. g. hæc Hypotheſis, An Jejunium obſervandum ſit à tali Perſona, expendi debet iterum per alias Circumſtantias, ſcilicet, An à perſona, talis Ætatis, Negotii, diſpoſitionis, &c.

Alterum Notandum eſt, quod Theſis ad Hypotheſim & hæc ad illam facillimè revocatur. v. g. hæc Theſis, Virtus eſt laudanda, facile devolvitur ad iſtam Hypotheſim, Virtus Temperantiæ eſt laudanda; quia Temperantia continetur in virtute tamquam Species in Genere, quodque convenit uni convenit & alteri; Hypotheſis verò ad Theſim revocatur tamquam ad ſuum caput ſeu genus quo continetur, ut v. g. antequam Orator probet hanc Hypotheſim, Temperantiam eſſe laudandam, poteſt præmittere Theſim, ſcilicet virtutem in genere mereri laudem; deinde faciliùs poſtea evincet virtutem Temperantiæ fieri debere laudis participem. Hypotheſis ſeu propoſitio ſtrictior & anguſtior revocatur ad Theſim ſeu ad propoſitionem latiorem & magis univerſalem, ut inde fiat primum Exordium quod communiter vocatur Ave Maria; vel ſecundum quod appellari ſolet Introductio; ut v. g. Dicturus de pœnis Inferni quibus Juſtitia Dei ulciſcitur in Damnatos, poſſet præfari his & ſimilibus propoſitionibus ſeu Argumentis priore latioribus; Dei Juſtitiam nihil inultum pati, variis modis in ſceleratos ulciſci, Horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis & Irati, &c. Hæ inquam propoſitiones ſua latitudine Theſim referentes præmitti poſſunt, deinde ad Hypotheſim ſeu ſtrictiorem propoſitionem ſit progreſſus, hac fere ratione; At nullibi Deus ulciſcitur ſeveriùs, nullibi manus ejus formidanda magis quàm in Inferno; deinde ſubjiciuntur rationes præcipuæ quæ Concionem partiuntur, ſed de hoc aliàs l. 3. cùm de Œconomia.

Theſis ad Hypotheſim revocanda & quomodo?

Tertiò advertendum eſt, Oratorem non debere immorari diutiùs in Theſi, ſed quamprimùm poterit ad Hypotheſim progredi. Ratio eſt, quia cùm Theſis latior ſit & univerſalior, nihil aliud ferè ſatagit, quàm

ut

ut cognitio rei habeatur per Definitionem, Deſcriptionem ſimileſque Locos communiores, ideoque ſpeculativa ſæpe ſit tota, ſenſus, moreſque minùs afficiat; unde quàm minimum temporis (prout poſcet) in illa impendendum videtur: At Hypotheſis quæ Circumſtantiis anguſtioribus circumſcribitur, non ſpectat tantùm quid ſciendum, ſed quid agendum ſit & quomodo, eoque impellit Auditorem Rationibus, Motibus & aliis mediis quæ voluntatem afficiendo eam ad Praxim flectant. Propterea meritò ſancitur apud Oratores ut Theſis ad Hypotheſim citiùs revocetur.

2. Eloquentiæ Forma ſeu (ut Logici vocant) Objectum Formale, nihil aliud ferè videtur quàm ea *Rectitudo, Diſpoſitio vel Elegantia, quibus induuntur Rationes & Argumenta, ut aptè & appoſitè perſuadeant;* Cætera patent ex primo hujus Libri Capite, ubi diſſertum eſt de Oratoris Officio & Fine. Ad Eloquentiæ Formam ſpectat Triplex dicendi Genus ſeu Idea, *Grandis, Temperata, & Demiſſa.* Grandis Eloquentiæ forma & Idea, eſt amplum, grave & copioſum Dicendi Genus, quod rerum ſententiarumque pondere magis, quàm verborum ornatu animos flectit. Demiſſum dicendi Genus, eſt vagum, fluctuans, & à vinculis ſolutum, quod ſcilicet flectere vel delectare Auditorem minùs curat quàm Docere, eique propoſitionem explicata. Temperata vero ſeu Mediocris Idea vel forma, utrique, Grandi ſcilicet ac Demiſſæ affinis eſt. Triplex iterum diſtinguitur Orationis Forma, *Expoſitio, Argumentatio & Amplificatio*: Orator enim hæc tria tantùm præſtat; vel exponit rem & ſimplici narratione mentem explicat; aut Argumentis & rationibus rem explanatam probans, ei fidem apud Auditores conciliare nititur; aut denique rebus explicatis & probatis, animos Auditorum affigit amplo genere orationis, eorum Affectus Paſſioneſque ciens motibus & figuris ad id appoſitis; atque ad hoc, utitur Expoſitione ut Narret, Argumentatione ut Probet, Amplificatione ut Moveat.

Dicendi Genus Grande.

Demiſſum.

Mediocre.

3. Ad Eloquentiæ tùm Materiam tùm Formam pertinet Partitio ſolemnis Cauſarum ſeu Quæſtionum Evangelicarum in triplex Genus, *Didaſcalicum, Demonſtrativum, & Deliberativum.* Didaſcalicum ſeu Doctrinale Genus, Ignorantium vacat Inſtructioni, ſpectatque ad primum Oratoris officium, quod eſt Docere & ad humilem dicendi formam. *Demonſtrativum* ſeu Exornativum Genus, quod ſcilicet aut laudat aut vituperat quæ alterutrum merentur, quodque faſtidientium attentionem conciliat, pertinet ad officium Delectandi & ad Mediocrem Dictionis Ideam. *Deliberativum* Genus, quod ſuadet vel è contra, rebellibus edomandis deditur, ab Oratore poſcit ut Flectat & ſublimem Dicendi figuram ſuſcipit. His Cauſarum Generibus ſubjiciuntur alia; quale eſt, *Genethliacum,* quod Nativitati v. g. Chriſti, B. Virginis, D. Joannis Baptiſtæ applaudit; *Epithalamicum,* quod ſponſalibus celebrandis ſacratur, v. g. Dei & Hominis in Incarnatione, B. Virginis & D. Joſephi, &c. *Epinicicum,* quod Victorem coronat, v. g. Chriſtum de Mundo Triumphantem, Martyres

Triplex Cauſarum genus.

Didaſcalicum.

Demonſtrativum.

Deliberativum.

tyres de Tyrannis, &c. ***Eucbariſticum***, quod Grates Benefactori rependit; ***Salutatorium***, quod advenientem Principem excipit cum honore; ***Epitaphicum*** ſeu funebre, quod mortuis parentat; *Apotheoſis* ſeu Conſecratorium, quod Divis Litat. Hæc ſunt Exornativi Generis ſpecies. Deliberativo autem ſubordinantur, ***Conſolatorium***, quod patientiam in adverſis ſuadet; ***Conciliatorium***, quod Pacem ſancit & firmat, &c. Didaſcalicum denique Genus ſubdividitur in plura Inferiora; ſcilicet ***Inſtitutivum***, quod prima legis Divinæ principia proponit & promulgat; ***Catechiſticum***, quod fidei Rudimenta explicat; ***Paraphraſticum***, quod Evangelii textum Interpretatur; ***Polemicum***, quod Controverſias de Religione verſat, &c. Sed de his fusè & ex profeſſo in ſecunda hujus Operis Parte.

Hic Oratores notant Controverſiæ Statum, qui (quantum ad Eccleſiaſtem Chriſtianum attinet) eſt Conſtitutio, ſeu Reſultantia, ſeu Punctum Quæſtionis, quod Solutionem poſtulat.

Quinque partes Oratoris.

4. Quinque ſolent enumerari Partes ſeu Orationis, ſeu Oratoris, ***Inventio***, ***Diſpoſitio***, ***Elocutio***, ***Memoria & Pronuntiatio***. Inventio eſt ***Promptuarium*** Eloquentiæ, quod omnem ſupellectilem oratoriam ſuggerit, vel ſaltem indicat unde ſit depromenda; dum docet modum excogitandi Argumenta ad faciendam fidem & pelliciendos Auditorum Affectus. Diſpoſitio, eſt ***Oeconomia*** Eloquentiæ, quæ ſcilicet excogitata Argumenta & inventas Rationes ſolerti diſtributione in ſedes debitas ordinat. Elocutio, ***Ornamentum*** Eloquentiæ miniſtrat, Inventa nimirum & diſpoſita eleganti expolitione decorans. Memoria, eſt Theſaurus Eloquentiæ, ſupellectilem oratoriam firma animi perceptione cuſtodiens. Pronuntiatio, ***Suggeſtum*** Eloquentiæ præbet, definiturque Concinna ex rerum & verborum dignitate Corporis & vocis Moderatio. Hæ autem Partes colliguntur hac ratione; Orator debet Invenire quid dicat, inventa Diſponere, diſpoſita Ornare, dein Memoriæ mandare, tùm voce & actione Proferre. Alii ſtructuram Oratoriam Ædificio comparantes, Res & Argumenta per Inventionem excogitata Cœmentis aſſimilant; Muros, tectum, aliaſque ædificii partes Artificis ſolertia ordinatas, Diſpoſitioni partes Orationis diſtribuenti pares faciunt: Ornamenta verò Domus conferunt cum Elocutionis Expolitione. Alii aliam Collectionis hujus methodum ineunt; ſed hæc modò ſufficiant, cætera ſuis locis clareſcent.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Subjecto Eloquentiæ Chriſtianæ, ſeu de Eccleſiaſta. Quæ Dotes in eo Deſiderantur.

PROPRIAS Dotes Eloquentia ſacra deſiderat, quæ ſi adfuerint efflo-reſcet illa; ſi verò defuerint, exulabit. Unde Paulus 2. Cor. 3. 6. dixit, *Idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti;* hoc eſt, debitis conditionibus donatos, ſeu ut Syriaca lectio vertit, fecit nos Dignos miniſtros Novi Teſtamenti. Ac ne diutiùs præloquar, dicam in Eccleſiaſta quatuor Dotes exquiri, Vocationem, Eruditionem, Probitatem & Zelum. Has brevi expendo.

SECTIO I.

De Vocatione in Eccleſiaſta requiſita.

DE Vocatione Eccleſiaſtis Chriſtiani, tria occurrunt notanda, nimirum Neceſſitas, Diſcrimen ſeu dignotio, & Executio. Prior in Eccleſiaſta obedientiam poſcit, altera Judicium, Tertia diligentiam.

1. Vocari debere Oratorem Chriſtianum & à Deo ad Miniſterium Evangelicum ſeligi nemo ambigit, qui noverit, Prædicationem (ut diximus ſupra) eſſe Dei Peculium, opus, vineam, Legationem, &c. Qui adverterit illud munus quod Animarum regimen ſuſcipit, infinitis prope difficultatibus & ſcopulis ſcatere, ac viribus humanis eſſe omnino majus, nec perfici poſſe abſque Dei præſidio; nam (ut ait Apoſtolus 2. Cor. 3. 5.) *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Quis inquam horum memor, dubitet debere à Domino vocari, qui Opus tot titulis Deo debitum aggreſſuri ſunt? Quis felicem formidandi hujus Miniſterii adimpletionem ſibi polliceatur jure, niſi quem Deus ad hoc ſelectum, ſui auxilii fecerit compotem? Evidentiora ſunt iſta quàm ut probatione indigeant. Quàm eximiè Paulus fuerit Vocatus, ubique ipſe de ſe teſtatur. 1. ad Roman. 1. *Vocatus Apoſtolus & ſegregatus in Evangelium Dei*. Galat. 1. 15. *Me ſegregavit ex utero Matris meæ & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut Evangelizarem illum in Gentibus*. Item Theſſ. 1. c. 4. *Probati ſumus à Deo, ut nobis Evangelium crederetur*. Ad Pauli Exemplum vocatione indiget Eccleſiaſta; etſi parem illi electionem ſperare non debeat, ea tamen opus habet quæ Miniſterium committat & deleget. At heu! quot Concionatorum vices ſibi vendicant non vocati? Quot non electi ſacros ſuggeſtus temerariè uſurpant? Quot denique vel gloriolæ, vel lucri aucupio illecti & aliqua linguæ garrulitate freti, ſe ſe in Auguſtiſſi-

Neceſſitas Vocationis in Côcionatore.

Digitized by Google

mum munus ingerunt, Deo inconſulto & forte invito? Ii ſanè non ſunt de ſemine virorum illorum per quos ſalus debet fieri in Iſrael. 1. Mach. 5. 62. iis jure dicat Dominus quod olim Pſeudo-Prophetis, *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant: non loquebar ad eos & ipſi prophetabant*, &c. Jerem. 23. 21. Quam mercedem ex labore ſibi ſpondeant? Nullam, niſi quam ex hominum forte applauſu percepere: *Ventum ſeminabunt & turbinem metent.* Oſee 8. 7. Vociferant in pulpitis, inclamant, verberant aera, ſed inutiliter: ratio in promptu eſt, Spiritui ſancto non obſequuntur, immo Spiritum cogere nituntur ad obſequium & forte ad ſcelus; quid mirum ſi Dicentes deſerat? Hos ſtultitiæ, temeritatis, & arrogantiæ redarguunt Ss. Patres, maximè D. Gregor. Nazianz. 1. Apolog.

Signa Vocationis ad Prædicatoris munus. Alia Divina à Deo, alia Humana, à Natura; alia Eccleſiaſtica à Prælatorum delegatione.

2. At, inquies, qua ratione Vocationem ad Evangelicum munus dignoſcam? In re perdifficili, hæc conjiciendæ Vocationis argumenta poterunt ſcrupulos delere. 1. Interior quædam motio, qua poterit quiſque Deum experiri intus ſuadentem ejuſmodi Miniſterium. 2. Aptitudo ad tantum Opus, quod in primis poſtulat, Corporis, Animique Dotes idoneas, & ſtatum huic muneri congruum; non etenim convenit omni ſexui, ætati, vel conditioni Apoſtolico fungi officio. 3. Nec illa ſufficiunt habita, ſed prudentiorum conſilio debent penſari, & non niſi Prælatorum mandato exerceri. Ubi ergo hæc ſimul coierint, Dei ſcilicet Impulſus, Dotes tùm Animi, tùm Corporis, Decentia Status, Sapientium Conſilium, Superiorum Miſſio, ne dubitet Concionator de Vocatione ad opus Evangelicum, ſed protinus ſatagat cæteras Eccleſiaſtæ optimi virtutes Electioni adjungere.

Diligentia in Prædicationis miniſterio adhibenda.

3. Quanta verò Religione & diligentia fungi debeat ſuo munere qui ad id vocatus eſt, nemo ſatis explicet. Paulum audiamus de ſe loquentem Roman. 11. 13. *Quandiu* (inquit) *ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo*. Item 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum: & Gratia ejus in me vacua non fuit, &c.* Item 1. Corint. 4. *Spectaculum facti ſumus Mundo & Angelis & hominibus*, &c. Quot labores ille fuerit perpeſſus ut demandatam ſibi à Chriſto Legationem adimpleret, narrat 1. Cor. 4. & 2. Cor. 11. *In laboribus plurimis*, &c. Pauli verbo & exemplo, diſcat Eccleſiaſtes diligentiam & ſollicitudinem maximam quam adhibere debet ad commiſſas vices ritè obeundas: Caveat ne tanta dignitate præſtans, officium inhonoret aliqua ſeu verborum ſeu operum fœditate: *ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. 2. Cor. 6. 3. Curet ut commiſſa ſibi Prædicationis Gratia intentum ſortiatur fructum. Ideo Apoſtolus Diſcipulum monebat his verbis, 1. Timot. 4. 14. *Noli negligere Gratiam quæ in te eſt*, &c. Item 2. Timot. 1. 6. *Admoneo te ut reſuſcites Gratiam Dei quæ eſt in te*, &c. His monitis ſapiat Concionator quilibet, probè ſciens, quod ſi de omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines reddent rationem in die Judicii, exactiſſimè ſimul & rigidiſſimè inquiretur in Eccleſiaſtas, de re commiſſi officii vel minima quam neglexerint.

Me-

Digitized by Google

Meminerit tandem Concionator, ſe ſtipari tot teſtibus ſuæ vel diligentiæ vel negligentiæ, quot Creaturis mundus conſtat: quis tot oculos ludat? quis non formidet? Addo Legationis Negotium, quod Eccleſiaſtæ incumbens, magnam diligentiam & ſedulitatem expoſcit. Maledictus enim qui Opus Dei facit negligenter. *Vos ſcitis* (ajebat Paulus) *quomodo nihil ſubſtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos.* Actor. 2. Eadem ſcribit 1. Theſſ. c. 2.

SECTIO II.

De Eruditione Eccleſiaſtis.

1. ERUDITIO. Apoſtolis dictum eſt: *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*: Math. 10. 19. In exemplum trahi non debet iſtud prodigium, quaſi faveat inertibus & ineruditis. Id ſanè verum fuit initio naſcentis Eccleſiæ; & plures ob cauſas (ut jam dixi) neceſſarium: 1. ad Commendationem Legis Evangelicæ, quæ innireretur, non verbis humanæ Sapientiæ, ſed Spiritus divini virtute. 2. Ad Dei gloriam, quæ ad debellandam Philoſophorum ſcientiam, principumque Tyrannidem, non uteretur Doctis & divitibus, ſed Illiteratis & pauperibus. 3. ad Certitudinem Fidei quæ Miraculis fundata, prodigium etiam in fundationis miniſtris deſiderabat. Unde Paulus 2. Cor. 12. ait, *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & Prodigiis & Virtutibus.* 4. ad ſecuritem Apoſtolorum ipſorum, qui Regibus & Præſidibus adſtantes, eorumque vel Majeſtate, vel Eloquentia, vel Crudelitate forſitan perculſi & territi, non potuiſſent ea qua decebat libertate ex ſe advertere ad ea quæ opus erant ad Cauſam Chriſti agendam, niſi Spiritus ſanctus adfuiſſet imparatis & vix attentis eloquium daturus. At cùm jam Eccleſia altiùs radicata, his non egeat portentis, eadem ſibi polliceri non debet extra ordinem præſidia Verbi Divini Præco; quin potiùs temeritatis & audaciæ cenſuram mereretur ille, qui illiteratus & imparatus Prædicationis miniſterium uſurparet; Ideoque Eruditio ſtatuitur ab omnibus inter præcipuas Concionatoris Dotes. Apprimè edoctus Paulus ipſo teſte Actor. 22. 3. *Ego*... (inquit) *ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis*, &c. Linguarum dono emicuit, 1. Cor. 14. 18. ait, *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor.* Hoc de Paulo teſtatur D. Petrus Epiſt. 2. c. 3. Eruditionem Prælato ſuaſit Paulus, ad Titum cap. 1. *Ut potens ſit* (inquit) *exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Item 1. Timot. 4. 13. *Attende Lectioni, exhortationi & doctrinæ.* Et certè, cùm Prædicator debeat ex Officio refellere errorem, veritatem aſſerere, extirpare vitium, ſuadere virtutem, docere Ignaros, & contumaces flectere; quomodo id præſtabit, niſi priùs quæ ad horum aſſecutionem

Rationes quæ neceſſariâ Concionatori Eruditionem probant.

conferunt didicerit? Sit igitur Concionator in Eccleſia quaſi Arbor vitalis in medio Paradiſi ſita, Eruditione Boni & Mali fœta; non ſecus ac Sacerdos Leviticus, habeat pectus Veritate & Doctrina inſignitum. Portentum fuit quòd aliquando Deus Bruti animalis ore docuerit Balaamum, vel Aſinæ maxilla ſitientem Samſonem potaverit; At hæc extra rerum ordinem non dant Imitationis formam.

Eruditio Concionatoris duplex.

2. At quæ, qualiſve Eruditio Prædicatori neceſſaria eſt? (dicet aliquis) Rem prælibavi ſuperiùs, cùm de Exercitatione in Legendo & Imitationis ratione agerem. His addo Eruditionem Eccleſiaſticam duplici parte conſtare; Altera Res ſeu Materiam ex qua Concio ſtatuitur ſpectat; Altera Formam. De Forma diximus, cùm de Artis neceſſitate, Oratorem ſcilicet fore temeritatis reum, ſi Artis incurioſus ad ſacrum Dicendi Miniſterium accedat; quomodo enim Exordii, Introductionis, aliarumque Orationis partium ſtructuram, Œconomiam & Expolitionem præſtabit, niſi priùs à præceptis Artis illud didicerit? Qui Picturæ prorſus ignarus & imperitus Tabellam pingendam aggrederetur, meritò vapularet; ita & Artis Eloquentiæ neſcius, Concionatoris munus invadens. Quantùm verò ad Materiam Concionum, ex dicendis poſtea in Promptuarii Libro conſtabit, debere eſſe Omnigenam, hoc eſt, ex variis Diſciplinis prudenter conquiſitam & ingenioſè compactam; quod ut benè & cum laude fiat;

Captui Auditorum ſe ſe conformet.

3. Advertere debet Eruditus Orator ad tria imprimis neceſſaria. 1. Ne (ut ſæpiùs jam monui) rerum varietate & multitudine nimia extinguantur vis & ornatus Eloquentiæ. 2. Ne ſublimioribus & difficilioribus Quæſtionibus vel Argumentis fraudentur Auditores neceſſario animæ cibo; cogitet ſemper ſe Chriſtianæ Eloquentiæ caput & ſummam eò attigiſſe magis, quò res populari & plebejo captui accommodatiores ac utiliores protulerit; cætera quamvis pulcherrima & exquiſita, vix non erunt extra Officium & Finem Oratoris Evangelici. *Animadvertendum eſt* (inquit Chryſoſt. Homil. 17. in Geneſ.) *quod non tam multi ad Chriſtum ſectandum adducuntur, quando magnum aliquid & altum de Deo dicitur. Sed cùm ad humiliora & Auditorum ſalutem accommodatiora deſcenditur, Anicularum non adhibeat Proverbia* (inquit Concil. Mediolan. c. 19. 3. Caveat tamen ne Rudibus & agreſtibus Geniis, plus nimio ſe accommodans ad Fabulas aniles, pueriles nugas & ineptas ſimilitudines devolvatur. E multis quibus veſcimur alimentis, Lac non eſt vilius, immo pretioſius, ut pote ex puriori ſanguine concretum, facilius tamen & utilius eſt Pueris; ita de Concionum ſupellectile cenſendum eſt, ſit exquiſitiſſima, eò melior, modò Concionatoris induſtria digeſta & eliquata fiat plebeiis illa indigentibus apta. Paulus rem totam ſuo exemplo enucleabit 1. Cor. 3. ſic enim ait, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem*

pote-

poteſtis, adhuc enim Carnales eſtis. Miramini quomodo Paulus fiat omnia omnibus ut omnes lucrifaciat; ſublimitatem rerum quas noverat, ita temperat facili explanationis methodo, ut ab omnibus percipiatur, iiſque proficiat. Apoſtolum imitetur Eccleſiaſtes Auditoribus ſe ſe accommodans; de Majeſtate rerum nihil detrahit ejuſmodi accommodata facilitas, ſed utilior redditur. Ideo enim loquitur Orator ut proſit.

SECTIO III.

De Probitate Eccleſiaſtis.

1. PROBITAS Evangelici Oratoris pluribus ſuadetur argumentis. 1. Titulis ipſis quibus ejuſmodi Miniſterium in Scriptura ſacra decoratur: Prædicatores enim dicuntur Dei Angeli & Legati, Lux Mundi, Sal Terræ, &c. at quid his purius? Quid Angelis ſanctius? Legatis à Deo Miſſis quid innocentius eſſe debeat? Quid Luce nitidius? Quid denique integrius Sale? Angelorum ergo ſanctitatem æmuletur Eccleſiaſta, ne ſi ſecus, fiat Nequam & Dæmon evadat. Miniſtros non niſi Innocentes probat Deus, qui nec Prophetam admittere voluit niſi priùs mundatum Seraphico calculo. Iſai. 6. 6. Lux odit maculas, his careat Concionator mundum illuſtraturus. Denique integritatem ſalis imitetur, ne infatuatus, morum corruptelæ fiat ineptum remedium. Probitas Eccleſiaſtæ.

2. Qua fronte Eccleſiaſtes iniquus audeat redarguere peccatores, ipſis forte pejor? Ebrioſos, Ebrietati deditus; Avaros, Pecuniarum avidus; Impudicus, Impudicos quomodo increpabit? Illi meritò Paulus obiicit quod ſcripſit Roman. 2. 1. *In quo judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas?* Ibid. n. 11. *Qui ergo alium doces teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis*, &c. O ſi cum Prædicatoribus ſceleratos carpentibus, ita ſe gereret Chriſtus prout cum Judæis Adulteram accuſantibus, quos ab accuſatione removit hac cenſura pudorem faciente perculſos, *Qui ſine peccato eſt veſtrum* (inquit) *primus in illam lapidem mittat*. Joan. 8. 7. ſi inquam Eccleſiaſtas ita Chriſtus haberet, nec ad reprehenſionem ſcelerum admitteret niſi ſcelere vacuos: quot & quanti à ſacris pulpitis exauctorati ablegarentur? 3. At ſi perfricta nimis fronte audeat Orator Nequam ſuggeſtum uſurpare peccatores increpaturus; quàm inſulſa, quàm frigida & quàm infelix erit ejuſmodi increpatio! Cedo enim quod minimè cedendum videtur, Auditores vitiorum excuſationem non prætexere vitioſo Concionatoris exemplo: quo iſte animo ſuadebit virtutem quam odit, aut diſſuadebit vitium quod affectu & amore complectitur? An poterit audientium inflammare corda frigidus & omnino gelidus Orator? An movere lachrymas, an pœnitentiam extorquere qui aduſta rupe ſiccior facetiis non modò indulget, ſed deliciis totus deditur? An

de-

denique aliorum maculas abſtergere queat, qui maculis undique ſordet? Verba ſunt profectò cordis Imagines, vixque aliud loquitur Eccleſiaſta quàm quod ſentiat; ſi verò lingua mentiatur cordi, exangue & aridum erit illud verbum, aures inutiliter verberans. Adde, quòd Sanctiſſimum ab Impio & indigno tractari, piaculum videtur non minimum; meritoque Deus illum arguat hac ſententia formidanda: *Quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? Pſ.* 49. Sit ergo Probus Eccleſiaſtes, qui aliorum probitati conſulit; nam, ut ait D. Gregorius Nazianz. in Apolog. Mundari prius oportet, & ſic alios mundare. Huic aſſertioni Paulus ſuo exemplo finem faciet, de ſe ſic loquutus 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicaverim, Reprobus efficiar.* Apoſtolo concinit D. Gregorii ſententia in Paſt. ſic dicentis, *Lex ipſis Prædicatoribus impoſita eſt, ut ipſi vivendo illuminent, quæ loquendo ſuadere feſtinant; nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.*

Intentionis rectitudo in Eccleſiaſta.

2. Quæ autem Probitas deſideretur in Eccleſiaſta; brevì dico eam debere eſſe duplicem, Intentionis ſcilicet ac vitæ. 1. Probitas Intentionis ea eſt quæ non alium ſpectat finem quàm ſolius Dei Gloriam, cætera verò prorſus deſpicit, niſi ad hunc referantur ſcopum. Quàm difficile ſit Concionatori rectitudinem Intentionis ſervare illibatam, fusè oſtendit Granatenſis l. 1. Rhetor. c. 5. pluribus enim hoſtibus concuti eam mentis puritatem, ibidem probat. Modò vana Gloria pulſat Concionatoris, præſertim Junioris, animum; ſpe ſcilicet magni Nominis; modò lucri cupiditate illectus, fortunam privatam ſtudet augere vel firmare ſeu pecuniis ſeu aliis rebus quas in laboris compenſationem ſibi pollicetur. Non immoror in recenſendis pluribus corruptelis quæ Eccleſiaſtis Intentionem inficere poſſunt; ex Doctore mox citato, pauciſſimi ſunt, qui ab ejuſmodi labe ſint immunes. Auguſt. advoco Prædicatores etiam aliis utiles ſic commonentem, tractat. in Matth. 6. *Quod non bona Intentione facis, non tibi proderit: quia quomodo feceris, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur.* Caveat ergo ab hac ſuggeſtus peſte probus Eccleſiaſtes, eam impugnet prævia oratione, qua Deum humillimè deprecetur ut ſibi præſidio ſit, ne quid ultra ejus Gloriam intendat. *Adulter* (inquit D. Gregor. Mor. 8. c. 26.) *non prolem ſed voluptatem quærit, ita vanæ gloriæ ſerviens Prædicator, rectè Adulterare Verbum Dei dicitur, quia per ſacrum Eloquium, non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare.* 2. De Probitate Morum jam dixi, eam fore Concionatori ex omni parte neceſſariam, ne plus noceat malo exemplo quàm verbo ſalubri proficiat, diruatque altera manu opus quod altera ſtruxerit. Supereſt, ut Paulum audiamus de ſe aſſerentem quod Eccleſiaſtæ deſideramus. In ſingulis penè Epiſtolarum paginis profitetur ſe omnia in gloriam & laudem Dei facere, idemque faciendum ſuadet omnibus Chriſtianis. Non ſeipſum ſed Deum appetiiſſe teſtatur 2. Coloſ. 37. *Non enim noſmetipſos* (inquit) *prædi-*

Digitized by Google

prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quàm verò fuerit à lucri cupiditate immunis, patet ex Actor. 20.33. ſic enim ait, *Argentum & Aurum aut veſtem nullius concupivi*, &c. Quam ergo mercedem ſperas ab hominibus, ò Paule? *Omnibus omnia factus ſum ut omnes facerem ſalvos.* 1. Cor. 19.22. En quomodo Apoſtolus verbo & exemplo docet ſacros Eccleſiaſtas, integritatem Intentionis & Morum.

SECTIO IV.

De Zelo Concionatoris.

ZELUS eſt Primogenitus Charitatis partus, quo illa exequitur quidquid ad majorem Dei Gloriam, Hominumque ſalutem conferre cenſuerit; ideoque in Eccleſiaſta cum primis deſideratur ut propoſitum ſacri Miniſterii finem poſſit aſſequi. Pluribus non probo zeli neceſſitatem in Concionatore, id enim ex ſe liquidiùs conſtare arbitror quàm ut probatione indigeat; hujuſce virtutis proprietates expendo, ut ſciat Eccleſiaſtes, qua ratione Zelum exercere debeat: Quatuor autem mihi occurrunt Zeli Dotes præcipuæ, *Ardor*, *Fortitudo*, *Sollicitudo*, *Prudentia*; de ſingulis hæc pauca.

1. Ut Eccleſiaſta Zelo ardeat, meminerit ſcopi ſeu Finis quò ſpectat Eloquentia Chriſtiana, nimirum Gloriæ Dei & Hominum Salutis, de quo cùm ſæpe dixerimus, ſupereſt ut oſtendamus nulli operi eſſe incumbendum tanto Ardore, quanto negotium iſtud indiget. Hujus rei teſtis ſeu potiùs doctor erit D. Chryſoſtomus, optimus Pauli Interpres; Ille Prædicationis Miniſterium omnibus virtutibus præfert, ſic enim loquitur Orat. adv. Judæos. Quod neque jejunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigiliæ, neque aliud quidpiam efficere poteſt, hoc efficit fratris procurata ſalus, &c. Eandem ſententiam fuſiùs explanans Hom. 25. in cap. 10. 1. Cor. & Apoſtoli Anathema eſſe pro fratribus optantis verba expendens, ait, Paulus futuram etiam Gloriam Gloriæ proximi poſthabuit, &c. Aliunde quanti valeat hominum ſalus perpendat Orator ſacer. *Empti eſtis pretio magno*, ait Paulus 1. Cor. 6. quodnam eſt iſtud pretium? Ipſe Deus, quem (ut ait Euſeb. Emiſ. Hom. 6. de Paſch.) tranſiiſſe video in pretium meum. *Idoneus eſt operis ſui æſtimator* (ait Ambroſius L. 7. in cap. 12. Luc. ex Euſeb. Gall. hom. 2. in Symb.) Crux ſtatera fuit, in cujus una lance ſalus hominum poſita, alteri meritis Chriſti onuſtæ viſa eſt præponderare. Hæc ſufficiant Concionatori ſacro, ut ardeat Zelo conſequendi quod Deus tanto ardore proſequutus eſt, & tot tantiſque cùm laboribus tùm doloribus ſibi comparavit. Æmuletur Eccleſiaſtes Zelum Jacob, qui perituram uxoris pulchritudinem tanti emit, quanti æſtimari debet quatuordecim annis tolerata ſervitus, æſtus geluque viciſſitudinibus vexata: Pluris ſanè facienda

Ardor Zeli in Concionatore.

da eſt unius Animæ ſalus, Divinitatis libramento ponderata. Ne dedignetur ergo Prædicator, huic auguſto muneri incumbere ſedulus, ne labores, ne moleſtias fugiat digniſſima mercede compenſandas. En quomodo Paulus Evangelicos Oratores ad id hortetur 2. Cor. 6. 4. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus*, &c. *in laboribus*, *in vigiliis*, *in jejuniis*, &c. *Imitatores* (inquit) *eſtote mei ſicut & ego Chriſti* 1. Cor. 4.

Fortitudo Zeli. 2. Fortitudo Zeli quo excellere debet Eccleſiaſtes, innuitur ex ipſo ſeu Angeli ſeu Legati munere quo fungitur: hinc enim diſcit qua virtute indui par eſt, ut mittentis Chriſti Cauſam fortiter ſuſtineat. Duas in ſacra Scripturas legimus Columbas, quarum altera ore ferebat ramum Olivæ hominibus pacem cum Deo prænuntiaturæ, altera gladium gerebat belli Symbolum; Jerem. 50. 16. Utriuſque genium imitetur Eccleſiaſtes, modò pacem cum Pœnitentibus, modò bellum cum Sceleratis iniens; alios leniter, ſeveriùs alios inſequutus. Adamantinam frontem dederat Ezechieli Deus, ut Peccatores audaciùs redargueret. Ezech. 3. 8. Ea fronte præditus ſit Eccleſiaſtes, ne cenſuram meritos corrigere formidet, & veritatem alicui fortè non placentem annuntiare metuat. Hoc Zelo accenſus ipſe Chriſtus vendentes & ementes è templo ejecit Joan. 8. hoc flagello armatus Concionator, Simonia, Irreligione, vel alio quovis ſcelere maculatos expugnet. Eodem Zelo roboratus D. Ambroſius, Theodoſium Imperatorem, verbis & ſcriptis increpavit, ut liquet ex l. 5. Epiſtol. Epiſt. 28. En, quod Paulus hac de re ſenſit 2. Cor. 4. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros*,&c. *Per arma Juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*, &c. Item Roman. 1. 16. *Non erubeſco Evangelium*, &c. Nec molliori unquam vel facilitate vel aſſentatione veritatem tacuit, ut teſtatur Galat. 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem*, *Chriſti ſervus non eſſem*. His ergo Verbis & Exemplis Pauli moneatur Eccleſiaſtes, ut fortis ſit in agenda Dei Cauſa; ne vereatur miniſterii ſui vices audacter ſubire, nec veritatem quam Evangelium ſuggerit, vel poſtulat occaſio, dicere erubeſcat. Pauli mandatum eſt ad Timotheum 2. Epiſt. 4. 2. hæc ſcribentis; *Prædica verbum*, *inſta opportunè: argue*, *obſecra*, *increpa in omni patientia & doctrina*. Item ad Tit. 2. 15. *Exhortare & argue cum omni imperio*.

Sollicitudo Concionatoris. 3. Sollicitudo Concionatoris de ſalute Animarum, ſat ex ſupradictis colligitur; qualis enim eſſe debet quæ res tanti momenti curat? quanti ſunt Gloria Dei Hominumque ſalus? Maximo igitur ſtudio, maxima diligentia huic Miniſterio vacet: Arbitratus ſe modò errantes & perituros homines revocare, habeat in mente verba Joſephi dicentis, *Fratres meos quæro*. Geneſ. 37. Modò cenſeat hunc Mundum ceu ampliſſimum Valetudinarium & Noſocomium ad quod miſſus fuerit à Deo tanquam Medicus ſalubrem infinitis propè ægrotis opem laturus. Taceo plura quibus Sollicitudinem apud ſe provocet Eccleſiaſtes, ut Apoſtoli Verbis locum faciam: Sic ille ait 2. Cor. 11. 28. *Præter illa quæ extrinſecùs ſunt*, *in-*

Digitized by Google

inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur & ego non uror? &c. Item 2. Cor. 19. 22. *Omnibus omnia factus ſum ut omnes facerem ſalvos*, &c. Eò uſque proceſſit hæc ſollicitudo, ut Moyſis exemplo ſcripſerit Roman. 9. *Optabam ego Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*.

4. Prudentia Zelo eſt ſummè neceſſaria, utpote quæ illius Ardorem, Fortitudinem, Sollicitudinem aliaſque dotes moderari debeat. Nihil ſanè ægrotis utilius Pharmaco, ſed ſi prudenter adhibeatur; ſecus enim ſi fiat, nocebit. Idem eſto de Concione Judicium; ſi prudentia condita fuerit, proficiet plurimùm; ſi ea caruerit, ruinæ majori dabit fortè occaſionem. Ad Prudentiam valent omnes Circunſtantiæ quibus res aliqua circunſcribitur, hoc verſu comprehenſæ; Prudentia Concionatoris.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

1. Priori voce notatur Perſona ſeu Dicentis ſeu Audientis; ſicut enim non omnia conveniunt cuilibet Eccleſiaſtæ, v. g. non decet Juniorem & imperitum, &c. ea redarguere, quæ decerent Oratorem ætate, experientia, &c. commendatum; ita nec cenſuræ omnes ferendæ ſunt indiſcriminatim adversùs omnes omnino Auditores. Longe alia ratione increpantur Plebeii, alia Eruditi, alia Principes, &c. 2. Secunda circunſtantia monetur Prædicator, ut Rebus dicendis attendat; Aliæ enim decent, aliæ minimè; præſertim caveat ab inutilibus, ab odioſis, iiſque quæ famam lædunt ſeu publicam ſeu privatam. 3. Advertat ad media quibus utitur ad correptionem ſcelerum; Evangelica ſint & ſacra, non forenſia, ſæcularia & ſcurrilia, &c. 4. Cogitet ſemper de fine Miniſterio congruenti, nec alium ſpectet niſi gloriam Dei & proximorum ſalutem; ſi enim aliud quidquam præter illa oriturum prænoverit, v. g. Prophanationem ſacrorum, Animarum exaſperationem, &c. à Concione ſeu potiùs à correptione abſtineat; meliùs enim fuerit, tunc ſilere & in aliam opportunitatem negotium remittere, quàm indiſcretè & inutiliter concionari; ideòque Ss. Doctores apud Mendocam in l. 1. Reg. n. 3. docent abſtinendum eſſe à prædicatione non profutura. Nolim tamen illud ſilentium indici à pudore vel metu, aliove motivo quod ſit Deo injurioſum; ſed hæc judicio prudentis Concionatoris penſanda ſunt. 5. Modus quo Peccatorum correptionem aggreditur Eccleſiaſtes, non modica indiget prudentia ut benè & fęliciter ſuccedat; ita enim oleum miſericordiæ ſeveritatis vino admiſceat, ut ſceleſtos redarguens videatur horum miſereri potiùs quàm iis ſuccenſere. Proverbium eſt penitus vulgare, pluris fieri unum mellis cochlear ad pelliciendas apiculas quàm aceti dolia plurima; Apes ſunt Auditorum animæ, quibus illiciendis methodum charitate & ſuavitate inſtructam crediderim aptiorem omni auſteriore & duriore cenſura. Unde à Principibus Eloquentiæ ſacræ præcipitur ut ab omni ſeu verbo, ſeu re, ſeu modo abſtineat Eccleſiaſtes, ex quibus Auditor ſuſpicari poſſet illum loqui vel ira, vel odio, vel invidia, vel proprii alicujus commodi

Digitized by Google

ſtudio concitatum. Item cavere debet Concionator, ne ſingularium aliquorum defectus notet, præſertim ſi fuerint magni ponderis, ſpectentque ad famam; ne etiam ſtatus vel conditionis exceſſus redarguat, traducendo ſeu irridendo, v. g. ea eſt rerum viciſſitudo, ut jam Sutoris conjux ſua ſorte non contenta nobiliores ſuperet veſtium luxu, &c. Hæc & ſimilia in minoribus locis odioſa videntur, & privata correptione feliciùs emendantur, quàm publica, quæ exacerbationem, non emendationem efficiat. Addo, Eccleſiaſtæ cavendum eſſe à nimia credulitate quæ ſycophantarum detractione ſæpe decipitur; plerumque enim accidit, ut quidam ultionis aliunde ſumendæ impotes, Concionatore uti velint tamquam Inſtrumento, quo in adverſarios debacchentur; modò Prælatos, modò Magiſtratus, Clerum modò, modò Sæculares aliquos in pluribus delictis ut plurimum fictis accuſant impudenter apud Eccleſiaſtem. At ſi his fidat delatoribus, in quot laqueos ſeſe præcipitem dabit? 6. Denique Loci & Temporis Circumſtantiæ ſunt attendendæ; Locus quidem pro diverſitate rationem arguendi diverſam poſcit: aliqua ritè poſſunt corripi privatim & ſecretò, quæ ſi corriperentur è ſuggeſtu peſſum irent: Tempus verò in Curatione animarum ſicut & Corporum ſpectari maximè debet. Sic D. Bernardus explicat illud Cantic. 2. 10. *Tempus putationis advenit*. *Quoniam* (inquit ille Serm. 58.) *operi huic, ſicut & omni rei ſub cœlo, non omne tempus ſuppetit & aptum eſt: addit is qui invitat, Tempus adveniſſe; Quædam ſæpius inutiliter tentata, felicem tamdem ſortiuntur effectum, cùm fortè patientia & tempore ulcus maturatum dederit ſanandi opportunitatem.* Nulli ergo Prudentiæ cautioni parcat Orator ut commiſſum Evangelii Negotium feliciter executioni mandet, ſcilicet non indiſcreto Paſſionum impetui obſequutus, ſed Divinæ famulatus ſapientiæ, cujus vices gerit quiſquis pulpitum conſcendit veritatem mundo manifeſtaturus. Id de ſe aliiſque Coadjutoribus ſcripſit Paulus 1. Cor. 4. 1. his verbis; *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & Diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Diſpenſatores dixit, non Diſſipatores indiſcretos, qui delegata Verbi poteſtate imprudenter abutantur ad ſui aliorumve injuriam.

Hæc de Apparatu Eloquentiæ Chriſtianæ fuſiora nonnihil aliquibus fortaſſe videbuntur; ſed nemo id cenſeat qui perſpexerit plurima Candidatis & Oratoriæ Artis Tyronibus utiliſſima, hìc, ceu in proprio ſitu expendi, quæ ab aliis ſparſim & permiſcuè alibi tractantur: ad Naturam & proprium ordinem rerum attendi; non ad ſtudioſorum Juniorum impatientiam, quæ ſuperfluum & inutile arbitratur illud omne cujus uſum nondum novit: alius inquam erit peritiorum ſenſus, qui quantæ ſint utilitatis Exercitationes priori hoc Libro agitatæ & explicatæ, uſu ac Judicio probavere.

LIBER SECUNDUS.

PROMPTUARIUM

ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ,

SEU

DE INVENTIONE.

PROMPTUARIUM *appello hanc Eloquentiæ Partem, quam alii Inventionem rerum, alii Topicam ſeu Locorum Officinam, alii Rhetoricæ Theſaurum nuncupare ſolent, pari ferè ratione denominationem faciente. Rhetoribus* Inventio *eſt, quia docet Methodum excogitandi media conficiendis orationibus apta. Dialecticis dicitur* Officina Topica, *quia cuduntur ibi & formantur Argumenta, quibus illi ſuas Concluſiones probant.* Theſaurum *alii vocant, eò quòd locupletem dicendi ſupellectilem Oratoribus quaſi Auri fodina ſuppeditet.* Promptuarium *dixi, quia complectitur principia quædam generalia, quæ Loci vocantur, ex quibus tamquam ex Thecis repoſitoriis prædivitibus, ſeu fontibus perennibus, eruuntur ac depromuntur rationes, quas Orator adhibet ad perſuadendum, ſeu velit apud Auditores ſibi facere fidem, ſeu eorumdem movere affectus.* Armamentarium *inſcribi etiam poteſt hæc Rhetoricæ pars, utpote quæ velut Turris David* Cantic. 4. 4. *Clypeos mille, omnemque armaturam fortium ſubminiſtret, quibus excepta hoſtium jacula eliduntur & rebellium voluntates edomantur. Ad Logicos quidem propriè ſpectat hic Tractatus Topicus, ipſorum enim eſt ejuſmodi minutiſſima veſtigare, quales ſunt Loci Argumentoſi de quibus fusè agitur in Dialectica. Quia nihilominùs patet ipſis etiam Oratoribus hæc Officina, quæ materiam ſuggerit, quam expoliens Eloquentia in ſuos uſus vertit, ideo Argumentum iſtud (quantum ſapere debet Orator) tractandum aggredimur, ne ſcilicet ſacri Eloquii Candidatus, his ſubſidiis quamvis adſcititiis & aliunde emendicatis defraudetur.*

CAPUT PRIMUM.

DE PROMPTUARIO ELOQUENTIÆ.
Quid ſit, Quibus conſtet, Quotuplex ſit, Quid Proſit, & quis ejus ſit uſus.

1. PROMPTUARII Nomen & Natura ſatis ex Præloquio ſuperiori patent; conſtat nimirum ex Locis Repoſitoriis ſeu Fontibus uberrimis, unde Oratoribus ampliſſima ſupellex depromi poteſt. Locorum autem eſſentia ſic deſcribi ſolet, *Locus eſt fons vel ſedes unde Rationes & Argumenta deſumuntur, cùm ad faciendam fidem apud Auditores, tùm ad eorumdem affectus ciendos:* Aliis paulò aliter definitur, *Communis quædam Nota, verbo expreſſa, qua monitus Orator, advertit quid probabile ad perſuadendum poſſit inde eruere.* Exemplum eſto Locus à Genere denominatus. Monet ille Oratorem aſſumere rationem ſuperiorem vel principium aliquod latius (quod Logicis dicitur Genus) ad propoſitum ſeu probandum ſeu amplificandum, v.g. Juſtitiam eſſe colendam, quia virtus (quæ Juſtitiæ Genus eſt) meretur cultum.

Promptuarii Definitio.

2. Variè à variis dividitur Locorum ſeries: At dimiſſis diſtinctionibus plurimis quas Rhetores aut Dialectici proſequuntur exactiùs & fuſiùs; partimur Topicam Categoriam primò in duas Claſſes, quarum prior continet *Locos Communes*, qui ſcilicet ad omnes Cauſas utiles ſunt, & his ſeu probandis ſeu amplificandis rationes indefinitè ſuggerunt. Secunda Claſſis complectitur *Locos Proprios*, qui nimirum certis Cauſarum Generibus addicuntur, quales ſunt v. g. Loci qui propriè ſpectant ad Genus vel *Exornativum*, vel *Deliberativum*, vel *Didaſcalicum*. Alia diviſione partimur Locos Communes quadrifariam; Alii enim appellantur *Dialectici*, alii *Oratorii*, *Theologici* alii, alii denique *Miſcellanei* dicuntur; ſingularum ſpecierum eſſentia & partes explicabuntur cum de iis agendum erit deinceps.

Promptuarii partitio & diverſitas.

3. Utilitas Locorum, quos Promptuarium apud ſe repoſitos complectitur, maxima eſt; ſed in primis ad tria valet. 1. Vagam & confuſam Argumentorum multitudinem coercet, ac brevioribus limitibus circumſcriptam, nec-non in capita ſeu ſedes digeſtam ordinat, unde his indigenti liberior fiat aditus. 2. Iterum profunt Loci, quòd ſint Notæ & Indicia quædam, quibus monitus Orator, in memoriam revocat rationes Locorum nomine ſignatas, quarum fortè non recordaretur niſi horum monitione excitatus. 3. Inſerviunt denique Loci ad omnem Artis Oratoriæ ſupellectilem ſubminiſtrandam: vel enim Oratori incumbit probare Propo-

Prompt. triplex utilitas.

Propoſitum, tùm ut Auditores doceat, tùm ut fidem apud ipſos ſibi faciat; vel movere Affectus ut amplectantur quod ſuadetur. Utrique fini prodeſt omnino iſtud Promptuarium, ampliſſimam Argumentorum ſegetem ex Locis ſeu fontibus promanantem aperiens, quà probationis ſtatuatur fides & affectuum motus urgeantur. Adverte tamen duo maximè notanda de Locorum utilitate. Primum eſt; ut quis Locorum ſubſidio fruatur, debet Topicam Categoriam (quæ brevis eſt) memoriæ mandare, & cùm neceſſitas probandi vel amplificandi illud poſcit, percurrere ſingulas Locorum Claſſes, è quibus Argumenta ſeligat, quæ ad intentum viſa fuerint magis idonea: quod ſi ediſcere neglexerit, parùm ex his proficiet; indigebit enim Libro quem ſepiùs conſulat in Memoriæ remedium; at quàm fuerit hoc importunum, nemo non videt. Alterum Advertendum, eſt de Locorum fœcunditate: Hujus ubertatis ſpe forſitan allectus Tyro, ſibi ſuadebit ad Concionem ſtruendam ſufficere Locos diſcere aut conſulere, quaſi abſque alio labore Argumenta, Rationes & Conceptus exquiſitiſſimi ultrò inde ſuccreſcant ad quodvis Propoſitum. Non ita ſe res habet; Promptuarii enim vox, ſicut & Nomina Locorum, ſedium ac Notarum, ſatis ex ipſa ſignificatione indicant, tot eſſe Vaſa inania & vacua, niſi rebus ditentur ac repleantur. Exemplis fiet res planior. Ea eſt inter Auri fodinam & Apothecam Pharmacopolarum differentia, ut illa effodienti præbeat Aurum quod ſinu ſua à natura ingenitum condit; iſta verò aliquid præſtare nequeat, niſi quod aliunde acceptum ſervaverit, fruſtra enim in Nartheticis medicamentum requiret Pharmacopola, ſi priùs in illis iſtud non repoſuerit, titulus quidem rei occurret, at reipſa vacuus. Apothecis ferè ſimile eſt Eloquentiæ Promptuarium; abundat quidem Locis & Sedibus Argumentorum, ſed vacuis & egenis, niſi Lectione & ſtudio locupletentur. V. g. fruſtra moneris per Locum à Genere denominatum ut Juſtitiæ amorem ſuadeas à Genere, niſi priùs didiceris, quid ſit Genus, deinde quodnam ſit Juſtitiæ Genus. Unde veriſſimum eſt iſtud effatum, Locos Indigere magna eruditione ac diligentia, ut quam pollicentur utilitatem exhibeant; Ideoque comparantur ſtatuis Mercurialibus, quæ viatori hoc tantùm præſtant ut iter oſtendant. Ne tamen deſpondeant Tyrones, difficultatibus ad Locorum utilitatem mox adductis fortè territi, veræ quidem ſunt, ſed ſtudio & labore facile ſuperandæ.

4. Promptuarii uſus optimus, quatuor Animi Dotes præcipuè poſtulat; *Ingenium*, *Diligentiam*, *Artem* & *Judicium*. 1. Ingenio primas Oratoris partes concedunt quotquot hac de re ſcripſere. Eſt autem Ingenii acumen, quædam Animi ſolertia, quædam Mentis celeritas, & (ut ita dicam) agilitas, qua quis præditus, velociter, facilè & optimè penetrat omnes Argumentorum Locos, Affectuumque movendorum rationes, nec-non media ſeu ad probandum ſeu ad amplificandum exquiſita & aptiora excogitat. Ingenii ſic conformati Indicia hæc profert Fabius l. 1. c. 1. & l. 3.

Prompt. uſus quatuor animi Dotes poſcit.

1. Ingenium.

& l. 3. c. 1. Primum eſt, ſi Memoria valeat. Secundum ſi Naturæ ſit docilis, quæ ad meliora imitanda ſit idonea. Tertium ſi probitatis amans depravationem odio habeat. Quartum ſi alacre ſit Ingenium, non tamen plus nimio præcox, quod præceptoris documenta præcurrens in fœdos prolabatur errores. Quintum ſi fuerit ſagax & ſolers ad excogitandum, ſeligendumve exquiſitiora Argumenta.

2. Diligentiam. 2. Diligentia, altera eſt Ingenii virtus, quæ ut ſit perfecta, quatuor alias Dotes requirit. Primò, ut Quæſtionis Propoſitive tractandi naturam penitùs agnoſcat. Secundò, ut oppoſitas rationes quæ veritatem obnubere & velare poſſunt, advertat. 3. Ut omnes Argumentorum Locos, tùm Communes, tùm Proprios memoriæ mandatos, brevi & cito percurrat, & in his perſpiciat quid ſuo convenit negotio. 4. Ut Intento fini aſſequendo fideliter & diligenter incumbat.

3. Artem. 3. De Arte quæ inter exquiſitas Ingenii Dotes enumeratur, dictum eſt abundè ſupra, lib. 1. cap. 3. art. 3.

4. Judicium. 4. Judicium in Oratore perneceſſarium eſt; oſtendit enim quid ex abundanti rerum argumentorumque Sylva deligendum eſt, & quomodo illud diſponendum ac exornandum; ne quid temerè & incongruè adhibeatur, ſed levioribus & minoris momenti rationibus repudiatis, validiores & aptiores ſeligantur, magna deinde prudentia diſtribuendæ ac expoliendæ. Ideo Judicium attendere debet ad quatuor. 1. Ad Auditores, quorum diverſa conſtitutio & ſufficientia diverſam Argumentorum Motuumque rationem exigit; Aliam ſcilicet Rudes, aliam Politi, Rebelles aliam, aliam Faciliores Concionandi methodum poſtulant. 2. Attendat ad Genus Cauſæ tractandæ ut probationes & amplificationes huic accommodet: non enim promiſcuè & paſſim omnia Argumentorum genera quę à Promptuario fundi poſſunt, omnibus Cauſarum Generibus aptari debent; ſed è multis ſeligenda ſunt (ut ſæpe dixi) quæ viſa fuerint ad rem magis idonea. 3. Partes Concionis ſunt etiam oratoris Judicio perpendendæ, ut intelligat, quæ rationes, qui affectus, quæ figuræ & expolitiones ſingulis conveniant; proprio quippe & ſpeciali compoſitionis modo quælibet orationis pars gaudet, alteri non concedendo. 4. Denique monendus Eloquentiæ Tyro, ne utatur Locis & Fontibus Argumentorum prout jacent, hoc eſt, ea abundantia eoque ordine quibus panduntur in argumentoſis Promptuariis, quaſi non liceret è luxurianti ubertate vel tradita diſpoſitione aliquid immutare; error eſt iſte Juniorum, Judicio & experientia caſtigandus; Judicium ergo adhibeat Orator, non modò ut inveniat quid dicat, ſed quid dicere expediat: illud autem ex omnibus circumſtantiis quibus res aliqua circumſcribitur poterit quis facilè dijudicare.

CAPUT II.

Promptuarium Dialecticum ſeu de Locis Dialecticis.

DIALECTICI vocantur hi Loci, quia Logicorum hinc Argumenta eruentium proprii ſunt, ſed ad Rhetores delati, in Oratoris uſus convertantur, ſeu rem probent, ſeu eandem amplificent. Biſariam dividuntur Loci Dialectici: alii Intrinſeci, Extrinſeci alii appellantur. Intrinſeci videntur dicti eò quòd unicuique rei ſint naturaliter ingeniti, vel ab ejuſdem Eſſentia profluant. Tales enumerantur præcipui ſex, nimirum *à Definitione, à Notatione Nominis, ab Enumeratione Partium, à Toto, à Cauſis & ab effectis*. Extrinſeci verò ſeu Aſſumpti dicuntur, quia non è re nati, ſed adſciti aliunde, extrinſecùs & ultra eſſentiam rei adduntur; ejuſmodi ſunt ſex, ſcilicet à *Simili & Diſſimili, à Comparatis, ab Adjunctis, ab Exemplis, à Teſtimoniis, à Præjudiciis*. Singulos expendimus, non quidem ad Logicorum ſcrupuloſiorem Trutinam, ſed ad Oratorum venuſtatem.

Locorum Dialecticorum partitio.

ARTICULUS PRIMUS.

De Locis ab Intrinſeco petitis.

INSITI ſeu Intrinſeci Loci, quorum munus eſt Oratorem monere ut advertat ad rationes ſeu Argumenta quæ in Eſſentia rei latent & ab ea depromi poſſunt, in ſex Claſſes (ut mox diximus) diſtingui ſolent; at brevitati (quæ tamen Oratori ſufficiat) ſtudentes, ad quatuor capita revocamus, quorum præcipua alia inferiora & ſubordinata complectentur.

SECTIO PRIMA.

De Definitione & Deſcriptione.

DEFINITIO eſt *Oratio quæ Naturam & proprietates Rei explicat*, ſeu quæ nos docet quid res ſit, eſtque rei velut Character & umbra. Si rem per principia eſſentialia repræſentet, dicitur à Logicis propriè definitio, qualis eſt iſta Hominis, dum definitur Animal Rationale. Si

Quid ſit Definitio.

rem

rem pingat per ſuas proprietates vel accidentia, appellatur Deſcriptio, v. g. dum Homo definitur Animal Riſus vel Diſciplinæ capax.

Ejus partes.

Ut legitima ſit Definitio, debet conſtare Genere & Differentia; eſt autem Genus, aliquid communius & latius quod uni rei cum multis aliis convenit; Differentia verò, eſt aliquid preſſius & anguſtius, quo unum diſtinguitur & ſecernitur à cæteris: In exemplo Definitionis ſupra relatæ, Animal eſt Genus quia homini & bruto communis eſt ratio Animalis ſeu Animalitatis (ut ajunt Logici) Rationale autem ſeu Ratio eſt Differentia hujus definitionis, quia hominem ſecernit à quocumque animali ratione carente.

Definit. virtutes.

Tres Definitionis virtutes præcipuæ ſtatuuntur, *Perſpicuitas*, *Brevitas*, *& Proprietas*. Definitio erit perſpicua, ſi verbis conſtet claris, uſitatis & propriis; fiet verò obſcura, ſi verba fuerint ambigua, æquivoca, inuſitata & impropria. Erit Brevis ſi nihil addatur ſuperfluum & redundans. Erit propria ſi rei Definitæ ſoli conveniat & non alteri. Ejuſmodi eſt Definitio hominis ſuperiùs allata.

Definitionis Axiomata.

Axiomata Definitionis enumerantur quatuor, quorum duo priora ad Affirmationem & Confirmationem valent; Alia duo, ad Negandum & Refellendum adhiberi ſolent. Sunt autem hæc. 1. Quod convenit Definitioni, convenit Definito. v. g. Facultas perſuadendi quæ ad Gloriam Dei ſpectant, meretur laudem; ergo & Eloquentia Chriſtiana.

2. Cui tribuitur Définitio, tribuitur & Definitum. v. g. Eloquentia Chriſtiana eſt Habitus efficiendi cum certa ratione; ergo eſt Ars. 3. Quod non convenit Definitioni, neque Definito convenit. v. g. Facultas Perſuadendi quæ Dei Gloriam decent, non eſt vana & lucidicra Rhetorica; ergo nec Eloquentia Chriſtiana ejuſmodi defectu laborabit. 4. A quo removetur Definitio, ab eo removetur & Definitum. v. g. Eloquentia Chriſtiana, non ſectatur verborum inutiles obſervatiunculas; ergo non eſt vana & ludicra Rhetorica.

Definitonis diverſitas.

Multiplex eſt Definitio, pro varietate modorum quibus formari poteſt; vel Locorum ſeu rerum unde petitur. Alia enim dicitur *Negativa*, alia *Affirmativa*: Alia *Eſſentialis*, *Accidentalis* alia; de ſingulis aliquid breviter explicemus.

Negativa Definitio.

Negativa Definitio eſt *quæ rem Deſcribit, non quidem per id quod eſt; ſed per remotionem ejus quod non eſt*, ſeu per Negationem ejus quod ei non convenit. Sic D. Paulus 1. Timoth. 2. Definit Deum *Immortalem & Inviſibilem*, ſolus enim eſt qui ex natura ſua, nec morti, id eſt fini ſeu termino, nec ſenſibus ſubjicitur. Sic etiam Maximus Tyrius Orat. de Deo, pingit Deum Definitione Negativa, inquiens, *Fac in eo; nec magnitudinem, nec colorem, nec figuram aliquam cogites; non aliud prætereà quidquam quod materia pati conſuevit*, &c.

Qua fit.

Forma vero ſeu Methodus faciendi Negativam Definitionem duplex eſt; prior, cùm in re Definienda primùm aſſerimus id quod non eſt, deinde id quod eſt, unde pugna contrariorum naſcitur aliqua. Exemplum

eſto

eſto de Chriſtiano quem poterit quis ſic Definire. Quid eſt, eſſe Chriſtianum? An ſanctiſſimo hoc nomine tantùm inſigniri? An Religionis Sacramenta Verbo tenus profiteri? An per Eccleſias circumcurſare? An recarios globulos manibus verſare? cæterum Pietatis, Fidei-ve opera non præſtare magis quàm Impiorum ſceleſtiſſimus? Alia eſt, alia profecto Chriſtianæ Profeſſionis ratio: nimirum, Deo mentem ſenſuſque addicere, proximo Charitatis & benevolentiæ officia præſtare, &c. Quid tu horum exhibes, ò Peccator? Ubi Deo ſerviſti? Ubi proximo, &c.? Odiſti omnem Pietatis cultum, &c. Charitatis opus omne horres, &c. Hoccine eſt Chriſtianum eſſe, &c. potiùs infidelem & Impium. &c.

Altera Definitionis Negativæ Methodus fit per Contentionem Ironicam; cùm rem primò Definimus ex mente Adverſariorum; Secundò, exclamamus Ironicè; Tertiò tandem veram proferimus Definitionem. Exemplum ſit iterùm de Chriſtiano, hac aut ſimili ratione. Tu forte Chriſtianum cenſes illum, qui ſacro Baptiſmate lotus, fraudes machinetur; inſidias fratribus ſtruat, &c? Eum inquam Chriſtianum putas, qui ventri deliciiſque ſe totum dedat, &c. Egregiam verò Chriſtiani Imaginem! &c. Quaſi verò hæc ſit perſectiſſimi Status Deſcriptio, &c. Ille, ille eſt, ſi neſcis, Chriſtianus, qui Chriſti obſequio mancipatus, nihil præter Charitatem ſpirat, qui Proximorum neceſſitatibus invigilat, &c. Hac aut ſimili methodo poterunt virtutes à contrario eleganter deſcribi.

Poſitiva Definitio, *Ea eſt quæ rem deſcribit Affirmando aliquid quod illi conveniat:* Si illud fuerit de rei Eſſentia, fiet Eſſentialis Definitio; ſi verò fuerit Accidentarium ſeu Eſſentiæ ſuperadditum, fiet Definitio Accidentalis. Utraque iterum in multas ſubdividitur ſpecies. Definitio Poſitiva.

Eſſentialis Definitio fit variis modis. 1. Per Partes Eſſentiam rei conſtituentes, diciturque propriè Eſſentialis. v. g. cum definitur Homo, Animal Rationale, ſeu Ratione præditum. 2. Per Partes quas Philoſophi vocant Phyſicas, ut cùm Homo deſcribitur Compoſitum ex Anima Rationali & Corpore organico. 3. Per Partes Integrantes; ut cùm Homo pingitur, ceu totum aliquod coſtans capite, brachiis, pedibus &c, Alia eſt Eſſentialis.

Accidentalis Definitio, *Ea eſt quæ rem explicat non quidem per principia eſſentialia, ſed per ea quæ ſunt Eſſentiæ Adventitia*, qualia ſunt, Proprietates, Accidentia. Notatio Nominis, Conjugata, Cauſæ, Effectus, &c. Dicitur Deſcriptio, in tot ſpecies diſtincta quot ſunt res à quibus peti poſcit; Harum exempla breviter ſubjicio. 1. Per proprietates pingitur Homo, cùm dicitur Riſus & Admirationis capax. 2. A Notatione Nominis, cùm græcè appellatur ἄνθρωπος, quaſi ſurſum ſpectans. 3. à Conjugatis, ſi Homo ducatur ab Humo, unde Humilitas ſuaderi queat. 4. A Cauſa Effectrice, Homo dicitur opus manuum Dei; à Cauſa materiali, cùm Terrenus à D. Paulo nuncupatur; à formali, cùm ad Imaginem Dei factus ſcribitur; Denique à Cauſa Finali deſcribitur Homo, cùm propter Deum creatus dicitur. 5. Res definitur per Effecta, ut cùm Alia Accidentalis.

Digitized by Google

Peccatum dicitur illud, quod facit Deo Inimicum, Diaboli Mancipium; &c. Sic etiam D. Ambroſius l. de Elia & Jejunio c. 16. exprimit Ebrietatem; *Ebrietas* (inquit) *fomentum Libidinis*; *Ebrietas Incentivum inſaniæ*; *Ebrietas venenum ſapientiæ: Hæc ſenſus hominum mutat & format*, &c. 6. Pinguntur etiam res à ſimili; Ita D. Chryſoſtom. Hom. 24. Definit Iratum, *Mens Irati* (inquit) *Forum eſt plenum tumultu, ubi multus eſt euntium & redeuntium clamor*, &c.

Denique res exprimuntur per Conglobationem ſeu multarum Definitionum à diverſis locis petitarum Congeriem. Sic D. Bernardus 3. de Conſiderat. definit Ambitionem à Conglobatis; *Ambitio* (inquit) *eſt futile malum, ſecretum virus, Doli Artifex, mater Hypocriſis, Livoris Parens*, &c.

Deſcriptionis Naturam & Proprietates non expendimus hoc loco fuſiùs, quia Logicorum vices nunc obiter ſubimus; de illa pluribus agendi dabitur aliàs commodior locus.

SECTIO II.

De Notatione Nominis & Conjugatis.

Notatio nominis quid ſit, & quis ejus uſus.

NOTATIO eſt *Oratio, quæ vocabuli ſignificationem & ſenſum explicat:* cùm enim Nomina, (præſertim ſi fuerint Divinitùs impoſita) rei Eſſentiam & Proprietates obnubant ac contineant, illis reſeratis & explanatis, rei Naturam patere neceſſe eſt. Exemplum ſit Auguſtiſſimum Nomen Jeſus, quod Salvatorem ſignificat, ideoque poterit Argumentum à Notatione ſuggerere, in hoc ferè modo: Salvatoris eſt qui alios ſalvat, quàm igitur optimo jure id nomen merebitur Chriſtus, qui Hominum ſaluti tanto labore & affectu incubuit? Quid enim Salvator quiſquam præſtare poterit, quod non abundè præſtiterit Chriſtus? &c. Aliud exemplum eſto vox Chriſtiani, quæ unctum ad agonem more Athletarum ſignificat: Sic enim poſſet inde Argumentum erui; Memor eſto nominis tui, ò Chriſtiane, recordare unctionis tuæ, quæ ipſa nuncupatione tibi perpetuò occurſans animum ſtimulare debet ad pugnam, &c. Hoſtes quæris: undequaque tibi fiunt obviam, &c. mundus, Dæmon, Caro, &c. *Labora* igitur *ſicut bonus miles Chriſti, certa certamen fidei*, &c. 1. Timot. 6.

Conjugata.

Conjugata dicuntur *quæ orta ab uno variè commutantur*. v.g. à ſapientia deducuntur Sapiens, ſapienter, &c. à Pietate derivantur Pius, Piè, &c. Sic ergo ab hoc loco duci poteſt Argumentum; Pius eſt qui Pietatem ſequitur: ergo à Pio multùm diſtat Peccator qui Pietati adverſatur, &c.

Anagrammatiſmus.

Ad Notationem Nominis ſpectat *Anagrammatiſmus, qui eſt litterarum nominis alicujus variè tranſpoſitarum connexio*, unde ſenſus aliquis erui poteſt ad Orationis illuſtrationem. Locus iſte vix ad Concionem ſacram adhibendus videtur, Grammaticum enim redolet potiùs quàm Oratorem, qui de rebus magis quàm de litteris ſollicitus eſſe debet. Unicum tamen

Ana-

Anagrammatiſmi exemplum referam de Nomine ADAM, cujus ſingulæ litteræ Græcè explicatæ quatuor Mundi Partes deſignare videntur curioſis indagatoribus, A, Ανατολὼ, ſeu Orientem; Δ, Δύσιν, ſeu Occaſum; A, Αρκτῶν, ſeu Septentrionem, M, Μεσημβρίαν, ſeu Meridiem.

Axiomata ſeu Notationis ſeu Conjugationis, ſunt. 1. Quod convenit uni Notatorum ſeu Conjugatorum convenit etiam cæteris, & è contra. v. g. Militi propter Agonem uncto convenit Fortitudo, ergo omnibus Chriſtianis: Pietas laudem meretur, ergo & qui Pius eſt. Item Militi ad Agonem uncto deſidia eſt indecora, ergo & Chriſtianis: Pietati adverſatur Nequitia, ergo & Pio. 2. Cui convenit unum ſeu Notatorum ſeu Conjugatorum, illi cætera quoque conveniunt, & è contra. v. g. Eccleſiaſtæ ſalvare homines curant, ergo tot ſunt Salvatores. Eccleſiaſtes pietatem colit, ergo pius eſt. Item, Qui alios ad perditionem trahit, Salvator non eſt, ergo Eccleſiaſtæ malo exemplo alios inficientes Salvatores dicendi non ſunt, &c. Pietati opponitur impietas ergo,& pio,&c.

SECTIO III.

De Toto & Enumeratione Partium. De Genere & Specie.

HIC complectimur multiplicem Argumentationis Fontem, in tot rivulos ſeſe diffundentem, quot capita Titulus proponit, quos tùm propter affinitatem tùm brevitatis ſtudio, unica Sectione comprehendimus: non tamen abs re; vix enim noſci poterit Totum, quin & Partes dignoſcantur; nec aliud eſt Genus niſi Totum quoddam, ſicut nec Species aut Forma, niſi Generis portio.

Totum propriè ſumptum definitur à Dialecticis, *Id cui nulla Pars deeſt*, ſeu quod omnibus ſuis partibus completur: ab Oratoribus verò ſumitur Totum pro re aliqua communiori, univerſaliori, quæ aliam ſtrictorem & minus amplam quaſi partem continet. Exemplum prioris eſt; Animal quod eſt Genus & Totum Logicum, ſub ſe continens Hominem & Brutum, ſeu (quod idem eſt) Rationale & Irrationale, ſuas partes & Inferiores Species; Totius autem (prout ab Oratoribus uſurpatur) exemplum ſit Cœtus ſeu Congregatio multos homines ſimul adunatos complectens; Item quæcumque Oratio ſeu propoſitio univerſalis quæ aliam particularem aliquo modo includit, qualis eſt Theſis, v. g. peccatum eſſe odio dignum, reſpectu Hypoteſis, v. g. Furtum eſſe fugiendum. Quid ſit Totum.

Genus habet rationem Totius apud Logicos, definiturque *id quod duas aut plures Species tamquam partes complectitur*. Ita ſe habet Virtus reſpectu Juſtitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis & Prudentiæ, quæ inter ſe conveniunt quòd ſint virtutes, ſeu quòd rationem virtutis participent; diſcrepant verò inter ſe, quòd circa varia objecta verſentur. Genus.

Enumeratio partium.

Enumeratio Partium ſeu Partitio vel Diviſio, definitur *Oratio Superius aliquod in ſuas partes diſtribuens*; ita dividitur Animal, cùm dicitur, Aliud eſt Ratione prædítum ſeu Homo, alíud Ratione carens ſeu Brutum. Item, Virtutum alia eſt Juſtitia, alia Temperantia, alia Fortitudo, alia Prudentia.

Enumeratio partium Eſſentialium.

Multiplex eſt Enumeratio, ſcilicet pro multitudine & qualitate Partium quas diſtribuere poteſt. Primaria autem diviſio duplex eſt. Alia Eſſentialis, Accidentalis alia. Eſſentialis iterum triplex eſt, Alia enim dicitur propriè Eſſentialis quia enumerat ſeu diſtribuit partes quæ Eſſentiam conſtituunt, ut cùm dividitur Homo in Animam & Corpus, vel Animal in Hominem & Brutum. Alia dicitur Integralis, quæ Totum diſtribuit in Partes ipſius Integritatem ſtatuentes; ſic Corpus Humanum dividitur in Caput, Pectus, Brachia, &c. Alia dicitur Potentialis, quæ Generis alicujus partes ſubjectas recenſet: ſic partimur virtutem in quatuor ſubordinatas ſpecies, v. g. in Juſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Prudentiam.

Enumeratio Partium Accidentalium.

Enumeratio Accidentalis, rem diſtribuit in partes quæ ſunt extra Eſſentiam, ipſique conſtitutæ adveniunt; ſeu ſint ejus Proprietates, ut cùm dicitur, Animalium aliud eſt Riſus & Admirationis capax, aliud utrique ineptum; ſeu ſint Qualitates merè Accidentariæ, prout ſunt Doctrina, Virtus, Color. Accidentalis autem Enumeratio rurſus triplex eſt, vel enim diſtribuit Subjectum in ſua Accidentia, ut v. g. Hominum alii Docti, alii Indocti; alii Divites, Pauperes alii, &c. Animæ Facultas eſt aut Intellectus, aut Voluntas, aut Memoria. Vel diſtribuit Accidens in ſua ſubjecta, ut v. g. Alborum aliud Lac, aliud Nix, &c, Doctrina reſidet vel in hominem vel in muliere, &c. Vel denique diſtribuit Accidens in Accidentia, ut v. g. Doctorum alii Probi, alii Nequam.

Species.

Species ſeu Forma definitur *Pars Generis*, ſeu (quod idem eſt) quæ Generi ſubjicitur, ſive in inferiores adhuc ſpecies ſubdividatur ſive tantùm in individua. Exemplum prioris eſto Lex quæ eſt Juris Species, in multas iterum ſpecies legum dividenda; alterius ſit Homo, quæ vox exprimit Speciem Animali ſubjectam, quæ rurſus de multis individuis numero tantùm differentibus dicitur, v. g. de Petro, Paulo, &c.

Uſus loci à Toto.

Uſus Loci à Toto ſeu Genere nuncupati, valet 1. ad Docendum & explicandum, optimè enim docetur & exprimitur natura Speciei alicujus, v. g. Juſtitiæ, &c. cùm priùs natura Generis, v. g. Virtutis explanatur. 2. Excuſat vel exaggerat Crimen, cùm Hypotheſis ad Theſim, hoc eſt ſpecies ad Genus, & Pars ad Totum revocatur. Excuſationis exemplum ſit v. g. cum Adoleſcentis alicujus delictum excuſatur per Indulgentiam quæ Adoleſcentiæ ætati ſolet concedi. Exaggeratur verò delictum aliquod ſpeciale, v. g. Mendacium, cùm in illud congerantur

mala

Digitized by Google

mala quæ vitio in genere conveniunt. 3. Inſervit Encomiis, cùm ſcilicet laudes quæ virtuti & virtuoſis in genere, alicui tamdem virtuti aut virtuoſo attribuuntur, v. g. cùm Laudato Jure vel Æquitate in communi deſcenditur ad Laudem Conſuetudinis vel Legis alicujus. 4. Valet in Exordiis & Introductionibus Concionum; vix enim quiſquam orditur ſermone ab Hypotheſi ſeu propoſitione particulari, ſed præmittitur propoſitio ſeu ſententia aliqua generalior & univerſalior, quæ reſpectu Concionis fungitur vice Totius ſeu Generis: deinde priori propoſitione breviter expenſa, fit progreſſus ad Orationis partes. 5. Denique juvat hic locus tùm ad Affirmandum, tum ad Negandum; nam poſito vel ſublato Toto ponuntur vel tolluntur Partes ejus neceſſariæ; v. g. poſito quòd aliquis ſit Homo, neceſſariò ſequitur conſtare Anima & Corpore; ſi verò non fuerit Homo, nec habebit Animam Rationalem Corpuſque Humanum.

Axiomata Totius ſeu Generis ſunt iſthæc. 1. Quod convenit Toti vel Generi, convenit quoque Partibus vel Speciebus; & è contra. v. g. ſi omnis virtus laudem meretur, ergo & Juſtitia, &c. Si nulla virtus medium excedere debet, ergo nec Juſtitia. 2. Cui convenit Genus, ei conveniunt ſingulæ generis ſpecies; & è contra. V. g. ſi Sapiens omni virtute inſtructus eſſe debet, ergo & Juſtitia: ſi vir probus debet omni carere vitio, ergo & avaritia, &c. Axiomata.

Uſus Loci ab Enumeratione partium, ad tria potiſſimùm valet: 1. ad œconomiam ſeu partitionem orationis. 2. ad Contentionem & pugnam, vel ut fides fiat, vel ut refutetur Adverſarius. 3. ad Amplificationes & Deſcriptiones. De primò uſu agetur in 3. Libro, ubi de Oeconomia & Diviſione. Fides aſtruitur per Enumerationem Partium tribus modis. Primus quidem eſt, cùm affirmatis omnibus Partibus, affirmatur Totum, v. g. vir probus & undequaque laudandus, his quatuor virtutibus conſtare debet, nimirum Juſtitia, Temperantia, Fortitudine & Prudentia: at Paulus Apoſtolus his omnibus præſtitit dotibus, ergo, &c. Secundus modus eſt, cùm negatis omnibus Partibus, negatur Totum: ita Paulus probat nulla re poſſe à Chriſto ſeparari, ſic fatus Rom. 8. 38. *Certus ſum, quia neque Mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque Inſtantia, neque futura*, &c. *neque Creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei*, &c. Ex his licet Concluſionem univerſalem elicere, Ergo nihil, &c. Tertius modus eſt, cùm negatis aut affirmatis cæteris partibus, affirmatur aut negatur Pars quæ ſupereſt. Sic Ozorius convincit Judæos eſſe à Deo derelictos eo quod Evangelio non crediderint; quia nimirum videntur ab alio quovis ſcelere immunes, ita enim ille concludit, *Si igitur nec Simulachra colunt, nec Vanos Deos invocant, nec humanum ſanguinem fundunt, nec ſe impiæ fraudis impuritate contaminant, cur illos Deus, quos in ſuam fidem recepit tam diuturno tempore, ope ſua deſtituit?* Valet etiam partium Enumera- Uſus loci ab Enumer. Partium.

mera-

meratio ad Refellendum: ſic Paulus purgat ſe crimine quod incurreret per ſeparationem à Chriſto, removens omnes ſeparationis cauſas, hac ratione. *Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio? an Anguſtia? an Fames? an Nuditas? an Periculum? an Perſecutio, an Gladius*, &c. *Rom.* 8. 35.

In Deſcriptionibus conficiendis plurimùm ubertatis & gratiæ adfert Enumeratio Partium, rem ipſam quaſi membratim oculis ſubjiciens: Vitanda tamen in his nimia prolixitas, aut ſi vitari nequeat, figuris & ſchematibus variari debet, ne tædio ſit moroſior & nimium æqualis Enumeratio. Sic D. Hieronymus Epiſt. 8. Lib. 1. centenarium ſenem adhuc validum deſcribit his verbis, *Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum & ſucci plenum*, &c.

In Amplificationibus tota impenditur Enumeratio Partium, vixque ſat explicari poteſt quantùm in movendis Affectibus valeat: Exemplum ſit urbis alicujus devaſtatio, quæ quidem ſi ſummariè & generatim referatur, parùm afficiet Auditores; at ſi ſigillatim & per partes exponatur, continuò excutiet lachrymas, aut ſaltem commiſerationis affectum excitabit: v. g. ſi depingantur violata templa, truncatæ per deriſionem Sanctorum imagines, expilatæ domus, combuſtæ ſupellectiles, in ſervitutem adducti Nobiles, conſtupratæ Virgines, Conjuges vi & ferro oppreſſæ, &c.

Expolitio Loci ab Enumeratione Partium.

Expolitio ſeu Ornatus hujus Loci, fit tribus præſertim figuris. Primò quidem per Anaphoram ſeu Repetitionis figuram, ut illud Pauli Rom. 8. 35. mox citatum, *Quis ergo nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio? an Anguſtia? an Fames? an Nuditas? an Periculum? an Perſecutio? an Gladius?* &c. Secundò ornatur per Diſtributionem, cujus exemplum habe ex D. Cypriano de Laud. Martyr. his verbis. *Si juſtus es & Deo credis, quid pro eo ſanguinem fundere metuis, quem pro te toties paſſum eſſe cognoſcis? In Iſaia ſectus, in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Joſeph venundatus, in Homine crucifixus*, &c. Tertiò denique venuſtatem accipit à Subjectione, maximè ſi objectiones ſint removendæ; v. g. ſi ad Peccatorem habeatur oratio, poterit ab affectu nimio erga hæc terrena dimoveri, hoc aut ſimili modo. Quid ergo quæris in hoc Mundo, ò Peccator? Cui laboras? cui vigilas? cui expenderis? Ut honores adipiſcaris credo; ut divitias, ut voluptates, &c. Ah! quantum falleris: quid enim honoris contineat Mundus! &c. Quid divitiarum, deliciarumve quid ſpondeat. Intuitor, &c. En quò aſpirat ardens elevationis Ambitu: ſcilicet fumo paſci, &c.

Axiomata Loci ab Enumeratione Partium.

Axiomata Enumerationis Partium ſeu Diviſionis ſunt. 1. Ut totum in Partes certas & definitas ſeu in pauciores dividatur; ſi enim fuerint nimis multæ, fiet ob multitudinem confuſa & obſcura Enumeratio. 2. Ut nulla pars aut omittatur aut redundet; ſi enim aliqua prætermittatur, tunc

tunc non licet concludere, quòd aliquid conveniat Toti, eò quòd conveniat aliquibus Partibus, vel quòd Totum alicui conveniat quamvis ei aliquæ partes conveniant. V. g. præditus Juſtitia, Fortitudine & Prudentia, ſed Intemperans, non debet dici ex omni parte Virtuoſus, quia una ex virtutibus, ſcilicet Temperantia, deſtituitur. Tertiò requiritur in Enumeratione, ut omnes Partes ſimul junctæ adæquent Totum, diviſæ verò minùs pateant Toto: Item Diviſionis pars nulla debet alteram includere. Plura vide L. 3. de Œconomia, ubi de Diviſione.

SECTIO IV.

De Cauſis & Effectis.

UBERRIMUS eſt Locus ſeu Fons à Cauſis & Effectis dictus; per omnia enim Entium genera vagatur, indeque ampliſſimam Argumentationis ſupellectilem Concionatori ſuggerit. Definitur autem Cauſa, *Id cujus vi aut occaſione aliquid fit;* Cauſæ igitur rationem habere dicitur apud Oratores, illud omne à quo res aliqua vel pependit, vel pendet, vel pendere poteſt, ſeu quod eſt alterius principium productivum. *Effecta* verò *ſunt quæ à Cauſis oriuntur*. Pro quadruplici Cauſarum genere, quadrifariàm dividitur iſte Locus. Locus à Cauſis.

1. Cauſa Materialis triplex eſt, *ex qua*, *in qua*, & *circa quam*. Prior eſt, *id ex quo vel componente, vel præexiſtente aliquid fit;* ſic Homo ex Corpore & Anima ſubſiſtit. Sic Paulus 1. Cor. 15. 47. ait, *Primus homo de Terra*, *Terrenus*, &c. *Materia In qua*, eſt Subjectum quod Formam aut qualitatem excipit; ſic Corpus eſt ſubjectum Animæ, Anima probitatis aut doctrinæ, Paries albedinis, &c. Ita Paulus Hebræor. 11. 13. ait, *Peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram*, &c. *Materia circa quam* notat rem ſeu objectum circa quod actus, aut habitus, aut facultas verſatur; ita dicitur Bonum, voluntatis objectum; Sonus, Aurium; Color, Oculorum, &c. Cauſa Materialis.

Uſus hujus Loci frequentiſſimus eſt in Scriptura Sacra; hoc utitur Daniel cap. 7. ut probet Idolum Bel non vivere nec comedere poſſe, quia intrinſecùs erat luteus, extrinſecus verò æneus, &c. Valet autem, tùm ad aliquid Affirmandum, ut qui probaret Corpus Humanum eſſe corruptioni obnoxium, eò quòd conſtat principiis corruptionem inducentibus: V. g. qualitatibus Elementaribus, &c. tùm ad Negandum; ita laudantur Deus, Angelus, Anima rationalis à Negatione Materiæ: ſic D. Ambroſius L. 5. C. 7. eximit Deum ab omni materia, quia non eſt corporeus, viſibilis, palpabilis, &c. Uſus loci à cauſa Materiali.

Axioma iſtius loci eſt, ut Proprietates quæ à Materia proveniunt, vel eidem aut conveniunt aut repugnant, parem ſortiantur ad ejus Effectus aut convenientiam aut repugnantiam. Sic enim licet inferre corruptionem Axioma.

nem Corporis Humani , quia conſtat Materia corruptibili , Incorruptibilitatem vero Cœlorum quia donati ſunt Materia corruptionis neſcia .

Locus à cauſa Formali.

2. Cauſa Formalis eſt *Id per quod res conſtituitur , perficitur & ab alia quacumque re diſtinguitur ;* ſic Anima Rationalis eſt Hominis Forma , ipſum conſtituens & ab omni alio Animali ſecernens . Duplex eſſe poteſt Cauſa Formalis , ſcilicet aut Eſſentialis , ut Anima reſpectu hominis ; aut Accidentalis, quæ ad Naturam rei non pertinet , ſed vel ei adjici vel ab ea tolli poteſt , ipſa tamen integra remanente , aut ſaltem intellecta ; ſic Albedo accidit Parieti ; ſic etiam facultas Ridendi cenſetur accidentaria Homini , quia poteſt Hominis eſſentia intelligi abſque ejuſmodi facultate , quamvis ad Hominis integritatem attineat . Accidentalis Forma iterum duplex eſt ; Alia Intrinſeca , qualis eſt v. g. Doctrina , Sapientia , &c. Alia extrinſeca & adjacens ; ſeu à natura oriatur , ut v. g. Figura & ſtatus corporis humani ; ſeu ab Arte fiat , ut v.g. Forma Domus , Navis , & Diſpoſitio Orationis , &c. A Cauſa Formali Argumentatur Paulus dum ait 1. Corint. 15. 49. *Sicut portavimus Imaginem Terreni* (hominis) *portemus & imaginem Cœleſtis* , &c. Idem , Roman. 8. 29. Salvandorum Salutem in conformitate cum Chriſto ſtatuens, ſæpius utitur Argumento ducto à forma Exemplari ſeu Ideali , quam imitari debent Prædeſtinati . A Forma externa commendat hominem D. Ambroſius Hexaem. L. 6. c. 9.

Locus à Cauſa Effectrice.

3. Cauſa Efficiens eſt , *quæ eſt principium activum alicujus rei ;* ſeu quæ aliquo modo ad rei productionem actione vel propria vel impropria concurrit : ſeu id præſtet Supernaturaliter , ut Deus miracula operatus; ſeu Naturaliter, ut Ignis calorem efficiens; ſeu Moraliter & Metaphoricè , ut qui alterum juvat conſilio , &c. Seu Artificioſè , ut Habitus vel acquiſiti vel infuſi Naturam perficientes : ſeu Principaliter , ut Chriſtus eſt Cauſa præcipua Gratiæ ; ſeu Inſtrumentaliter , ut Sacramenta Novæ Legis dicuntur efficere Gratiam , quatenus Chriſti ſunt Inſtrumenta , quibus ille vim agendi inſpirat . Item , Cauſarum Effectivarum , Aliæ rem ex nihilo efficiunt , dicunturque Cauſæ creatrices , qualis eſt ſolus Deus qui omnia ex nihilo fecit ; Aliæ , rem ex alia educunt , dicunturque Productivæ , quales ſunt Creaturæ , v. g. Homo Hominis, &c. Aliæ rem Conſervant , qualis eſt ipſe Deus , vel ſanè quæcumque vitæ tuendæ inſerviunt , ut Aer , Alimentum , &c. Aliæ denique Interimunt , v. g. Febris , Intemperantia , &c. A cauſa Efficiente Job infert Providentiæ Divinæ curam , ſic fatus c. 10. n. 8. *Manus tuæ fecerunt me & pſalmaverunt me totum in circuitu* , &c.

Uſus loci à Cauſa Efficiente.

Uſus hujus loci ampliſſimus eſt , valet enim ad ſuadendum & diſſuadendum , expoliendum & amplificandum , cùm ſcilicet multæ Cauſæ Effectrices conglobantur & in eum diriguntur finem .

Axiomata ad hunc Fontem ſpectantia ſunt . 1. Ubi non eſt nec eſſe poteſt Cauſa , ita nec Effectus . V. g. ab omni Ebrietate alienus eſt ali-

aliquis, ergo & à vitiis quæ ab Ebrietate oriuntur. 2. Quæ Cauſis inſunt, tribui poſſunt Effectibus. V. g. Intemperantia vel Iracundia infamis eſt, ergo & iis obnoxius, aut ſane meritò in ſuſpicionem vocandus de iis quæ ab Intemperante vel Irato perpetrari ſolent.

4. Cauſa Finalis ſumitur hìc latè, nimirum prout ſignificet vel *id omne cujus gratia aliquid fit*; vel Scopum in quem aliquid ordinatur; vel denique Terminum quo aliquid clauditur: ſeu ſit in re cujus partes ſibi ſuccedant invicem, ut Annus, Dies, menſis, Hora, &c. ſeu in re permanente, qualis eſt Linea, Triangulus, &c. Finis autem qui actionibus noſtris proponitur obtinendus, eſt vel ultimus, qualis eſt ſolus Deus; vel mediatus, quale eſt Bonum aliquod Creatum, quo utimur tamquam medio ad aſſecutionem Finis ultimi. Locus à Cauſa Finali.

Uſus iſtius loci idem qui cæterarum Cauſarum, ſed præcipuè valet, cùm ad laudem vel vituperium; utrumque enim facillimè conſciſcitur ex fine quem ſibi propoſuit; tùm ad amplificandum, movendum & ſuadendum.

Canones in uſu iſtius loci obſervandi, ſunt. 1. Qualis eſt Finis ſive bonus ſive malus, talis eſt res quæ per ſe ordinatur ad illum Finem, ut v. g. bona eſt Charitas erga Proximum, ergo & Eleemoſyna ipſius inopiam ſublevans. 2. Qui finem appetit, debet media ad illius conſecutionem idonea expetere. 3. Ex negatione Finis, negatur effectus. V. g. Qui nuſquam fuit pecuniarum avidus, is à furto immunis cenſeri debet. Uſus loci à Cauſa Finali.

V. Effecta ſunt *quæ à Cauſis oriuntur;* earum autem varietatem Effecta induunt, unde illis cognitis facile eſt horum rationem noſſe. Ab Effectis Paulus argumentatur in Sapientes hujus Mundi Ignorantes Deum, ſic fatus, Roman. 1. 20. *Inviſibilia enim ipſius, à Creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles*, &c. Ab eodem loco D. Cyprianus commendat Patientiam. L. de bono Patient. *Ipſa eſt* (inquit) *quæ Iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit*, &c. Locus ab Effectis.

Effectorum uſus eſt utiliſſimus, & ampliſſimam dicendi ſegetem ſuggerit cùm ſingulis Cauſarum Generibus, tùm Narrationibus, Amplificationibus & Deſcriptionibus. Regulæ autem iſtius uſus ſunt. 1. Ut effectu poſito neceſſe ſit præextitiſſe Cauſam ad effectum neceſſariam. 2. A bonitate vel pravitate Effectus plerumque probatur bonitas aut malitia Cauſæ. Sic argumentatur Chriſtus Matth. 7. 18. dicens, *Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit.* Uſus Loci ab Effectis.

ARTICULUS II.

De Locis Extrinſecis.

Quadruplex fons Loci ab Extrinſeco.

QUID ſit locus Extrinſecus, ex dictis ſupra ſatis innoteſcit, ſupereſt modò ut varios ejus Fontes indagemus; Quadruplicis autem ſunt generis; Res enim, vel confertur cum alia, tuncque explanatur per Locum *à Comparatione* dictum; vel explicatur per aliquam ſui Imaginem, & dicitur Locus à *Similitudine*; vel depingitur per ea quæ ipſi opponuntur, fitque Locus *à Diſſimilitudine*; vel denique deſcribitur per Circumſtantias, & aperitur Fons *ab Adjunctis* appellatus. Hic breviter advertenda eſt differentia, quæ Comparationem à Similitudine ſecernit; quamvis enim videantur affines, diſtant tamen in eo, quòd Comparatio fiat in Quantitate, ideſt è duabus vel pluribus rebus in aliqua re collatis oſtendatur aut paritas aut imparitas; v. g. ſi Petrus & Paulus in Evangelico labore ſimul comparati, dicantur in hoc æquales, vel alteruter dicatur major aut minor; Similitudo verò fit in Qualitate, ideſt cùm à Convenientia ſeu proportione aliqua quæ inter ipſas res comperitur ducitur Argumentum, v. g. ut Bos ad Aratrum, ſic *Homo ad laborem* naſcitur, ubi nulla fit paris, majoris, aut minoris mentio.

Diſtinctio Comparationis a Similitudine.

SECTIO PRIMA.

Locus à Comparatis.

Locus à Comparatione.

COMPARATIO eſt *Oratio*, *qua duæ pluresve res in aliquo tertio*, *quod ſit utriſque commune*, *conferuntur*; qui Locus cùm ſit ad dicendum uberrimus, trifariàm præcipuè dividitur; vel enim res omnino æquales ſunt in eo quod Comparationis præbet rationem, fitque Locus *A Pari*; vel aliqua alias excedit, atque hinc eruitur Argumentum, quod vocatur *A Majori*; vel denique deficit, & Argumentum inde ductum dicitur *A Minori* ſumptum. Omnia ex mox dicendis clareſcent.

Locus à Pari.

A Pari Locus eſt, *quo Æqualitas inter duas aut plures res ſimul comparatas notatur*. Sic Paulus ſeipſum commendat 2. Corint. 11. dicens, *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis*, &c. *Hebræi ſunt*, *& ego*; *Iſraelitæ ſunt*, *& ego*; *ſemen Abrahæ ſunt*, *& ego*, &c. Sic ad Imitationem Ciceronis 5. Philipp. Annibali Antonium componentis poſſet cum Hæretico Catholicus Nequam comparari, his aut ſimilibus verbis: Ergo Hæreticus Chriſti hoſtis, amicus verò Catholicus impius? Quid ille in Chriſtum hoſtiliter facit, quod hic aut non fecerit, aut non faciat, aut non moliatur & cogitet? Totum ſcelus Catholici, quid eſt, niſi Eccleſiæ non credere, eam criminibus fœdare, ejus leges quas novit perfringere, &c. quod Hæreticus non facit niſi neſcius, &c.

Uſus

Digitized by Google

Uſus hujus loci valet ad Motus & Amplificationes, ad refellendum, laudandum & vituperandum. Frequentiſſimè autem uſurpatur in Concionibus comparativis, quas vocant Parallelas, quibus ſcilicet Sanctus aliquis cum aliquo Sanctorum alio confertur in re vel rebus utrique convenientibus, v. g. D. Joannes Baptiſta cum Angelis in Puritate; cum Patriarchis in Fide; cum Prophetis in Solitudine, &c. Uſus Loci à Pari.

Axioma Parium eſt iſtud, ut Parium ſit par Judicium, ideſt, quod in uno valet in altero valere debet & è contra. v. g. qui Patrem afficit injuria, Matri poterit eſſe injurius. Item: Nullum exhibet honorem Patri, ergo nec Matri. A Majori.

A Majori ad Minus ducitur argumentum cùm evincitur inferiorem ſeu minorem debere aliquid facere, ex eo quod ejus ſuperior vel major idem vel fortè quid majus fecit. Sic Chriſtus Joan. 13. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes*, &c. Sic argumentatur Urias 2. Reg. 11. 11. *Arca Dei & Iſrael & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam ut comedam & bibam?* &c.

Uſus hujus Loci plurimùm valet in Amplificarionibus faciendis; hocque in illius uſu obſervandum, ut quod concedirur vel negatur Majori, concedi vel negari debeat minori. Sic canit Eccleſia; *Vix juſtus ſalvabitur, & ego miſer ubi parebo?* &c.

A Minori ad Majus, Superiori opponitur; inde Chriſtus deſumit argumenta toto ferè cap. 6. Matth. v. g. *Si Fœnum quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quanto magis vos modicæ fidei?* &c. Sic D. Ambroſ. lib. de fide Reſurr. probat Corporis humani Reſurrectionem ex ſeminibus poſt frigidam hiemis tempeſtatem à terra ſurgentibus. Sic Lactantius à Sphæra Archimedis Dei providentiam infert, l. 5. de Orig. err. c. 5. A Minori.

Locus iſte valet ad perſuadendum, delectandum, laudandum & amplificandum; ubi pro Axiomate notandum eſt, ut quod in Minori reperitur, id de Majori concludatur, & è contrà. v. g. infiniti propè Religioſi viri renuntiaverunt Mundo, ejuſque vanitatibus, &c. unius ſalutis cauſa; quid ergo tu Chriſtiane, ne vel minimùm ſæcularis pompæ remittes ut ſalveris? &c.

SECTIO II.

Locus à Similitudine.

SIMILITUDO definiri ſolet, *Oratio diſtinctarum rerum ſimilem inter ſe affectionem & Relationem declarans*. Sic Paulus 1. Cor. 6. vitium purgare ſuadet ſimilitudine à veteri Fermento ducta. Id. ibid. c. 9. 25. *Omnis qui in Agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Locus à Similitudine.

Similitudinis uſus frequentiſſimus eſt in tota Sacra Scriptura & ad dicendum uberrimus; ſi enim percurratur omnium Entium Categoria, Creatorum & Increatorum, Corporeorum & Incorporeorum, v. g. ſi attendatur ad Perfectiones Dei, Angelorum, Cœli, Elementorum, &c. hinc quiſque poterit innumera tùm Similitudinis, tùm Diſſimilitudinis argumenta eruere, quibus propoſitum locupletet ac illuſtret. En quid de Similitudinibus ſenſerit Auguſtinus, epiſt. 119. *Credo* (inquit) *quòd ipſe animi motus, quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflammatur; ſi verò feratur ad Similitudines corporales & inde ad ſpiritualia, quæ illis Similitudinibus figurantur; ipſo quaſi tranſitu vegetatur & tamquam in facula ignis agitatus incenditur & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem*, &c.

Uſus loci à Similitudine.

Ad legitimum Similitudinis uſum, quatuor in primis conditiones deſiderantur. 1. Non ſit frequentior, gravitati enim & dilucidi tati orationis nocet ſæpius uſurpata ſimilitudo. 2. Sit ad rem effingendam & ad Auditorum captum accommodata. 3. Sit propria & naturalis, non verò torta & violenta. 4. Non ſit puerilis, ſordida, ridicula & demiſſa, ſed ita ſublimitatem facilitate, facilitatem verò gravitate & induſtria temperet, ut omnibus accomodata nullum ſuperet aut lædat.

Quadruplex occurrit ut plurimum Similitudinis tractandæ methodus. Prima eſt cùm nulla exprimitur Similitudinis nota, quamvis re ipſa ſit Similitudo, ut cùm dicimus, Ita eſt Equus indomitus; Impudititia eſt Sus in luto, &c. Secunda, cùm Similitudinis ſignum apponitur; ſed conciſè abſque Similitudinis probatione aut explicatione, v. g. cùm dicitur; Peccator eſt ſimilis cæco, &c. Sunt autem Notæ Similitudinis præſertim iſtæ, *Similis eſt*, *effigiem habet*, *eſt inſtar*, *more alterius ſit*, *Tanquam*, *Non ſecus ac*, *Non aliter quàm*, &c. Tertia ratio tractandæ Similitudinis eſt, cùm Similitudo ſuis partibus conſtat, hoc eſt Propoſitione & Redditione ſeu Apodoſi, ſed illæ non adeo fusè explicantur; qualis eſt iſta, *Ut exacerbatum vulnus oleo effuſo lenitur, ſic ira molli reſponſo frangitur*. Quarta Methodus explicatiſſima eſt, cùm Similitudo non modò ſuis conſtat partibus, ſed illæ fuſa & periodica oratione, graviter & amplè deducuntur: quod ſit maximè, cùm dictum vel factum aliquod ex Hiſtoria proponitur & narratur, deinde Redditio ſubjicitur, in qua partes partibus accommodantur.

Similitudinis ſpecies.

Tres præcipuas ſpecies ceu tot rivulos Fons iſte à Similitudine dictus complectitur, *Parabolam*, *Inductionem & Exemplum*. His addi poſſunt *Ænigmata*, *Symbola*, *Apologi*, *Sententiæ*, &c. Sed de his in Promptuario Miſcellaneo.

1. Parabola.

Parabola, eſt Similitudinis ſpecies, definiturque *Rerum alioqui diverſarum in una aut pluribus affectionibus collatio*. Vel, ut ait D. Hieronym. in Proverb. 1. 5. eſt Comparatio ex diſſimilibus rebus; aliud enim ſuperficie notat, & aliud in intellectu tinnit. Vel etiam, ut Idem in

cap.

Digitized by Google

cap. 22. Ezech. aliud in medulla, aliud in ſuperficie pollicetur. Appellatur etiam *Paroimia & Proverbium;* v. g. cum ager animo, præceptor colono, Doctrina ſemini comparatur. Uſus Parabolarum apud Orientales ac præſertim apud Hebræos frequentiſſimus; id patet ex Chriſto, Salomone, & Prophetis. In Parabolis verſatur totum caput 13. Matth. ubi num. 34. dicitur de Chriſto, *ſine Parabolis non loquebatur eis.*

In hujus Loci uſu, obſervandum eſt, ne ſit crebrior, vilior, obſcurior, & longior, ſed paucioribus verbis & interſertis leporibus, rem oculis ſubjiciat. Ea autem Parabola dignitatis & utilitatis plurimùm præ ſe fert, quæ Dicto aut Facto aliquo narrato ſubjicit moralem Apodoſim ſeu explicationem; qualis eſt illa D. Ambroſii Hexaem. l. 5. cap. 16. de Cornicibus Ciconias deducentibus, quas in exemplum Hoſpitalitatis tradit, his verbis; *Exercitum credas cum ſignis ſuis pergere; ſic omnes viandi, comitandique & præeundi ordinem ſervant. Cornices autem deducunt eas ac dirigunt, velut quibuſdam turmis ſtipatricibus proſequuntur,* &c. deinde ſubjicit Apodoſim, *Diſcant homines hoſpitalia ſervare jura; & ex avibus cognoſcant, quid religionis Hoſpitibus ſit deferendum, quod obſequium deputandum,* &c. Uſus Parabolarum.

Inductio, eſt *Coacervatio quædam rerum multarum & ſimilium ad aliquid concludendum.* Differt igitur Inductio à Parabola & Exemplo quòd hæc uno ſolo perficiuntur, Inductio verò non niſi multis Similibus adductis conſtituitur. Sic Tertullianus Apologet. cap. 48. confirmat Reſurrectionem noſtram Inductione facta multorum exemplorum à Natura petitorum, his verbis: *Lux quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt: ſydera defuncta viveſcunt; tempora ubi finiuntur, incipiunt; fructus conſummantur & redeunt: Certè, ſemina non niſi corrupta & diſſoluta fœcundiùs ſurgunt. Omnia pereundo ſervantur, omnia de interitu reformantur,* &c. Idem in Apolog. cap. 12. oſtendit omnia quæ in Chriſtianos exercentur ſupplicia, in Idola ipſa ab Ethnicis uſurpari; *Crucibus* (inquit) *& Stipitibus imponitis Chriſtianos; quod ſimulachrum non priùs argilla deformat cruci & ſtipiti ſuperſtructa? In patibulo primùm corpus Dei veſtri dedicatur. Ungulis deraditis latera Chriſtianorum: At in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſciæ, & runcinæ & ſcobinæ,* &c. 2. Inductio.

Exemplum definitur, *Facti alicujus vel dicti cum certi Authoris nomine expoſitio.* Magnam vim ad perſuadendum obtinent Exempla; Quemadmodum enim (ut ait D. Hieronimus) ſi qui laborant oculis, ſpongias ac veſtium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur; ex colore nonnullum capiunt morbi levamen: ſic qui Hominis clementiſſimi & humaniſſimi imaginem præ oculis habeas, & in hac aſſiduè oculos defigas, etiamſi millies abundet ira mentis oculum perturbans; ad hoc virtutis exemplar reſpiciens, perfectam conſequeris ſanitatem, puramque animi Philoſophiam ac tranquillitatem. 3. Locus ab exemplo.

Exem-

Exemplorum uſus poteſt triplici ratione fieri. Vel à Pari, vel à Majori, vel à Minori, cùm ſcilicet proponitur Dictum aut Factum perſonæ fortis æqualis, ſuperioris vel inferioris, unde aliquid ſimile faciendum infertur. Caveat tamen qui exemplis utitur, ne ea adhibeat crebriora, viliora, inepta & anilia.

SECTIO III.

Locus à Diſſimilitudine, à Contrariis, à repugnantibus, à Contradictoriis, à Privantibus & Relativis.

Locus à Diſſimilitudine.

DISSIMILITUDINIS natura ſatis ex Similitudinis examine patet: eſt enim Diſſimilitudo *Diſconvenientia duarum an plurium rerum in aliqua affectione*; quod tot modis dicitur aut fit, quot ſimilitudo cui opponitur. Ut v. g. ſi quis Lazari & Epulonis ſtatum expendat per Diſſimilitudinem in eo ſitam quòd ille felix inter ulcera degat, iſte miſer inter delicias vivat; utriuſque differentiam omnino magnam oſtendet. Ita D. Fulgentius Epiſt. ad Gallam his verbis: Attende duos, unum in divitiis & ſanitate miſerum, alterum in egeſtate & vulnere multùm beatum. Dives ille qui induebatur purpura & byſſo & epulabatur quotidie ſplendidè; quàm inanis fuit in illis epulis! quàm pauper in multitudine divitiarum! quàm nudus in pulchritudine veſtium! quàm infirmus in ſanitate corporis! quàm famelicus in ſaturitate ventris! quàm miſer in gaudiis! quàm deſolatus inter amicorum colloquia! quàm dejectus inter ſervulorum obſequia! Attende quoque Lazarum in paupertate divitem, in miſeria beatum, in infelicitate felicem, in vulneribus ſanum; & quidem ſine domo, ſed non ſine Domino; ſine veſte, ſed non ſine Fide; ſine bona valetudine corporis, ſed non ſine robore Charitatis; ſine cibo, ſed non ſine Chriſto; Canibus appoſitum, ſed ſocium Angelorum; qui non accipiebat de micis quæ cedebant de menſa divitis, ſed cœleſtem panem viſceribus eructabat. En ipſe theſaurum in vaſe fictili portabat, dum alter in aureo Meretricis calice, æternæ famis & infelicitatis venenum perbibebat æternùm damnandus, &c.

Diſſimilitudo Epulonis & Lazari.

Locus à Contrario.

Dimilitudinis notæ ſunt iſtæ, *Diſſimile*, *diſpar*, *differens*, *alius*, *ſecus*, & ſimiles voces quæ paritatem negant. Valet iſte locus in hoc, quòd cùm Diſſimilium ratio ſit diſſimilis in eo in quo ſunt diſſimilia; rectè ab unius affirmatione ad alterius negationem ducitur Argumentatio, & è contra. Ut v. g. Ignavus & degener mavult quamlibet infamiam pati quàm modicum laborem, Ingenuus verò & liber omnem potiùs laborem ſubit quàm vel modicam Infamiæ notam, &c. Locus hic ornatur ferè omnibus Elocutionis luminibus.

2. Contraria & Adverſa dicuntur, *Quæ ſub eodem genere poſita plurimùm diſtant ac ſe mutuò expellunt, niſi eorum alterum ſit congenitum*. Sic vir-

virtus & vitium, calor & frigus ſibi adverſantur. Sic Paulus argumentatur Roman. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris?* Et Tit. 1. 16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, &c. D. Ambroſius ſub Chriſti perſona *Pſ.* 118. ſic negat peccatorem ad Deum pertinere à Contrario his verbis: *Non eſt meus, quem libido ſuccendit, quia mea eſt caſtitas; non eſt meus, quem cura ſpoliandi minores exagitat, quia mea largitio eſt; non eſt meus quem aura Nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas eſt: Pax ſum ego, litigare non novi*, &c. Contraria ſunt vel Immediata, quæ ita ſibi invicem adverſantur, ut nihil medium habeant; ut Virtus & Vitium, ægrotare & valere: vel ſunt Mediata, quæ ſcilicet aliquod medium patiantur; ut Nigredo & Albedo varios admittunt colores medios; quales ſunt Purpureus, Viridis, &c. Differunt autem utriuſque generis Contraria; quòd, cùm eorum contrariæ ſint cauſæ, ad Negationem unius contrarii immediati, recte ſequitur affirmatio alterius; & vice verſa: ut v. g. Virtutem odit, ergo Vitium amat; & vitium amat, ergo Virtutem odit: At in iis quæ medium habent, non quidem ſequitur quòd uno contrario negato aliud inſit; poteſt enim utrumque abeſſe, cùm videlicet ſubjectum poſſit eſſe nec album nec nigrum, ſed viride, aut alicujus alterius coloris medii, ſequitur tantùm quòd ſi uno donetur, careat altero, ut v. g. ſi nigrum fuerit, ergo non erit album. Hæc Logicis notiora quàm Oratoribus.

Contrariorum Fons, amplam dicendi ſegetem ſuggerit, & maximè uſui eſt in Amplificationibus, cùm ex Oppoſitorum conflictione Orator aliquid affirmat aut negat. Id verò præſtat tribus præcipuè modis; vel cùm verba verbis opponuntur, vel membra membris, vel Periodi periodis. Prioris exemplum ſit iſtud 1. Corint. 4. 10. *Nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles.* Ex eodem Fonte poſſet exaggerari indigniſſima Chriſti cum Barraba Compoſitio, his aut ſimilibus verbis: Proh ſcelus! Innocentiſſimo ſceleratiſſimus, Pacis amantiſſimo turbulentiſſimus, &c. componitur. Membra Membris opponit Tertullianus L. de teſt. animæ c. 6. *Stabit ante Aulas Dei in die Judicii nihil habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas: Dæmonia abominabaris, & illa adorabas: Judicium Dei appellabas, nec eſſe credebas: Inferni ſupplicia præſumebas, & non præcavabas: Chriſtianum nomen ſapiebas, & Chriſtianum perſequebaris. Suſpectam habe convenientiam prædicationis, in tanta diſconvenientia converſationis* Periodus contendit cum periodo: Exemplum habes ex Tertulliani Apologet. c. 1. his Periodis Antithetis: *Omne Malum aut timore, aut rubore Natura perfudit; denique malefici geſtiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehenſi, negant accuſati, nec fortè quidem facilè aut ſemper confitentur. Certè damnati mœrent, deonerant ſemetipſos; mentis malæ impetui vel Fato, vel Aſtris imputant. Nolunt enim ſuum eſſe, quia malum agnoſcunt: Chriſtianus verò quid ſimile? Neminem pudet, neminem pœnitet, niſi plane retrò non fuiſſe: ſi denotatur, gloriatur: ſi accu-*

Utilitas Loci Contrario.

ſatur

Digitized by Google

ſatur, non defenditur: Interrogatus, vel ultro confitetur; damnatus gratias agit, quid hoc mali eſt? Quod naturalia mali non habet timorem, pudorem, tergiverſationem, pœnitentiam, deplorationem, quid hoc mali eſt? cujus reus gaudet, cujus accuſatio votum eſt & pœna felicitas? &c.

Locus à Repugnantibus.

3. Repugnantia dicuntur, *Quæ neque certa lege, neque numero inter ſe diſſident;* vel quæ ſtare ſimul & hærere nequeunt. Differunt à Contrariis, quòd hæc ſub eodem genere contenta ſibi adverſentur, ut v.g. Amare & Odiſſe, Album eſſe vel Nigrum; Repugnantia verò pugnant inter ſe non præcisè & è diametro, ſed ſufficit ut vel in natura, vel in affectione aliqua inter ſe diſſideant; unde latius multò patent quàm Contraria. Vocantur à quibuſdam *Diſparata* & Diſſentanea. Ut v.g. Odit, ergo non laudat nec beneficiis afficit; nam Contraria quidem ſunt odium & amor, at repugnant Odium & effectus amoris, quales ſunt laudare vel benefacere, &c. Ita repugnant Amor & effectus vel cauſæ odii: ſi enim amat, non afficit injuria illum quem amat. Locus iſte uberrimam ſimul & gratiſſimam fundit cùm rerum tùm verborum copiam, valetque potiſſimùm ad acutiſſimas Confutationes petitas ex Impoſſibili, Abſurdo & Incommodo, ad graves Amplificationes per oppoſitionem membri membro, & periodi periodo, denique ad ornatum affirmationis vel negationis maximè confert. Repugnantium Notæ præcipuæ, ſunt iſtæ particulæ, *At, atqui, cur, cui, qui, quæ, ſed, quanquam, tamen*, & ſimiles. Vis Argumenti à Repugnantibus petiti in hoc nititur, quod quæ ſibi Repugnant non poſſint ſimul conſiſtere. Ita Tertullianus in Apolog. invehitur in Edictum Trajani qui Chriſtianos non quidem inquiri, ſed oblatos puniri volebat. *O ſententiam* (inquit) *neceſſitate confuſam! negat inquirendos ut innocentes; mandat puniri ut nocentes! Parcit & ſævit; diſſimulat & animadvertit. Quid teipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Cur non ut abſolvis, ſic & non inquiris?* &c. Ubi vides Argumenta intorqueri à Repugnantibus; repugnat enim Innocentes damnari & Nocentes non inquiri.

Uſus loci à Repugnantibus.

Locus à Contradictoriis.

4. Contradictoria & Contradicentia ſunt, *Quorum unum negat quod alterum affirmat; ut, Eſt, & non eſt.* Horum Lex eſt, ut uno poſito aliud tolli neceſſe ſit. His utuntur Oratores ut aliena deſtruendo ſua ſtatuant, nulla enim propoſitio vera eſſe poteſt quin ejus Contradictoria ſit falſa. Ex hoc loco S. Zeno Veronenſis probat nos felici morte plecti per pœnitentiam, his verbis: *O Liberatoris noſtri profunda Providentia! ò præſtantia ſingularis! ò dulcis ſententia! ò damnatio neceſſaria! in ſemetipſo homo jugulatur, ut vivat: percuſſor non videtur; percuſſoris non cernitur gladius; percuſſi non hiat vulnus; non defluit ſanguis expirantis, non palpitat corpus, non decolor color eſt; ipſe eſt, & tamen non eſt ipſe: Vetus quidem videtur domicilium, ſed novus Inquilinus; exultat mutatione morum, Nativitatis ſuæ nobilitatem incredulis variis virtutibus probaturus: Nimirum peccato mortuum non eſſe qui erat antea, cùm tamen idem ipſe ſit cum Deo vivens.*

5. Pri-

Digitized by Google

5. Privata ſeu Privativè Oppoſita ſunt, *Quorum unum eſt Habitus ſeu quiddam poſitivè & realiter exiſtens, aliud verò eſt ejuſdem abſentia & Privatio*. Ita ſibi adverſantur Lux & Tenebræ, Mors & vita, Viſus & Cæcitas. Eorum leges ſunt, ut ſimul ſtare nequeant, & à negatione Habitus ad ejuſdem Privationis affirmationem valet Argumentum. A Privantibus argumentatur D. Paulus Epheſ. 5. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem Lux in Domino*, &c. Fons iſte latiſſimus eſt & ad uſum facillimus; inde enim rationes ducuntur adverſus vitia quæ virtutem negant; ut contra peccatum, quod gratiæ adverſatur, &c. Locus à Privantibus.

6. Relata ſeu Relativa dicuntur *ea quæ ad ſe invicem referuntur, ita ut cognitio unius neceſſariò includat cognitionem ſeu ordinem ad aliud*. Ita Pater ad Filium, & viciſſim Filius ad Patrem refertur, Dominus ad Servum, Magiſter ad Diſcipulum; Probat verò iſte locus ab affirmatione unius ad affirmationem alterius, & vice verſa. V. g. Non eſt Pater, ergo non habet Filium; eam virtutem operatus eſt Dominus, ergo & eandem operari debet diſcipulus; Ita Chriſtus probat ſuam ex Davide originem, licèt ſe ipſius aliunde Dominum diceret. Matth. 22. 45. *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?* Simili utitur Argumento Matth. 13. 14. dicens, *Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes*, &c. Locus à Relatis.

SECTIO IV.

Locus Adjunctorum.

De Antecedentibus, Concomitantibus & Conſequentibus.

ADJUNCTA ſunt, *Quæ cum ſubjecto non neceſſariò, ſed probabiliter conjuncta ſunt*, ut Pallor, Peſtis, Gladius, &c. Seminarium eſt Oratoriæ Artis iſte Locus, ab Adjunctis ſeu Accidentibus appellatus: nullum eſt enim dicendi genus, nulla Orationis pars, quæ ex hoc Fonte rationes & Argumenta non hauriat, & ſuis illuſtrata Adjunctis res quælibet ſuavem & elegantem dignitatem inde ſibi conciliat. Locus ab Adjunctis ſeu Circumſtantiis.

Adjuncta ſeu Attributa ſunt duplicis generis, Alia Perſonis, alia Rebus conveniunt; illis quidem ut Doctrina, Probitas, &c. his verò, ut quod uno vel alio tempore, feliciter vel infeliciter, &c. geſtæ fuerint. Iterum Trifariam dividuntur, alia enim Antecedunt, Concomitantur alia, alia Conſequuntur. De Adjunctis Perſonarum aut Rerum fuſiùs agetur in Promptuario Oratorio, c. 3. hujus libri; de Attributorum triplici ſpecie nunc breviter agendum.

Antecedentia, Rem & negotium præcedunt ut plurimum, quales ſunt cauſæ quæ ad rei effectionem aliqua ratione coeunt, v. g. Conſilia, Colloquia, Injuriæ, Conſuetudo, Minæ, Odium, Amor, promiſſa, Ab Antecedentibus.

ſuſceptum iter, & his ſimilia. Sic Nativitas Chriſti, B. Virginis, D. Joannis Baptiſtæ, &c. laudari poteſt à figuris, ab oraculis, à promiſſis, &c. quæ eam præceſſere. Quanti enim facienda eſt origo tot & tantis miraculis prænuntiata?

A Concomitantibus. Concomitantia ſunt, quæ Rei vel Perſonæ adhærent, hiſque aliquid vel Laudis vel vituperii, falſi vel veri, &c. conſciſcunt. Rem verò ipſam commitantur, Locus, Tempus, Occaſio, Modus, Facultas ſeu Inſtrumenta, &c. de quibus dicetur poſtea commodiùs c. 3. hujus libri.

A Conſequentibus. Conſequentia Rebus ita accidunt, ut his ſint tempore vel ordine poſteriora, eaſque ſubſequantur, ut Pallor, Rubor, Inceſſus titubans, Gladius cruentus, & alia ejuſmodi quæ Facti ſuſpicionem inducere poſſunt. Hoc loco uſus eſt Paulus ſæpiſſimè, ut Roman. 6. 21. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* &c.

CAPUT III.

Promptuarium Oratorium ſeu De Locis Oratoriis.

HACTENUS de Locis Communibus qui Dialecticorum proprii ſunt egimus, nunc de iis agendum eſt qui ad Oratores propriè ſpectant. Dialectici quidem Fontes valent potiſſimùm ad illuſtrationem intellectus, quamvis & ad ciendos Affectus aſſumantur ab Oratoribus: Oratorii autem Loci in eum finem conſpirant maximè, qui Oratoris eſt Scopus, nimirum laudare aut vituperare, ſuadere aut diſſuadere, Religionis Myſteria reſerare, eorumque Hoſtes refellere; atque eam ob rem voluntatis affectuumque motus excitare. Hos Dialectici ferè reſpuunt, quia minùs fortaſſe probant, ſed Oratoribus plurimùm commendantur, utpote ad Movendum & Amplificandum aptiores. Communiter appellari ſolent *Circunſtantiæ*; ſuntque duplicis generis. Aliæ ſpectant ad Perſonam cui adjunguntur, aliæ Res circumſepiunt, illiſque adjacent.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

De Locis Oratoriis, ſeu de Circumſtantiis ad Perſonas ſpectantibus.

PERSONAM hìc intelligimus Rem quampiam ratione & voluntate præditam, qualis eſt Deus, Angelus, & Homo. Hujus Adjuncta in tres Claſſes ſolent diſtribui; prior ad Fortunæ dona pertinet; altera Corporis Diſpoſitionem; tertia dotes Animi complectitur. Hìc ad explicationem planiorem numerantur undecim, *Nomen*, *Natura*, *Victus vel Educatio*, *Fortuna*, *Habitus*, *Affectio*, *Studia*, *Conſilia*, *Facta*, *Caſus*, *Orationes*. His Circumſtantiarum capitibus alia iterum membra ſubjiciuntur, de quibus ſigillatim hæc paucis excipe.

1. Nomen eſt *Imago, Symbolum & Nota, quæ Perſonam appellans, eam indicat & ab aliis diſcernit.* Locus iſte aptior eſt ad delectandum Auditores & irridendum adverſarium, quàm ad probandum. Sic Tullius Actione 5. *Sect.* 121. Verrem ſuggillat, ipſius decreta vocans *Jus Verinum*, aliquando ipſummet appellans *Siciliæ Verriculum*. Probant nihilominus Argumenta à Nomine petita, præſertim in duplici Nominum genere. Prius eſt, ſi fuerint divinitùs impoſita, ut SS. Nomen Jeſu, D. Joannis Baptiſtæ, & ſi quæ ſint ſimilia. Deinde ſi ab Hominibus quidem fuerint indita Nomina, ſed ex certa cauſa; ſeu illa mereantur laudem, ut D. Chryſoſtomus, & Chryſologus ab Aureo Eloquentiæ flumine nuncupantur; ſeu vituperium cauſent, qualia ſunt plurima quæ ſonant aliquid infauſti vel ſordidi. D. Hieronymus Epiſt. ad Nepotian. Argumentum ducit à Nomine ſcribens, *Clericus interpretetur primò Vocabulum ſuum, & Nominis ſui diffinitione probata, nitatur eſſe quod dicitur*, &c. 1. Nomen.

2. Natura, ſex ſua nuncupatione complectitur. 1. *Naturam ipſam.* 2. *Nationem.* 3. *Patriam.* 4. *Parentes.* 5. *Sexum.* 6. *Ætatem.* 2. Naturæ Adjuncta.

1. Per Naturam ipſam intelliguntur ea omnia quæ à principiis naturalibus ſunt ingenita, qualia ſunt quæ duas Hominis partes, ſcilicet Corpus & Animam, afficiunt. In Corpore quidem conſiderantur ejus dotes & vitia, ut ſi ſit procerum vel parvum, ſi craſſum vel tenue, ſi validum aut debile, ſi pulchrum vel deforme, &c. In Animo perpenduntur 1. Memoria tenax vel labilis, facilis vel difficilis, &c. 2. Intellectus ſagacitas vel ſtupiditas, alacritas vel tarditas, &c. 3. Voluntatis proclivitas ad bonum vel malum.

2. Per Nationem intelligitur Cujas ſit Perſona, v. g. Græcus an Barbarus, Europæus an Aſiaticus, &c. Gentium enim & populorum ſua ſunt vitia vel virtutes quæ in Indigenas derivantur. Sic Europæi vulgò cenſentur acres; Aſiatici luxurioſi; Africani perfidi; Aſſyrii ſuperſtitioſi; Perſæ & Phryges, mercenarii; Æthiopes animoſi & pertinaces; Ara- Natio.

bes & Thraces, prædones habentur. Hoc etiam Argumento uſus eſt Paulus ad Tit. 2. dum ait *Cretenſes eſſe mendaces*.

Patria. 3. Patria, Natale indicat Solum, quod ad conjecturas eliciendas non parum valet. Aliud enim eſt pingue & humidum, quod obæſos & ſomnolentos profert; Aliud montanum & ſiccum, quod proceros gignit, laborioſos, ſtrenuos & feros, &c. Hoc etiam nomine intelliguntur urbes & oppida unde quiſque oriundus eſt.

Parentes. 4. Parentes ſeu Cognatio. His notantur Avi, Abavi, &c. omneſque Majores, qui quod laude vel vituperio dignum egerunt ſuis Nepotibus inſpergunt. Maximè refert, quo quis Parente ſatus, vel qua Nutrice fuerit educatus; ab illis enim trahit affectum & temperiem: Laudatur quidem ſi Majorum virtuti reſponderit, vel eorum defectus tum morum, tum natalium correxerit: contrà verò vituperatur ſi ab imitandis defecerit vel damnandis adhæſerit.

Sexus. 5. Sexus, an ſit Maſculus vel Fœmina, &c. multa enim decent vel decent alterum ſexum, vel ab eo ſperari aut præſtari poſſunt, quæ pari ratione non ſe habent ad oppoſitum. D. Ambroſius de Virgin. merè commendat S. Agnetem Martyrem à ſexu & ætate.

Ætas. 6. Ætas, an Puer, Juvenis, Adoleſcens, Vir, Senex, Decrepitus, quidve in ſingulis vitæ ætatibus boni vel mali, laude vel vituperio dignum geſſerit; Alia ſcilicet conveniunt Juveni, alia Seni; ſic Eleazarus ajebat, *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere*, &c. 2. Machab. 6.

3. Ab Educatione. 3. Victus ſeu Educatio tertium Adjunctorum caput eſt, quod alterius Naturæ vim habet. In eo conſiderare oportet apud quem, quo more & cujus arbitratu ſit aliquis educatus: quos habuerit Liberalium Artium Magiſtros, quod vivendi genus, quibus amicis utatur, quo in negotio, Quæſtu, Artificio ſit occupatus, quomodo rem familiarem adminiſtret, &c.

4. A Fortuna. 4. Fortuna, hoc eſt, ſervuſne ſit, vel fuerit, an Liber; pecunioſus an tenuis; privatus, an publico munere functus; & in his quid benè vel malè geſſerit? Quis denique ejus finis ac exitus, &c.

5. Ab Habitu. 5. Habitus, eſt conſtans Animi vel Corporis in aliqua re perfectio, ſeu virtutis, ſeu Scientiæ, ſeu Artis, ſeu aliquid ſimile fuerit, non quidem à Natura datum, ſed ſtudio ac induſtria comparatum, &c.

6. Paſſiones. 6. Affectiones, ſunt Animi aut Corporis ex tempore de re aliqua Commutationes, ut Lætitia, Cupiditas, Metus, Moleſtia, Morbus, Debilitas, &c.

7. Studium. 7. Studium, eſt Animi aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio, ut Philoſophiæ, Poetices, Geometriæ, Theologiæ amor, &c. ex quibus ſingulis poteſt ſtudioſus mereri laudem vel vituperium.

8. Conſilium. 8. Conſilium eſt aliquid faciendi vel non faciendi excogitata ratio.

9. Facta, 10. Caſus. 11. Orationes. 9. 10. 11. Facta, Caſus, & Orationes, tribus ex temporibus præterito, præſenti & futuro penſantur; Quid nimirum Fecerit, quid ipſi

Acci-

Acciderit, quidve Dixerit: aut quid Faciat, quid Accidat, quidve Dicat: aut quid poſtea Facturus ſit, quid ipſi Accidere debeat, vel qua Oratione ſit uſurus. Diſticho ſequente continentur hæ Perſonarum Circumſtantiæ.

Conſilium, Affectus, Natura, Oratio, nomen,
Sors, Habitus, Victus, Studia, Facta, Caſus.

ARTICULUS II.

De Locis Oratoriis ſeu Circumſtantiis quibus Res penſantur.

RERUM nomine appellamus quæcumque Intellectu & affectu rationali carent, qualia ſunt *Bruta*, *Plantæ*, *Lapides*, *Loci*, *Ædificia*, *Urbes*, &c. His autem accidere poſſunt ſex Circumſtantiæ, quibus Res circumſcribi & tractari ſolent, nimirum *Cauſæ*, *Locus*, *Tempus*, *Occaſio*, *Facultas*, ſeu *Inſtrumentum*, *Modus*. Quæ hoc verſiculo comprehenduntur.

Quis, Quid, ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

1. Cauſa, Rem ipſam conſtituit & notat, eſtque quadruplex: *Materialis*, *Formalis*, *Efficiens & Finalis*, de quibus ſupra in Dialectico Promptuario actum eſt: His quatuor conſtat Res quælibet, præter Deum. Materialis quidem Cauſa ſignificat partem Rei viliorem, communiorem, inferiorem, perfectionis capacem, & actus ſeu Formæ veluti receptaculum; Hac ratione dicitur Geneſ. 2. *Cinis es & in cinerem reverteris*. Formali Cauſa indicatur perfectio quælibet qua Res nobilitatur: Ipſa etiam Res per Formam intelligitur. Sic Paulus ad Philipp. 3. 17. ait, *Imitatores mei eſtote Fratres, & obſervate eos qui ita ambulant; ſicut habetis formam noſtram*. Efficiens, notat principium Rei aliquo modo productivum, ut Jacobi 1. 18. dicitur, *Voluntariè enim genuit nos verbo Veritatis, ut ſimus initium aliquod Creaturæ ejus*. Finalis denique explicat Finem ſeu rationem ob quam res aliqua effecta eſt. Sic Paulus 1. Cor. 10. ſcribit, *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in gloriam Chriſti facite.* 1. Cauſa.

Locus ergo iſte à Cauſis dictus plurimas Rei Circumſtantias fundit. Quærit enim Quis ſit ille qui fecerit Quidpiam; Quodnam ſit illud quod factum eſt; atque iterum quid tùm facienti, tùm facto conveniat; Quæ Adjuncta poſſunt rurſus amplificari per Circumſtantias quibus Perſonam deſcribi poſſe diximus ſuperius.

2. Locus, omnes ſpatii differentias complectitur, nimirum Sacri vel Prophani, publici vel privati, plani vel montuoſi, ſalubris vel peſtilentis, culti vel inculti, ædificati vel deſerti, opaci vel aprici, &c. 2. Locus.

3. Tempus eſt pars quædam Æternitatis cum ſignificatione alicujus ſpa- 3. Tempus.

ſpatii, præteriti, præſentis, futuri, diurni, nocturni, menſtrui, annui, verni, hiemalis, æſtivi, autumnalis, &c.

4. Occaſio. 4. Occaſio, Pars eſt Temporis ſignificans rei alicujus faciendæ vel omittendæ Opportunitatem. Cui opponitur Fortuitum, Improviſum, &c.

5. Facultas. 5. Facultas, indicat quibus Auxiliis res fuerit peracta; quæ ſubſidia ſunt vel Animi vel Corporis, Interna vel externa, ſupra naturam vel à natura; vel acquiſita, ut Habitus Virtutum Moralium; vel infuſa ut virtutes Theologicæ; vel Deus, vel Angelus, vel homo, vel dæmon, &c. Item Inſtrumenta, Arma, &c.

6. Modus. 6. Modus, quo explicatur ſeries ſeu ordo, quo res geſta vel eſt vel præſumitur; an ſcilicet aperto marte, an ex inſidiis? an Iratus, vel placatus? an Ebrius vel ſobrius? an ignorantia, caſu, imprudentia, vel neceſſitate? &c.

7. Finis. 7. Finis, Scopum Agentis vel ipſius rei quæ geri dicitur demonſtrat: indeque colligitur quodnam fuerit propoſiti intentum; an odio vel amore, an lucri, vel vindictæ cupiditate, &c.

Horum locorum Exempla piguit recenſere, faciliora enim & tritiora ſunt, quàm ut nos remorentur.

CAPUT IV.

Promptuarium Theologicum ſeu de Locis ad Theologos Sacroſve Oratores præcipuè ſpectantibus.

THEOLOGICOS Fontes bipartimur; Alii enim Argumenta fundunt omni exceptione majora, utpote certiſſima; Alii Media ſuggerunt, vera quidem & probabiliſſima, ſi cum Dialecticis Oratoriiſve Locis comparentur, ſed iis, quos dixi certiſſimos, inferiora. Primi generis ſunt, *Scriptura ſacra*, *Traditiones*, *Concilia*, *Pontificum Decreta*; ad Alterum pertinent, *Theologia*, *Jus Canonicum*, *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Exempla*, *Miracula*, &c.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

De Locis Theologicis Certioribus.

SECTIO PRIMA.

De Scriptura ſacra.

1. NON meis, ſed SS. Doctorum verbis iiſque paucis Scripturam commendabo, ne fiat nihili quæ maximi penſari debet. A Chriſto auſpicor, ſic ajente Joan. 6. *Scrutamini Scripturas*, &c. Magiſtro accinit Paulus Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt* (inquit) *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, &c. Item 2. ad Timoth. 3. n. 15. *Omnis Scriptura Divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Unde D. Bernardus Serm. 67. in Cantica, ſic de Scriptura fatur. *Triplici quadam eminet gratia, ſolida ad nutrimentum, efficaci ad medicinam, delitioſa ad ſaporem. Librum ſacerdotalem* vocat Scripturam D. Ambroſius: *Subſtantiam Sacerdotii noſtri* appellat D. Dionyſius: *Fomenta Fidei* aſſerit Tertullianus: Hoc (Libro) ſalubriter & prava corriguntur & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia, ex Auguſt. Epiſt. ad Voluſ. D. Chryſoſt. Homil. in Geneſ. ait, *In Libris ſacris neque apex quidem eſt, in cujus profundis non lateat quidam grandis Theſaurus*. Ex D. Gregor. in Ezech. & Præfat. in Moral. *Divinus ſermo ſacræ Scripturæ eſt fluvius planus & altus, in quo Agnus ambulet & Elephantus natet*. Non addo plura SS. Patrum teſtimonia in S. Scripturæ commendationem, cùm hæc ſufficiant ut ad illius ſalutaris & uberrimi Fontis aquas perennes invitetur Eccleſiaſta ſacer; inde enim hauriet abundè limpidiſſimum liquorem, veritatis (inquam) documenta, quibus erudiat, arguat, & corrigat Audientes. In his ſiquidem latens Deus qui dicitur Via non errans, Veritas non fallens & Vita non deficiens, virtutem divinam & omnino efficacem imbibit Argumentis ac rationibus à Scriptura deſumptis, quæ feliciores longe ſortiuntur eventus, quàm probationes quæcumque à profanis fontibus hauſtæ. Ita Scripturæ (quæ vile quid ſapere videntur inſipienti palato ſapientium hujus ſæculi) vim gratiamque ferè ad inſtar Elementorum Sacramentalium, fovent humili ſinu, quas piis commodant Operatoribus, unde ſapienter doceant, ſuadeant fortiter, nec-non ſuaviter delectent. Apage ergo prophanos (niſi mavis) effœminatos Eccleſiaſtas, quos pudet fieri S. Spiritus Diſcipulos; præponunt ſcilicet Verbo Divino, Philoſtratos, Nazones, Martiales, alioſque ejuſmodi obſcœnæ farinæ Libarios, quos jure dixeris, veritatis parricidas & meretricios aurium mangones. Proh piaculum!

Scripturæ ſacræ commendatio.

dicito

Digitized by Google

dicito cum Pſalmiſta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*; Pſ. 118. 85. Illa enim ſola eſt quæ immaculata convertit animas, & quaſi malleus duriſſimus conterit petras.

Scripturæ S. varii ſenſus.

2. Quadruplex Scripturæ Senſus ab omnibus ferè admittitur, *Litteralis*, *Moralis*, *Allegoricus*, & *Anagogicus*, quorum rationem cum D. Thoma 1. p. q. 1. a. 10. ſic colligere licet. In Scriptura ſacra duo conſiderantur, Voces nimirum & Res vocibus ſignificatæ. Si attendantur voces, prout littera ſonat & communi uſu loquendi ſignificat, fit Senſus *Litteralis* ſeu *Hiſtoricus*, ad quem ſpectat *Ætiologicus*, qui cauſam rei narratæ aſſignat, *Parabolicus*, qui aſſumpta Similitudine vel Comparatione aliquid aliud figuratè oſtendit: *Analogicus*, qui veritatem unius Scripturæ alterius veritati non repugnare probat. Si verò attendantur Res vocibus indicatæ, quæ (inquam) Res ex ordinatione divina aliquid ſignificant, fit Senſus *Spiritualis*; qui iterum trifariam dividitur. Vel enim ex Veteri Lege ſignificant Novæ Legis Myſteria, fitque Senſus *Allegoricus* ſeu Myſticus; vel ſignificant ea quæ agere debemus, indeque emergit Senſus *Moralis* ſeu *Tropologicus*; vel denique ſignificant ea quæ in futura gloria ſperamus, unde prodit *Senſus Anagogicus*. Ex his ſenſibus duo potiſſimùm ſint Eccleſiaſtæ familiares, Litteralis & Moralis, prior enim Exempla & teſtimonia ſuggerit ad firmandum propoſitum; alter autem illud ipſum præſtanti aliqua Metaphora, quæ Mores ſuaviter erudiat, illuſtrabit. Non negaverim tamen Allegoricum Senſum maximo poſſe uſui fieri, at majori ſolertia indiget & à communi populorum captu longiùs recedit; Ideoque his induſtriè & ſtudioſè accommodandus eſt ut proſit.

Hiſtoricus. Ætiologicus. Parabolicus.

Spiritualis. Allegoricus. Moralis. Anagogicus.

Uſus Scripturæ Sac. æ.

3. Uſus Scripturæ ſacræ multiplex.

Primus ſingulas Scripturæ voces expendit; ſeu adductis variis Lectionibus, præcipuè Latinis, Græcis, Hebræis, &c. quæ varios Senſus & ad propoſitum idoneos ſæpe pariunt: vel ſolerter enumeratis ſenſibus & Interpretationibus variis ab Authorum Genio diverſimodè efformatis. Prioris exemplum erit illud Geneſ. 1. *In principio creavit Deus*, &c. vox Hebræa *Elohim* ſignificat vel Deum in plurali ſeu Deos, unde innuitur pluralitas Perſonarum SS. Trinitatis, vel Judices, unde conjicitur, Deus ita Mundum condidiſſe, ut eidem terrore Judicii futuri habenas objecerit, ne peccaret. D. Leo Serm. 5. notat non fruſtra dictum à Caipha de Chriſto Joan. 11. 50. *Expedit ut unus homo moriatur*; cùm potuiſſet dicere *Occidatur*. Rationem ille affert, quia verbum *Moriatur* indicat mortem voluntariè aſſumptam, vox verò *Occidatur* involuntariè irrogatam ſignificat: primum quidem convenit Chriſto, alterum verò minimè, *oblatus eſt enim, quia voluit*. Idem advertit D. Chryſoſtomus in illud Hebr. 2. 10. *Semen Abrahæ apprehendit*. Cur (inquit) non dixit *ſuſcepit*? Latet in voce Myſterium, notat inde Amorem Dei, qui Homines etiam *fugientes apprehendit*, ut ſalvaret. Ita, Jota unum,

aut

Digitized by Google

aut unus apex non vacat in Scriptura, Matth. 5. 19. & c. 24. 36. De hoc D. Baſil. in Procem. de Spir. S. D. Chryſoſt. Homil. 15. in Geneſ. Alterius uſus exempla pervia ſunt ex cujuslibet Interpretis ſagacis ſenſu.

Secundus uſus Teſtimonia Scripturæ illuſtrat ingenioſis Metaphoris, aut Allegoriis exquiſitis, aliiſque Senſibus occultis Litteræ inſitis, qualis eſt quod de Noe inebriatione & nudatione Chriſto attribuit Rupertus l. 4. in Geneſ. c. 38. ſic fatus; *Noe de vinea quam plantavit inebriatus, & in Tabernaculo ſuo nudatus, ipſe eſt Chriſtus, à populo cui dedit Legem morte affectus, & in eadem Gente ſua deſpectui habitus.* Quale eſt etiam Pauli Allegoria de filiis Saræ & Agar. Galat. 4. 24.

Tertius uſus adhibet Parabolas, ſeu Similitudines Morales à Scriptura deſumptas, in eruditionem Auditorum. Sic Chriſtus ſuperbos depreſſit Parabola Phariſæi & Publicani, Luc. 18. 9. unde propoſitionem adversùs mores intorquet, *Qui ſe exaltat humiliabitur*, &c.

Quarto efformantur exquiſiti Conceptus, à Scripturæ ſinu veſtigati: è pluribus autem modis quibus poſſunt excogitari, unum profero, nimirum ut præponatur Scripturæ teſtimonium, cujus ſenſus ſi aliquid præ ſe ferat difficultatis vel contradictionis, debet verſari, immo rationibus contrariis impugnari; tùm poſt agitatam ſufficienter difficultatem, enodetur ac ad propoſitum accommodetur. Exemplum ſit iſtud ex Job 6. 2. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in ſtatera: quaſi Arena Maris hæc gravior appareret.* Hunc Textum adhibeo ut Crucis virtutem, quæ peccatorum pondera etiam graviora allevat, oſtendam, quod ſub hac dicendi forma Italis & Hiſpanis familiari, evinco. In præmemoratæ rei fidem, adeamus Scripturas, Auditores. Occurrit mihi Job, ſic fatus, *Utinam appenderentur peccata mea*, &c. At mecum ſtupete ad rem inauditam. Quid ais Propheta? &c. Audes temetipſum metiri Deo? &c. Præſumis te graviora mala pati quàm mereantur tua peccata? &c. Quis ferat? Didiciſtis, ò Chriſtiani, quàm grave pondus ſit Peccatum, &c. Quomodo ergo Job conqueritur de inflicta pœna, quæ ne vel in minima parte peccatum etiam leviſſimum adæquare poteſt, &c. Attendite pauliſper, & Myſterii nodum explicabo. Statera fuit Crux Chriſti, ita enim de ea occinit Eccleſia, *Statera facta Corporis;* ex una quidem parte plurimùm totius mundi ponderabant Crimina; at ubi ex altera parte ſtatuta ſunt Chriſti Redemptoris merita; continuò his illa ceſſere, quia ſcilicet copioſa Salvatoris Redemptio, debita omnia exhauſit, nihilque illa ponderare viſa ſunt quia à Chriſti paſſione ſuperata, &c. Jam intelligitis (ut arbitror) quid cum Jobo ſenſerim; Ajebat ille, tanti ponderis futura Chriſti Merita, ut ſi in altera Stateræ (id eſt Crucis) Lance reponerentur, in altera verò Jobi ipſius peccata; iſta meritis exhauſta non habitura cur ulteriùs deberent pœna mulctari: Ideoque jure dicit, quòd his præſuppoſitis, tunc ſuperabundaret calamitas quam patiebatur, &c. Sed ne hu-

Methodus excogitandi Conceptus à Scriptura.

jus interpretationis fides vobis ſuſpecta videatur, Vadem accipite D. Gregorium præfata Jobi verba ſic verſantem: *Quis alius ſtateræ nomine, niſi Dei & Hominum Mediator exprimitur, qui ad penſandum vitæ noſtræ meritum venit, ac ſecum Juſtitiam ſimul & Miſericordiam detulit: ſed Miſericordiæ lance præponderans, culpas noſtras parcendo levigavit; in manu enim Patris quaſi ſtatera miri libraminis factus, hinc in ſe calamitatem noſtram & illinc peccata noſtra*, &c. Ex quibus verbis vel ſimili modo expenſis, liquet inferre virtutem Crucis ac valorem meritorum Chriſti, &c. Facile eſt ejuſmodi Conceptus efformare ex Scriptura ſi hoc prudenter & ingenioſè verſetur.

4. Cautiones adhibendæ in uſu Scripturarum SS.

Cautiones in uſu S. Scripturæ.

1. Ne frequentiora ſint S. Scripturæ Teſtimonia, inſtruerentur enim Scripturarum Centones vel Commentaria potiùs quàm Conciones: nec etiam citentur prolixiores textus, fieret enim horum recitatio & dicenti & audienti importuna. Oratoris ergo non Interpretis vices obeat Eccleſiaſta, ideoque prudenter & cautè adhibeat S. Scripturæ teſtimonia & accuratè examinata ſuis locis accommodet.

2. Germanus S. Scripturæ Senſus proferatur, non alienus aut contortus, aut Deo indignus. Deligatur ille qui creditur intentus à Spiritu Sancto ſacros Codices dictante, vel ab Eccleſia cujus eſt eoſdem interpretari. Nihil affingatur Deo Scripturarum Authori. Quis ferat explicationem Parabolæ de Panibus Amico commodatis (ut D. Lucas 11. cap. refert) eo ſenſu, quo tres Auguſtiſſ. Trinitatis Perſonæ illis ſignificentur? Alia inſulſæ interpretationis exempla referuntur & irridentur à Stella l. de Modo Concion. c. 4. ſed præſtat ea fugere, quàm recenſere.

3. Occurrunt, aliquando Hiſtoriæ & facta in Sacris Codicibus, quæ ignaris & inſipientibus viderentur infamiam aliquibus Patriarchis inurere, & audientes trahere in ſceleris imitationem; v. g. Inceſtus Loth, Adulterium Davidis, &c. Ea igitur ſi memorari neceſſe fuerit, præmiſſo lenimine emollita, ſtatim ad Myſterium eleventur. Nam, ut ait D. Ambroſ. l. 3. in Luc. *Myſterium in Figura, peccatum in hiſtoria; culpa per hominem, Sacramentum per Verbum*. Item Auguſt. l. 22. contra Fauſtum cap. 42. Inceſtum Loth & Judæ deteſtatus, ſic ait: *Illud Factum, cùm in ſancta Scriptura narratur, Prophetia eſt: cùm verò illorum vita qui hoc commiſerunt conſideratur, flagitium eſt*. Aliunde verò ejuſmodi facinorum hiſtoria, non caret utilitate; nam, ut ait D. Ambroſius, *inſtruunt Patriarchæ non ſolùm docentes, ſed etiam errantes*, monent enim quid cavendum ſit ne labamur, quidve faciendum ut reſipiſcamus.

4. Non moror hìc in recenſendis libris Scripturæ Canonicis, quibus uti debet Eccleſiaſta, ſunt enim notoria quàm ut hìc indigeant animadverſione; nec etiam monere opus eſt, eas adhiberi debere Verſiones quæ ab Eccleſia probantur. Ita enim ſanxit SS. Concilium Lateranenſe,

Seſſ.

Seſſ. 11. *Mandantes* (inquit) *omnibus qui hoc onus* (prædicationis ſcilicet) *ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut Evangelicam veritatem & S. Scripturam, juxta Declarationem, Interpretationem, & Ampliationem Doctorum quos Eccleſia, vel diuturnus uſus approbavit, legendoſque hactenus recepit & inpoſterum recipiet, prædicent & explanent*, &c.

SECTIO II.

De Traditionibus, Conciliis & Pontificum Decretis.

1. LOCUS à Traditione petitus, certiſſimus eſt, & apud Catholicos fieri plurimum debet. Eſt autem Traditio, *Doctrina aliqua ad Religionem ſpectans; quæ nec in Scriptura exprimitur, nec ex illa evidenter colligitur, ſed à Chriſto vel Apoſtolis Spiritu Sancto afflatis emanata & in Eccleſia ſervata ad nos uſque pervenit*. Paucioribus definitur Traditio: Eſt *verbum Dei non ſcriptum:* Quemadmodum enim Jus Civile & Patrium, non conſtat tantùm Legibus ſcriptis, ſed etiam Conſuetudinibus traditis, ita Jus Divinum ſeu Lex Evangelica conſtituitur verbo Dei tam Traditione quàm Scriptura accepto. Cætera Theologicæ Scholæ dimitto, ut moneam de duobus quæ ad Traditionis uſum ſpectant. Primum eſt, ex hoc Fonte poſſe Argumenta erui, quæ faciant fidem delectentque, ſi ſobriè & cum delectu adhibeantur; valentque potiſſimum in genere Didaſcalico. Alterum eſt, ut caveat Eccleſiaſtes à nonnullis conſuetudinibus, quæ pro Traditione apud vulgares & aniles animos invaluere; tantùm abeſt ut his uti debeat, quin potiùs damnet ac extinguat ſi poſſit; ſunt enim ut plurimùm Religionis veræ ac ſinceræ pietatis corruptelæ. De his conſule Bellarm. tom. 1. de verbo Dei non ſcripto l. 4. c. 9. Traditio.

2. Concilia magnam vim & authoritatem obtinere debent apud Chriſtianos Auditores, cùm ſint ab omni errore tuta, modò legitima ſint & Univerſalia. De his fusè Theologi. Quantùm verò noſtra refert, ſatis erit monere, Concilia (cùm ſint diverſi generis) non etiam eſſe paris certitudinis. Alia ſiquidem ſunt Univerſalia & Generalia, in quibus Univerſa Eccleſia convocatur; atque ex his iterum alia ſunt omnino approbata, alia omnino reprobata; alia partim approbata partimque reprobata; alia ſunt Nationalia quæ ad unum Regnum, vel Nationem ſpectant, alia Provincialia quæ unam tantùm Provinciam ſub Metropolitano Præſide complectuntur; alia denique Diœceſana quæ ad Diœceſim aliquam ſub Epiſcopo capite pertinent. Ex his potiora ſunt Generalia omnino approbata, quæ valent potiſſimùm ad fidem tuendam, erroreſque refellendos; dein Nationalia, tum Provincialia, ac tandem Diœceſana, quæ ad inſtitutionem Morum, nec non ad Ritus Eccleſiaſticos explanandos poſſunt adhiberi. Concilia eorumque authoritas tum varietas.

SS. Pontificum Decreta.

3. Pontificum Summorum Decreta plurimum ponderis habere debent, tum ad ſtabiliendam fidem, tum ad reformandos mores; utrinque enim proſunt illa Oracula, quæ Sedes Chriſti Vicaria fundit, ſeu per modum Legis, ſeu per modum Reſponſi. Sed quoniam ejuſmodi Decreta Pontificia Jus Canonicum quoad maximam partem conſtituunt, ideo fuſiorem de iis Tractatum illuc remittimus.

ARTICULUS II.

De Locis Theologicis Probabilibus.

Locorum Theologicorũ Probabilium Partitio.

THEOLOGIAM univerſam complectitur Promptuarium iſtud, ideoque varias ejus partes imitatum variam Partitionem ſortiri poteſt: Etenim Theologia nititur vel Decretis ſummorum Pontificum, diciturque *Pontificia* ſeu Jus Canonicum. Vel Patrum teſtimoniis & appellari ſolet *Poſitiva*, quod nomen etiam commune eſt Pontificiæ. Vel rationibus & argumentis ſe ipſam tuetur & adverſarios refellit; quæ ſi Docere ſolummodò & intellectum erudire ſatagit, vocatur *Scholaſtica*, ad quam ſpectat *Polemica*, quæ de Controverſiis circa Fidem agit; ſi voluntatem inſtitutione morum dirigat, *Moralis* appellatur. Vel denique ad Confirmationem Propoſiti utitur factis ſeu geſtis à noſtra ætate remotis, & nuncupatur *Hiſtoria*, quæ narrat geſta; vel prout ab aſſuetis naturæ viribus prodire ſolent, diciturque *Hiſtoria Eccleſiaſtica*; vel prout auxilio ſupra Naturam affulgente, accidere, fitque *Miraculorum* ſeries. De his breviter.

SECTIO PRIMA.

Jus Canonicum.

FŒCUNDISSIMA eſt hæc Officina quæ Pontificiis Sanctionibus, ac Reſponſis, Conciliorum Decretis, Patrumque & Doctorum teſtimoniis locupletatur, nomenque habet *Jus Canonicum*, tot enim Canonibus ſeu Regulis conſtituitur quibus Eccleſia regitur ac ordinatur. Quot autem & quibus conſtet brevi recenſeo.

Juris Canonici Partitio.

Quatuor præcipue Libris conſtituitur Jus Canonicum, ſcilicet *Decreto*, *Decretalibus*, *Sexto Decretalium Libro*, & *Clementis Conſtitutionibus*.

Decretum.

1. Decretum collegit Gratianus ex ſelectioribus SS. Patrum dictis, quæ diſperſa & disjecta in unum volumen ille compegit, unde dicitur Decretum Gratiani. In tres partes præcipuas dividitur; Prior continet 10. Diſtinctiones in Canones & Capitula ſubdiviſas. Altera pars

com-

complectitur 36. Cauſas, quæ iterum ſubdividitur in Quæſtiones; hæ verò in Canones & Capitula; tum in Paragraphos & Verſiculos. Tertia denique Decreti pars, dicitur de Conſecratione, habetque 5. Diſtinctiones, quarum quælibet in Canones vel Capitula & interdum in Paragraphos ſubdividitur.

2. Decretales, ſic appellatur ſecundus Juris Canonici liber, conſtans ex Decretis, Epiſtolis, Reſponſis & Declarationibus Summorum Pontificum. Primùm quidem Gregorii IX. juſſu compoſitus, deinde ab Innocentio V. auctus. In quique libros diſtinguitur. Primus agit de Perſonis Eccleſiaſticis, ſeu Eccleſiæ Miniſtris, eorumque Electionibus ac Officiis, &c. habetque Titulos 43. Secundus eſt de Judiciis, Titulos habet 30. Tertius, de Vita & Honeſtate Clericorum, &c. Unico Titulo conſtat. Quartus eſt, de Sponſalibus & Matrimoniis, &c. Titulos habet 21. Quintus eſt de Accuſationibus & Pœnis infligendis pro Criminibus. Titulos habet 41. Decretales.

3. Sextum addidit Decretalibus Librum Bonifacius VIII. Epiſtolis Prædeceſſorum & ſuis conſtantem; qui in quinque Libros iterum ſubdividitur. Sextus Decretalium.

4. Clementinæ Conſtitutiones à Clemente V. in Concilio Viennenſi editæ, deinde à Joanne XXII. correctæ & additæ ultimum conſtituunt Juris Canonici Librum in quinque partes ſeu Libros diviſum. Clementinæ.

Ex hoc uberrimo Fonte hauriet Orator prudens, quæ ad propoſitum aptiora noverit; ea enim magnam vim Concioni addunt. Caveat tamen à frequentiori citatione quæ jactantiam redolet, & memoriam auremque fatigat. Cautè etiam uſurpet aliqua teſtimonia præſertim à Decreto extracta, quæ benigna interpretatione indigent.

SECTIO II.

De Theologia Poſitiva, Scholaſtica & Morali.

DOCTRINA hæc, SS. Patrum authoritate nititur. De his Auguſt. l. 2. in Julian. ait, *Iſti ſunt Epiſcopi & Paſtores, docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi Defenſores, qui Catholicam Fidem in lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cujus lac & cibum parvis magniſque miniſtrabant. Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit*, &c. Theologia Poſitiva.

Ab hoc Fonte non minimum ſubſidium ſperare poterit Eccleſiaſtes ſi Sanctorum Doctorum libros evolvat ſedulò, ſenſus prudenter ſugat, & teſtimonia uſurpet ingenioſè. Illi autem triplici modo Eccleſiæ famulantur. Vel enim textum aliquem Scripturæ exponunt, ut Interpretes vel aliquam veritatem aſſerunt, ut Doctores; vel denique ut Hiſtorici referunt facta & exempla memorabilia, quæ aut videre aut ſaltem audiere.

Digitized by Google

re. Quolibet modo Fidem probabilem efficiunt. De varia Methodo; qua Orator adhibeat SS. Patrum Teſtimonia, vix aliquid certi hac in re definiri poteſt, cùm tota ferè pendeat ab Eccleſiaſtæ ſolertia & ingenio; triplici tamen modo uſurpari poſſe mihi videntur. Prior eſt, cùm verba Textuſque Patrum adducuntur nudè & propriè ad Propoſiti confirmationem. Res non indiget exemplo ut pateat. Secundus utitur Patrum teſtimonio ut Conceptum aliquem ex Scriptura eliciat, vel ut elicitum firmet: qualis eſt Conceptus de merito Paſſionis Chriſti, cui Job occaſionem dedit, D. verò Gregorius confirmationem, ut ſupra dictum eſt cùm de S. Scriptura ageretur. Tertius modus, adhibet Patrum teſtimonium, ex quo tanquam ex Similitudine vel Allegoria, alium diverſumque format Conceptum Oratori proprium & Propoſito accommodum. v. g. dixerit Tertullianus quòd olim Chriſtiani à Paganis de Infanticidio accuſarentur, eò quòd Religio Chriſtiana profiteatur comeſtionem carnis Chriſti in Euchariſtia, cujus myſterium prophanos latens in malam partem ab iis trahebatur. Poterit Eccleſiaſtes inde accuſare de infanticidio, ebrioſos patres, qui totam Familiæ ſubſtantiam, ideoque & filiorum ſuſtentationem vorant, ut Deo ventri litent.

Quomodo adhibenda ſunt SS. Patrum teſtimonia.

Cautiones ad uſum Loci iſtius, poſſunt hæ præſcribi.

Cautiones in adhibendis SS. Patrum teſtimoniis.

1. Ne frequentiores ſint ac longiores citationes; hæc enim concatenatio Patrum videtur potiùs Scenæ Choragium quàm oratio; Memoriam onerat, Auditorium tædio afficit, & eloquentiam nervis ac leporibus ſpoliat. Eccleſiaſtes ergo non ſit pretioſæ ſupellectilis prodigus, nec etiam nimis parcus, ſed exquiſitiora, acutiora, breviora, & aptiora teſtimonia prudenter ad ſuos uſus aſſumat.

2. Ne contorqueatur verus Patrum ſenſus, aliudve ipſis affingatur quod nuſquam cogitavere: Sed ſi alienum aliquid emergat, reſecetur, vel in forma Similitudinis, vel Comparationis, ut ſupra monui, adhibeatur.

3. Si quid apud SS. Patres occurrat à communi Eccleſiæ ſenſu abhorrens, cautè admodum & religioſè tractari debet, cùm hæ poſſint eſſe hujus rei cauſæ quarum aliqua S. Doctorem excuſet. 1. De quæſtione propoſita non ſcripſit forſitan ex profeſſo, adeoque non exactè. 2. Aliquando hyperbolicè ob inſtantem neceſſitatem. 3. Potuerunt SS. Doctores aliquid ſcribere, primis Eccleſiæ temporibus, quibus plurima necdum erant definita, quod nunc temporis improbaretur. 4. Potuerunt irrepſiſſe errores in SS. Doctorum Libros, vel Hæreticorum malitia, vel injuria temporum, vel librariorum incuria. Eruditè igitur, ſobriè, cautè, piè, & ingenioſè uſurpentur SS. Patrum teſtimonia.

Theologia Scholaſtica.

2. Theologia Scholaſtica Doctrinam ſalutis, varios in Libros SS. Patrum diſperſam, confuſam, & ſæpiùs ambiguam, licèt aliunde ſolidam & veram, collegit, digeſſit ac ordinavit. Deinde variis methodis ordinatam explicuit, probavit & propugnavit rationibus ac argumentis à mul-

Digitized by Google

multiplici fonte petitis. Hinc patet ejus neceſſitas & utilitas, explanat enim Religionis Chriſtianæ Dogmata; eadem methodica inſtitutione tradit; rationibus firmat; ab hoſtibus vindicat, & uberrimam ad Dicendum ſegetem ſuppeditat.

Uſus hujus Loci debet eſſe Eccleſiaſtæ familiaris; amplam enim ad Conciones ſtruendas & dilatandas ſupellectilem ex illo mutuabitur; ſolidam, firmam & ſuavem inde hauriet doctrinam: modò Scholaſtico, contentioſo ac importuno ſtylo purgetur. Vix explicari poteſt, quanta vis inſit Argumentis Theologicis, quæ ut plurimùm orta ſunt ex Fidei principiis ac Fundamentis. A Theologia feliciter (ut arbitror) deſumetur Concionis alterum Exordium, quod Introductio ſolet appellari; firmiſſimum enim ex illa fiet fundamentum, quo tanquam baſi ſtructura Concionis nitatur: Fons ille Partes Orationis ceu ſcaturientes rivulos aptiſſimè fundit; Truncus eſt arboris Concionatoriæ, cujus ſucco rami abundè aluntur & ſuſtentantur. Nec etiam ſine laude inſperguntur toti Concioni Rationes Theologicæ, immò id ſuccedet, ſi moderatè & politè fiat. Valet præſertim Theologia Scholaſtica ad genus Dicendi Didaſcalicum, cujus eſt Docere, in varias enim partes ſecta Doctrina, nec non diſtinctis rationibus ſtabilita, faciliùs intellectum prolicit, Memoriæ inhæret, ac Voluntatem ad propoſitæ virtutis amplexum inclinat. *Uſus Theologiæ Scholaſticæ.*

Cautiones in uſu Fontis Theologici Scholaſtici, hæ ſunt.

1. Non affectet Orator Eruditi nomen ſubtiliorum Quæſtionum enodatione, quæ ad propoſitum inutiles ſunt; nec etiam numeroſum Doctorum cœtum proferat, ſi numerus ad rem non faciat; ſatis erit, ſi neceſſariam & utilem difficultatem enodet, enucleationemque firmet alicujus Doctoris probatioris authoritate. *Cautiones in uſus Theolog. Scholaſticæ.*

2. Ne pluribus quàm par eſt Theologiæ quæſtionibus texatur Concio; detraheretur enim plurimum Eloquentiæ majeſtati, ſi à ſacro Pulpito ad Scholæ ſedilia devoluta, ibi ſordere cogeretur. Multùm abeſſe debet Eccleſiaſtæ munus à Docentis methodo. Prudenter miſceatur Concionibus Schola, his ad placitum famulatura; non verò Eloquentia ſibi vendicet opus, quod ſua elegantia orbatum efficeret ſtylum elanguem, frigidum & inſulſum.

3. Verba, Propoſitiones, Diſtinctiones, nec non & aliquas ſeu loquendi ſeu dividendi formulas ſedilibus Scholæ familiares ſugiat Orator, aut ſaltem ita læviget ac expoliat, ut jam permutata veſte deceant Reginæ Eloquentiæ Imperium. Illud autem fit potiſſimum aſſumptis Metaphoris vel Allegoriis elegantioribus, quæ ſcholaribus verbis ſubſtitutæ, gratam & ſuavem præſtabunt elocutionem. Vitentur etiam ſubbliores Conceptus è Theologia deſumpti; quibus Auditorum mentes implicantur & exſiccantur, vel ſaltem ſolerti digeſtione ad Auditorii captum illi præparentur.

3. De

3. De Theologia Morali vel Polemica, quæ Controverſias cum Hæreticis tractat, addere aliquid, videtur ſupervacaneum; cùm ea quæ dicenda forent, ſat pateant ex mox dictis de Theologia Scholaſtica, & ex dicendis in 2. Parte cùm de Genere Didaſcalico agetur. Debet in utraque hac Theologia eſſe optimè verſatur Eccleſiaſtes, eaque utatur moderatè & prudenter cùm opportunitas id popoſcerit.

SECTIO III.

De Hiſtoria Eccleſiaſtica, Exemplis & Miraculis.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ utilitas:

HISTORIA Sacra latiſſimum ſimul & lætiſſimum Oratoribus aperit ad Conciones Fontem. Nam, ut ait D. Gregorius l. 25. Moral. cap. 7. *Antiquorum nos exempla confortant, & ex eorum comparatione, nos poſſe præſumimus quod ex noſtra infirmitate formidamus. Quis enim* (ait D. Ambroſ. ſer. 79.) *bonum Factum videns non gaudeat? miretur? imitetur? ac magiſtro utens, ejus exemplo doceatur?* Hoc quippe ſtimulo ad virtutem urgebatur D. Auguſtinus l. 8. Confeſſ. cap. 8. *Tu non poteris quod iſti & iſtæ?* &c. ajebat Beatorum corona omnigena ipſius negligentiam carpens. Neſcio tamen quo fato evenit, ut exempla quæ Auditores tantopere movere poſſent, penè deſueverint in ſacro Pulpito, & ſacris Oratoribus ferè vertantur in opprobrium. Fallor, niſi Dæmonis artificio id factum fuerit, quo exemplis in odium vocatis, rivuli neceſſarias irrigandis Vulgi animis aquas deferentes obſtruantur.

Hiſtoriæ uſus.

Hiſtorici Fontis uſus quatuor dotes poſtulat. Sit *Parcus*, *Aptus*, *Probatus*, & *Induſtrius*. *Parcus* quidem & ſobrius, ne ſi frequentior ſit, fiat Exemplorum inductio potiùs quàm Concio. *Aptus*, id eſt, Hiſtoria ad propoſitum accommodetur, non vi aut impropriè intrudatur, ſed quaſi ex re ipſa oriatur. *Probatus*, hoc eſt, ducantur Hiſtoriæ à Scriptoribus melioris notæ; atque ex iis deligantur præcipuæ ac rariores: vitentur Hiſtoriæ tritiores, circumforaneæ, aniles, demiſſæ, obſcœnæ, & quæ in malum ſenſum contorqueri poſſunt. *Induſtrius* ſit Hiſtoriarum uſus, ita ut ſecundùm Artis præcepta expoliantur ac venuſtentur.

Methodum qua tractari debeant Hiſtoriæ, habes tum in 1. hujus Operis Parte l. 3. cap. 3. art. 2. & l. 4. ubi de Figuris Sententiarum agitur; tum etiam in 2. P. ubi variæ Concionum Formæ traduntur. His addo Exempla ſeu Hiſtorias triplici modo probare, vel à Majori, vel à Pari, vel à Minori. A Majori, ut exempla Chriſti. Ita ille ait Joan. 13. 14. *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* A Pari D. Paulus argumentatur Hebræ. 11. toto cap. *Fidem Patriarcharum* Chriſtianis in exemplum proponens. Item

Item Jacobi 5. 11. *Ecce beatificamus illos qui talia ſuſtinuerunt*. A Minori, D. Auguſtinus l. 2. Civit. c. 7. damnat exempla impiorum hominum, ex eo quod flagitioſus Adoleſcens viſa Tabella in qua Jovis cum Danae commixtio exhibebatur, exarſerit in ſimile ſcelus.

Uſus Exemplorum & Miraculorum.

2. Ex præfatis facile eſt noſſe, quis ſit melior Exemplorum & Miraculorum uſus; hæc enim Hiſtoriæ legibus continentur. Moneo tantùm Eccleſiaſtem, ut caveat à confictis Miraculis, quæ vulgus imperitum inſcitè & aliquando impiè venditat: gravi enim cenſura percutiuntur à ſummis Pontificibus, qui hujuſmodi figmenta, & deliria publicare attentant. Nec etiam frequentiùs adhibeantur exempla & miracula etiam eximia; eorum enim multitudine obruitur vis oratoria; ad illum ferè modum quo triticum floribus campeſtribus nimiis opprimitur.

CAPUT V.

Promptuarium Miſcellaneum.

Eruditus eſſe debet Eccleſiaſta ſacer.

ERUDITUM eſſe debere Oratorem aſſerit Tullius 1. de Orat. his verbis: *Sic ſentio, neminem in Oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus iis Artibus, quæ ſunt homine libero dignæ perpolitus; quibus ipſis, ſi in dicendo non utimur, tamen apparet atque extat, utrum ſimus earum rudes, an didicerimus*, &c. Immo Eccleſiaſtam ſacrum non debere eſſe in Doctrinis Ethnicis ignarum, eaſdemque poſſe aliquando Concionibus miſcere, ait Auguſtinus l. 2. de Doctr. Chriſt. ſic fatus; *Philoſophi autem qui vocantur, ſi qua forte vera & Fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda. Ethnica Diſciplina* (ajebat Sidonius l. 9. Epiſt. 9.) *ea eſt captiva Mulier quæ ut Hebræo nuberet, jubebatur* (Deuteron. 21.) *veſtem permutare & faciem ungueſque reſcindere, ita reſecentur ab Ethnicis quæ fabuloſum, indignumve aliquid ſapiunt, & mundata Templo conſecrentur*. Alias ſileo rationes quæ omnigenam hujuſmodi eruditionem ab Eccleſiaſta Sacro non aliena eſſe oſtendunt; unius Pauli exemplo fretus, id aſſero; ille enim 1. Cor. 15. ex Menandro Poeta mutuatus eſt illa verba: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*: & Tit. 1. ab Epimenide deſumpſit dicterium in Cretenſes, quos malas beſtias dixit. Item Actor. 17. Aratum citat dicentem, *Ipſius enim & genus ſumus*; Verumtamen conſulimus Eccleſiaſtæ Sacro ut quàm parciſſimè utatur Ethnicis, ne videatur Concio Evangelica olere prophanam orationem. Quid enim opus eſt luțulentas apud impios Authores ſitire aquas, cùm pateant apud nos Fontes Sacri ex omni parte limpidiores?

Indignè fero, (fateor) Senecam, Tullium, alioſque ejuſmodi Scriptores Gentiles, D. Paulo, Auguſtino, Gregorio cæteriſque Chriſtianæ fidei Doctoribus anteferri. Nolim tamen (ut dixi) omnino exulare Gentiles, præcipuè qui moribus præſtitere, ſed parcè, ſobriè & moderatè adhibendi, ad inſtar cupediarum quæ dapibus prudenter admixtæ appetitum provocant. Quæ autem Diſciplinæ uſurpari debeant & quomodo tractandæ ſint, Promptuarium iſtud, quod Miſcellaneum ab Eruditione undequaque perquiſita dixi, paucis demonſtrabit.

ARTICULUS PRIMUS.

Jus Civile, Hiſtoria Prophana.

Juris Civilis Partitio.

I. JUS civile eſt quod ex Legibus, Plebiſcitis, Senatuſconſultis, Decretis Principum, & Authoritate Prudentiorum venit, L. Jus autem. ff. de Juſt.& Jur. Quatuor præcipuis continetur Voluminibus, quæ dicuntur Libri Legales, ſunt autem, *Digeſtum*, *Codex*, *Inſtituta*, & *Authenticum*, quibus additur liber *Feudorum*.

Digeſtum.

Digeſtum, quod alio nomine Pandectæ ſeu Pandectarum liber appellatur, complectitur Leges, Statuta & Deciſiones Romanorum ab Urbe condita ad Juſtiniani Imperatoris tempus: eſtque triplex, ſcilicet *Digeſtum Vetus* conſtans 23. Libris; *Inſortiatum*, quod validiores Leges continet, in 12. Libris comprehenſas: *Digeſtum Novum*, habens 14. Libros. Notatur autem Digeſtum in citationibus duplici littera ff.

Codex.

Codex continet Statuta, Sanctiones & diverſa præcepta Imperatorum; & quadruplex ſtatui poteſt, pro numero Authorum qui Codices compegere, *Codex Gregorianus*, *Hermogenianus*, *Theodoſianus*, & *Juſtinianus* ex tribus illis à Triboniano collectus, qui duodecim Libris conſtat, notaturque in Allegationibus, majuſcula littera C.

Authenticum.

Authenticum complectitur Summulas ſupradictorum Librorum,& in 9. *Collationes* diſtribuitur. Aliquando in citationibus ponitur *Authentica* in ſingulari numero, ſignificatque Legem aliquam ſeu Paragraphum Codici inſertum; Indicatur majori littera A.

Liber Feudorum.

Liber Feudorum, qui dicitur *Collatio Decima*, dividitur in duos libros, & exprimitur charactere F.

Inſtituta.

Inſtituta ſeu Inſtitutiones Juſtiniani Imperatoris juſſu confectæ, viam faciunt ad Scientiam Juris, ſuntque ejus quaſi Proluſiones; quatuor libris conſtant, & majuſcula littera I. deſignantur.

Uſus Juris Civilis.

Maximam profecto ex Jure Civili ſubſidium haurire poterit Eccleſiaſtes; Complectitur enim Effata exquiſita Sapientiorum Senatuſconſultorum ac Principum, quæ ad illuſtrandam orationem plurimùm valent, ſi

pru-

prudenter adhibeantur. Conſulantur & perdiſcantur Axiomata & Regulæ Juris, quæ paucis verbis altiſſimos condunt ſenſus.

2. Hiſtoria prophana ferè ſimiles obtinet uſus quos ſacra, niſi quòd hæc ſanctitate ſemper præcellit & veritate. Prophanæ meminit Hiſtoriæ D. Paulus Rom. 1. Antiquorum Philoſophorum ſapientiam ſtultam & evaneſcentem redarguens. Item 2. Timoth. 2. exemplo Athletæ docet Chriſtianum ab omni impedimento liberum fieri debere, ut ſit ad certamen expeditior. Hoc loco eximiè uſi ſunt Tertullianus in Apologetico, Clemens Alexandrinus in Stromatibus, D. Auguſtinus in Civitate Dei, aliique ſacri Doctores, qui ad inſtar Iſraelitarum vaſa aurea ab Ægyptiis mutuantium ut Deo illa dicarent, variam & pretioſam ſupellectilem prophanis eripuere ut Sanctuario voverent. Hos imitetur Eccleſiaſtes prudens, qui Hiſtorias prophanas Concionibus ad leporem & guſtum inſpergere poterit, modò caveat (ut dixi mox) à frequentiore uſu. Hiſtoria prophana.

ARTICULUS II.

De Philoſophia, Mathematica & Medicina.

1. PHILOSOPHICUS Ager redundat Argumentis à Ratiocinatione petitis, quibus Orator conciliabit fidem apud Auditores. Ex hoc nimirum Fonte lacertos vireſque induit Concio, ac validiùs inhæret Animis illa, quæ ratione urgetur & ſuadetur. Philoſophia.

Hoc loco videtur uſus fuiſſe Chriſtus Matth. 6. ſic enim argumentatur cum Judæis Avaris, *Nemo poteſt ſervire duobus Dominis* oppoſitis; ſed ejuſmodi ſunt Deus & Avaritia; Ergo utrique ſimul ſervire nemo poteſt; Alterutrum odiſſe néceſſitas eſt, &c. Item D. Paulus Corinth. 15. probat Reſurrectionem Mortuorum argumento à ſimili, petito à Grano Frumenti, quod corruptum reviviſcit. Ita ſparſim argumentantur Scriptores ſacri, licèt eorum argumenta Regulis Logicæ non omnino conformentur, facile eſt tamen eorum rationes ad Formas redigere.

Uſus igitur hujus loci, à Pulpito ſacro non eſt ablegandus, immo huic inſervit plurimùm; At duo præſertim ſunt cavenda; primum eſt ne frequentiores Argumentationes uſurpentur, fieret enim Diſſertatio Philoſophica, non Concio; langueret Oratio abjectiori ſtilo qui Syllogiſmis aſſuetus eſt contrita & attenuata; oſcitarentur Auditores ſubtilioribus Ratiocinationibus impares. Alterum monitu dignum, eſt ut Eccleſiaſtes non adeo ſcrupuloſè adhæreat Formulis Syllogiſticis, quin ſibi credat licitum ab iis, cùm libuerit, recedere. Nonnunquam ergo poterit uti Forma Syllogiſmi integra, cujus etiam Premiſſas permutare varietas & occaſio ſæpè poſtulant; aliquando utetur Enthymemate, Sorite, aliiſque Argumentationum Formis, quarum permixtio vim ſuam utrobique ſervans, ſuadebit & delectabit. Uſus Philoſophiæ.

M 2 2. Ma-

Mathematica.

2. Matheſis quæ Quantitati Succeſſivæ & Permanenti, Diſcretæ & Continuæ (ut ajunt Philoſophi) operam impendit, utilis eſt, ſi ſobriè & prudenter Eloquentiæ ſacræ famuletur. Sed cavendum eſt à remotis obſervatiunculis, quæ Auditores ſubtilitate & inutilitate deludunt, tempus fruſtra terunt, & dicenti languorem inducunt. Hoc Loco videtur uſus Job c. 37. dicens, *Ubi eras quando ponebam fundamenta Terræ? Quis poſuit menſura ejus, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?* Quod D. Gregor. l. 28. Moral. c. 6. explicat de Chriſto Terrarum Orbem inter Diſcipulos ad prædicandum diſtribuente. Item ſæpius de Menſuris variiſque Quantitatis ſpeciebus loquuntur Scriptores ſacri.

Aſtrologia.

Aſtrologia pars eſt Matheſeos, quæ etiam Concionatori poteſt inſervire, ſi cum prudentia & Ingenio ejus advocet ſubſidium. Caveat nihilominus Eccleſiaſtes, ne ad Aſtrologiam Judiciariam, quæ Anathemate percutitur, declinet; nec etiam in ſpeculationibus inutilibus immoretur. Ab Aſtrologia ſumpſit Chriſtus illud quod propoſuit Matth. 16. Judæos allocutus his verbis, *Facto Veſpere dicitis; Serenum erit*, &c. *Faciem ergo Cœli dijudicare noſtis, ſigna autem Temporum non poteſtis*, &c.

Medicina.

3. Medicina ferè tota uberem ad Dicendum ſegetem Eccleſiaſtæ ſuggerit. Ea enim eſt Corporis & Animæ Similitudo, ut iſtius Peccata pari propè methodo curentur, qua illius Morbi ſanantur; unde Argumenta & rationes à Medicina mutuabitur ſolers Orator, felici (ut opinor) ſucceſſu. Forma Concionandi Medico-Moralis, ſeu quæ Medicorum Conſultationem imitetur, habetur in 2. hujus Operis Parte.

Chriſtum fuiſſe uſum methodo Medico-Morali, non aliunde conſtat, quàm quòd Incarnatio vocatur ab Auguſtino *Diſpenſatio Medicinalis*: quòd *pertranſiret benefaciendo & ſanando omnes*, Actor. 10. 38. atque ut ait D. Bernardus, *Quorum ſanabat Corpora, ſanabat & Mentes*. Epiphanius hæreſi 29. ait, *Jeſus* in Hebræa lingua Curator appellatur, aut Medicus & Salvator. Quid aliud ſunt Prædicatores quàm Medici, ſeu ut ait Philo de Eſſæis, Therapeutæ, hoc eſt, Curatores? Operæ igitur pretium faciet Orator ſacer Medicorum Libros evolvere, eorumque Aphoriſmos ac Dogmata in ſuum uſum transferre.

ARTICULUS III.

De Symbolis, Hieroglyphis, Emblematibus, Ænigmatibus, Adagiis, Proverbiis, Apophthegmatibus, Artibus, &c.

Hujus Loci utilitas.

ILLO ſolent Genio duci homines, ut propriam & nudam Rerum imaginem vix non faſtidientes, ament paſci tranſlatitio vultu, & veritatem peregrina veſte indutam benigniùs excipiant, præcipuè ſi adſcititius color ſenſibus arrideat, ipſamque rem ſplendidiori apparatu illuſtrem

ſtrem exhibeat. Hinc Symbolorum, Emblematum, Ænigmatum, &c. uſus invaluit; Nam (ut ait Auguſtinus Epiſt. 114.) *Quemadmodum multa per vitrum aut ſuccina pellucent jucundiùs: ita magis delectat veritas per Imagines & Symbola collucens*, &c. Placent ergo Metaphoris grandibus velatæ, deinde nubibus argutè lucem ſuſſurantibus obſcuratæ appetitum proritant. Brevis etiam & acuta ſententia fuſiorem ſenſum cogens, invitat intellectum moræ impatientem; denique plurima quæ captum imperiti vulgi ſuperant, huic aptantur, accommodatis Similitudinibus, Comparationibus, Proverbiis, &c. quibus aſſuevere Plebeii nec-non & delectantur. Eam ob rem laudari ſolet ab Authoribus melioris notæ Locus iſte, quem Symbolicum dicere poſſumus; ex quo gratiſſima ſimul & uberrima ſeges, ad Concionum ornamenta exurgit, modò prudenter & ingenioſè his admiſceatur. Ea de re, compendio teximus quod Eccleſiaſtæ ſufficiat ad notitiam & uſum.

1. Symbolum, *Eſt Nota quædam ſeu Signum, quod externa ſpecie arcanum ſenſum velat.* Ut Ciconia quæ parentem ſenectute impotem nutrire & ſublevare dicitur, adumbrat Filiorum pietatem in Parentes. Canis, Symbolum eſt fidei & amicitiæ. Aliud verbis, picturis aliud exprimitur. *Vocale Symbolum eſt*, quod verbis aliquid ſcitu dignum celat & innuit: quale eſt Adagium iſtud, *Ignem gladio ne fodito*, quo intelligitur accenſum hominis irati, vel metuendum Principis Potentiorisve animum, non eſſe intempeſtivè laceſſendum. *Pictum Symbolum*, Figura adhibita nonnunquam cum arguto Lemmate ſeu Inſcriptione ſenſum reconditum innuit. Quale eſt illud, quo pingitur oculus Sceptro inſidens, ad ſignificandum Dei omnia videntis Imperium. Adde pro Lemmate, NIL LATET. Quid ſit Symbolum, & quotuplex.

Triplici modo Symbola excogitantur, vel per Imitationem vel per Metaphoram, vel utroque modo. *Imitativa Symbola* proprietatem aliquam rei quam ſignificant imitantur, ut v. g. Sol Regis Symbolum eſt, quia iſtius in Regno præſidentiam populis, imitatur ille in Cœlo Stellis præcellens. Palma quæ menſtruis incrementis Lunæ renovationem æmulatur, iſtam ſignificat. Item circuli rotunditas Solis Sphæram, Littera C Lunam dimidiatam adumbrat. *Metaphorica Symbola* rem innuunt, cum qua Analogiam ſeu proportionem habent aliquam: ſic Cervus qui diutiſſimè vivere dicitur annoſæ vitæ ſignum eſt; Torpedo deſidem, Serpens Aſtutum, Columba ſimplicem, Leo fortem, &c. demonſtrabunt. Qui Tertiam Symbolorum ſpeciem addunt, ex utraque præfata aliam compoſitam conſtituunt.

2. Hieroglypha vix à Symbolis differunt, ſunt enim ejuſdem Naturæ ac muneris, niſi quòd nomen habuerint vel à Templis quibus ſolebant inſculpi apud Ægyptios; vel à Myſteriis quæ ſub his condebantur, ideoque dicta *Hieroglypha*. Frequentiſſima fuere Ægyptiis, qui non aliis fere litteris quàm his Animalium, Plantarum, aliarumque rerum fi- Hieroglypha.

Digitized by Google

figuris Philoſophiæ, Theologiæque dogmata exprimebant. De quibus ex profeſſo agunt Horus Niliacus, Pierius, & alii, quos pro opportunitate conſulere poterit ſtudioſus Eccleſiaſtes.

Ænigmata. 3. Ænigma, quòd Symboli pars eſt, *obſcuro & implexo ſermone, vel ingenioſa caligine arcanum involvit ſenſum*. Obſcuritatem & tenebras affectat, vixque intelligi poteſt, niſi vel Authore ipſo interpretante, vel ſagaci Ingenio ſecretum rimante. Fit iterum triplici modo, vel *litteris*, vel *Sententiis*, vel *Figuris* ſeu coloribus. Ænigma Litteris expreſſum, fit vel unico Charactere, ut v. g. O, ſignificat, Solem, Lunam, Orbem. Vel pluribus litteris; ejuſmodi eſt ille verſus à Pſeudo-Angelo (ut dicitur) traditus Solitario, qui culpabili curioſitate petierat ſibi revelari, quid ſaluti obtinendæ foret omnino neceſſarium; Difficilem (ait Dæmon) rem petiſti & deſideras; non ſalvaberis, niſi ea quæ hoc verſu continentur Deo præſtes,

Dimidium Lunæ, Solem cum Principe Romæ.

Obſtupuit ille, & ex propoſito Ænigmate extra ſpem fere poſitus jam meditabatur ruinam, niſi melioris Angeli correctione & inſtructione reſipuiſſet; docuit enim COR, his ſignificari Symbolis; nimirum littera C. adumbrata per Lunæ dimidium, O ſolis orbe, R, initiali littera quæ Romam appellat. Sententiis etiam effigitur Ænigma, quale eſt illud Samſonis ad Philiſtiim Judic. 14. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*. Pingitur tandem Figuris ac coloribus Ænigma; ſic Annus pingi poteſt ſub forma viri Senioris, quem circumſtent duodecim Filii diverſis Inſignibus ornati; quibus duodecim Menſes cum ſuis fructibus deſignarentur. Poſſent cuilibet Fratri addi triginta Sorores bicolores, quæ tot dies luce & tenebris bipertitos exhiberent.

Emblema. 4. Emblema dicitur *quodlibet Symbolum ingenioſè excogitatum ad Mores ſpectans, & plerumque addito Lemmate, quod totius picturæ arcanum arguto Effato complectitur*. Differt autem ab Ænigmate, quòd iſtud ſit obſcurum & ambiguum, deinde Res ſolummodo deſignet; Emblema verò, Mores, Virtutem, Dignitatemque & his ſimilia exprimat. Si quid habeat obſcuritatis, acceſſorium eſt & alienum; amat enim patere, præſertim doctis & ſagacibus. Emblematum exempla habes apud Alciatum.

Proverbium. 5. Adagium, *eſt celebre Dictum, ſcita quadam novitate inſigne*. Aliis eſt vulgare Dictum & multorum uſu tritum. Dicitur autem *Paroimia & Proverbium*; habet in ſe aliquando non nihil obſcuri, unde ab Ænigmate obſcuritatem ſemper affectante diſtinguitur, ſtrictis pauciſque verbis abſolvitur, in quo differt à Parabola, quæ longiori ſermone diduci ſolet; Ideoque non malè dici poſſet Epiphonematica parabola; ejuſmodi eſt decantatum iſtud, NE QUID NIMIS. Vel, *Noſce teipſum*.

Parabola. 6. Parabola, *eſt Narratio rei fictæ quaſi geſtæ, ſed poſſibilis & relatæ ad rem futuram*. Secernitur ab Hiſtoria, quod hæc rei geſtæ deſcriptionem

nem complectatur, illa verò fictam, licèt veriſimilem, exponit. Frequentiſſimam fuiſſe Chriſto & Apoſtolis Parabolam liquet ex Evangelio, quod perpetuis parabolarum Similitudinibus ac involucris pertexitur. Modò enim Chriſtus dixit Regnum Cœlorum ſimile eſſe Sagenæ miſſæ in mare, modo Theſauro abſcondito, &c. quæ occurrunt cuilibet ſacras Paginas evolventi.

7. Apologus ſeu Fabula, definitur *ſermo falſus veritatem effingens*. Differt à Parabola preſsè ſumpta, eò quòd hæc Hiſtoriam imitatur, dum veriſimilia narrat; Apologus verò ut plurimùm impoſſibilia fabuloſo more recenſet; qualia ſunt Arborum, Brutorum, &c. colloquia & conſilia. Apologus eſt quod de Lignis ad Electionem Regis coeuntibus narratur Judic. 9. 8. his verbis, *Ierunt Ligna ut ungerent ſibi Regem*, &c. *Apologi*, ut ait Fabius l. 5. c. 11. *ducere ſolent animos præcipuè Ruſticorum & imperitorum, qui & ſimpliciùs quæ ficta ſunt audiunt, & capti voluptate, facilè iis quibus delectantur, conſentiunt*, &c. Obſervandum eſt tamen in Apologorum uſu, ne ſint crebriores, ne dictione nimis faceta & quæ ad ſcurrilitatem accedat, texantur; Perſonam, Locum, & Propoſitum deceant; ſæpiùs ante occupatione ſeu præparatione, ut benignè audiantur, indigent; ſed ad Mores inſtituendos Affabulatione non contorta ſemper inflectantur. Apologus ſeu Fabula.

9. Apophthegma definitur à Budæo, *Dictum breve, rotundum, & ſententioſum, plerumque ab inſignioribus viris ex tempore prolatum*. Sententia eſt *Oratio brevi complexu aliquid quod ad hortandum dehortandumve pertinet, explicans*. Conveniunt quidem hæc duo, at nonnihil diſſident, in eo quòd Sententia plerumque laxiùs ſumitur & ad Decreti formam accedit. Ejuſmodi eſt iſtud à Tiberio Cæſare Dictum: *Boni Paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere*. Apophthegma verò, vivacioris, & acutioris genii, ad occaſionem datam, fere extempore reſpondentis Dictum ſapit; qualia ſunt permulta à Pontificibus, Imperatoribus, Regibus & paris notæ viris laconicè & argutè pronunciata. Apophthegmatum exempla ſelecta habes à Plutarcho in libro quem de hac re ſcripſit ad Trajanum. Quomodo verſari debeant ſeu Sententiæ ſeu Apophthegmata, tradunt omnes Rhetores, quos conſulere poterit qui his voluerit uti; dicam ſolummodò in his ſobrium eſſe debere Eccleſiaſtam; feliciter quidem Concionibus permiſcentur, ſi prudenter & ingenioſè: plerumque præmunitur & conciliatur Auditor, brevi commendatione ejus qui Sententiam vel Apophthegma protulit; deinde explicatur; tum dilatatur à Cauſa, Contrario, Similitudine, Exemplo, Teſtimonio veterum, ac tandem brevi clauditur Epilogo. Sæpiùs etiam fuſioris ampliationis moras fugit, ſed opportunitate data adhibetur breviter & appoſitè. Apophthegma. Sententia.

10. Artes permultæ ſunt quæ Liberum decent & idoneam ad Orationes ſupellectilem miniſtrant Eccleſiaſtæ, potiſſimùm Similitudinibus Locus ab Artibus.

ab

ab iiſdem deſumptis. Ex pluribus trium exempla profero, ſunt autem *Statuaria*, *Pictoria*, & *Arboraria*: harum methodum in exercendis ſuis operibus tradere poterit Eccleſiaſtes, ut Auditor in Chriſtianum efformetur. Quemadmodum enim qui Statuis conficiendis navat operam, priùs Materiam ineptam ac ſupervacaneam detrahit quàm figura exeat; Pictor autem contraria methodo, colores adjicit; Arborarius vero cultor Sculptorem partim imitatus, partim Pictorem, modò luxuriantes ramos amputat; modò iis in aliquam figuram plexis formam alicujus animalis addit; horum inſtar, Chriſtianus in ſe Chriſtum efformabit, nimirum vel amputatione vitiorum, vel virtutum additione, vel denique Morum quos natura indidit correctione & in debitam rectitudinem formatione. In cæteris Artibus, præcipuè Ingenuis, plurima ſunt ejuſmodi, quæ ad Concionum elegantiam, elucidationem & ampliationem poſſunt à ſagaci & induſtrio Eccleſiaſta feliciter accommodari.

CAPUT VI.

De Locis Propriis & ad ſingula Cauſarum Genera accommodatis. De variis Argumentorum Formis.

Tria ſunt Cauſarum Genera.

1 TRIA ſunt Cauſarum Genera ut ſæpe dictum eſt, & ex profeſſo docetur 2. Parte hujus operis, ſcilicet *Didaſcalicum*, quod Doctrinæ tradendæ deſtinatur; *Exornativum*, quod Laudi aut Vituperio; *Deliberativum*, quod Suaſioni aut Diſſuaſioni impenditur: His tribus aliæ tamquam Generibus Species & Totis partes comprehenduntur, quæ eorumdem Formas imitatæ eorumdem legibus ac methodis tractantur. Singulis Cauſarum Generibus eorumque Partibus inſervire poſſunt omnes Loci, quos Communes & quadruplici Promptuario incluſos ſupra diximus: Quilibet enim ex his Fontibus varias & idoneas rationes fundere poteſt, quibus utatur Eccleſiaſtes, ſeu Doceat, ſeu Exornet, ſeu Suadeat: verumtamen adeo ferax eſt Eloquentiæ ſinus, ut Communibus Locis Proprios adjiciat ſingulis Cauſarum Generibus accommodatos, qui etiamſi ad omne Dicendi Genus utiles eſſe poſſint, ita nihilominus in ſpeciales ſingulorum Generum ſcopos collineant, rationeſque illuc adeo rectè dirigunt, ut propterea Loci Proprii appellentur. Tales ſunt ferè omnes Loci Dialectici, qui ad Didaſcalicum Genus ſpectant, huic enim videntur Proprii: Ad Exornativum, Loci quos diximus Oratorios, nec-non & Miſcellanei: Deliberativo inſerviunt Loci ab Honeſto, ab Utili, à Facili, &c. ducti; de his inquam Locis ex profeſſò agitur in 2. P. ubi ſingulis Generibus præ-

præponuntur Propria Promptuaria, ideo ſtudioſum Lectorem illuc remittimus.

2. Varias induere poſſunt formas quæcumque rationes à Communibus vel Propriis ducuntur Locis, modò enim Syllogiſmi Logici figura proponuntur, modò Enthymematis, aliàs Soritis vel Inductionis, alteriuſve Argumentationis Idea effinguntur: At quoniam ejuſmodi Argumentorum conformatio Diſpoſitionis opus eſt; eam ob rem ſequenti Libro, qui tertius eſt, tractanda relinquitur.

3. Supereſt ad præfatorum Locorum planiorem uſum, ut aliquod proferamus Exemplum, quod Regularum traditarum praxim ac veluti ſpeculum ad imitationem & intelligentiam Tyronibus exhibeat. En quæ calamo feſtinanti occurrere, tum apud D. Paulum, tum apud D. Chryſoſtomum, tum etiam in Concionis Idea levi penicillo fortè delineata.

Promptuarii uſus apud D. Paulum.

A Definitione, Fidei Naturam pingit, Hebræ. 11. his verbis: *Eſt autem Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, Argumentum non apparentium.* Quam Deſcriptionem ſic explicat D. Thomas: Res ſperandæ (inquit) ſunt ſicut arbor in ſemine virtute latens, ac per Fidem quodammodo jam exiſtunt in nobis.

A Cauſis plurima & validiſſima argumenta ducere ſolent Oratores. Fuit iſte Locus D. Paulo familiaris. Cauſa Materiali utitur, dum 1. Cor. 15. ait: *Primus Homo de Terra Terrenus*, &c. A Cauſa Formali, Philip. 3. *Imitatores mei eſtote, Fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis Formam noſtram.* Roman. 8. *Qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* Unde D. Bernardus cap. 3. Medit. O Anima inſignita Dei imagine, decorata Similitudine, quid tibi cum carne? &c. A Cauſa Finali. 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in Gloriam Dei facite.* A Cauſa Efficiente, Philipp. 2. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* A Cauſa Inſtrumentali, 1. Cor. 3. *Dei ſumus Adjutores.*

Ab Effectis argumentatur Epheſ. 2. probans inde nos debere opera bona perficere: *Ipſius enim ſumus Factura, creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis.* Virginitatis excellentiam oſtendit ab Effectis cùm virtutis hujus, tum Matrimonii. 1. Cor. 7. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt Mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Mulier Innupta cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.*

Ab Adjunctis Antecedentibus; Roman. 8. *Si Filii* & *Hæredes.* A Concomitantibus, 1. Cor. 6. *Ecce nunc Tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* A Conſequentibus Rom. 6. 21. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*

A Perſonis, 1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava:* A

Contrariis, Rom. 14. *Non eſt enim Regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & Pax & Gaudium in Spiritu ſancto*. A Privativis, Rom. 13. *Abjiciamus ergo opera Tenebrarum, & induamur arma Lucis*. A Comparatis, 1. Cor. 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. A Minori ad Majus, Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire Juſtitiæ in ſanctificationem. A Majori ad Minus, Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Cætera ejuſmodi exempla apud D. Paulum frequentiſſima occurrent vel minimùm attendenti.

Promptuarii uſus apud D. Chryſoſtomum.

DIVUS Chryſoſtomus Hom. 4. de Laud. D. Pauli, Converſionem Mundi opera & doctrina Apoſtoli mirabilem oſtendit, ex omnibus circumſtantiis quæ rei amplificandæ inſervire poſſunt, his verbis: Quomodo Paulus cum illa Arte viliſſima, tantam potuit inſpirare virtutem, quantam ipſe teſtatur rerum effectus? *En Propoſitio, deinde exaggerat opus à Perſona, à Re & Mediis*. Homo enim ignobilis, abjectus & circumforaneus, qui Artem exercebat in Pellibus; in tantum virtute progreſſus eſt, ut vix triginta annorum ſpatio & Romanos & Perſas, Parthos & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorſus Humanum genus ſub jugum mitteret veritatis. *Orationem variat Interrogationis Figura*. Reſponde igitur, Unde iſte Opifex vilis & publicus, ſtans in loco Artis ſuæ, ac Scaſellum in manu gerens, ita & ipſe philoſophatus fuerit, & alios docuerit philoſophari? Gentes, ſcilicet Urbes atque Regiones? nec vim in ſe Sermonis oſtendens? Audi ipſum loquentem, *Etſi imperitus ſermone*: Nec pecunias poſſidens; nam hoc quoque ipſe teſtatur: *Uſque ad hanc* (inquit) *horam, & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur*. Et quid dico, pecunias, cùm ille ſæpe neceſſarium quidem non haberet cibum, nec quo ſe circumdaret indumentum? *Iterum ab Adjunctis imparem probat tanto operi perficiendo*. Quod verò nec de profeſſione clarus fuerit, ipſius Diſcipulus oſtendit, dicens, quoniam manebat apud Aquilam & Priſcillam, propterea quòd ejuſdem Artis eſſent: erant enim Scenofactoriæ Artis. Non igitur à Proavis Nobilis, quippe qui tam vilis fuiſſe Artis oſtenditur. Non à Patria, non à Gente; tamen progreſſus in medium, ac tantummodo apparens inimicorum cuncta turbavit, univerſa confudit, & ſicut in ſtipulas aut in fœnum ignis immiſſus, omnia Dæmonum opera conſumpſit, atque in quid voluit, omnia convertit. *Deinde orationem variat ornatu Conceſſionis*. At nobilis & eruditus erat forte perſuaſor? Nec iſtud quidem; nam hoc quoque confirmavit dicens: Et ego veni ad vos, non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi

Quis? Perſona tenuis.

Quid? Magnum opus.

Quomodo? Mediis imparibus.

A Fortuna.

A Parentibus.

A Contrariis & Repugnantibus.

Ab Inſufficientia.

Ab Inhoneſto.

Digitized by Google

niſi Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum. Et Sermo meus & Prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis. Sed Cauſa nimirum ipſa Prædicationis erat idonea, quæ ad ſe pertraheret Audientes? Accipe quid etiam ſuper hac re ipſe pronuntiet. Quoniam (inquit) Judæi ſigna petunt & Græci Sapientiam quærunt; Nos autem, Prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem Scandalum, Græcis autem Stultitiam. Sed ſecuritate ac libertate perfunctus eſt? At omnino à periculis nunquam reſpiravit. Et ego (inquit) in infirmitate ac timore & tremore multo fui apud vos. *Epilogum texit per Illationem.* Cùm igitur Prædicator & imperitus, cùm etiam pauper eſſet, & prorſus ignobilis; Et quod prædicabatur, non modò commendatione ſui eſſet vacuum, verùm etiam offenſione pleniſſimum: Et auditores ipſi inopes, imbecilles, atque omnino nulli: Et pericula tam crebra, tam varia, non Doctoribus ſolùm, ſed etiam Diſcipulis imminerent: Et crucifixus eſſet qui annuntiabatur adorandus: Num ſatis liquet, hoc tantum Opus, non Humana, ſed Divina fuiſſe virtute perfectum? A Difficili.

Aliud Exemplum ab eodem Chryſoſtomo profero Homil. 1. contra Judæos. Is igitur Factum illius Mulieris quæ unxit caput Chriſti maximè celebrandum ait, & ex Adjunctis amplificat. In omnibus (inquit) Eccleſiis appellari Mulierem audivimus. *En Res geſta quàm à Majori dilatat.* Sunt Conſules, Duces, Viri, Mulieres Nobiles in omnibus urbibus & in quaſcumque orbis partes deveneris, ſummo cum ſilentio audiunt omnes hujus Mulieris officium. Sunt Reginæ, primariæque Fœminæ, quæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant; quæ ne de Nomine quidem ulli notæ ſunt. Hæc autem abjecta Mulier, quæ ſolum effudit unguentum, toto terrarum Orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immenſa longitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet unquam: Idque cùm Factum ipſum non eſſet inſigne. Quid enim magni erat unguentum effundere? Neque Perſona eſſet celebris; erat enim Mulier abjecta: Neque multi Teſtes aderant, nam inter Diſcipulos res eſt geſta. Neque Locus nobilis; neque enim hoc faciebat per Theatrum tranſiens, ſed in domo, decem duntaxat hominibus præſentibus. Attamen, neque Perſonæ vilitas, neque Teſtium paucitas, neque ulla res alia potuit illius abolere memoriam. Quin potiùs Reginis omnibus, ac Regibus univerſis celebrior eſt hæc Mulier, nec ulla ætas oblivioni tradidit quod factum eſt. Vides, quàm bellè Chryſoſtomus amplificet à Circumſtantiis tum Perſonarum, tum Rerum. Aliud profero exemplum in Concionis ſummaria Forma, quæ à Locis Dialecticis petitur. A Comparatis. Ab Incredibili.

Promptuarii Praxis in efformanda Concione.

PRopoſitum occurrit de celebri Panum multiplicatione à Chriſto ſacta ut multitudinem in deſerto eſurientem reficeret, de qua agitur

Domin. 4. Qudrageſ. Ideoque pro Themate ſit illud Evangelii ſecundùm Joan. c. 6. *Abiit Jeſus trans Mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eum multitudo magna*. Inde occaſio ſumitur de ſuadenda Eleemoſyna.

Exordium peti poteſt à commendatione Divinæ Providentiæ, quæ nulli deeſt; atque ejuſmodi commendatio fiet brevi propoſitione, in his aut ſimilibus verbis: *Ea eſt Divinæ Providentiæ de rebus Humanis cura, ut omnibus ſufficienter largita, nulli deſit, maximè in neceſſariis*. En Propoſitio. Deinde ad rem geſtam acceditur; *Id quidem innumeris liquet experimentis; At planè conſtat hodierno Miraculo quo Chriſtus numeroſam multitudinem fame perituram abundanter pavit*. Planus eſt & apertus iſte introitus; tum ſubjicienda eſt brevis& dilucida Facti Narratio, per circumſtantiis Perſonarum, Loci, Temporis, &c. deducta, quam claudere debet Applicatio in hunc ferè modum: *Ex hoc Charitatis Divinæ Miraculo, plura quidem diſcimus, ſed præſertim edocemur Pauperum neceſſitatibus per Eleemoſynam ſubvenire; Hoc igitur erit Propoſitum quod hodie tractandum ſuſcipio*, &c.

Ab Adjunctis.

Introductio ducetur à Genere, ſcilicet à Charitate erga proximum quæ Eleemoſynæ largitionem ſub ſe tanquam Genus Speciem, aut Totum Partem complectitur. v. g. *Antequam de Eleemoſyna quidquam dicamus, lubet ab ejus origine auſpicari; Charitas eſt, quæ bonorum omnium quæ ſolent in proximos errogari, radix eſt & fundamentum*. Definitur deinde Charitas in Proximum, quæ in Beneficentia conſiſtit, cujus duæ ſunt Species: Alia ſcilicet ſpectat ad Animam,continetque ſubſidia ſpiritualia. Ad Corpus pertinet altera, quæ opera Miſericordiæ erga Corpus exercet, quæ iterum multiplicia ſunt, &c.

A Genere.

A Diſtributione Generis in Specie.

Ex his Eleemoſyna ſeligitur ſuadenda, cujus nomen Græcum poteſt interpretatione explicari; Miſericordiam enim Latinè ſonat, fietque Locus à Notatione Nominis. Deinde fieri poterit Enumeratio ſeu Deſcriptio rerum quæ per Eleemoſynam poſſunt ad Miſerorum levamen impendi, qualia ſunt veſtimenta, alimenta, aliaque ſubſidia. Tum fiet progreſſus ad Diviſionem Concionis per eas Cauſas quæ Eleemoſynæ largitionem partiri poſſunt. v. g. *Nulla ferè de rei cognitione difficultas eſt, innoteſcit enim omnimodè. At difficultatis cardo vertitur tribus maximè capitibus. Quæritur* 1. *Quis teneatur ad Eleemoſynam faciendam?* 2. *Unde & ex quo facienda ſit?* 3. *Quomodo & qua intentione ſit eroganda?* Ubi vides Diviſionem ſumi à triplici Cauſa, Effectrice, Materiali & Formali ſeu Finali. Poterat etiam Partitio fieri per effectus: v. g. *Per Eleemoſynam*, 1. *Culpæ reatus diluitur*, 2. *Gratiæ Theſaurus augetur*, 3. *Gloriæ ſpes firmatur*. Vel iterum, Boni triplicis ſpecie ſuadebitur Eleemoſyna, *Honeſtum quippe eſt, Facile, & Utile, alteri Benefacere*. Perviæ ſunt hujuſmodi Diviſiones, ut patebit ex dicendis in 3. Lib. ubi ex profeſſo de Diviſionis Inventione agetur. Sto interea primæ Partitioni per Cauſas, quarum probationes ſingulis Partibus compendioſè ſuggero.

Notatio Nominis.

Diviſio per Cauſas.

Vel per Effectus.

Vel per Motiva triplicis Boni.

1. Pars

1. Pars *à Cauſa Efficiente*. v.g. Eleemoſynam fieri debere, vix inficiatur aliquis, hoc enim conſenſus Hominum communis ita evincit, ut ſanæ mentis nemo ſit qui propoſitionem generico ſenſu acceptam neget, &c. At hujuſmodi obligationem, alter in alterum rejicit, ſemetipſum arbitratus à Lege univerſali immunem. Contra ego ſentio, nullum eſſe, qui ad Eleemoſynam pro ſua facultate erogandam non teneatur. Illud autem evinco tribus rationibus quæ ad omnes (nemine excepto) ſpectant. 1. *Naturæ* ſenſus hoc Beneficentiæ debitum ab Humanitate omnibus indita, expoſcit; Naturale eſt enim ſimilem ſimili, Partem parti ſubſidium ferre, &c. 2. *Gratiæ* Leges hoc jubent, Chriſtus enim, Evangelium, Patres, &c. præcipiunt omnibus Eleemoſynæ largitionem. 3. *Gloriæ* Præmia, omnibus per Eleemoſynam conquirenda, ejus diſtributionem ſuadent. Quis ergo ſe à debito tot ac tantis rationibus ſtabilito eximere velit, aut ſaltem poſſit? Jura ergo Naturæ abroget; Gratiæ præcepta conculcet, Gloriæ præmia derideat, &c.

Eleemoſyna ſuadetur.

A Natura.

A Gratia.

A Gloria.

2. Pars *à Cauſa Materiali*. At (inquit) unde & ex quonam habebo, ut Eleemoſynæ debito faciam ſatis? Antequam dem reſponſum; unum ſtatuere velim de quo inter nos convenire par eſt; Deum ſcilicet nemini defuiſſe, ſed omnibus ſufficienter providiſſe de neceſſariis, cujus etiam Providentiæ fundum alicubi reliquerit, ut ſuis vicibus fungatur. Et certè id veriſſimum eſſe debet, cùm ipſe Deus ſit omnium Creator, Pater, Redemptor, &c. At hac propoſitione ſtatuta, dico Fundum à Providentia Divina deſignatum ad Pauperum ſuſtentationem eſſe triplicem; peti enim debet ab alterius bonis, quæ abſumuntur ſumptibus vel ſuperfluis, vel vitioſis, vel etiam neceſſariis, &c. Sed heu! quàm pauci ſunt, qui ex indicato triplici fonte aliquid detrahere velint, ut Miſerorum Fratrum, & Cohæredum indigentiæ occurrant? Malunt quippe commiſſa & depoſita bona crudeli manu diſſipare inutiliter & vitioſè, quàm de his vel minimum ad perituræ plebis levamen humaniter & religioſè diſpenſare: Quid ab his ſperari poterit ſi de Neceſſariis commodis modicum quid expoſcatur? Conquerimini, conquerimini, ò Pauperes! juſta erit veſtra expoſtulatio. Veſtrum eſt enim Patrimonium à Deo communi Parente deſtinatum, quod Divites in veſtium conviviorumque luxus diſpendunt, &c.

Eleemoſyna deſumenda ex ſuperfluis vitioſis neceſſariis.

3. Pars *à Cauſa Formali*, *ſeu finali*. Eleemoſynæ, ſicut & cæteris virtutibus, ſua debetur Forma, ſuus eſt præſcribendus Finis. Primam excipit à Charitate ſeu Gratia, alterum ab Intentione. Triplex Finis intendi poteſt ab eo qui Eleemoſynam facit, Humanus, Vanus, Divinus. Prior qui motivo purè Naturali utitur, inſufficiens eſt & perfici debet. Alter qui Jactantiæ obſequitur repudium meretur. Tertius, qui Deum ſolum attendit, ſectandus eſt. Videte ergo quo ex his motivis ducamini, cùm operibus miſericordiæ largiendo Eleemoſynam vacatis, &c. Ex præfato exemplo patet quomodo verſari poſſunt Promptuariorum Fontes ad Concionis ſtructuram.

Eleemoſynæ intentum.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Methodus Collectanea: ſeu quomodo exceptaneus Codex, qui Collectiones dici ſolet, parari debeat.

1. QUI Memoria felici pollent, his non eſt opus Exſcripto Promptuario; illa enim velut Horreum refertiſſimum & Theſaurus locupletiſſimus, quæcumque legit vel audiit notatu digna ſuo ſinu fovens, eadem opportunè reddit abſque codice, unde non modicus labor, qui in Collectionibus parandis ſemper ineſt, commodiſſimè levatur: At cùm vix reperiatur aliquis adeo Memorioſus, ut nihil lectorum vel auditorum ipſi excidat, immo nullus non conqueratur de labili tenacitate hujus Facultatis qua operoſiſſimi etiam ſtudii vigilantia laborque evaneſcit; ideo ut tantæ jacturæ obviam eatur, meritò conſulitur, præſertim Tyronibus, ut parent ſibi Codices Exceptaneos, quibus Pandectarum ſeu Sylvæ Concionatoriæ, ſeu Armamentarii nomen inſcribi poſſet, niſi mavis Promptuarium Collectaneum, vel Collectiones (ut vulgo nuncupatur) appellare. Qua methodo parari feliciter queat, hic Novitium doceo: ſed priùs quædam advertat.

Primum eſt ut prudentiam judiciumque adhibeat in colligenda ſupellectile; neque enim proficit res quaſcumque obvias, tritiores etiam & viliores prout occurrunt, in penu recondere (quod junioribus & imperitis omnia indiſcriminatim plerumque accidit) immo indiſcreta Materiarum coacervatio plurimum obeſt melioribus indigenti; tumultuaria enim farragine Collectorem onerat, relegentem & uti volentem turbat, tempus inutili labore conſumit, & codices quiſquiliis quarum poſtea pudebit occupat. Præſtat igitur paucioribus, ſed pretioſioribus contentum, his frui, quàm ſupervacaneis & vilioribus abundantem, inter eadem penuria premi. Attendendum eſt ergo ad tria: Primum eſt, ad Authores qui legi debent. Secundum eſt, ad ea quæ notatu digna ſunt, tum ad ea quæ Imitationem merentur. Hæc tria ſatis ſanè (niſi fallor) explicui L. 1. hujuſce Partis. cap. 3. art. 4. & 5. ubi de Exercitatione & Imitatione dictum eſt. Locum conſulat Eccleſiaſtes, illuc ipſum remitto; ne actum agere videar. Jam de Methodis Collectaneis ago, quas ad quinque revoco. *Fortuitam ſeu Miſcellaneam*, *Alphabeticam*, *Epidicticam*, *Compendiariam*, *Tranſcendentalem*. His plures addere poterit ſtudioſi Collectoris induſtria.

2. Miſcellaneus Codex ſeu Fortuita colligendi Methodus, non alia ra-

tione

Digitized by Google

tione ſupellectilem congregat quàm prout caſu & ex tempore occurrit, tum in legendo, tum in audiendo. Hoc autem modo fiet; Paretur Codex duobus aut tribus chartæ foliis conſtans, in cujus paginis ſingulis quidquid notatu dignum judicaverit reponat. Paginarum vertici inſcribantur numeri qui unam ab aliis diſtinguant. Relinquatur ex utroque paginarum latere ſpatium ſeu limbulus, in altero quidem notentur numeri qui res adnotatas indicent ac ſeparent, in altero verò coram ſingulis conceptibus ex ſcriptis apponatur eorum ſumma, in qua dictio ſenſum præcipuum complexa, charactere majuſcolo pingatur. Tum ne excreſcens codicum numerus confuſionem pariat multitudine, diſtinguantur codices ſinguli Alphabetico Charactere qui limbo inferiori appictus unum ab alio ſecernet. V. g. primus inſigniatur littera A, ſecundus littera B notetur, & ſic de cæteris. Idem munus præſtabunt Characteres numeri ibidem adſcripti. Tum ad uſum inſtruatur index generalis materias præcipuas alphabetico ordine diſpoſitas complectens, quibus apponetur ad perquiſitionis facilitatem, numerus paginæ in qua continetur ſententia veſtiganda, deinde numerus alter quo ſinguli conceptus inter ſe diſtinguuntur; tum Character vel Alphabeticus vel numericus quo ipſi Codices à ſe invicem diſcreti notantur. Exemplo res fiet planior. Agatur de miſericordia cujus ſententioſum & argutum aliquid inſertum ſit tertio v. g. Codici qui diſtinguitur littera C. & ut ſuppono in pagina 6. ſub numero 8. ſic commodè in indice notabitur & occurret ſub littera M. verbo Miſericordia, cum his indiciis; Cod. C. pag. 6. num. 8.

Fortuitæ & Miſcellaneæ Collectiones.

Fortuitum iſtud Promptuarium aliqui unicum volunt pro quibuſcumque rebus adnotandis, in plures miſcellaneos codices propagandum pro ſuccreſcentis ſupellectilis abundantia : illud eſt cujus methodum mox tradidi. Aliqui plurima parant Promptuaria, eaque diſtincta, & ſuperiori methodo ordinata; ſed alia colligendis conceptibus exquiſitis deſtinant; alia SS. Patrum teſtimoniis argutioribus; alia ingenioſis Concionum Partitionibus; alia denique pro effatis politioribus, pro ipſorum etiam Verborum compoſitionibus elegantioribus ac terſioribus loquendi formulis. Quæ ex alterutra methodo præferenda ſit, an ſcilicet miſceri an diſtingui debeat, Oratoris prudentis arbitrio relinquitur.

3. Alphabeticum Promptuarium, præfigit paginis diſtinctis Titulos varios alphabetico diſpoſitos ordine ad inſtar Polyantheæ; his autem Titulis ſubjiciuntur materiæ quæ ad eorumdem ſenſum ſpectare videbuntur, quæ etiam inter ſe ordinentur Alphabeticè V. G. Abſtinentia, &c. Acedia, &c. Adoratio, &c. Huic methodo (ſi bene ſentio) iſtud incommodum annectitur, quòd plures paginæ præfatis Titulis inſignitæ, diu vacuæ fiant neceſſariò, donec ſcilicet fortuna & ſtudio faventibus repleantur.

4. Oratorium Armamentarium, appello Codicem in quo Loci Oratoribus communes cum ſua ſupellectile continentur. Loci autem Oratorii

ſunt

ſunt Nomen, Natio, Patria, &c. Virtutes, Vitia, &c. de quibus actum eſt ſupra in Promptuario Oratorio. His ergo Titulis per diverſas Chartas præfixis, ſubjiciantur quæ ad illos ſpectare viſa fuerint, & magnam utilitatem pro data opportunitate Orator inde reportabit.

5. Aliquibus in uſu eſt index Generalis, ad omnes quas ſuo labore confecerunt Conciones. Utilitate non caret hujuſmodi diligentia, prodeſt enim, ut brevi pateat quidquid eximium variis in locis diſpergitur. Aliis familiare eſt, præcipua Concionum ſuarum capita, prout jacent ſtrictim in Collectaneis Chartis compingere; v. g. Exordii, Introductionis, Diviſionis, Partiumque ſummam compendioſè notare. Valet illa Synopſis ſummaria, ut uno & brevi intuitu exhibita Concio faciliùs memoriæ inhæreat, & ſi forſan depereat Concio, tunc facilè reſarcietur jactura, compendii ſubſidio.

6. Tranſcendens Promptuarium fit ex principiis quibuſdam univerſaliſſimis ſub quibus omnis ſtudii ſupellex comprehendatur. Methodus illa videtur primùm à Raymundo Lullio profundæ meditationis viro excogitata, & à R.P. Yvone Pariſienſi Capucino ætatis noſtræ doctiſſimo, & diſertiſſimo expolita docetur in Præloquiis, quæ libris eruditiſſimis quos inſcribit Digeſtum Sapientiæ præpoſuit. Illuc te confer, & methodum Lullianam cum Encyclopædia omnium ſcientiarum locupletiſſima conſequeris.

LIBER TERTIUS.

OECONOMIA

ELOQUENTIAE CHRISTIANAE,

SEU

DE DISPOSITIONE CONCIONIS.

PRÆFATIO.

QUOD Mundo tribuere Ordo dicitur, hoc Concioni præſtat Oeconomia ſeu Diſpoſitio. Quemadmodum enim, ille varias Mundi partes in proprios ſitus ac debita officia diſtribuens, iis virtutem inſpergit ac decorem; ſic iſta excogitatam à ſtudioſo Eccleſiaſta ſupellectilem in legitimas ſedes ac idonea munera diſpenſans, eidem comparat formam, efficaciam & elegantiam. Hinc Diſpoſitionis magna prorſus ac omnino neceſſaria utilitas. Oeconomiæ ſeu Diſpoſitionis Neceſſitas.

Oeconomia igitur, ſeu Diſpoſitio, quæ Orationem ordinare ſatagit, Pars eſt Eloquentiæ non minima, ideoque ab Oratoribus ſolet hic plurimùm commendari. Ordinata Concio (inquiunt) ſimilis eſt ſtructuræ Corporis Humani ex omni parte abſoluti, à qua demere, vel cui addere nemo poſſit abſque pulchritudinis vigoriſque diſpendio. Alii comparationem inſtituunt cum Exercitu ad Militaris Diſciplinæ leges optimè inſtructo, cujus vel modica Manus, ſi fuerit ordinata, numeroſas copias ordine deſtitutas facilè fundet; ita Concio ingenioſè diſpoſita, elegans non modò fiet, ſed efficaciſſima etiam & maximè lacertoſa; ſecùs verò ſi Ordine caruerit, tumultuabitur, emarceſcet, ac nauſeans ſuaſionis fine fraudabitur: vel ſanè ſi quidquam effecerit, id fiet aut caſu & fortuitò; aut nonniſi apud imperitum vulgus, quod multitudine & indigeſta rerum congerie premitur potiùs, quàm ratione & ingenio ſuadeatur. Valet ſanè in omnibus rebus Ordo, at maximè in Oratione: nam (ut ait Tullius de Invent.) Rectè habita in Cauſa Partitio, illuſtrem & perſpicuam totam reddit Orationem. *Parco pluribus ad Diſpoſitionis laudem, ut ejuſdem Naturam, Partes, Officia & Methodum deinceps aperiam.*

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Oeconomia, ſeu diſpoſitio Oratoria, quæ ſint ejus ſpecies & munera, ac denique quomodo perficiatur?

Quid ſit Oeconomia?

DISPOSITIO definitur à Cicerone l. I. de Invent. *Rerum inventarum in ordinem diſtributio*. A Cornificio l. I. dicitur *Ordo ac Diſtributio rerum, quæ demonſtrat quid, quibuſve locis ſit collocandum*. Illud eſt quod hìc appellamus Œconomiam, cujus Natura ſatis ex præfatis Definitionibus intelligitur, in hoc nimirum conſiſtere, ut omnem Concionis ſupellectilem prudenter diſpenſet, eique ſitum, vices, figuras & tempus aſſignet, prout hæc potiſſimùm valitura ſperantur.

Varia Diſpoſitionis genera.

2. Triplex Diſpoſitionis ſpecies diſtingui ſolet, Alia *Naturalis* dicitur, alia *Artificialis*, alia *Arbitraria*.

Naturalis.

Naturalis Diſpoſitio, Naturæ obſervat Ordinem; qui iterum multiplex eſt; vel enim attendit Naturam, ita Cauſa præcedit Effectum; vel Tempus, ita Juventus prior eſt Senectute; vel Locum, ut Cœlum eſt ſuperius Terra; vel Dignitatem, ſic Aurum præſtat Plumbo.

Artificialis.

Artificialis Œconomia, eſt Ordo qui ab arte excultus, regulas ejus ac finem attendit potiùs quàm Naturam, à qua plerumque recedit, cùm id ratio popoſcerit. Iterum Triplex eſt hæc Diſpoſitionis Species; Alia *Analytica*, ſeu Reſolutiva; *Compoſitiva* altera; altera *Definitiva*. Prior, nimirum *Analytica Diſpoſitio*, eſt quæ aliquid in ea ſolvit ex quibus componitur, atque à Toto ad Partes progreditur: quod rurſus fieri poteſt quatuor modis. Primò, dum fit progreſſus à Toto ad ſuas partes (quas vocant Integrantes) ut ſi quis de Mundo dicat priùs, deinde de Elementis aliiſque partibus unde integritas Mundi conſtituitur. Secundò, cùm proceditur ad Generis Species; ut ſi dictum fuerit priùs de Fortitudine, poſtea verò de Magnanimitate in aggrediendo & Patientia in tolerando, quæ ſunt Fortitudinis ſpecies. Tertia Analyſis eſt, cùm propoſitio aliqua gradatim in ſua principia reſolvitur, ut ſi dicam Dei Amorem eſſe exercendum, quia Honeſtus eſt, Utilis & Facilis. Quartus Reſolutionis modus eſt, cùm à Fine ad Media regreſſus per ſimilem gradationem inſtituitur: ut ſi quis dixerit Eloquentiæ Chriſtianæ Finem eſſe, appoſitè ſuadere ad Dei Gloriam Hominumque ſalutis, is continuò ſubjicere debet media quibus ille Scopus attingi poſſit. V. g. idonearum rationum excogitatione, Diſpoſitione, expolitione, &c.

Analytica quadruplex.

Synthetica quadruplex.

Diſpoſitio Compoſitiva ſeu Synthetica, quatuor modis Analyticæ ſuperiori oppoſitis perficitur. Vel enim à Partibus ad Totum procedit, ut cùm ab Elementorum explicatione ad Mundi inſpectionem retroceditur. Vel

Digitized by Google

Vel à Speciebus ad Genus, ut cùm de Fortitudine agitur poſtquam de Magnanimitate & Patientia, quæ Fortitudinis Species ſunt, actum eſt. Vel à principiis ſeu Membris Propoſitionis, ad Propoſitionem ipſam integram fit regreſſus. Vel denique Media priùs, deinde Finis, explicantur.

Definitiva Diſpoſitio ex utraque præcedenti, hoc eſt, ex Compoſitiva & Reſolutiva coaleſcit. V. g. cùm res Definitur in Genere; deinde in ſuas Partes ſeu Species explicatur. Hæc methodus Generi Didaſcalico ſeu Doctrinæ tradendæ cenſetur aptiſſima. Diſpoſitio Definitiva.

Arbitraria Diſpoſitio eſt, quæ non ab Ordine Naturæ vel Artis regulis pendet, ſed ipſius Oratoris Arbitrio ſtatuitur. Arbitraria.

3. Artificialis ſeu Oratoriæ Diſpoſitionis Officium ut intelligatur, advertere oportet, Concionem pluribus partibus conſtare, quibus Ordinandis invigilat Oeconomia. Diſpoſitionis officia varia.

Primò, attendendæ ſunt Partes Concionis præcipuæ, quales ſunt Exordium, Introductio, Propoſitio, Confirmatio, & Epilogus. Has (inquam) partes potiores ordinare ſatagit Oeconomia, tum ut una ſecernatur ab altera, tum ut Rationes, Conceptus & Figuras, quæ unicui que parti conveniunt, prudenter diſpenſet.

Secundò, attendi debent Argumenta quibus Propoſitio innitetur. Cùm enim paucioribus vel pluribus, v. g. tribus aut quatuor rationibus Theſis ſeu Hypotheſis probari poſſit, ad Oeconomiam ſpectat decernere, non modò argumentorum numerum, ſed maximè eorundem inter ſe ordinem & ſtatum, hoc eſt, quodnam primo loco, quodnam ſecundo ſtatui, quid præcedere quidve ſequi debeat.

Tertiò denique Oeconomiæ intereſt aſſignare Argumentorum formam, ideſt; docere qua ſpecie Argumentationis uti convenit, Syllogiſmo ſcilicet vel Enthymemate, vel Inductione, &c. Denique, quæ Figura, quis Ornatus ac expolitio cùm Verborum tum ſententiarum ſingulis Concionis Partibus ac locis congruat. Quod ſanè maximi momenti eſt ad efficaciam & elegantiam, quamvis à pluribus ob inſcitiam vix attendatur: in quo fœdiſſimè labuntur, ita enim propria ſunt unicuique parti Argumenta & Ornamenta, ut ſi huic defuerint, vigor omnis ac venuſtas deficiant; immò rationes & figuræ ita ſibi invicem obſequuntur, ut ſepiùs altera ſit ad alteram gradus & præparatio, vel ejuſdem ſcopus & complementum. Ordinari debent inter ſe, Concionis Partes, Rationes, & Figuræ.

4. Modus quo perficienda eſt Concionis Diſpoſitio, pendet ferè ab Oratoris judicio, quo attenditur quid unicuique rei conveniat, ratione omnium circumſtantiarum à quibus res quælibet ſolet æſtimari. At quantùm in re arbitraria licet ſtatuere, ſequens methodus non videtur improbanda. V. g. Concio ſit inſtituenda de Tribulatione; Eccleſiaſtes parare debuit ſupellectilem & materiam huic propoſito convenientem; ſeu eam habuerit in Promptuario & Exceptaneo Codice repoſitam, ſeu ex libris vel ex memoria ſuggeſtam; Collectionum ſummam & capita breviter an-

notabit in charta ob id ſpeciatim parata ad inſtar compendiarii Indicis, ad cujus oram ſeu marginem, apponet numeros quibus varii Conceptus diſtinguantur & indicentur. Jam verò, cùm acceditur ad opus, inſpiciat, diſcutiatque ſeriò compendiarium Collectaneæ ſegetis Indicem, atque ex præmiſſa diſcuſſione perſpiciet quid unicuique Concionis partī ſit accommodandum, quid Exordio, quid Introductioni, quid Partitioni, quid Confirmationi, quid denique Perorationi congruat. Iterum Rationes & Argumenta inter ſe componat & comparet, ut dignoſcat quo ad invicem ordine collocari debeant. In Chartula ſeparata, notet quid aptum dignoverit vel ad perficiendum Exordium, vel ad ſternendam Introductionem, vel ad probandam & explicandam quamcumque aliam Concionis Partem; in qua rurſus Chartula diſtinguat Characteribus Arithmeticis varia conceptuum ac rerum capita, ſecundùm ordinem & locum quem mereri videbuntur: Ex ejuſmodi Ordinatione facillimum erit Concionem poſtea perficere dilucidam; ſupereſt enim, ut priùs prudenter diſpenſati Conceptus, Verbis deinde & Figuris veſtiantur ac expoliantur, prout ſingulis viſum eſt expedire. Res patebit in exemplo prænotato, quod ad calcem hujus tertii Libri remittimus.

CAPUT II.

De Partibus Concionis; ac primùm de Exordio.

Concionis Quinque ſunt Partes præcipuæ.

CONCIONEM brevi deſcriptione dico *Orationem ad regulas & leges Eloquentiæ Chriſtianæ concinnatam, qua Dei Gloria, Hominumque ſalus intenditur*. Ejus partes præcipuæ numerantur quinque: *Exordium*, *Introductio*, *Diviſio*, *Confirmatio & Epilogus*. Exordium eſt velut exterior aditus, viam ad interiora pandens. Introductio ſeu Ingreſſus, eſt veluti ſecundum Exordium, propoſitioni fundamenta ſternens, & locum quem in Judiciali Genere occupare ſolet Narratio, hìc in ſacris Pulpitis ferè ſemper obtinens. Diviſio ſeu Partitio, ſtatum Propoſitionis aperit, ac certo Partium numero (quas vocant Concionis Puncta) Theſim explicat. Confirmatio Propoſitionem rationibus probat, ſeu pluribus punctis, ſeu unico id præſtet; ſive Inventum aſſerat, ſive diluat adverſariorum argumenta. Epilogus denique ſeu Peroratio, totius Concionis vires colligit ut optatum finem aſſequatur, qui eſt Suadere, vel Diſſidere, Encomium vel Vituperium texere, docere Ignorantes vel delinquentes arguere.

Ratio Partium Concionis.

Præfatarum Partium rationem & numerum à variis ſimilitudinibus ducunt Oratores. Alii Concionem Aciei militari comparantes, ita ratiocinantur.

Digitized by Google

nantur. Primò (inquiunt) præcinentibus Lituis indicitur certaminis Cauſa & Tempus. Deinde, accedunt Velitationes futuri mox congreſſus præludia. Tum ſuccedunt Exercitus partitiones in diverſos certantium globos, quorum alter lævam, dextram alter alam aggreditur vel tuetur. Inſtant poſtea acriores pugnantium conflictus, cùm adorientium, tum reſiſtentium. Tandem devicto hoſte palma reportatur. Totidem ferè partibus geritur Oratorium Certamen; Exordium enim præit, proludit Introductio, diſtribuit in partes Diviſio, congreditur Confirmatio, Coronam denique triumphanti appendit Peroratio. Alii Concionem dicunt ſimilem auguſto palatio, cujus parte illa imitatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Exordii Definitio, Neceſſitas, Officia, Proprietates, & Vitia.

1. E*Xordium eſt ea Concionis pars quæ Auditoris animum appoſito modo parat & prolicit ad audiendum*. Multifariam nominari conſuevit; dicitur quippe *Prooemium*, *Præfatio*, *Præloquium*, *Ingreſſus*, *Introductio*, *Prologus*, & *Ave Maria*, hac ultima denominatione ſumpta ab Angelica ſalutatione, quam Concionatores præmittere ſolent, ut divinam opem implorent B. Virginis patrocinio; Nos *Exordium* appellamus. Exordii Definitio.

2. Athenienſium lex erat omnia Exordiorum præloquia in Areopago reſcindere; ne Verborum inutili & ſubdolo circuitu deluſi Judices aberrarent ab æquo in ſententia ferenda: Ideoque apud illos fidei ac nudæ propoſitionis uſus ſincerus & planus, præmunitiones Introductorias reſpuebat. Verùm, quoniam non ad ſeveritatem Areopagiticam inſtituimus Eccleſiaſtam, qui non ad tenebras ſed ad lucem dicturus ſit; immò qui ſepiùs habeat ſermonem de rebus difficillimis ad perſuadendum, quales ſunt quæ animales ſenſus offendunt; ac etiam de obſcurioribus, qualia ſunt Myſteria Fidei, Exordio opus eſt prævertente, ut difficultas explanetur, & obſiſtentes tenebræ diſpellantur. Exordiorum neceſſitas.

Fateor nihilominus non deeſſe Authores nominis non incelebris, qui Exordiorum uſum improbent repudientque Prooemia quaſi inutilia. Opinionis rationes hæ eſſe videntur, tum quia vix de ſtructura Exordiorum præcepta dederint Antiqui, nec his niſi raró fuerint uſi; tum quia idem fieri poſſit per Introductionem, quæ eſt alterum Exordium in eundem ferè ſcopum conſpirans, ideoque alterutrum cenſent ſuperfluum; tum denique, quia inutiliter arbitrentur adhiberi ad conciliandos Auditores, quos aliunde conſtat eſſe ſatis attentos. Cur ergo, inquiunt, Exordiorum uſus? His ego breviter dixerim, aliquando poſſe omitti prooemia, maximè cùm Propoſitum ita planum eſt & apertum, ac ex ſua natura gratum & benevolentiæ conciliativum, ut nulla animorum præoccupatione

indi-

indigeat. Item, cùm ad variandam formam dicendi, Concionibus aliis interſeritur aliqua, quæ careat Exordio. Reperiuntur etiam Oratores ſublimioris dignitatis, qui Exordium non adhibeant, eò quòd cenſeant tantundem apud Auditores valere Dicentis, v.g. Epiſcopi, gradum & authoritatem, quantum poſſet Orationis Prologus.

Rationes utilitatem Exordiorum ſtatuentes.

Cæterùm Præloquiorum neceſſitas ex multis adſtruitur. Primò, ex Probatiorum Authorum exemplo; quamvis enim plurimi SS. Patrum videantur non ita exquiſitè elaboraſſe Exordia, vix tamen ex doctioribus & cultioribus reperias aliquem, qui exordiatur ſine præloquio. *Proœmium neceſſarium eſt* (ait Ariſtoteles 3. Rhet. c. 16.) *ut ſummatim rem exponat, ut æquè ac corpus caput* habeat. 2. Utilis eſt Prologus, ut compendioſè præmoneantur Auditores de Concionis fine ac Concionatoris intento, unde illi Dociliores fiunt. *Ante Declamationem*, inquit Quintilianus l.4. cap.1. *illa velut imago litis exponitur*. 3. Difficultates quæ Auditores fortaſſe terrerent, ſi crudè & abſque lenimento proponerentur, ſolent emolliri Exordiorum præventione, qua Benevolentia captatur. Eſto, idem ſpectet Introductio, non ideo tamen Exordium inutile; pluribus ſanè eadem res faciliùs obtinebitur, quàm paucioribus. Deinde diverſo modo ſe ſe inſinuat Introductio, ut patebit cùm de illa res erit. Item ex mox dictis liquet, Auditores fieri & Attentiores & Dociliores & magis Benevolos Introductione Exordium ſubſequente, quàm ſi ſolum adhibeatur Exordium. Adde quòd non fuerit inſuetum priſcis Oratoribus Exordiis uti, ac licèt illa non fuiſſent tunc temporis adeo frequentia, potuere tamen docente experientia & ſuadente utilitate fieri deinceps familiaria. Non abs re erit notare, Exordiorum uſum fortè ab inſcitis damnari, quia majoris eſt difficultatis ea elaborare quàm ut poſſint artificioſè & eleganter ea perficere. Ideoque (ut ait Apoſtolus) quod ignorant blaſphemant.

Exordiorum uſus, unde fluxerit?

Quæres fortaſſe unde Exordiorum uſus duxerit originem, & an ſit Concionis portio? Ab Invocatione aliàs inchoaſſe Conciones opinantur aliqui, unde ſcribunt, proœmia fuiſſe olim vocata *Salutationes*, quæ cùm breviores viderentur, ſenſim excrevere per additam Propoſiti declarationem, cum inſinuationis artificio. Alii æſtimant, Conciones priſcis temporibus habuiſſe pro initio nudam & apertam Evangelii propoſitionem; ac tandem Exordia fuiſſe ſubſtituta in Evangelicæ enarrationis locum. Illud videtur liquidum fieri ex Concilio Colonienſi par. 6. c.22. ſic ajente: *Concionatores initio ambas lectiones, quæ Epiſtola ac Evangelium Miſſæ ejus diei appellantur ad verbum denarrabunt. Deinde poſt imploratam Divini Numinis clementiam, regrediantur ad utriuſque lectionis brevem dilucidationem, locos aliquot communes ex utraque deligentes, quibus populus ad vitæ pietatem charitatemque Dei ac proximi inflammetur*. Irrepſit fortaſſe Exordiorum uſus à Thematis explicatione, quæ priùs quidem paucis fiebat verbis, deinde pluribus poſſe utiliter fieri comprobatum eſt. At quæcumque tandem fuerit Exordiorum origo, ſat nobis ſit, quòd utilitatis & gra-

& gratiæ plurimum habeant, nec videantur à Concionis integritate ſecernenda. Brevi quidem mora diſtant ab Introductione, ſed ſufficit quòd ſenſu & virtute ipſi adhæreant, ceu Caput quod Corporis trunco connectitur.

3. Exordii Officium ſeu Finis triplex eſt, ſcilicet conciliate Auditorum Benevolentiam, Attentionem & Docilitatem. Benevolentiam captare debet Orator ut audiatur amico & benè affecto animo; vix enim quiſpiam cujusvis meriti polliceri ſibi poteſt placere auditoribus averſis & infenſis, ac eoſdem ſuadere, niſi priùs ſublato aut ſaltem delinito odio. Attentio deſideratur, qua in varias cogitationes forſitan diſtracti Auditores, ſe ab omni alia re avocatos, rebus dicendis omninò applicent. Docilitas quæritur, ut rerum tractandarum natura dilucidè & perſpicuè propoſita, Orator viam ſibi paret in Auditorum animos. Exordii triplex officium.

Benevolentia comparari poteſt quatuor modis. 1. à Perſona Dicentis. 2. Ab Auditoribus. 3. Ab Adverſariis. 4. A Rebus Dicendis. A Dicente quidem fiet Benevolus Auditor, ſi Eccleſiaſtes profiteatur ſui humilitatem, indignitatem & inſufficientiam. Vel præmittat modeſtam enumerationem officiorum Auditoribus exhibitorum. Caveat tamen à puerili & verboſo Præloquio, quod Oratorem dejiciat demiſſiùs quàm par ſit, vel inanis gloriolæ in eo ſuſpicionem moveat. A Perſona Auditorum conciliatur Benevolentia, ſi laudentur illi de qualitate, dignitate, virtute, vel aliqua ejuſmodi circumſtantia quæ rei tractandæ conveniat. Ab Adverſariis Benevolos facimus Auditores, ſi Adverſariorum magnitudinem, multitudinem, merita, facultates ac etiam vitia commemorantes, inde nobis apud Auditores Commiſerationem, Clementiam, &c. conquiramus. A Re ipſa Benevolentia paratur, cùm Res ejuſque circumſtantiæ perpenduntur, oſtendendo ineſſe ipſis Honeſtatem, Utilitatem & Facilitatem: vel ſi à contrario, ea quæ ad Adverſarios ſpectant deprimamus, ab Indecoro, Inutili, Difficili, &c. Quomodo fiat Auditor Benevolus.

Attentio comparatur ex tribus præſertim locis, ſcilicet ex Dicendorum dignitate, neceſſitate & utilitate; unde Attentos reddimus homines quibus pollicemur nos dicturos Res novas, inauditas, ſublimes, magni momenti, &c. Attentus.

Docilitas conciliatur, quando Rerum dicendarum ſummam, breviter, clarè & diſtinctè explicamus; id autem fiet ſi Theſis vel Hypotheſis dilucidè proponatur, definiatur & dividatur. Docilis.

De Exordio ſic fatur Tullius l. 1. de Invent. *Exordium* (inquit) *ſententiarum & gravitatis plurimum debet habere, & omninò omnia, quæ pertinent ad dignitatem, continere in ſe; propterea quod, id optimè faciendum eſt, quod Oratorem Auditori maximè commendet: ſplendoris & feſtivitatis minimum, propterea quod ex his ſuſpicio quædam apparatioris atque artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maximè Orationi fidem, Oratori adimit authoritatem.* Virtutes Exordii.

4. Pro-

4. Proprietates boni Exordii hæ recenſentur, ut ſit Accuratum, A-
Accuratum. cutum, Proprium & Breve. Accuratum eſſe debet, ornatum & expoli-
tum, quia cùm Auditores nec-dum ſint rerum pondere aut dignitate con-
ciliati, Exordium tunc temporis ſua ſola majeſtate nititur, defectus ve-
rò minimi advertuntur, nec excuſantur; qui poſtea cum incaluerit ora-
tio, aut non attenduntur aut facilè condonantur. *Conciliatis animis* (in-
quit Quintilianus) *& jam calentibus hæc libertas auferetur*. Expolitione
igitur non mediocri, in Verbis, in Sententiis, in Figuris, ac etiam in
Pronuntiatione indiget. Acutum fiet Exordium Verbis, Sententiis &
Acutum. Conceptibus exquiſitis, quæ Auditores ſuaviter demulceant: ne tamen
à gravitate & majeſtate quæ Eccleſiaſtam decet, ad indigna lenocinia pro-
labatur. *Minimè* (ait Quintilianus) *oſtentari debet in principiis cura, quia
videtur ars omnis dicentis contra Judicem adhiberi; ſed ipſum iſtud evitare,*
Proprium. *ſummæ Artis eſt*. Proprium eſſe debet Exordium, hoc eſt, non extra-
neum & aliunde aſſutum, ſed ex viſceribus Cauſæ ac de tractandarum re-
rum natura natum, ipſique maximè conſentaneum.

Brevitatem amat Exordium, ejus enim prolixitas præſagit orationem
Breve. prolixiorem, tædiumque parit, per longiores anfractus deducens Audi-
torem novitatis & brevitatis cupidum. *Stultum eſt* (inquit textus Sacer
2. Machab. 2. 33.) *ante hiſtoriam diffluere, in ipſa verò hiſtoria ſuccingi*.

5. Exordii hæc ſunt vitia fugienda totidem ferè virtutibus oppoſita,
Exordiorum vitia. quæ à Tullio l. 1. de Invent. mutuabor, *Vitia* (inquit) *hæc ſunt certiſſima
Exordiorum quæ ſummopere vitare oportebit; Vulgare, Commune, Commu-*
Vulgare. *tabile, Longum, Separatum, Translatum, contra præcepta*. Vulgare,
quod tritum eſt & ipſis Aniculis familiare. Commune, quod alterutri
Commune. parti poteſt accommodari. Commutabile, quod levi mutatione poteſt
Commutabile. cuicumque Concioni convenire. Longum, quod prolixiùs trahitur, &
portam (ut ajunt) majorem exhibet quàm ſit ipſa domus. Separatum,
Longum. quod propoſito non congruit. Translatum, quod quidem in ſe bonum
Separatum. eſt, ſed rebus, tempori, loco, aliiſque circumſtantiis non eſt conſen-
Translatum. taneum, v. g. ſi quod primæ Concioni Quadrageſimali conveniens, ul-
timæ præponeretur, vel è contra. Contra Regulas illud cenſetur proœ-
Contra Regulas. mium, quod nec leges præſcriptas ſervat, nec ad ſcopum quem ſpectare
debet tendit.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Exordiorum Fontes, Diſpoſitio, Elocutio, Pronuntiatio, ac Forma, & Thematis delectus.

1. FONTES à quibus peti poſſunt Exordia, varii ſunt ac ferè numerum excedunt; hos tamen, ſuperfluis omiſſis, ad quinque vel ſex capita reduci poſſe arbitror: hæc ſunt, *Ab Expoſitione*, *à Viſceribus cauſæ*, *ab Exemplis*, *ex Abrupto*, *ab Invocatione*, de his ſigillatim ſequente Articulo. Interea duo ad Exordiorum perfectionem præmoneri debent.

Primum eſt, ut omnis rerum ſeges, qua locupletatur Exordium, parca ſit & ſufficiens; non jejuna quidem, ſed nec etiam abundantior: at, quæcumque tandem ſit, debet ad Exordii leges componi ac in ejus finem dirigi; nimirum Benevolentiæ, Attentionis & Docilitatis conciliationem. Ne tamen ſuſpicetur Tyro, hæc nomina, vel his ſimilia, debere perpetuò decantari, quaſi Exordium non eſſet legitimum, niſi explicuerit Benevolentiam, Attentionem, &c. aut de iis præſtandis Auditorem monuerit; hoc enim puerile eſt, & ab Eloquentiæ majeſtate alienum: ſed eamob rem, gravis & ſolida rerum ſupellex ac forma adhibenda eſt, quæ occulto ſenſu & latente arte vim habeat ſuaviter & ingenioſè promerendi gratiam apud Auditores. Alterum monitu dignum eſt, ne Exordium talem præmittat Rerum Dicendarum ſummam, quæ ſit totius Concionis Epitome: Quemadmodum enim plerumque evenit, ut abbreviatam in charta Regionem intuitus Viator, ejus ceſſet expetere luſtrationem, cujus ſynopſim conſpexit: Ita etiam Lector odit hiſtoriæ textum longiori volumine explicatum, cujus Enchiridium prima forte pagina contractum brevi percurrit: Idem accidere ſolet Exordiis fuſioribus, ſenſum Concionis integrum complectentibus; hinc enim fit ut Auditor non deſideret alia, quæ eadem cum præfatis futura conjicit; novitatis quippe & brevitatis cupidus repetitionem & prolixitatem formidat. Exordii igitur iseſt Genius, parare Auditores ad audiendum, præmiſſa brevi & artificioſa monitione de rebus dicendis.

Artificium in Exordium latere debet.

Exordium non ſit fuſius explicatum.

2. Diſpoſitione indiget Exordium, cùm ſuas habeat partes, quæ inter ſe ordinari deſiderant. Quatuor autem conſtare ſolet partibus Proœmii artificium; *Propoſitione*, *Ratiocinatione*, *Concluſione & Invocatione*; ſi verò cum Introductione confundatur, tunc Exordii pars quinta fiet ex Concionis Diviſione.

Exordii Partes.

Propoſitio eſt Exordii Summa, uno periodi membro, vel duobus, vel etiam pluribus, Proœmii ſenſum complexa; aliquando apertis verbis, aliquando ſententia, aliquando Exemplo aliave ſimilitudine explicata. V. g. ſi agatur de Patientia ſuadenda, Exordii caput poterit eſſe hæc propoſitio; *Ex omnibus virtutibus quas ſuadere nititur Religio, nulla eſt ſuaſu*

Propoſitio 1. Exordii pars.

Ratiocinatio. *difficilior*, *quàm Patientia*. Ratiocinatio propoſitionis præmiſſæ rationem reddit, ejuſque naturam ac modum exponit. V. g. ſi prædictæ addatur, *cùm enim de Oratoris prudentia ſit Auditorem delinire ut eumdem ſuadeat, in-*

Concluſio. *juriarum verò tolerantia neminem non offendat; eum certè demulcere nullatenus poterit, qui patientiam ſuadere attentaverit*, &c. Concluſio, diſcutit tum Propoſitionem, tum Ratiocinationem, ac ex utriuſque examine infert neceſſitatem progrediendi ulteriùs, indeque ſibi Auditores conciliare ſatagit. In exemplum erit clauſula ſuperioribus adjecta ſub hac ferè verborum forma: *At cùm nec Artis Regulis arctetur Orator ſacer, cui plus curæ eſt Auditoribus prodeſſe quàm placere, & Deo potiùs parere quàm hominibus, nec Eccleſiæ jubenti tale propoſitum aggredi, liceat non obedire; Ideo Patientiæ ſuaſionem ſuſcipio*, &c. En Concluſionis illatio, cui ſi ſubjiciantur hæc aut ſimilia verba: *Videtis, Auditores, quàm grande opus moliar, rei ſcilicet injucundiſſimæ amplexum ſuadere*, &c. his conciliabitur Auditorum

Invocatio. Commiſeratio. Deinde Numinis Invocatio ſubſequetur, ſi Concluſioni adnectatur hæc iterum verborum formula: *Difficile quidem eſt Homini ſuadere ingrata & inſuavia; at Spiritui Cordium Domino, facillimum erat iſta per hominem efficere: Ipſius ergo Imploremus opem, interpoſita B. Virginis meditatione*, &c.

Exordii Exemplum. Alterum Exordii Schema profero de Providentia divina, in quo præfatæ partes evidenter dignoſcuntur: nudo autem & ſimplici ſtilo ſic poterit efferri. *Propoſitum aggredior hodie difficillimum ſimul & utiliſſimum, ſcilicet divinæ Providentiæ myſteria explicare*, &c. En Propoſitio. *Difficillimum quidem opus eſt iſtud; quia poſcit ut de caſibus prope innumeris & incognitis agam; utiliſſimum verò, quia Chriſtianæ Religionis ſumma eſt, & fidelibus ſolatium eſt non mediocre, noſſe quanta & quæ beneficia providum Numen in homines quotidie impendat*. En propoſitionis Ratio. *At cùm difficultati præpolleat utilitas, & occurrentis Evangelii Hiſtoria, hujus propoſiti tractationem videatur præcipere; Quid enim aliud eſt illa cura, qua Chriſtus Famelicis in deſerto Populis Cœnam apponi juſſit, quàm Providentiæ in nos quotidie præſtitæ adumbratio?* &c. *Ideo de Providentia dicam*, &c. En Concluſio. Supereſt Invocatio, de qua nonnulla breviter dicenda videntur.

Invocationis exemplum & forma. Invocatio eſt Exordii ultima pars, qua Orator difficultate & magnitudine rerum dicendarum nonnihil territus, ſubſidium cœleſte implorat. Inolevit apud Sacros Eccleſiaſtas uſus ille laudatiſſimus (quem tamen imprudentiùs immò impudentiùs redarguit Eraſmus, de ratione Concion. l. 2.) ut ejuſmodi auxilium efflagitetur interpoſita B. Virginis meditatione. Mos ille cenſetur antiquiſſimus, laude dignus, & ab omnibus probioris notæ Eccleſiaſtis frequentatus; Ita Maria, quam Deus humanis rebus præpoſuit, ceu commune Propitiatorium, gratiam & auxilium Concionaturo neceſſarium, jure ſperatur à Spiritu ſancto ejus Sponſo imploratura.

Pluribus formis Invocatio fieri poteſt: aliquas in exemplum profero

de

de Providentia, cujus Exordio præfato ſubjici poterunt hæc aut ſimilia verba: *Ne tamen in propoſito ex omni parte difficili tractando aberrem, Dei ſubſidium*, vel *Cœleſtem gratiam*, vel *divinum lumen patrocinante Beata Virgine implorabo, repetitione facta ſalutationis Angelicæ, dicamus ergo, Ave* &c. Item. *Errarem ſanè, ſi tot periculis, quot Providentiæ myſterium ſcatet obſitus, me abſque duce his committerem. Eſto nobis dux, ô B. Virgo*, &c. *id præſtabit, ô Auditores, ſi mecum dixeritis illi, Ave Maria*, &c. Item elegantior erit Invocatio ſi per Apoſtrophem ſimilemve Expolitionem efferatur, his ferè verbis: *Tua eſt hæc cauſa, Provide Deus! tua res agitur, cùm Providentiæ ſecreta explicantur. Faveas igitur*, &c. *immo tuas ipſe partes agito*, &c. vel *ſanè ſi me patrono, licèt indigniſſimo, uti velis, da quod jubes*, &c. *Iſtud nobis omnino polliceri debemus, ô B. Virgo, ſi te mediatricem exibere digneris. Hoc habit, ô Auditores, ſi vocibus & animi eidem advoluti, cum Angelo repetamus, Ave*, &c. Non immoror in proferendis pluribus Invocationum Formis, hæ ſufficiant induſtrio, ut ſimiles, immo meliores pro ingenii ſolertia conficiat. Addam tantummodò, Invocationes videri reſcindendas à familiaribus colloquiis, quales ſunt Exhortationes, Monitiones, ſimileſque Sermones ſæpius ex humiliori ſedili, & aliquando extempore pronuntiandi.

3. Elocutionem acuratam & politam deſiderat Exordium (ut dixi) quia cùm Auditores nec dum fuerint rerum dignitate deliniti, tunc maximè intereſt eoſdem grata Inſinuatione demulcere. *Hoc autem fit verbis, Sententiis & Figuris expolitis*. 1. Verba erunt accurata; ſi fuerint Propria & ad rem ſignificandam nata; ſi ſuaviter ſonent, hoc eſt, ita ſint ad invicem ordinata, ut ſuavem & gratum in Pronuntiatione ſonum edant. Deinde cùm Verborum alia ſint initialia, quæ principiis conveniunt; alia conſequentia quæ aliquid præcedens indicant; alia periodum concinnè claudant; hæc accuratus Orator minimè negliget; ſed propria in ſuis locis adhibebit. 2. Sententiæ Exordiis inſerendæ, debent eſſe breves, exquiſitæ, & ad propoſitum inventæ. 3. Figuræ ſint ut plurimùm moderatæ, graves, quæ lenem affectum oſtendant: niſi ratio & opportunitas, à grandioribus Figuris ordiri ſuadeant; ſed id cum magna prudentia & cautione, nec niſi raró præſtandum. Exordii Elocutio.

4. Exordii Pronuntiatio, moderationem cum vocis tum geſtus poſtulat; vocis quidem, ne ſcilicet altiori tono quàm deceat proferatur, nec etiam demiſſiori, nec denique longiori tractu deducantur periodi. Geſtus autem ſit modeſtè compoſitus, lenem & placidum animum oſtendat; niſi cùm lugubre vel terribile propoſitum tractandum eſt; tunc enim Cauſæ genium induere debet Orator, & eundem nonnihil præ ſe ferre: caveat tamen ne iſtud fiat imprudenter & indecenter, acriùs ſcilicet exiliens & in ardentiores motus ſubitò efferveſcens: ſed de his fusè L. de Suggeſtu ſeu de Pronuntiatione in ultima parte. Exordii Pronuntiatio.

5. Ad Exordium ſpectat Thematis delectus; illud enim ipſi ceu Ca- Thematis delectus.

put præfigi debet. Thema eſt elegans & brevis Sententia, quæ Concionis propoſitum virtute complectitur. Solet ut plurimùm à Scriptura Sacra deſumi, quamquam uſu receptum videtur, ut aliquando à celebri Effato in Eccleſiaſticis Officiis uſurpato eruatur, quale eſt iſtud pro Aſſumptione B. Virginis, *Aſſumpta eſt Maria in Cœlum*, &c. Vel alterum in ejus die Natali, *Nativitas eſt hodie S. Mariæ Virginis*, &c. Seligi debet Thema propoſito (quantùm fieri poteſt) accommodatum; id eſt, quod videatur ita proprium ut ſit quaſi ſumma & conjectura rei dicendæ; non ſit contortum & violenta metaphora tranſlatum; Quis enim ferat iſtud à quodam Concionatore ad Panegerym D. Bartholomæi aſſumptum ex Abacuc 3. *Turbabuntur pelles terræ Madian?* &c. Quaſi verò hìc agatur de pellis detractione quam paſſus eſt D. Bartholomæus. Pudet plura referre improbandorum Thematum exempla, plus nimio frequentiora occurrunt, de legitimis res eſt.

Thema ſit proprium & breve.

Proprium igitur eſſe debet aſſumptum Thema; *Breve*, hoc eſt, paucis verbis compoſitum, prolixiora enim Auditores fatigant; *Unum*, id eſt, quod propoſiti tractandi ſenſum ad unitatem cogat. Non deſunt tamen celebres Oratores, qui Thema ex duabus propoſitionibus aliunde disjunctis, ſed omittendo quæ interponuntur, conſtituunt, præſertim cùm pars altera reſpondet alteri quærenti. Qualis eſt iſte Chriſti cum Cæco Dialogus, Marci 10. 51. *Quid tibi vis ut faciam? Domine, ut videam.* Item, ejuſdem Chriſti ad Petrum interrogatio Joan. 21. 15. *Simon Joannis, diligis me plùs his? Etiam Domine; tu ſcis quia amo te.*

ARTICULUS III.

Exordiorum Ideæ variæ à diverſis Fontibus petitæ.

TRIPLEX eſt (ut dixi) Exordiorum finis, ſcilicet Auditorem facere Docilem, Benevolum & Attentum; his reſpondere cenſent aliqui triplex Exordiorum genus. Aliud Auditorem docet de propoſito & intento Concionatoris, poteſtque appellari *Expoſitorium*. Aliud Auditorem præoccupat, prævertitque aliquo lenimine prævio, ut occurrenti fortè difficultati vel ex parte Dicentis, vel ex rebus dicendis, vel ex aliqua alia circumſtantia importuna, præmittatur quaſi remedium, vocaturque ab Ariſtotele *Proœmium Medicinale*, ſeu lenitivum & præmuniens. Tertium Auditores conciliat à magnitudine, dignitate vel novitate, &c. tum rei dicendæ, tum loci, tum Auditorum, diciturque *Delectabile*. Diximus ſuperiùs omnes Exordiorum ſpecies poſſe ad ſex capita reduci, nimirum, 1. *ab Expoſitione*, 2. *à viſceribus Cauſæ*, 3. *ab Adjunctis*, 4. *ab Exemplis*, 5. *ab Abrupto*, 6. *ab Invocatione*: hujus diviſionis rationem ſequuti, ſingularum ſpecierum Ideas proponimus.

S E-

SECTIO PRIMA.

Idea Exordiorum ab Expoſitione.

EX titulo liquet iſtud Exordii genus ſatagere ut Auditori explicet, & quaſi præ oculis ponat aliquid, cujus notitia illi neceſſaria eſt. Triplex autem excogitari poteſt ejuſmodi Expoſitio, ſcilicet vel Oratoris Intentum aperit, vel Thematis interpretatur ſenſum, vel Evangelii texit Hiſtoriam. *Tres Exordii ſpecies ab Expoſitione.*

1. Expoſitio finis quem intendit Orator, plerumque fit ſimplici & ingenua propoſiti declaratione abſque verborum circuitu vel artificii lenocinio. Ejuſmodi ſunt iſta Exordia. *Providentiæ Divinæ myſteria reſerare aggredior, ò Auditores*, &c. Item, *Agitur hodie, de primo Evangelici ædificii fundamento, nimirum de Fide*, &c. ſic D. Gregorius Nazianz. exorſus eſt D. Athanaſii encomium; *Athanaſium* (inquit) *laudans, virtutem laudabo*, &c. Paulò elegantiùs inchoaret Exordium, ab ea forma quæ ſuperiùs de Providentia, vel patientia præmiſſa eſt: Intentum enim aperit aliquo circuitionis artificio, quod pompam ſapit. *Expoſitio intenti.*

2. Expoſitio Thematis (maximè ſi ſit proprium) perſpicuitatis & gratiæ plurimum habet. En exempla. Quæſtio ſit de Interrogatione qua Phariſæus Chriſtum compellat his verbis: *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Matth. 19. 16. ſic poterit per Exordium exponi. Quæſtio maximi momenti proponitur hodie à Phariſæo, quæ à » Chriſto ſolvitur; Qua ſcilicet ratione poſſit obtineri Cœlum? Noſtrum » nemo eſt quem non ſpectet præfatæ quæſtionis ſolutio: Beatum quippe » eſſe tam magnum eſt (*ait Auguſtinus*) ut hoc boni velint & mali, *&c.* » Hoc igitur eſt quod quæritur à Phariſæo, an ſincero vel perverſo id faciat animo, noſtra non refert, at plurimùm intereſt Chriſti reſponſum » audire. En quod ad Interrogata ipſe reſpondet, *&c.* Elegantiùs exorſus » eſt ille, qui D. Thomam Aquinatem laudaturus ex eo quòd fuiſſet Dei teſtimonio commendatus, præmiſit pro Themate illud Apoſtoli 2. Cor. 10. *Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Tum expoſitionem Thematis aggreſſus eſt per comparationem teſtimonii Divini laudantis cum humano, his ferè verbis. Suſpectæ ſunt » prorſus laudes quæ ab hominibus ſolent impendi; peccant enim, vel » ignorantia, vel affectu, vel etiam temeritate. Cæcutiunt ſanè homines » in aliorum cognitione, quorum virtutem aut defectum ignorantes, errare coguntur in alterutrius laude vel vituperio. Affectu etiam delinquunt Panegyriſtæ, quia præconium ſæpiùs texunt, non pro rerum merito, ſed ex animi præoccupatione confiсto, &c. Temeritate denique » errant, quia & laudis tempus antevertunt, & remunerandi authoritatem injuſtè uſurpant, &c. At Legitimum eſt ſimul & æquiſſimum præ- »

co- *Expoſitio Thematis.*

„ conium, quod à Deo impenditur: expers enim eſt omnino defectuum, „ quibus laborat illud quod ab hominibus texitur; nec errare poteſt, aut „ ignorantia, Omniſcius; aut affectu, Integerrimus; aut authoritate, „ Omnipotens, &c. Unde Paulus ait, ille probatus eſt quem Deus com- „ mendat. Deinde ad propoſitum acceditur, hac aut ſimili forma. Iſta eſt „ D. Thomæ Aquinatis laus non minima, quòd ab hominibus quidem „ laudes acceperit; ſed in hoc præcipuè ſpectabilis eſt, quòd Dei præconio „ fuerit celebratus, &c. Aſſertæ laudis veritatem ex præfixo Themate au- „ guramini (ni fallor:) at quoniam fuſiorem ejus probationem poſcit à me, „ & pietas veſtra, & miniſterii mei debitum; his obſequar, ut Angeli- „ cum Doctorem eximiè à Deo commendatum repræſentem, &c. Faveas, „ ò B. Virgo, &c. Introductionem texuit Eccleſiaſtes ille, ex diverſis modis quibus ſolet Deus homines alloqui, ipſiſque ſuam voluntatem teſtari; *Ex iis* (ait) *tres, Divinam S. Thomæ Aquinatis commendationem prodidere, Angelus nempe, Chriſtus & Eccleſia; Per Angelum Deus commendavit Thomæ Caſtitatem; per Chriſtum, commendavit Thomæ Doctrinam; per Eccleſiam, commendavit Thomæ Sanctitatem*, &c.

3. Evangelica Expoſitio ferè deſuevit apud Eccleſiaſtas qui ſibi de exquiſitiore Eloquentia falsò adulantur, quaſi hæc methodus Evangelium pandens ad Vicanos tantum ſpectet, ſufficiatque comptioribus unicum Evangelii verbulum præfigere Concioni; In quo (ni fallor) perperam ſentiunt illi? cur enim miſera plebecula aliunde in Religionis rebus cæca & prorſus ignara, non audiet ſaltem aliquando Chriſtum in Evangelio docentem? Cur Eccleſiaſtam pudebit Interpretari vel Evangelium, vel Epiſtolas, quas Eccleſia prælegi jubet omnibus, quia Doctrinam continent omnibus neceſſariam? Eſto, munus iſtud ſit Paraphraſtæ & Interpretis proprium, quod legentis attentionem deſideret, vel ſanè conveniat Paſtori plebem Inſtituenti familiari & humili docendi methodo, non tamen dedecet Prædicatorem grandiori forma loquuturum, nec aliquid demere videtur majeſtatis elegans & acuta Evangelii expoſitio, præſertim ſi cæteris Dicendi generibus intermiſceatur, & exquiſitam aliquam Doctrinam vel hiſtoriam complectatur Evangelium, qualia ſunt plurima quæ diebus Dominicis aut Quadrageſimalibus occurrunt.

Difficultatis tamen non modicum habet iſta Exordii Expoſitorii methodus, languet enim ac repit, niſi leporibus & acuminibus inſpergatur. Accuratè igitur, politè & breviter tractari debet ejuſmodi Expoſitio; duobus autem modis fieri poteſt: altera ſimplici ſtilo, altera enim elegantiore forma digeritur. Utriuſque exemplum profero.

Exordium Expoſitorium de Matre Filiorū Zebedæi.

Agatur v. g. de Matre filiorum Zebedæi, Matth. 20. 21. ſic poterit ſimpliciter Exordiri Concionaror; *Evangeliſta Matthæus narrat hodierno contextu, mulierem Zebedæi conjugem acceſſiſſe ad Jeſum, ut aliquid ab ipſo peteret*, &c. Hiſtoria Integra deinde ſtrictim percurratur, donec finem claudat aliquod Epiphonema ſeu ſententia, quæ propoſitum ex

enar-

Digitized by Google

enarrata hiſtoria deſumptum, & in concione tractandum aperiat. Poterit illuſtrari ejuſmodi factum, præmiſſa propoſitione quæ Evangelii mox enarrandi ſenſum tractandum paucis complectatur. V. g. ſi dicatur. *Mirum eſt profectò, quantùm poſſit Matrum pro filiis affectus; ad improbanda ſæpe deſideria ille prorumpit; propoſitionis veritas conſtabit experientia quam hodiernum Evangelium nobis ſuggerit. Factum ita narrat Matthæus. Acceſſit* (inquit) *Mater*, &c. *perſpicitis* (*opinor*) *ex præfato exemplo, quid attentet pro filiis inordinatus matris affectus. At plurimorum noſtræ ætatis Parentum genius iſte eſt frequentiſſimus ſimul & perniculoſiſſimus; hunc inſequor hodierna concione, & à Parentibus Chriſtianis exturbare aggredior*, &c. Illuſtrabitur etiam hiſtoricus ille decurſus, ſi acutæ ſententiæ ex Patribus mutuatæ, potioribus partibus inſeminentur in modum Paraphraſis; ſed cavendum eſt ne inde prolixiùs abeat Exordium; Ideo præcipua tantùm capita ſunt perſtringenda.

Elegantiùs proferetur idem Evangelium, ſi ejus enucleationi præfigatur propoſitio quæ potiores ejus partes aliquibus capitibus ſummariè prænotatis complectatur. V. g. *Importunam, ſtultam, ſuperbam & injuſtam petitionem Matris filiorum Zebedæi Chriſto factam proponit nobis hodiernum Evangelium. Importuna quidem fuit, quantum ad tempus; ſtulta quantùm ad materiam; ſuperba quantùm ad gradum; injuſta quantùm ad ordinem ſpectabat. Importuna ſanè, quæ cùm de opprobriis ſibi ferendis Chriſtus loqueretur, petitura honores tunc acceſſit. Stulta prorſus petitio, quæ ignorat quod poſcit*, Neſcitis (*inquit Chriſtus*) quid petatis. *Superba, quæ ad primos gradus adſpirat*, Dic (*inquit*) ut ſedeant, unus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram. *Injuſta tandem poſtulatio, quæ præmium ante meritum petit. At petitionis defectus omnes emendat Chriſtus, Juſtus injuſtitiam, ſapiens ignorantiam, humilis ſuperbiam, prudens importunitatem; Juſtus, arguit corrigitque injuſtitiam, dum labores commemorat.* Poteſtis (*inquit*) bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *Sapiens ignorantiam docet, dum ait*, Neſcitis quid petatis. *Humilis ſuperbiam frangit, dicens*, Non eſt meum dare vobis. *Prudens denique Importunitatem reprimit, dum petitionis adimpletionem in alìud tempus remittit his verbis:* Calicem quidem meum bibetis, &c. *Ex hoc imprudentis matris exemplo diſcant Parentes, ea filiis procurare quæ conveniant*, &c. Vel, *inde ſapiant qui de ſtatu vitæ ſibi deligendo cogitant, ut ſe ſuaque Deo vocanti permittant, nec quicquam illi ſuſcipiant, niſi quod iſte conſuluerit*, &c. *Propoſitum hoc eſt omnibus maximè neceſſarium, ſed mihi hodierna Concione expendendum*, &c. Hoc, inquam, vel alio ſimili modo præmitti poteſt brevis & acuta Evangelii Paraphraſis, cui ſubjici debet ejuſdem converſio ſeu Applicatio ad Propoſitum.

Exordium aliud de re eadem.

Poterit iterum Evangelica Enarratio illuſtrari per aliquod Effatum celebre, elegantem Metaphoram, Exemplum appoſitum, aliudve ſimile, quod ſummam rerum dicendarum præſagiens, præponatur Evangelio in eumdem

eumdem ſenſum conſpiranti. Præfatiuncula illa fiet quaſi Evangelicæ hiſtoriæ caput, à quo facile erit ad textum enarrandum progredi.

SECTIO II.

Ideæ Exordiorum à Viſceribus Cauſæ.

LOCUS iſte qui Exordium ſuggerit quod dicitur *à Viſceribus Cauſæ*, in eo eſt, ut Prooemium ducat ex Natura Rei tractandæ; Tale eſt iſtud quod S. Prælatum commendaret ex ſimilitudine, quam SS. Trinitas ſeipſam in illo effingens, præſumitur Antiſtiti ſacro indidiſſe. Præfigatur pro Themate, illud Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad Imaginem & Similitudinem noſtram*, ſic exordiri poterit Eccleſiaſtes: *Verba ſunt iſta Creatoris Adamum condentis*; *hæc in laudem S. N. adhibere liceat, ut illum ceu SS. Trinitatis opificium & effigiem oſtendam. Noſtis, Auditores, quì differenter ſe ſe habuerit Deus in Creaturarum productione, ut cæteris hominem antecellere indicavit ex ipſo Creationis ordine & modo.* Cætera quidem ut famulæ juſſu vocali Imperio proceſſere (inquit Tertullianus) *At verò, cùm de homine agitur*, Faciamus, ait, hominem ad Imaginem, &c. *Quaſi de re magna Deus deliberat*, (iterum inquit Africanus.) Tanti ſcilicet momenti erat condere Mundi Dominum ac Præſidem.

Exemplum Exordii à viſceribus rei.

Exordii exemplum, de S. Prælato.

„ Audire mihi videor SS. Trinitatem communi conſilio ad efformandum
„ S. N. deliberantem. Agebatur certè de Prælato inſtituendo in ea Eccleſię
„ Diœceſi quæ amplitudine, multitudine, &c. alias ſuperaret. Magnum opus
„ erat illud, & eximias dotes in Antiſtite deligendo deſiderabat, &c. huic
„ tanto oneri ut par eſſet S. N. in ipſius efformationem, ſingulæ Auguſtiſſ.
„ Triados perſonæ, ſuas perfectiones effudere, ut dignam majeſtate qua orbi
„ præſunt imaginem in eo exprimerent, &c. Quod ſi res ita ſe habeat, profe-
„ cto aptiore non potui ad Elogium Themate uti, quàm illo quod à Proto-
„ plaſtæ creatione deſumpſi. *Faciamus hominem*, &c. Videbitis me non
„ erraſſe in conjectura, ſi Deus gratiam dederit, qua accuratum Trinitatis
„ Tranſſumptum, hoc eſt S. N. deſcribam. *Ave Maria*, &c.

Exordium iſtud, Expoſitorium eſt Thematis & ab Adami ſimilitudine ductum & à viſceribus cauſæ; huic facillimum erit pro Introductione ſubjungere rationes, ob quas Prælati ſtatus magis quàm quilibet alius,
„ Trinitatis deliberationem expoſcat. V. G. Miramini forſan, quòd di-
„ xerim Prælati dignitatem, totius Triados curam deſiderare, &c. At ceſ-
„ ſabit admiratio, cùm attenderitis Prælatos eſſe Dei Legatos & Vicarios,
„ ſacrorum Myſteriorum Diſpenſatores, Eccleſiæ Columnas, &c. Heu,
„ quæ dignitas, omni poteſtate ſublimior! huic tanto muneri deſtinabatur
„ S. N. quid ergo mirum ſi dignus fuerit habitus qui communi Trinitatis
„ perſonarum conſilio pararetur? Senſus iſte eſt SS. Patrum ſuperius
„ Thema interpretantium, ac maximè Richardi à S. Victore, æſtimantis

Præla-

Prælatum eſſe in hoc Trinitatis Opus & Imaginem, quia Poteſtatem „ Patris, Sapientiam filii, & Bonitatem Spiritus S. exprimat. In exem- „ plum ſit D. N. cujus Panegyrim teximus. In hoc igitur ſupremus Pater „ Poteſtatem effinxit, ut præeſſet: Filius Sapientiam, ut regeret; Spiri- „ tus S. Amorem, ut commiſſum ſibi gregem curaret, &c. E viſceribus „ propoſiti deſumptum erat præfatum Procemium (ut liquet) nam ipſi omnino convenit, atque ab ipſo limine gradum facit ad Introductionem & ad partitionem tractandam. Plura ejuſmodi formæ Exordia poterunt excogitari, eò meliora, quò ad rem & propoſitum immediatiùs accedent.

SECTIO III.

Idea Exordiorum ab Adjunctis.

UBERRIMUS eſt fons iſte qui Exordia ſuggerit ab Adjunctis; quot enim circumſtantiæ Rem vel Perſonas ſæpiunt, ſeu antecedant, ſeu comitentur, ſeu conſequantur, tot ſunt Loci à quibus exordiri queat Concionator. Horum aliqua proferam exempla, quæ Tyronibus efformandis prodeſſe poſſint. Meminiſſe igitur oportet, alia eſſe Adjuncta Perſonarum, qualia ſunt *Nomen*, *Natura*, *Educatio*, *Fortuna*, *Habitus*, *Affectio*, *Studia*, *Facta*, *Conſilia*, *Opinio*, *Caſus*, &c. quæ ſpectare poſſunt vel ad Oratoris, vel ad Auditoris perſonam; alia eſſe Rerum Adjuncta, ut ſunt, *Res ipſæ*, *Locus*, *Tempus*, *Occaſio*, *Inſtrumentum*, *Modus*, *Numerus*, &c.

Ab Adjunctis Perſonarum.

A Nomine duci poteſt Exordium, maximè ſi nomen fuerit divinitus inditum, ſi magni aliquid ſpoponderit, ipſeque qui eo inſignitur appellationem expleverit. Ejuſmodi ſunt Jeſus, Maria, Anna, Joannes, Stephanus, Laurentius, Vincentius, &c. His accommodari poterit illud Pſ. 47. *Secundùm nomen tuum, ſic & laus tua*, &c. Ubi hæc obſervanda occurrunt. 1. Quòd ſolemne fuerit antiquis ac maximè Romanis, attendere ſignificationem nominum, quæ vocari ſolerent eſſentiæ vehicula, Auſpicium rei, & virtutis aut vitii præjudicia, unde ſtudebant ea deligere quæ magni aliquid ſonarent, & felicitatem, aut quid ſimile ipſa voce portenderent, fugiebant verò quæ tenuitatem, abjectionem, & noxam ſono exprimerent. 2. Ejuſmodi ſcrupuloſior appellationum obſervatio ſuperſtitionem ſapit, Chriſtiano indigna eſt, & ab Eccleſia Catholica penitùs improbatur. 3. Ea verò nomina quę à Divina Inſtitutione trahunt originem, qualia ſunt præmemorata & his ſimilia, ad laudem verti poſſunt & Procemii materiam ſuggerere: ſed plerumque adhibenda eſt præmunitio, quæ ab Auditoribus ſuſpicionem de ſuperſti-

Exordium à Nomine.

Digitized by Google

tione in obſervatione nominis excutiat. V. G. ſi pro Themate aſſumatur illud Luc. 2. *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus;* ſubjici poterit hæc Exordii
„ forma. Mirabimini forſan N. quod Chriſtum laudaturus, auſpicer præ-
„ conium ab ipſius nomine. Arbitrabitur ſcilicet veſtrum aliquis, me in
„ ejuſmodi obſervatione, Eccleſiæ illam ſæpiùs prohibentis leges offende-
„ re, aut ſaltem vano & ſuperſtitioſo deludi ſcrupulo, *&c. Hæc eſt Exordii*
„ *propoſitio, quam reſponſio mox ſequitur.* At mirari ceſſabitis cùm perſpexe-
„ ritis hanc nominis obſervationem, aliquando ita legitimam & veram,
„ immo ab ipſa Eccleſia uſu & exemplo commendatam, ut illam adhibere
„ non modò non ſit ſcrupulus aut ſuperſtitio, ſed potiùs æqua veritatis &
„ virtutis ſub vocali cortice latentis præſumptio. Veriſſimum probatur il-
„ lud in plurimis appellationibus, ſed maximè in Auguſtiſſimi nominis Jeſu
„ impoſitione, *&c.* Redditur hìc propoſitionis ratio, ſeu propoſitæ admirationis ſolutio, cui facile eſt addere quod ſupereſt ad Exordii perfectionem. Idem de ſanctiſſimo Mariæ Nomine, quod Dominam ſonat; de Anna quæ Gratiæ opus eſt, de Joanne, de Stephano, de Laurentio, de Vincentio & ſimilibus, quorum Interpretatio pervia eſt modicùm intelligenti, & ipſis Divis plurimùm gloriæ ac honoris conciliat.

A Perſona Exordium ſæpius fecit Cicero, ſeu ſe magnitudini rerum dicendarum fateretur imparem, ſeu ſe officiis erga Rempublicam præſtitis commendaret. Ejuſmodi Procœmium à Dicentis perſona vix patitur (ni fallor) Eccleſiaſtici miniſterii dignitas; ſeu ſe deprimat, ſeu ſe attollat Concionator, puerile videtur, adulatorium, & indecorum ab his ſimilibus exordiri.

Exordium à Perſona Dicentis.

Legitimè tamen poterit à ſeipſo auſpicari, præſertim ubi Propoſitum, vel triſtius, vel terribilius ſolito, jure præſumitur pares aut triſtitiæ, aut terroris ſenſus indidiſſe. V.G. ſi agatur de cruciatibus morientis Chriſti, in hunc aut ſimilem modum inchoabit (ſi voluerit) Orator. *Quid à me ſperatis hodie* (Auditores?) *quid poſcitis? quid jubetis? Fortè ut horrendam Chriſti mortem pingam præſtolamini. At quomodo petitioni veſtræ faciam ſatis?* &c. *An neſcitis me pari cum cæteris Creaturis ſorte territum, communi quoque ingentis doloris ſilentio ſepultum ſtupere. En concutitur Terra, fremit mare, turbatur aer, denigratur cœlum, flent amarè Angeli pacis; Ergone ipſe loquar ſolus, & rebus omnibus tacentibus, immo gementibus, verba faciam, ubi cuncta gemitus, lachrymas & horrorem deſiderant?* &c.

Exordium à Perſona Auditorum.

Ab Auditorum Perſona ducitur ſæpe Præloquium, v. g. ſi ſit Rex, Regina, aut qui ſimilis dignitatis gradu emineat; vel ſi triſtetur, doleat, læta ſit, formidine, ſtupore aliove grandiori affectu ſpectabilis; Inde poterit Exordium deſumi, cujus tamen artificium prudentiam ſemper, & induſtriam expoſcit, ne quid in ipſo admittatur languidum, nugatorium & putidum. A circumſtantia perſonarum D. Gregorius Nazianz. Homil. de Amore Paup. initium ſumpſit dicens, *Viri fratres & commendici, omnes enim pauperes ſumus, ac divinæ gratiæ indigi, tametſi*

alius

Digitized by Google

alius alium præcedere videatur, huc de Pauperum amore ſermonem accipite.
D. Chryſoſtomus Hom. 3. ad Pop. Ant. à Loco Flaviani Epiſcopi orditur laudem; *Quoties* (inquit) *ad Sedem hanc derelictam, & Magiſtro vacuam reſpicio, ſimul & doleo & gaudeo; Doleo quòd abeſſe video Patrem; Gaudeo, quòd pro ſalute noſtra profectus ſit.* Ideo ſæpe in ſuis Homiliis laudat Auditores, quòd alacriter ad audiendas res divinas convenirent. Innumeræ ſunt circumſtantiæ quæ Perſonis poſſunt adjungi; & à quibus aliquando convenit exordiri; longum nimis eſſet omnium exempla tradere; ſufficiat monuiſſe Novitium, de fontibus unde præfatis ſimilia efformet; qualia ſunt quæ ex Parrhſia ſeu Confidentia, ab Increpatione, à Conqueſtione, &c. appellantur.

Ab Adjunctis Rerum.

HÆC ſunt (ut dixi) quæ Rem aut Factum antecedunt, comitantur vel conſequuntur. His etiam intelligenda ſunt, quæ dicuntur ab Occaſione, à Difficili, à Temporum Moribus, &c.

Ab Occaſione D. Paulus exorſus legitur Actor. 17. 22. cùm à ſtatua, quæ Ignoto Deo inſcribebatur Athenis, Evangelium de Chriſto auſpicatus eſt. *Viri Athenienſes* (inquit) *per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video; præteriens enim & videns ſimulachra veſtra, inveni Aram in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis,* &c. Pari artificio Agrippam demeretur Apoſtolus Actor. 25. his verbis: *Æſtimo me beatum apud te, cùm ſim defenſurus me hodie: maximè te ſciente omnia,* &c. Ita Concionator non incelebris Panegyrim de S. Franciſco Saleſio facturus, Exordii occaſionem deſumpſit ex objecta Tabella in qua Divus ille viſebatur pictus; *Cujus eſt* (inquit) *hæc Imago?* Exordiorum ab occaſione Exempla.

Ad conſpectum tumulati alicujus Prælati, multis nominibus dum viveret commendatiſſimi, ac coram celeberrimo Canonicorum Collegio, nec-non præſentibus omnium Ordinum Auditoribus, hoc aut ſimili ferè modo, præfatus eſt Eccleſiaſta in Defuncti laudem. *Ergone Fatis ceſſiſti, ò maxime N. Ergone deſiiſti vivere vita omnibus chariſſima, & formidandam paſſus es Ecclipſim, Sol nulli non deſideratiſſime?* &c. *Ab plange, ò Eccleſia tuo deſtituta Paſtore! ò Domus tuo nunc orba parente ingemiſce!* &c. *Magnus ſcilicet N. obiit, & mortis ſoluto debito à nobis exceſſit. En ipſum tumulo conditum intuemini,* &c.

Alter eximiæ notæ Orator, parentaturus R. P. Joſepho à Monte Relaxo Capucino celeberrimo, ſic à modeſtiori apparatu initium fecit: „Moderatus iſte Pompæ Funebris Apparatus, ſat (*ut credo*) monet, non „ſpectare ad aliquem ex Mundanis Principibus, quos magnificentia non „deſtituit ipſos inter cineres: immò apertiſſimè liquet agi de funere pauperis alicujus Religioſi D. Franciſci Alumni, quem Paupertas ex voto „etiam tumulatum conſequitur. Ita profectò ſe res habet. Pauper illa „

„ omnis ſupellex parentat R. P. Joſepho, ab aliquibus retrò diebus vita „ functo. Etenim, ubi Reges & Principes fatis ceſſere, protinùs ubique „ funereæ accenduntur tædæ; triſtes undequaque occinunt Tibicines, „ *&c.* At horum nihil (*ut cernitis*) hodie vobis oſtenditur. Verùm (*ni* „ *fallor*) ſuſpicamini differentis funeris cauſam. Illi quidem Imperio & „ Principatu ſpoliati indigent alieno ornatu, quo mortis damna inſtaurare „ conentur; vel fortaſſe virtutum decore vacui, publicam mutuantur „ pompam qua fiant celebres: At Sancti, quos Gratiæ & meritorum or- „ nant dona, deſpiciunt omne quod à fortuna vel aliunde quàm à Deo ad- „ ſciſcitur ornamentum. N. fuit iſte Genius, dum ille viveret; hunc nec „ poſt mortem deſtituiſſe probamus, *&c.* At, quibus ego vicibus in tali re- „ rum ſtatu fungar? An lingua, an lachrymis parentabo? *&c.*

„ In Re igitur Triſti, qualis eſt Chriſti Paſſio, vel ſimile Propoſitum, „ efformari ſolet Exordium ab Adjunctis dolorem & commiſerationem „ præſagientibus. V. G. ex Apparatu lugubri, ſic poſſet quis exordiri.

Exordium à Re Triſti.

„ Quocumque me vertam, (*ò Auditores*) triſtitiæ doloriſque inſignia con- „ ſpicio. En parietes pullis tapetibus denigrati lugent; Campanæ, orga- „ na, cæteraque quibus jucundari ſolet Eccleſia, ſilent, triſtantur & cum „ Angelis Pacis flentibus fletus amaritudinem portendunt, &c. Quis in- „ ſuetæ compoſitionis ſenſus? *&c.* Ah capio: Mortuus eſt Chriſtus, ceci- „ dit Corona capitis noſtri, *&c.* At quid agam ipſe? quid dicam? num „ eloquar? num tacebo? &c.

„ In ſimili caſu, Eccleſiaſtes magni nominis exorſus eſt hac attoniti „ Oratoris forma. In nomine Patris (*inquit inchoato Crucis ſigno*) *Idem ter* „ *repetiit*; *tum in ſpecie ſtupens*, *per Apoſtrophem ait*, ubinam Filius, cujus „ Nomen appellem? ubi ſecunda SS. Triados Perſona? Proh dolor! ſi- „ let, ſtupet, friget: ſilet vocis impos; ſtupet ſenſus expers; friget or- „ bus vita. O portentum ex omni parte inauditum! *&c.* At quo me ver- „ tam, præſidium hodie mihi loquuturo neceſſarium emendicaturus? An „ ad Patrem? En ipſe in Filium armatus, ſpem auxilii omnem adimit. „ An ad Filium? nunc horrendo extinctum fato ſcitis. An ad Spiritum „ ſanctum? Heu Judæorum impietate laceſſitus, furorem pro gratia dabit. „ An ergo ad te, ò Maria? Ah! minor inde ſubſidii ſpes affulget. Magna „ eſt enim velut mare contritio tua, *&c.* Quò tandem igitur auxilium peti- „ turus confugiam? Ad te Crux adoranda accedo; tibi, ò famoſum ho- „ diernæ Tragœdiæ Theatrum provolvor; morientis Chriſti Thalamus „ fuiſti & Cathedra; Perditi Hominis propitiatorium & ſalus extitiſti; „ adſis mihi Mediatrix & patrocinium. Ad hanc feſtinemus N. cum Ec- „ cleſia occinentes: O Crux Ave Spes unica, &c. His (inquam) aut ſi- milibus verbis Exordium feliciter præmiſit Concionator aliunde celebris: At an iſtud ſit frequentiùs uſurpandum, non ita liquet.

SE-

SECTIO IV.

Idea Exordiorum ab Exemplis.

EXEMPLA, Parabolæ, Icones, Figuræ, Hiſtoriæ, Apophthegmata, Similitudines, Allegoriæ, Fabulæ, &c. tot ſunt quæ in eumdem ferè ſcopum ſpectant, ut Exordii ſegetem fundant uberrimam, non quidem à natura rerum, ſed ab illius Imagine, quæ præfatis omnibus diverſimodè poteſt in Procemio exprimi.

Exemplum, eſt Facti alicujus vel Dicti enarratio, quod ob ſimilitudinem cum Re dicenda parat Auditorem ad propoſiti tractandi perceptionem. V. G. Concionem de Divina Providentia ſic orſus eſt celebris Orator ab Exemplo Senecæ eandem materiam aliquando verſantis. Si Philoſophorum aliquis (*inquit*) de Providentia ſcripturus, dicere potuit jure, quòd quamtumvis illud propoſitum maximis ſcateret difficultatibus, quia tenebatur rationem de caſibus tum innumeris, tum incognitis reddere, ſperaret tamen ſe feliciter expleturum opus, quia ad Deos ſpectaret, Rem (*inquit*) *facilem faciam, cauſam Deorum agam*. Idem mihi polliceri poſſe arbitror, idemque licere mihi *de Judicio, vel de Juſtitia Dei, vel ſimili re*, dicturo; difficillimum eſſe fateor illud opus, quia, &c. At cœli intereſt. Rem igitur facilem faciam, Cauſam Deorum agam, &c. *Exordium ab Exemplo.*

Ab Hiſtoria ſic poteſt inſtitui Proœmium de SS. Euchariſtiæ Sacramento. Legiſtis, opinor, ſolemne Regis Salòmonis Judicium, quo acrem mulierum contentionem de Infantis dubii poſſeſſione coram ipſo motam, compoſuit. Refertur autem 3. *Reg. cap.* 3. 16. Rem paucis dicam, quia notior eſt quàm ut egeat pluribus. Venerunt ad Regem duæ Mulieres (*inquit Textus ſacer*) de unico puero contendentes, alteram ſuum dicebat, ſuum etiam altera aſſerebat, &c. Quid ad hæc ſapientiſſimus Salomon? Afferte (*ait*) puerum: dividatur. Hoc verbulo cruorem præ ſe ferente, legitimam matrem quæ ad ſententiam horruit, dignovit, &c. Non diſſimilis Cœlum inter & Terram Quæſtio agitata mihi videtur de Chriſto: Deus & Homo erat ille, ideoque ad utramque partem ſpectabat, & ab utraque videbatur expeti. Quis litem componat? An Salomonis ſententia ſolvetur contentio, ex Chriſti diviſione? Nequaquam; Diviſionem pati non poteſt Chriſtus, quod enim ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit. Quis ergo diſſidii compoſitor? *Ecce pluſquam Salomon hic*, Sapientia ſcilicet Dei, quæ utrique Patri fecit omnino ſatis abſque Diviſionis partitioniſve injuria. Integrum ſcilicet Chriſtum Cœlum largitur, integrum Terræ. Integrum illum (pro votis) excepit Cœlo in Aſcenſione glorioſa; Integrum quoque retinuit Terra, cùm ille ſub Auguſtis Euchariſtiæ velaminibus ſe ſe condidit, &c. *Exordii ab Hiſtoria Exemplū.*

A Parabola, quæ nihil eſt aliud quàm rerum diſcrepantium ſub aliqua ſimi- *Exordium à Parabola.*

Digitized by Google

ſimilitudine facta collatio, ſæpiſſimè inchoavit ſermonem Chriſtus, qui vix populos alloquebatur ſine Parabolis, ut ex contextu ſacro liquet. Ad uſitatam verò nunc temporis Exordii formam, poſſet iſtud inſtrui ex Theſauri reconditi comparatione. Simile eſt Regnum Cœlorum (*ait* „ *Chriſtus*) Theſauro abſcondito in agro, *&c. Matth.* 13. Quantum afficiat „ hominum mentem terrenarum pecuniarum cupiditas, ignorat nemo; „ quàm verò minimi æſtimentur cœleſtes divitiæ, pauci advertunt: in hoc „ tamen delinquunt pene omnes, *&c.* Ut tanto malo mederetur Chriſtus, „ Parabolam in hodierno Evangelio propoſuit, induſtrio ſcilicet artificio „ Avarorum iniquam propenſionem ad æternorum bonorum proſequutio„ nem pelliciens. Sic autem ille fatur apud D. Matthæum: *Simile eſt* (in„ quit) *Regnum Cœlorum, &c.* Videtis illum laudari qui cætera divendidit „ ut Agrum abſcondito Theſauro divitem ſibi compararet, *&c.* Hinc di„ ſcamus Terrena dimittere ut Cœleſtibus potiamur. Hoc eſt Intentum, „ quod Chriſtus ſub ſpecioſo Similitudinis cortice velavit. Sed fuſiore ac „ explicatiore ſolutione indiget iſtud Ænigma; conabimur ad mentem „ Salvatoris & ad veſtram utilitatem illud enodare, modò adfuerit S. Spi„ ritus Gratia, *&c.*

Exordium ab Apologo.

Ab Apologo ſeu Fabula ordiretur qui de Prælatorum Electione orationem facturus præmitteret illud quod de Arborum conventione ad Regis Arborei Electionem refertur Judicum 9. 8. Poſſet autem his aut ſimilibus verbis proludere. *Ingenioſam omnino Narrationem habemus in Scriptura S., quam* (ni fallor) *optimè noſtis*, Ierunt Ligna (*inquit ſacer Codex*) ut ungerent ſuper ſe Regem, &c. *Commentum eſt iſtud, ſed ad rem noſtram belliſſimè appoſitum. Mihi enim videor intueri ſub ficta Narratione, Genium plurimorum de Prælatura ſatagentium adumbratum*, &c.

A Figuris, ab Apophethegmate, à Sententia, exordiri frequentiſſimum erat apud Eccleſiaſtas ſuperioris Ætatis, ut ex Concionibus quæ Typis mandatæ ſuperſunt, liquet, unde facillimum eſt cuivis Exordia hujus Formæ veſtigare, atque quod in eis præſtare viſum fuerit imitari. Non videntur ejuſmodi Proœmia nunc temporis in uſu apud politos Oratores, niſi rarò; ſi benè tamen ſentio, poſſunt nonnumquam adhiberi ad varietatem & utilitatem, modò id fiat ſobriè, cautè & appoſitè. Huic generi Exordium accedit iſtud quod à Quæſtione inſigni dicitur. En Exemplum ad Imitationem Ciceronis L. 1. de Invent. Sæpè & multùm

Exordium à Quæſtione.

» hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit Eccleſiæ & Religio» ni, copia Dicendi & ſummum Eloquentiæ ſtudium. Nam cùm & Rei» publicæ Chriſtianæ detrimenta prima fronte conſidero, & florentiſſimo» rum Regnorum horrendas circa Fidem calamitates in ſpecie colligo: non » minimam video per diſertiſſimos homines invectam eſſe partem incom» modorum. Cùm autem res à noſtra memoria propter vetuſtatem remo» tas, ex litterarum monumentis repetere inſtituo; multas Nationes E» vangelio imbutas, plurimarum Hæreſeon bella reſtincta, fortiſſimas

So-

Societates, Sanctiſſimas Academias, *&c.* intelligo, cùm Gratiæ præſidio, tum etiam Eloquentiæ miniſterio inſtitutas, ac me quidem diu cogitantem, ratio ipſa in hanc potiſſimùm ſententiam ducit, ut exiſtimem, Eloquentiam profuiſſe plurimùm Eccleſiæ, ac Religionem Catholicam non minimum ſui incrementi accepiſſe à ſacris Oratoribus. » » » » »

SECTIO V.

Ideæ Exordiorum ex Abrupto & ab Invocatione.

EX Abrupto vocatur Exordium, quod prævia Inſinuatione carens, Laconicè breviterque prodit Oratoris animum, Artis quidem in ſpecie incuriosum, ſed de re agenda maximè ſollicitum. Prudentia & Dignitate indiget ejuſmodi Exordium. Prudentia in eo ſumma debet adhiberi, ut ſcilicet ad omnes omnino Rerum ac Perſonarum circumſtantias accommodetur; alioquin, non modò Abruptum erit ſed Abſurdum. Non enim convenit cuilibet Propoſito vel Oratori Exordium ex Abrupto, nec etiam frequentiùs uſurpandum eſt. Opportunitatem poſcit grandem, grande Propoſitum, grandem Genium, & ad id aptum deſiderat. Dignitas verò in Exordiis Abruptis adhibenda, petitur à Figuris & Motibus, quibus decet illuſtrari tale Proœmium: incaleſcentem & acrem plerumque notat Oratoris animum, quamquam & à ſedato, ſed in ſpecie imparato & improvido proferri poteſt. En aliqua Exempla.

Ex Parrſia ſeu Confidentia. *Adſum, ò Auditores, cauſam Chriſti apud vos acturus adversùs Impios, qui Creatorem, qui Redemptorem, qui denique omnium bonorum Authorem Deum perpetuis & publicis laceſſunt injuriis,* &c. **Exordia ex Abrupto.**

Ab Increpatione. *Quouſque tandem abuteris patientia Dei, ò Peccator? quamdiu te manſuetiſſimi Numinis benignitas patietur ex impunitate inſoleſcentem?* &c. **Ab Increpatione.**

Ab occaſione S. Fulgentius exorditur ſermonem de S. Stephano, his verbis: *Heri celebravimus temporalem ſempiterni Regis noſtri Natalem; Hodie celebramus triumphalem Militis Paſſionem,* &c. De eodem propoſito aliquis Orator ſic aliquando proloquutus eſt, in ſpecie admirantis Chriſtum recenter natum, ſed jam Stephano Coronas parantem. Ergone (*inquit poſt pronuntiatum Thema*) jam tuæ manus coronas texunt, ò Chriſte? Vix luce frueris, & ſtatim de præmiis diſtribuendis cogitas. Vagis adhuc infans conditus inter arcta præſepia, & quaſi moræ impatiens munera largiris? Ita, ita ſe res habet, ò Auditores: ita inter ſe diſtant Chriſtus & Mundus: ſuos ille ſtatim remunerat, & temporis moram prævertens, donis vel modicum laborantes onerat; ò benignitas! Non ita Mundus cum ſuis agit, quos, continuis & innumeris laboribus defatigatos ludit, immo novis & grandioribus operibus gravat; ò ſævitia! &c. **Ab Occaſione.** » » » » » » » » » »

His adjici poſſunt Exordia quædam non æquè ſubita, ſed quæ tamen

abſque

abſque verborum circuitu ſtatim aperiunt Oratoris intentum. Ejuſmodi ſunt quæ petuntur à Diviſione. V. G. *Tria ſunt, quæ dicenda occurrunt mihi in hodierno Evangelio. Primum eſt,* &c. Vel, *Quæ duæ Res ad dicendum creare ſolent difficultatem, hæ mihi occurrunt ambæ, ſublimitas nimirum Propoſiti tractan i, ac Rerum dicendarum multitudo: Illa quidem Ingenii ſuperat facultatem, hæc verò Memoriæ vim confundit,* &c.

Exordium à Diviſione.

A difficili.

A Difficili abſque Inſinuatione exordiretur qui diceret: *Rem difficilem, niſi ſit impoſſibilis, hodie à me poſtulatis, ò Auditores,* &c. Vel, *Quid à me ſperatis in re tam ardua, qualis eſt acerbiſſimus Chriſti patientis Cruciatus, cujus hodie lugens meminit Eccleſia?* &c. *Quid rogatis, quid jubetis in propoſito ad quod Terra concutitur, turbatur Aer, Cœlum denigratur, triſtantur Angeli?* &c.

Ab Attonito.

Ab Attonito D. Baſilius inchoavit Concionem, qua hortaturus erat populum ad placandum Deum iratum, verba Prophetæ uſurpans, Amos 3. *Leo rugiet* (inquit) *quis non timebit? Deus loquutus eſt, & quis non prophetabit?* &c.

Ab Invocatione.

Ab Invocatione inciperet, qui ſtatim poſt Thematis interpretationem ad Deum, vel B. Virginem, vel Sanctorum aliquem converteretur ſubſidium ad Dicendum neceſſarium petiturus. Vix illa Methodus videtur in uſu apud Eccleſiaſtas politiores, ſed propoſiti declaratio ſolet inter Thema & invocationem locum obtinere.

SECTIO VI.

Ideæ Exordiorum aliquorum alterius Formæ.

Exordium ab Opinione.

AB Opinione dicitur, cùm quis Auditorum ſenſus prægustans & proſpiciens ab his orditur; ſi propoſitum honeſtatis aliquid præ ſe ferat, quod lætitiam & commoditatem Audientibus polliceatur, hinc poterit Orator auſpicari Concionem: ſi turpitudinis, incommodi, & difficultatis nonnihil propoſitum præſagit, indiget inſinuatione & anteoccupatione Exordium, ut ab Auditorum animis, opinionem minùs fortè propitiam evellat. Idem præſtandum eſt, ſi Oraror malè audiat, vel Auditor ſit malè affectus; vel Perſona ſeu laudanda, ſeu vituperanda aliquid habuerit ſcopo intento contrarium. Hoc genus Exordiorum eſt quod ſuperiùs dixi à Perſona vel Re ducendum, quodque Medicinale appellatur, quia occurrit & medetur incommodis quæ inter dicendum poſſet Eccleſiaſta pati. Ita qui juniore ætate pulpitum conſcenderet, ideoque pariturus crederetur admirationem Auditoribus, poſſet inde exordiri v. g. *Miramini forſan, quod ego necdum matura ætate, ſcientiave præditus Concionari præſumam,* &c. Hæc eſt propoſitio, cui poſſunt admirationis rationes breviter ſubjici, deinde vero eaſdem ſtatim ſolvere oportet, his ferè verbis; *At veſtra ceſſare debet admiratio, cùm perſpexeritis*

tis cauſam cur tantum & tam grande negotium ſuſceperim junior. Partes Dei ago contra Blaſphemos, &c. Ille igitur, qui linguas Infantium facit diſertas, mihi necdum Adoleſcenti dabit, quo Cauſam ejus adverſus infenſiſſimos hoſtes ſuſtineam, &c.

Audivi qui de Reſurrectione Chriſti dicturus, præmiſit pro Themate illud Threnorum I. 12. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt Dolor ſicut Dolor meus.* Hæc quidem verba videntur prima fronte à Feſtivi diei lætitiæ prorſus aliena, uſus eſt hac præmunitione ut præmiſſum thema emolliret & ad ſenſum ſuum converteret. Non dubito (*inquit*) quin aſſumptum Thema viſum vobis fuerit Eccleſiæ intento contrarium. Sonat illud luctum, cruorem & opprobrium, &c. hæc „
verò, lætitiam, triumphum, & gloriam ſpirat, *&c.* Quid igitur „
hodierno rerum ſtatui minus conſentaneum, immo quid magis oppoſi- „
tum quàm Dolores & Infamias Patientis Chriſti exhibere? Parcite, „
N. & Attendite; videbitis, præfata verba propoſito Eccleſiæ planiſſimè „
convenire. Eſto, quòd Hominum cæterorum dolores ac vulnera, læ- „
titiæ gloriæque ſenſum omnino extinguant, quid enim aliud poſſet ex „
his ſperari? *&c.* At non ita ſe res habet de Chriſto; ejus enim Dolores „
& opprobria, non modò ipſi fuere ad gaudium & decus, ſed & nobis „
utrumque contulere, ut vobis ex hac oratione innoteſcet. Non ergo, „
gementes, lugenteſve citata verba proferimus, ſed læto & jucundo „
animo. Martyres ſæculi aliunde afflictos increpamus cum Propheta eoſ- „
dem monentes ut advertant, quàm multum differant dolores quos pro „
Mundo experiuntur, ab iis quos pro noſtra ſalute Chriſtus perpeſſus „
eſt. Attendite (*ergo*) vos omnes, qui per viam afflictionum munda- „
narum tranſitis, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Non profectò, ut li- „
quebit ex dicendis, &c. Introductionem adjecit de cura Corporis de quo ſolent homines eſſe plurimùm ſolliciti: finxit Concionator ſe velle in hoc hominibus obſequi, etiam ex Chriſti ſenſu qui per Dolores, gloriam ſui ac noſtri Corporis comparavit, ideoque ad Diviſionem dilapſus Eccleſiaſta, ſubjecit, quatuor Dotes promanaſſe ad Corporis Glorioſi, in compenſationem dolorum quos Chriſtus pertuliſſet, Impaſſibilitatem, Claritatem, Agilitatem & Subtilitatem. Unde per Antitheſes quadrimembrem propoſuit Partitionem. Vulnera (inquit) quæ fuere vel cauſæ vel ſigna, Paſſionis, opprobrii, gravitatis & Craſſitiei, peperere, pro Paſſione Impaſſibilitatem, pro dedecore Decus, pro gravitate Agilitatem, pro Craſſitie Subtilitatem, &c. Totidem Dotibus (ait) remuneratur Corpus Chriſtiani Viatoris, ad imitationem ſcilicet & ex merito Chriſti tùm Patientis tum Reſurgentis, &c.

Exordium à Contrario & Incredibili.

A Contrario duxit initium Eccleſiaſta, qui adverſus inveteratas animorum inimicitias declamaturus, ait, Oppoſitam cæteris Concionato- „
ribus methodum hodie adhibeo de hoſtilibus Chriſtianorum inter ſe „
odiis acturus. Solent alii Eccleſiaſtæ omnes Eloquentiæ nervos intendere „

„ ut inimicas mentes increpent, & terreant; modò minis, modò precibus „ utuntur; nunc fulgurant, nunc adulantur, &c. nulli ferè arti parcentes, qua cordibus inhærentia odia evellere ſperent, &c. At nihil profuere (*ut experientia liquet*) preces aut minæ fulminibus etiam ſtipatæ. „ Quis enim ex inimicis inſenſam mutavit mentem? &c. Quid proinde ad „ propoſitum convenit, quandoquidem uſitata huc uſque arguendi forma „ inutilis fuit? An loquendum eſt, an tacendum? ſi prius; At ejuſmodi „ ſermo nihil aliud efficiet quàm ut ſcientes & non facientes, ideoque iniquiùs reos, majori damno faciat obnoxios. Si taceam, mecum forſitan „ malè agetur, qui mihi pepercerim in aliquo, ne Frater, Chriſti ſanguine redemptus periret. Quid igitur præſtat? en ſuggeritur ſollicito nova „ & inſueta rei tractandæ methodus, ſcilicet vindictam ſitientibus, ulciſcendi licentiam concedere.

„ Mos iſte apud Medicorum celebriores invaluit, ut infirmorum deſperatorum appetitui aliquid indulgeant nonnumquam, quod ſanitati optatæ videtur in ſpecie adverſari; nec infeliciter res ſuccedere viſa eſt ſæpiùs. Pari ratione velim ego permittere implacabilibus animis ut de hoſtibus ulciſcantur. Parcite Oratores ſacri, ſi à veſtra, qua cum hoſtilibus diſſidiis agere ſoletis, methodo videar diſcedere, &c. Ulciſcimini, „ ulciſcimini, qui tantopere ad vindictam ardetis. Quos vobis Hoſtes „ cenſetis, è medio tollite, id per me licet, &c. unum à vobis ſolum deſidero, ut ad ultionem non progrediamini, donec docuerim optimam „ & perfectam ulciſcendi rationem. Hic eſt hodiernæ Concionis ſcopus. „ Adſis, ò Chriſte, &c.

Introductionis intentum eſt, propoſitionem qua Exodium clauditur explicare, nimirum, Quæ ſit melior & perfectior ulciſcendi ratio, quæ in hoc conſiſtere aſſeritur, ut Inimicis impendantur, Dilectio cordis, Oris verbum, & manus Beneficentia; His enim tribus, pleniſſimè Adverſarius, non tantùm extinguitur, ſed in optimè affectum immutatur. Quid enim eſt Inimicum occidere niſi de Inimico facere Amicum? Atque triplex ille ulciſcendi modus, ipſa eſt quæ dicebatur in ſpecie nova cum inimicis agendi methodus, unde etiam trimembris Concio inſtituitur.

Innumeri ſunt Fontes & Modi, unde Exordia poſſunt duci & formari, quorum Ideas præmiſimus, ii ſufficient ad exempla quæ Tyronum ingenium ſuſcitent ac moveant, ad ſimiles, immo cultiores proœmiorum Formas perficiendas. Nunc de Introductione agendum.

CA-

CAPUT III.

De Introductione & Narratione.

INTRODUCTIO & Narratio eam ſolent occupare Orationis partem, quæ ab Exordio ad Statum Quæſtionis excurrens, viam parat Auditori, ut in ampliorem Propoſitionis ſenſum progrediatur. Utraque poteſt eſſe uſui apud Oratores cùm Sacros, tum prophanos; Illis tamen prior ſolet eſſe frequentior, poſtrema iſtis, præſertim in Genere Judiciali, cui familiarius eſt rem geſtam narrare Procemii loco. Utrique plurima ſunt communia, ſed ad perſpicuitatem his diſtinctum tribuimus Articulum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Introductione.

SECTIO PRIMA.

Introductionis Neceſſitas, Differentia, Exempla.

DE Introductionis Neceſſitate controvertitur inter Oratores. Alii ſuperfluam dicunt, quia ejus eundem cum Exordio ſcopum arbitrantur, cenſentque tanquam illius repetitionem inutilem, immo nocere putant, quia (inquiunt) impedit quominùs ſat cito ad propoſitionem progreſſio fiat. Alii pro ea decertant, aiuntque Orationi neceſſariam cùm ad Quæſtionis conſtitutionem, tum ad Propoſiti explanationem dilucidiorem. Si quod ſentio dixerim, pro his ſtabo, aſſeramque Introductionem plurimam Concioni afferre lucem quæ ab Exordio præſtari non poteſt, immo utriuſque finis videtur diſtare ut ex ſequentibus liquet. *De Introductionis neceſſitate.*

Exordii ſcopus proprius eſt Auditoris Attentionem & Benevolentiam conciliare ejuſque Docilitatem comparare brevi Propoſiti deſignatione; Introductionis autem finis eſt Auditorem per Exordii Inſinuationem jam conciliatum in Quæſtionis Statum ac principia inducere. Exordium aliquì comparant Homini terram effodienti ut ædificii fundamenta ſternantur. Introductio (inquiunt) ſimilis eſt Homini primarios Fundamenti lapides in ſolo priùs effoſſo ſternenti & conſtituenti. Alii Natu- *Introductionis ab Exordio differentia.*

ram Introductionis explicant ſimilitudine Totius ad ſuas Partes, eam enim videtur habere ad puncta quibus Concio dividitur, rationem quam obtinet Corporis truncus ad Membra, Fons ad Rivos, Stirps ad Ramos; ita (inquiunt) ſe habet Theſis univerſalior quæ introductione verſatur, ad propoſiti partes quæ probandæ diſtribuuntur. Sunt qui ut Introductionis proprietates aperiant, ſic ratiocinantur: Quemadmodum qui longiorem ſaltum edere volunt, nonnihil retrocedunt ut majorem ex receſſu impetum ſibi conquirant; ut etiam qui gravem ictum inferre parant, brachium levant, quaſi à loco feriendo recedentes, attamen inde fortiùs & vehementiùs percutiunt; Ita qui de Philoſophia aliave ſcientia tractant, præmittunt principia quædam generalia, quæ ſint Tractatuum, Quæſtionum & Concluſionum Fundamenta. Idem etiam in uſu cernitur apud Hiſtoricos, nec-non alterius cujuſcumque generis Scriptores: Hi enim Exordiuntur ſemper à propoſitione aliqua latiore, & remotiore, quæ Dicendorum eſt veluti caput, proluſio, & Fundamentum. Ad horum ferè modum, Introductionis Genius pingi & concipi debet; Altiùs quippe Propoſitum à principiis repetit, ut Auditorem his præmunitum, ad rerum deinceps tractandarum perceptionem commodiùs & dilucidiùs pelliciat.

Introductionis uſus apud veteres.

Ex his abundè patet Introductionis Eſſentia, quæ eſt Concionis quaſi veſtibulum & Aditus: appellatur etiam, *Ingreſſus*, *Iſagoge*, *ſecundarium Exordium vel Proœmium*. Videtur quidem Introductio non fuiſſe Scriptoribus antiquis adeo familiaris, quia illi ab Exordio, mox ad Propoſitionem progrediebantur; aut ſaltem non ita clarè Introductionem ab Exordio ſecernebant: Ejus tamen exempla habemus apud SS. Patres, unum profero D. Gregorium Nazianzenum Orat. 16. quam de Pauperum Amore ſcripſit. Exorditur ille à Propoſiti ſummaria deſignatione, cùm ait ſubſidium eſſe ferendum Egenis. Deinde Attentionem & Benevolentiam ſibi vindicat à Perſona Auditorum, ad quos omnes Miſericordiæ opus & remunerationis ſpem pertinere ait. Tum ab Auditoribus ſuffragium precatur, ut Orationis intentum feliciter ſuccedat. Hæc eſt præmemorati Exordii materia & ſumma. Introductionem verò aggreditur Nazianzenus à præcellentia Charitatis, quam præſtare aſſerit aliis virtutibus quas enumerat, indeque claudit Introductionem, atque hoc poſito, variis Argumentis & rationibus ſuadet Miſericordiæ praxim.

Introductionis Exempla.

Evidentiùs & frequentiùs Introductionem ab Exordio ſecernunt Eccleſiaſtæ recentiores. Exemplum compendioſè referam ex celebri Oratore ut mihi nunc fortè occurrit. D. Pauli Panegyrim ille texit aſſumpto pro Themate; *Gratia Dei in me vacua non fuit*. 1. Cor. 5. In Exordio rationes reddit cur præfata verba ſelegit, unde D. Pauli Encomium conſtrueret, nempe, quia ejuſmodi Thema plenitudinem Gratiæ Paulo conceſſæ apertiùs manifeſtat, deinde quia Paulum ipſum propria lingua & ſenſu planiùs explicat, ac tandem quia illa verba luculentiùs oſtendunt, quis fuerit

D. Pau-

D. Pauli Zelus pro ſalute Hominum, ac etiam nos ad ſimilem Gratiæ uſum fortiùs invitant. Ille igitur eſt ſummarius Exordii ſenſus, Oratoris intentum paucis indicans, in hoc ſcilicet poſitum, quòd polliceatur oſtendere, quomodo D. Paulus Gratiæ partes plenè fuerit executus. Introductio deinde fundamentum Concionis ſternit, altera Propoſitione generali, quæ aſſerit omnium Sanctorum Gloriam in hoc conſiſtere, ut Gratiæ in ipſos agenti reſpondeant per omnia, non ſecus ab Echo omnes vocis accentus & ſonos æmulata; Hanc Propoſitionem paucis probat, tum addit, Neminem melius Paulo hæc omnia præſtitiſſe, atque Gratiæ latitudinem æquaſſe: iſta eſt Propoſitio quæ in Introductione verſatur, poſtea illam probat, ſuggerens tres modos quibus tantum opus Paulus præſtitit, nimirum Deſiderio, Actione, & Patientia. Atque ut id eluceſcat elegantiùs ad Concionis Partitionem, ait, Paulum tribus rebus ferè immenſis reſpondiſſe Gratiæ, ſcilicet *Immenſitate Deſideriorum*, *Immenſitate Operum*, *Immenſitate Paſſionum* ſeu Tribulationum.

Explicatior iterum videbitur Introductionis ſenſus, ſi ejus propoſitio ad formam Argumenti Logici componatur, hoc ferè modo. Omnium Sanctorum gloria in hoc ſtare debet ut Divinæ Gratiæ reſpondeant; At D. Paulus Gratiæ reſpondit pleniſſimè: ergo ille meretur ex omni parte gloriam. Major ſeu prior propoſitio quæ ſuggerit materiam pro Introductione poteſt facilè probari & ampliari, ſed ſola indiget expoſitione, qua liqueat Sanctorum gloriam in hoc conſiſtere ut Gratiæ intentum adimpleant. Theſis (inquam) eſt illa propoſitio & Concionis Fundamentum ac Seminarium. Minor verò ſeu ſecunda Propoſitio, quæ ad D. Paulum contrahitur, eſtque Hypotheſis, Concionis negotium propiùs aggreditur, atque cùm probari debeat, id fit per Diviſionem Propoſitionis, cujus Partes in Concionis Puncta diſtributæ, poſtea membratim probantur & amplificantur. Poſſet enim rurſus demonſtrari hæc Introductionis præfatæ Minor per hanc aut ſimilem alterius ſyllogiſmi formam. Qui Gratiæ reſpondit per Immenſitatem tum Deſideriorum, tum Operum, tum Paſſionum, ille Gratiæ plenitudinem omnino adæquavit; Atqui D. Paulus Gratiæ reſpondit per Immenſitatem tum Deſiderium, tum Operum, tum Paſſionum; Ergo ille plenitudinem Gratiæ perfectè adæquavit.

Introductionis Anatomia ſeu Examen.

Aliud Exemplum ejuſdem rei profero ex alio celebri Concionatore. Encomium ille aggreditur DD. Coſmæ & Damiani, præmiſſis pro Themate his Verbis, *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes*. Actuum 10. Orditur à comparatione prædictorum Sanctorum cum Chriſto, pauciſque ait hos Divos præ cæteris Chriſtum fuiſſe imitatos, ſiquidem eadem quæ ille operabantur miracula, ad infirmorum ſanitatem, &c. Hinc cauſam reddit Orator cur aſſumptum Thema SS. Coſmæ & Damiano aptiſſimè conveniat, unde etiam Auditoribus ſubſidium pollicitus non modicum, Attentionem ac Benevolentiam ſibi conciliat. Introductionem venatur ex morbida Hominum Natura; Poſtquam enim utramque Hominis partem

Introductio Conc. de SS. Coſma & Damiano.

tem ægrotare demonſtravit ex Auguſtini teſtimonio, & Inductione facta per varios cùm Corporis, tum Animæ morbos; addit Chriſtum Medicum è Cœlo in Mundum veniſſe ut grandem Ægrotum ſanitati reſtitueret. Iterum, ſubjicit ſanctos Eccleſiæ Miniſtros in eundem finem laborare, ut ſcilicet Peccatorum morbos ſanent. Deinde ait, DD. Coſmam & Damianum, huic præcipuè Medicinali Officio incubuiſſe tam ex profeſſione, quàm ex Religione, ut nimirum & Morbis & Peccatis mederentur. Hoc poſito, quatuor exquiſitioris remedii modos quibus illi uſi ſunt proponit. *Primò, quòd ſanaverint cum voluptate abſque Dolore. Secundò, quòd Corpus & Animam. Tertiò, quòd abſque proprio Commodo. Quartò, quòd ſanguine curaverint ſui ſanguinis Effuſores.*

Introductionis reſolutio per ſyllogiſmum.

Introductionis præfatæ ſenſum poteris iterum hoc Syllogiſmo colligere, ut fiat liquidior. V. G. Medicus ille, qui morbos curat quatuor modis mox citatis, ille propiùs Chriſtum Medicum imitatur; At DD. Coſmas & Damianus hoc præſtitere; Ergo hinc liceat inferre eoſdem fuiſſe Chriſtum Medicum propiùs imitatos. Ubi vides, quòd Enumeratio Morborum quibus laborat Humana Natura; ac etiam Methodus quam Chriſtus ejuſque Miniſtri inierunt in curandis morbis, habeant in Concione rationem Theſeos ſeu Propoſitionis Fundamentalis & Introductoriæ, quæ eſt Fons in quatuor rivos ſeu partes ad laudem Sanctorum de quibus agitur, ſcaturiens. Ita enim ſummariè contrahitur propoſitionis illius ſenſus, Natura Humana innumeris ægritudinibus ſecundùm utramque ſui partem laborans, indiguit Chriſto ejuſque Miniſtris, qui Medicos agentes ejus morbis mederentur. At, ex omnibus ſanctis DD. Coſmas & Damianus, methodum Chriſti medentis imitati ſunt: Hæc eſt ſecunda propoſitio ſeu Hypotheſis, præcedenti tamquam univerſali ſubjecta, quæ Statum Quæſtionis aperiens, Intentum Oratoris probat quatuor Rationibus ſeu Partibus quæ fiunt Concionis tot membra ſeu Puncta.

Introductio adhibenda in capitibus Partium.

Ad hæc animadvertendum eſt, quòd quamvis Introductionis uſus ſpectet maximè ad illam Concionis partem quæ Exordium ſequitur, eſtque veluti Corpus & Baſis rerum dicendarum: poſſe etiam ac ſæpiſſime debere uſurpari cùm inchoantur ſingulæ Concionis Capitales Partes; quas ſcilicet præſtat inchoare per aliquam Propoſitionem latiorem, quæ Puncti ſenſum complectatur, & probationem exſpectat per adducendas poſtea rationes faciendam. V. G. Prior Concionis ſuperioris Pars, quæ aſſerit Curationem optimam debere fieri cum voluptate abſque Dolore; poſſet initium ſumere ab hac vel ſimili ſententia generali: Ea cenſetur optimi Medici optanda induſtria, ſi ægrotos jucundè & gratè ſanet; Hæc igitur Propoſitio erit Caput iſtius Partis, poteritque probari & amplificari à Contrario, nimirum à Difficilibus remediis, unde terrentur ægroti, nec minorem ſæpe dolorem patiuntur quàm ab ipſis morbis; inde patebit, præſtare illum medicum qui abſque his jucundiùs ſanet: deinde, id

factum

factum à SS. Coſma & Damiano probabitur ex variis circumſtantiis ab Hiſtoria petitis, quibus illi morbos pellebant, &c. At, inquies, ergo non unicum eſt Exordium, ſed plura Concionem partiuntur? Non ita ſe res habet: unicum ſanè eſt Exordium toti Concioni commune ejuſque fundamentum; Alia autem Exordia quæ partibus ac etiam Conceptibus & Argumentis diſtinctis præmittuntur, non merentur Exordii nomen, niſi velis appellare Exordiola & modica Procœmia.

SECTIO II.

Introductionis Conditiones, Fontes, ac Methodus.

1. TRES in Introductione Conditiones laudantur, primùm ut ſit *Proxima*. Secundò ut *Brevis*. Tertiò ut ſit *Ornata*.

Introductio debet eſſe Proxima, ideſt à Genere proximo & immediato deſumpta, ea enim cùm rationem habeat Totius in ſuas Partes diſtribuendi, ſeu Propoſitionis Univerſalis in propoſitiones inferiores & minus latas dividendæ, neceſſe eſt, ut illæ Partes à Toto immediatè oriantur, atque etiam à Propoſitione Generali proximè fluant: Nam ſi altiùs & longiùs res à Genere mediato & remotiore petatur, Introductio fluctuabit, extra propoſitum vagabitur, fatigabit Auditores, & Oratoris indicabit inopiam. Nec etiam per Genus nimis proximum & arctatum conſtitui debet Introductio; Inde enim duo incommoda occurrent. Primum eſt periculum repetitionis vitioſæ, quæ rem eandem, & ſimilem ſenſum, variatis tantùm verbis, ac eadem etiam verba proferre cogetur: alterum eſt, penuria ſegetis ad Introductionem explendam neceſſariæ, qua laborabit Orator, ſi fuerit exorſus à proximiore & minus patente Genere. Exemplis res patebit. *1. Introductionis conditio, Proximitas.*

Occurrit nunc Concio quæ D. Sulpitium laudat à Magnitudine. Orator deſumpſit Thema de Præcurſore prolatum Lucæ 2. Erit Magnus coram Domino. Hæc verba in Exordio luculenter explicantur prout D. Joanni Baptiſtæ conveniunt, deinde transferuntur ad D. Sulpitium. Introductio ſtatuitur à proprio & Proximo Genere, nimirum à Magnitudinis virtute, qua præſtant, Deus, Chriſtus & Baptiſta; deinde ad hanc perfectionem acceſſiſſe D. Sulpitius aſſeritur; Hic eſt Status Quæſtionis, qui in gratiam & honorem D. Sulpitii probatur & dilatatur ſub finem Introductionis, quæ clauditur per Diviſionem qua explicantur tot partes quibus iſte Sanctus Magnitudinem aſſequutus eſt. *In Triplici ſtatu* (inquit) *Magnus fuit, in Palatio, in Eccleſia, in Solitudine. In Palatio quidem Magnus apud Principem extitit. In Eccleſia, Magnus inter Antiſtites. In Solitudine, Magnus inter Anachoretas.* Introductio (inquam) illa legitima eſt, & petitur à proximo Genere, nimirum à Magnitudinis virtute, qua quidquid excellit Magnum eſt, quæque tres Magnitudinis ſpecies D. Sul-

Digitized by Google

D. Sulpitio proprias complectitur. Remotior eſſet & à Genere altiore ſumeretur, ſi occuparetur in laude virtutis in Genere, deinde ad Magnitudinem quæ virtutis quædam eſt ſpecies dilaberetur; fruſtra enim & minimè ad propoſitum texeretur illud virtutis præconium: reſecandum eſt quia ſuperfluum, & initium fieri debet à Magnitudine quæ Genus eſt immediatum. Peccaret verò arctitudine nimia, ſi ſtatim duceretur Introductio, ab explicatione triplicis Magnitudinis, qua D. Sulpitius præſtitit; poſſet quidem uſui eſſe, ſi Orator vellet ingredi à Diviſione, quod etiam ſæpiùs fit cum laude: At ſeipſum ſpoliat ampla ſupellectile, quam ab explicatione Magnitudinis haurire poterat, quæque commodum toti Concioni ſtraviſſet fundamentum.

2. Introduct. Conditio, Brevitas.

Brevitate gaudet Introductio; Etenim cùm ſit Orationis veſtibulum, cujus officium eſt ad interiora domus aditum præbere; fatigabit Auditorem ſi longiore circuitu moretur ingredi volentem. Eſto pluribus Architecturæ ornatibus fulgeat Propylæum, his tamen diutiùs retardari odit Sapiens quiſque, ſubire interiora meditatur & deſiderat, alia quidem miratur ſed his occupari non patitur. Eam ob rem plures è celebrioribus Eccleſiaſtis, Introductionem faciunt breviſſimam, neque in ea aliud ferè agunt, quàm ut propoſitionem capitalem paucis, non tamen ſine Ornatu, proferant, deinde ad Partitionem ſtatim digrediuntur. Exemplum ſit mox citata de Magnitudine Introductio, aliquibus ſat foret pro Ingreſſu dixiſſe v. g. *Ea eſt natura virtutis, quæ Magnitudo appellatur, ut ab omnibus probetur & laudetur*, &c. *Hæc eſt quam in D. Sulpitio laudandam ſuſcipimus; Magnus enim ille fuit tribus rebus quæ Magnitudini ſolent pretium & exiſtimationem comparare*, &c.

3. Introduct. Conditio, Ornatus.

Tertia Introductionis Proprietas eſt, ut ſit Ornata, & hoc habet à Diſpoſitione, ab Elocutione, Pronuntiatione & cæteris ejuſmodi rebus unde ſit elegans & polita. In hac igitur parte ſicut & in omnibus, deſideratur Ordo, quo debitè & venuſtè diſponatur omnis ſupellex qua inſtruitur Introductio; ut ſunt Argumenta, Conceptus, & Figuræ; Alia enim præcedere, alia ſubſequi debent quædam, aliis debetur prior locus, aliis medius, aliis poſtremus. Atque ejuſmodi Ordinatio pendet ut plurimùm ab Oratoris Ingenio, cujus eſt examinare & decernere, quid ad elegantiam & efficaciam magis conveniat: Vix enim aliquid certi de hoc poteſt Regulis generalibus conſtitui. Dicam ſolummodò, priorem ſitum mereri Argumenta quæ ſoliditatem & efficaciam ſpirent, ac etiam quæ difficultatis aliquid ad intelligendum præ ſe ferant, Attentus enim Auditor & ſedata Oratoris Pronuntiatio quæ adeſſe ſolent initiis, favent Enodationi & perceptioni Propoſitionis difficilioris. Deinde efficaciora Argumenta viam ſternunt debilioribus. Non deſunt tamen qui feliciter Introductionem auſpicentur à Facto vel Effato celebri, jucunditatis aliquid ſuggerente, deinde ad Propoſitionem, tum ad Partitionem dilabuntur.

Ordinatio ſeu Diſpoſitio.

Elocutio.

Elocutio Introductionis debet ut plurimùm inſtitui ſedatis Figuris, quæ ad

ad Docendum & Delectandum compoſitæ dicuntur; niſi acrioribus & vehementioribus urgeri popoſcerit Occaſio. Par eſto judicium de Pronuntiatione, quæ remiſſior eſſe debet nec multum Exordio abſimilis. Pronuntiatio.

2. Introductionis Inventio multiplex eſt, pro multitudine Fontium è quibus hauriri poteſt; ex pluribus aliquos indicamus, non quidem ut hinc lex imponatur Eccleſiaſtæ, ut vel ſemper utatur Introductione, id enim ferè liberum eſt (ut dixi & nonnunquam præſtat eam non adhibere: vel ut qui uti velit Introductione, eam non aliunde ducat, quàm à Locis quos notamus, vix enim certo numero poſſunt conſtringi, cùm tam varii & multi ſint ut ferè numerum excedant; ſed hos tantùm ad exemplum proferimus. Introductionis Fontes, varii.

A Genere frequentiùs deſumitur Introductio; per Genus autem intelligimus, ſeu Logicum illud univerſale quod ſub ſe multas Species complectitur, ut animal Genus eſt ad Hominem & Brutum, Miſericordia eſt Genus ad Eleemoſynæ largitionem, aliaque ſimilia Charitatis opera; Mortificatio eſt Genus reſpectu Jejunii, Vigiliarum, &c. ſeu Totum aliquod ſuis conſtans partibus indicatur Generis nomine, quale eſt Corpus ad ſua Membra, Regnum vel Civitas, ad varios Perſonarum ſtatus ex quibus coaleſcit: Item, Generis rationem habet quidquid latitudine & amplitudine ſua quodvis aliud minus amplum comprehendit. Introductio à Genere.

A Genere igitur poſſet Introductio duci de Jejunii obſervatione, ſi præmitteretur propoſitio ſeu Theſis de Mortificationis neceſſitate, v.g. quòd ubique à ſacris Scripturis commendetur, & omnibus Sanctis fuerit familiaris; poteſt hæc Initialis Propoſitio facillimè dilatari, prout ſuggeſſerit Promptuariorum uſus, vel Oratoris Genius. Deinde, hoc præmiſſo, ad Jejunii propoſitionem accedatur, hoc ferè modo, ***At Mortificationis neceſſariò ſubeundæ Species optima hodie nobis occurrit ſcilicet Jejunium, de quo tria vobis ad ejus Praxim dicam, nempe quòd celebrari debeat, Corpore, Animo & Opere. Corpus quidem abſtineat à prohibitis cibis; Animus à vetitis deſideriis; Opus in Charitatis officia diſpendatur.*** Res fiet clarior ſi per hujus ſyllogiſmi formam proferatur. V.G. Mortificationis uſus eſt neceſſarius, cùm ex Scripturæ mandato, tum ex Sanctorum Praxi, tum ex aliis utilitatibus quæ inde oriuntur. Hæc eſt Major & Generalior Propoſitio, quæ Introductionis partem præcipuam præmittit, poſtea ſubjici debet Minor Propoſitio, quæ eſt ſuperioris velut ſpecies ad quam illa contrahitur, v.g. At Mortificationis Species optima eſt Jejunium, ideoque à Scriptura, à Patribus, aliiſque iiſdem de rebus commendatur. Sufficiunt ambæ illæ Propoſitiones, nec opus eſt ut his ſubjiciatur Concluſionis forma, Ergo, &c. ſatis enim intelligitur. Deinde manifeſtandum eſt intentum quod de Jejunio ſuadendum ſuſcipitur, ibique ſtatus Quæſtionis per partitionem diſtribuendæ apponitur. Poſſet etiam ex Genere proximiore probari Jejunii neceſſitas in Introductione, deinde hoc ſtatuto, fieret Partitio, vel per diverſas Jejunii Species, vel per ejuſdem Exemplum de Jejunio.

Conditiones, vel denique per varias Jejunii Appendices, qualis eſt Oratio, Eleemoſyna, &c.

Introductio à Definitione.

A Definitione paratur Introductio, v.g. ſi de Furto agatur, poterit his aut ſimilibus verbis Ingreſſus ſtatui; *Antequam ulteriùs progrediar, operæ pretium cenſeo, Furti naturam explicare, id enim omnino conſtare debet in re tanti momenti, quæque varios ut plurimùm ſenſus parit. Eſt igitur Furtum*, &c. Deinde pro Partitione deſignari poſſunt *tres Furti Species, Latrocinium, Uſura, Simonia; prior Juſtitiam præcipuè offendit, altera Charitatem, tertia Religionem*. Vel per diverſos Furum ſtatus, *Nobilium, Judicum, & Mercatorum. Nobiles abutuntur Poteſtate ut Subditos opprimant: Judices Authoritate, ut Clientes ſpolient; Mercatores Fide, ut Emptores decipiant*. Idem ferè poteſt fieri cùm agitur de virtutibus aut vitiis, optimè enim ducitur Introductio vel à Genere, vel à Definitione rei ſuadendæ aut diſſuadendæ.

Exemplum de variis Furti Speciebus.

Introductio ab Enumeratione Partium.

Ab Enumeratione Partium inſtituitur Introductio dupliciter. Primò, cùm incipitur ſtatim ab ipſamet Propoſiti Partitione, v.g. *Tres hodie Adverſarios damnandi Furti reos arguere propono, Raptores, Uſurarios, Simoniacos*, &c. Secundò, cùm ex partium diſtributarum numero removentur quæ tractandæ non ſunt, eliguntur verò & deſignantur quæ verſari debent. V.G. Poſtquam dictum eſt pro Introductione, Quot ſint Furum Species, vel quot ſint modi quibus res aliena rapitur, poterit addi, *Mens non eſt tot hodie Adverſarios impugnare, ad unum Furantium genus Concionem contraho, ſcilicet ad Simoniacos, ad hos igitur ſermo noſter convertitur, eoſque tanquam triplicis Juris violatores ſiſto, illi ſcilicet infringunt Jus, Naturale, Civile, Divinum. Naturale quidem, quia faciunt alteri quod ſibi fieri nollent. Civile, quia peccant contra Leges pro ſimilibus Contractibus ſancitas; Divinum, tamdem, quia pretio temporali Res Divinas divendunt*.

Introductio à Comparatione vel à Simili.

A Comparatione & à Simili ſtruitur ſæpe Introductio, qualis eſt ſuperiùs adducta ex D. Gregorio Nazianzeno, de Eleemoſyna largienda: ibi virtutum inter ſe Comparatio inſtituitur, hiſque præfertur Miſericordia, de qua propoſitum eſt deinceps agendi. Item Dominica prima Quadrageſ. cùm celebris Chriſti cum Dæmone congreſſus exhibetur, atque noſtra cum eodem Tentatore quotidiana Pugna ibidem figurativè adumbratur, belliſſimè fiet Introductio per Comparationem Vitæ Humanæ cum Militari Statu, quod facillimum eſt (ni fallor) cùm Scriptura dicat *Militia eſt vita Hominis ſuper terram*, ſanctique Patres Chriſtianum tanquam Militem ſæpiſſimè prædicent. Inde facilis patebit ad Diviſionem via, ſi comparetur Dæmonis nos tentantis induſtria, cum ea qua ſolent Milites uti, ut Adverſarios expugnent. Vel enim aggrediuntur vi aperta, vel Inſidiarum fraude, vel Domeſticorum corruptione; Totidem modis Homines tentat Dæmon: His omnibus reſiſtere debet Chriſtianus Miles.

Introductio à Contrario.

A Contrario fit Iſagoge, cùm rationes quæ ſuaſionem propoſitam præpedire poſſent, exponuntur, ac Partitionis explicatione ſolvuntur. V.g. ſit Jejunium ſuadendum, Præfatio poterit ſic inchoari: Scio me rem difficilli-

ficillimam aggredi, Jejunium ſcilicet ſuadere. Quotus enim quiſque eſt qui amet cibis appetitui gratiſſimis privari? &c. Attamen, &c. Item de Inimicitiarum conditione. *Ex omnibus* (inquies) *Præceptis, quæ Deus ſanxit ac Hominibus impoſuit, nullum eſt difficilius illo quod injuriarum remiſſionem jubet. Invenias enim plures qui Juſtitiam ament, alios qui ſobrii ſint,* &c. *At verò qui Inimicis indulgere velint, aut pauciſſimi ſunt, aut nemo... His enim rationibus ſeſe tueri arbitrantur, ſcilicet ejuſmodi Condonationem Injuriarum prætexunt contrariam Honori, Utilitati, & Facilitati; Indecorum eſt* (inquiunt) *præſtare Indulgentiam, Noxium, denique Difficillimum. Ego contra, nihil eſſe Honeſtius, Utilius, Facilius oſtendam.* Exemplum de Condonatione injuriarum.

A Conceſſione, quæ in ſpecie aliquid indulget Auditoribus, ſed conatur ad perfectiorem uſum inflectere. V.g. de Ambitione. *Non me latet Auditores, quàm altè præcordiis inhæſerit Honorum Ambitus,* &c. *Quis eſt enim qui Exaltationem non deſideret?* &c. *Hunc ego affectum nolim extinguere, immo augere velim; At hoc unum modò deprecor, ut à falſis Honoribus abſtinentes Chriſtiani, veros, certos & legitimos proſequantur. Quod ut efficiam, duabus tantùm propoſitionibus vos aggredior. Prima hæc eſt, Nullus eſt in mundo verus Honor; Altera; Omnis & indubius Honor à Deo ſperari debet.* Introductio à Conceſſione.

A Suppoſitione, cùm præmittuntur ea quæ concedit Adverſarius, quæ tamen ad rem faciunt. V. g. De Pœnitentia ſic poſſet quis præfari; Ne » tempus inutiliter teramus, præſtat ea conſtituere de quibus nulla move- » tur ab Adverſariis controverſia. Fatetur ſanè Peccator, opus eſſe ut de » peccatis pœniteat; Et certe quamquam id ille diffiteretur, facillimum eſ- » ſet ea de re ipſum convincere: Quis enim ignorat quod à ſacris Paginis » multoties inculcatur de Pœnitentiæ neceſſitate? *&c.* At quoniam de hoc » nulla lis eſt, ne actum agamus, ſtet iſtud omnino inconcuſſum. Quod » controvertitur, ſpectat ad Tempus & Modum quibus pœnitere volunt » Peccatores, alter quidem tardè, alter verò inſufficienter. Ego contra » ſuadere conabor Promptam & Integram Pœnitentiam, *&c.* » Introductio à Suppoſitione.

A Paradoxo ſtatuitur Ingreſſus, cùm Propoſitio in ſpecie incredibilis explicatur. V.g. De tribulatione ſit agendum, ita poterit Introductio formari. Paradoxum eſt & ferè ſupra opinionem, quod idem Dei Amor qui » Bonorum omnium cauſa eſt, ſit etiam omnium malorum origo. Quod » Bona omnia efficiat, liquet, ipſe enim Amor Dei eſt, qui Naturæ, Gra- » tiæ ac Gloriæ divitias in nos effundit, *&c.* At (*quod mirum eſt*) idem ipſe » eſt Amor qui Mala omnia aut immittat, aut immitti permittat. Non eſt » malum in Civitate quod non fecerit Dominus, inquit Scriptura ſacra, » & quamvis eam non haberemus hujus rei vadem, profectò ſat ex Fide di- » dicimus, ex Amore Dei eſſe, Mala nobis imminentia facilè à nobis amo- » vere, *&c.* Quid ergo ad hæc? Num idem amor poterit diverſos & oppo- » ſitos effectus cauſare? Paradoxum iſtud tantùm eſt in ſpecie; re vera enim » Dogma Chriſtianiſſimum eſt, apud Fidelem qui probè noverit Afflictio- » Introductio à Paradoxo ſeu Incredibili.

Digitized by Google

» nes ipſas, quæ malum Pœnæ vocari ſolent à Theologis, eſſe Amoris Di-
» vini effectus & Gratias. Quæris forſan, quomodo iſtud conſtare poterit?
» En oſtendo tribus Bonis quæ à Calamitatis perpeſſione oriuntur. Inſtruunt
» illæ, Purgant, Coronant. Inſtruunt Errantes, quos ad ſaniorem men-
» tem reducunt; Purgant Noxios, quorum peccata ſalutari expiatione di-
» luunt; Coronant Juſtos, quibus Triumphos parant. *Inde liquet Partitio.*

Introductio ab Explicatione. Alter Introductionis modus facilis & frequentiſſimus petitur ab Evangelii explanatione, vel à Ratione quam reddit cur aliquod Feſtum celebretur, vel ab aliqua Myſterii circumſtantia. V. g. in Evangelio de Cananæa, dictum fuerit pro Exordio, quod mirabile ſit Homines Orationis uſum ipſis tantopere neceſſarium ignorare, ita ut vix noverint ex nomine, ideoque à Chriſto datam Cananæam quæ homines methodum orandi doceret. Pro Introductione poterit Evangelii textus de geſto Cananeæ explicari, hac aut ſimili forma.

Exempla.
„ Ut propoſitum orandi Exemplar
„ in Cananæa innoteſcat, ejus Hiſtoriam altiùs & exactiùs retexamus. Scri-
„ bit ergo ſacer Evangeliſta, Mulierem egreſſam à finibus Cananæorum Chriſto Civitates percurrenti obſtinatius adhæſiſſe, ut Filiæ ſanitatem ab eo niteretur aſſequi, &c. *In hac Orationis Magiſtra, tres Orationis Conditiones diſcimus. Humilitatem, Ardorem, Perſeverantiam. Humilis eſt, quæ ſe Cani ſimilem fatetur. Ardens eſt, quæ verbis, lachrymis & genibus inſtat. Perſeverans eſt, quæ repulſam pluries paſſa non deſtitit ab oratione.* A Myſterii ratione ſumeretur Introductio, quæ cauſam diceret; cur v. g. Feſto SS. Trinitatis celebrando, dies aliquis deputetur; item cur SS. omnium Commemorationi, vel etiam communibus pro Fidelium Defunctorum ſtatu ſuffragiis. Hæc & ſimilia ita liquent ut non indigeant fuſiore explanatione. Pari ferè modo inſtitui poteſt Introductio de Aſcenſione Chriſti vel Aſſumptione B. Virginis, &c. ſi v. g. redderetur ratio cur ille tamdiu in terris poſt Reſurrectionem moratus fuerit, nimirum ut Reſurrectionem probaret, ut Eccleſiam firmaret, & Apoſtolos erudiret. De Aſſumptione etiam B. Virginis, poteſt expendi ratio cur tamdiu poſt Chriſti Aſcenſionem vixerit & quot annis? vel an de facto Mortem Peccatoribus ob delictum debitam ſubierit illa, quæ ab omni piaculo erat prorſus immunis; quo ſtatuto facillimum erit ejus Privilegium ſupra cæteros Mortales explicare, in eo enim ſtetit, quod cæteri ad mortem paveant, doleant & computreſcant, *Mariæ verò Mors, fuerit expers Formidinis, Doloris, Corruptionis,* &c.

3. Innumeri ſunt (ut dixi) Fontes ex quibus duci poteſt Introductio. Quos præmiſi, hi ſufficiunt ad Exemplum, ut induſtrio Tyroni ſuggerant quomodo hanc orationis Partem poſſit veſtigare. Ex his etiam ſat patet quæ Methodus in formanda Introductione obſervari debeat, cætera pendent ab Oratoris ingenio.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Narratione.

NARRATIONIS uſus olim frequens erat Oratoribus in Cauſis Judicialibus poſt Exordium; illa enim Factum declarabant, ut deinde Statum Quæſtionis aperirent; ſcilicet, an bene vel malè, jure vel injuria Res peracta fuiſſet. Ideoque de hac, quam faciebant ſecundam Orationis, ſed ponderis non minimi partem plurima ſcripſere Rhetores, & de Methodo qua elegantiùs inſtrui debeat. Eccleſiaſtis autem Sacris non eſt æquè familiaris, ii enim pro Narratione ſolent Introductionem ſubſtituere, inde minor eſt apud Concionatores cura de Narrationis artificio; At cùm ipſis aliquando Narrare incumbat, etiam in Concionis Ingreſſu, maximè cùm expenditur Evangelium, vel Myſterium explicandum ſuſcipitur, vel inſignis alicujus Sancti vita deſcribitur; cùm etiam ſæpiſſimè in pluribus Orationis partibus occaſio fiat Hiſtoriam, Factum, Exemplum, Parabolam vel quid ſimile referendi; Propterea rem inſtituendo Eccleſiaſtæ non inutilem facturum me putavi, ſi de Narratione hìc agerem, ac ex plurimis quæ ab Oratoribus de ea traduntur nonnulla decerperem ad noſtrum propoſitum convenientia.

Narratio definitur à Cicerone Partit. num. 31. *Explicatio rei & quaſi quædam ſedes ac fundamentum conſtituendæ fidei.* Vel ut ibidem dicitur, *Eſt Rerum geſtarum aut quaſi geſtarum expoſitio.* Quintilianus duplicem diſtinguit Narrationem. Prior eſt Expoſitio rei ſeu Cauſæ, qua Status Quæſtionis continetur, quam modò ex Tullio deſcripſimus. Altera eſt cujuſcumque Rei quæ ad Cauſam ſpectat Expoſitio, quæ variis Concionum partibus prout opportunitas poſtulat intertexitur; cui conveniunt plurima quæ cùm de Hiſtoria ageretur in Promptuario Theologico Sect. 3. diximus. Narrationis definitio.

Narrationis quatuor præcipuè Dotes enumerantur, *Probabilitas*, *Brevitas*, *Suavitas*, *Perſpicuitas.* Narrationis Dotes quatuor.

1. Probabilitas Narrationis in hoc conſiſtit, ut nihil referatur, quod non conveniat Perſonis ac Rebus de quibus agitur: Ideoque attendendæ ſunt diligenter Circumſtantiæ cùm Perſonarum, tum Rerum, ne ſcilicet aliquid Indecorum, Intempeſtivum, Incredibile, &c. eis affingatur. Hinc Horatius de Arte Poetica ait; 1. Probabilitas.

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor Naturis dandus & Annis, &c.

Quis ferat narrantem de Abimelech molæ fragmine per manum mulieris immiſſo ad mortem ſauciato, ſed miſerrimè abſque pœnitentia pereunte, eò quòd ſuperbus ad infamem mortem magis attenderit, quàm ad ſalutem procurandam per Exomologeſim Sacramentalem peccatorum & S. Eu- Exempla Narrationis improbabilis.

Digitized by Google

Euchariſtiæ receptionem? ea inquam Narratio fœdiſſimè peccat; quia perduellis ille Rex occiſus eſt pluribus ſæculis antequam Sacramenta inſtituerentur. Judicum 9. 54. Pari errore delinquebat ille, qui de occupatione Chriſti Infantis acturus, audebat ſtultè non minùs quàm falsò aſſerere, Divinum puerum ut primùm evigilaſſet ſe muniviſſe Signo S. Crucis, tum dicto *Pater noſter*, &c. & ſalutatis Parentibus ſtatim ad Templum evolaſſe, ut Miſſæ ſacrum audiret, deinde poſt meridiem Veſperas & Orationem (quam vocant) Salutatoriam. Sordent ejuſmodi ineptiæ, niſi ſint Blaſphemiæ; pudet plura Improbabilium Narrationum exempla proferre. Ex his ſat liquet, quantum deſideretur Probabilitas. Eam ob rem obſervare oportet (ut dixi) omnes circumſtantias, ne in his aliquid occurrat incongruum, vel incompatibile, quale eſſet, ſi Juveni tribuerentur verba, geſta aut ſenſus qui Seni tantùm conveniunt & è contra; ſi de Ruſtico dicantur quæ non niſi erudito & polito competere poſſunt; vel de iſto quæ tantùm alteri ſunt propria; Diverſa quippe cogitant, loquuntur & faciunt Juvenes, Rudes, & Indocti, ab iis quæ opinari, loqui & facere ſolent, qui Ætate matura, Prudentia & Eruditione præſtant. Temporis diverſæ circumſtantiæ differunt etiam aliæ ab aliis. Sterilis eſt & friget Hiems; Temperie & floribus Ver amœnitatem ſuggerit; Æſtas ardet frugeſque maturat: Autumnus fructus primùm, deinde folia deponit. Suas igitur proprietates diſtinctas habet quæque Tempeſtas, quæ alteri aut repugnat aut minùs conveniunt; quæ ſi inverſo naturali & ſolito uſu ac ordine proferantur, Narrationem efficient Improbabilem: Ideo horum omnium penſanda eſt ratio; ſicut & cavendum eſt ut è pluribus quæ fortè narrantur, ſingula concordent inter ſe, nec unum ab altero diſſentiat aut eidem repugnet. Apage quidquid Falſum, Fabuloſum & Anile ſolet à circumforaneis & Nebulonibus ac etiam nimium credulis venditari, iſta enim omnino prohibentur à Conciliis, præſertim Colonienſi.

2. Conditio, Brevitas. 2. Brevitas eſt ſecunda Narrationis conditio; aderit, ſi ſuperflua & inutilis Rerum ac Verborum farrago quæ ad negotium minùs pertinet reſecetur: ſi Verba propria & Periodi quæ rei vel dicendæ, vel illuſtrandæ ſufficiant uſurpentur: ſi res altiùs quàm decet, ac (ut ajunt) ab Ovo non deſumatur, ut qui Hiſtoriæ particularis initium faceret à Mundi creatione. Minutiæ quædam fruſtra temporis ſpatium abſumentes amputentur, ut qui ſalutationem ab Angelo B. Virgini factam narraturus immoraretur in enumeranda omni ſupellectili quæ Cameram Virgineam ornabat, ſatageretque deſcribere ſigillatim Cœlum, Aerem aliaque loca quibus Ales cœleſtis ad Mariam deveniſſet, ac etiam longiorem inter ipſam & Angelum fingeret ſermonem, qui Myſterium ſublime tractantibus non conveniret. Abſtinendum eſt iterum à repetitione quæ Auditoribus prodit Oratoris inopiam, vel ſanè copiam inſulſam, ac denique omnibus faſtidium parit.

Ca-

Cavendum eſt tamen ab Obſcuritate, quæ ſolet interdum ex Brevitate oriri; Unde Quintiliani conſilium eſt, præſtare, ut aliquid Narrationi ſuperſit quàm deſit: Etſi enim ſupervacanea vix poſſint abſque tædio proferri, majus tamen periculum eſt ne ſubſtrahantur neceſſaria, unde forſitan obſcurum & ambiguum fit omne quod narratur.

3. Conditio Suavitas.

3. Suavitas & Lepor Narrationem maximè decent: Aderunt, ſi Figuris idoneis ornetur, ſi ſtilo elegante perpoliatur, ſi rerum eventibus inopinatis, ſi denique feſtivis Apologis condiatur. De hoc Quintilianus l.4. c.2. ſic fatur: Ego verò, neque enim diſſimulabo judicium meum »
(quamquam id quod ſum dicturus, exemplis magis quàm præceptis ullis »
continetur) Narrationem, ut ſi ullam partem Orationis, omni qua po- »
teſt gratia & venere exornandam puto. *Cujus hanc reddit rationem.* Ca- »
ret enim cæteris lenociniis Expoſitio, & niſi commendetur hac venuſta- »
te, jaceat neceſſe eſt. *Nec in ulla parte* intentior eſt Judex, ideoque ni- »
hil rectè dictum perit. *Deinde ſubjicit;* Præterea, neſcio quomodo etiam »
credit faciliùs, quæ Audienti jucunda ſunt & Voluptate ad Fidem duci- »
tur. *Concinit Tullius in Partit. de Narratione ſcribens, quòd illa delectat,* »
quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpoſi- »
tos motus animorum, colloquia Perſonarum, dolores, iracundias, me- »
tus, lætitias, cupiditates, &c. »

4. Conditio Perſpicuitas.

4. Perſpicuitas vel Evidentia, poſtrema eſt Narrationis virtus, quæ in hoc ſita eſt, ut Oratorem Factumve dilucidè repræſentet, ac quaſi genuinis vivisque coloribus depingat; ideo enim aliquid Narratur ut intelligatur & pateſiat. Dilucida erit Narratio, ſi, reſciſſis verbis ac ſententiis, cùm ambiguis tum obſcuris, tum etiam inutilibus & minùs propriis, nec-non longioribus periodis, frequentioribus & prolixioribus parentheſibus; uſurpentur verba propria, appoſita, neceſſaria & uſitata; Sententiæ ac periodi nec longiores ſint, nec breviores, ſed claræ & ſuis numeris abſolutæ.

Digreſſionis uſus.

Digreſſiones ſpectant ad Narrationem, cujus Perſpicuitati nocebunt, ſi frequentiùs adhibeantur & longiùs receſſerint. Utilitatis quidem & aliquando neceſſitatis cauſa ſiunt, maximè cùm ad Morum inſtitutionem poſſunt inflecti; at rarò nec niſi breviter & appoſitè fieri debent. D. Ennodius in vita S. Epiphanii de hac re ſic fatur: Si quod Hiſtoriæ »
dictum non omnino propoſito convenit, id prætermittentes, ne ſeries »
expoſitionis intercidatur, quæ idonea ſunt conjungemus. *S. Gregor. Epiſt.* »
quæ præponitur Libris in Job cap. 2. de Digreſſionibus ait: Sacri Tractator »
Eloquii, morem fluminis debet imitari: Fluvius quippe, dum per al- »
veum fluit, ſi valles concavas ex latere, contingit, in eas protinus ſui »
impetus curſum divertit, cumque illas ſufficienter impleverit, repentè ſe »
in alveum refundit; ſic nimirum, ſic Divini verbi eſſe Tractator debet, »
ut cùm de qualibet re diſſerit, ſi fortaſſe juxta poſitam occaſionem con- »
gruæ ædificationis invenerit, quaſi ad vicinam vallem, linguæ undas in- »

tor-

„ torqueat, & cùm ſubjectæ inſtructionis campum ſufficienter infuderit, „ ad Sermonis propoſiti alveum recurrat, &c.

Narrationis Diſpoſitio. Narrationis Diſpoſitio exigit ut ipſi præponatur propoſitio quædam univerſalior, quæ vices Exordii gerens aditum referet audire volentibus. Brevis erit vel longa ejuſmodi Præfatio pro longitudine vel brevitate Narrationis, nec aliis legibus adſtruitur quàm Exordium. Sæpius à Temporis circumſtantia deſumitur. Cætera verò quæ ad Narrationem ſpectant, debitè & penſatis omnibus ad ordinem Rerum attinentibus diſpenſentur.

Narrationis Ornatus. Expolitio Narrationis fit ut plurimùm per figuras quæ ad Delectationem conferunt; Deinde, ſi occaſio id popoſcerit, acuetur per Interrogationes, Hypotheſes, Exclamationes, Admirationes, Comminationes, &c. Motus verò adhiberi debent leniores, qui ſi ex opportunitate in grandiores excreſcant, Judicio componendi ſunt ita, ne ab ardentioribus deferveſcant in languidiores.

Narratio Moralis eſſe debet. Narratio quæ ab Oratoribus ſacris fit, inflectatur ad Inſtituendos Mores: nam, ut ait D. Gregorius Nicenus de vita Moſis, *Ab Hiſtorica ſerie omnia traducamus, quæ benè vivendi rationibus congruunt*. Narrationis optimæ habes exemplum apud D. Ambroſium Lib. de Virginibus quæ incipit, *Antiochiæ nuper virgo quædam fuit, fugitans publici uſus, ſed quò magis virorum evitabat aſpectum, eò ampliùs incendebat*, &c. In hac etiam Orationis ſpecie præſtant D. Cyprianus, D. Hieronymus, D. Gregorius Nazianz. D. J. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, &c.

CAPUT IV.

De partitione ſeu Diviſione.

ARTICULUS PRIMUS.

Diviſionis eſſentia & neceſſitas.

DUO ſunt Diviſionis genera: aliud inter Elocutionis ornamenta ſedem habet, ac figuris ad docendum idoneis annumeratur, eſtque Diſtributio, de qua l. 4. c. 3. art. 3. ſect. 1. Aliud eſt Orationis Pars, aut ſaltem ejus œconomiæ allaborat, de qua nunc agimus; quæ deſcribitur, *Concinna & elegans Concionis ſeu Propoſiti in debitas partes diſtributio*.

Hæc

Hæc Concioni præſtat officia. Ejus partitio, 1. *Dilucíditatem toti Orationi inſpergit*, dum rem à re ſegregans, oſtendit ſcopum quem tum Orator, tum Auditor debet attendere. 2. *Docilitatem parit*, clara & aperta propoſiti tractandi explicatione. 3. *Memoriam maximè juvat*; nam & Concionator faciliùs addiſcit res in ſuas claſſes ordine genuino diſtributas, & Auditor eaſdem faciliùs percipit earumque recordatur citiùs; ſunt enim Partitionis membra, velut Capita quædam Memoriæ Artificialis Inſtrumenta, quorum intuitu ſummario, dicta vel dicenda promptiùs infiguntur menti eique tenaciùs adhærentia inde feliciùs ſuſcitantur ſi fortè nonnihil abſceſſerint. 4. *Inventioni plurimum prodeſt Diviſio*; Etenim cùm rerum plurimarum confuſa congeries obſcuritatem faciat, & ingenium per incognita vel ſaltem tenebroſa errans, indigeſta & tumultuaria varietate deludat, opportunè omnino media ad propoſitum neceſſaria occurrent, ſi Quæſtionis ſenſus in ſuas partes proprias diſtributus verſetur; ſingula enim Partitionis capita, rationes & Argumenta ſuggerent commodiùs, quibus deinde ſtabiliantur. 5. *Confert maximè ad Concionis elegantiam* exquiſita & elaborata Partitio; inde enim Auditor grata & elaborata diſtributione illectus, induſtriam Oratoris miratur, & majora deinceps ſibi pollicitus ad hæc animum & attentionem parat. 6. Denique clara & diſtincta dicendorum *Partitio rectiùs & ſecuriùs in ſcopum torquet orationis jacula*, quæ à meta aberrarent ſi diſtinctione caruiſſent.

Diviſionis utilitates in Concionibus.

Ad Diviſionis Concionatoriæ commendationem hæc ſuggeſſi, ut occurrerem opinioni Tenebrionum aliquorum, quibus Sacramentum eſt Orationis partes occultare, hac nimirum rationis umbra deceptis, quòd Artificium celare debeat Orator; ideoque partes Concionis aut non deſignant, aut verborum ambage innectunt, aut ſaltem non niſi obſcurè & veluti furtim proponunt: quaſi verò metuendum ſit, ne perſpicuitas Orationi affulgeat. Apage ſane affectatas in dicendo tenebras; nimia luce nemo Eccleſiaſta peccabit, quandoquidem ſatagere debet ut intelligatùr. Malim (ajebat aliquis) Ductorem ſequi, qui me priùs quò ducere vult monet, quàm qui me ceu oculis orbatum & viæ inſcium per obſcurius & ignotum iter pertraxerit.

Non me latet quòd Diviſionum uſus frequentior ſit Concionatoribus noſtri Ævi quàm fuerit ſuperioris ætatis Eccleſiaſtis; pauciores enim apud ipſos repereris Conciones bimembres aut trimembres, aut ſimili forma diſtributas: ſed abſque veterum Oratorum injuria dixerim Eloquentiam ſpatio temporis ſucceſſivè excultam probaſſe Diviſionum utilitatem, ideoque adhibuiſſe frequentiores quas plurimùm proficere compererant. Deinde SS. Patres concionati ſunt ſæpiùs ex tempore & pro data opportunitate, cùm ſcilicet vix liceret per modicum temporis ſpatium exquiſitiores Partitiones inveſtigare. Adde quòd eorum præcipua cura fuit Homilias & Paraphraſes texere ad rudioris plebis eruditionem; ubi verò datum eſt Concionem elaboratam ſtruere, hanc non deſti-

Cur veteres rarò utebantur Diviſione in Concionibus.

Digitized by Google

tuebant ſuis Partitionibus aliiſque Eloquentiæ floribus etiam cultioribus.

Diviſionis Locus ac Methodus.

Reſtat ergo ut probetur Diviſionis uſus, qui ſi fuerit diſcretione & elegantia conditus, non modicam toti Concioni gratiam conciliabit. Eam verò ſolet occupare ſedem quę vel Exordii vel Introductionis poſtrema eſt; plerique enim propoſitum partiuntur ab ipſo Proœmio, priùs ſcilicet quàm ad Deprecationem accedant. V. g. qui de Jejunio dicturus, initium fecit ab ea Exordii forma quæ Præoccupatio dicitur, hac ferè ratione, ad Diviſionem progredi poterit. *Jure metuo* (ò Auditores) *ne hodierno ſermone vobis fiam importunus, Jejunium quippe vobis ſuadere aggredior*, &c. *A metu tamen nonnihil recreari mihi videor, cùm attenderim quanta ex Jejunio bona ſuccreſcant, ideoque & vos in eandem ſententiam mecum ituros ſpero, ſi hujuſce operis utilitates pendere volueritis; has explicare vobis hodie tentabo, oſtendamque Jejunium triplici bono commendari; ſcilicet, Iram Dei flectit: malitiam Dæmonis comprimit: ac Concupiſcentiæ fomitem extinguit*, &c. *At non licet ultra progredi donec à Cœlo gratias neceſſarias popoſcerim*, &c.

Aliqui Introductionis loco, Diviſionis capita ſtatim proferunt, quæ poſt levem explicationem perſtringunt ad exquiſita verba quibus Concionis ſummaria partitio continetur. V.g. ſi de Jejunio res ſit, hoc aut ſimili modo ingrediuntur à Partitione; De utilitate Jejunii dicturus hodie, hanc ad tria capita revocabo, &c. Vel paulò fuſiùs: *Tria ſunt à quibus ſibi metuere debet homo, ab Ira Dei, à Dæmonis malitia, & à Concupiſcentiæ fomite*, &c. quam propoſitionem trimembrem nonnulli amplificant; quidam verò nudè & ſtrictè proferunt; deinde ſubjungitur Diviſio trimembris totidem malorum metuendorum indicans remedium, ſcilicet Jejunium. Alii ſolent Introductionis finem ſtatuere ad Partitionis ſedem, & poſt explicationem Capitalis Propoſitionis, eandem revocant ad Diviſionis membra quæ Concionis partes deinceps dabunt, ut dictum eſt ſuperiùs.

ARTICULUS II.

Diviſionis Conditiones.

1. Diviſio ſit Naturalis.

PRIMA, ut ſit Naturalis, hoc eſt, ex rerum natura, & ex viſceribus cauſæ oriatur; peccat enim quæ ex partibus alienis & diverſi generis coaleſcit: genuina eſt quæ Juſtitiæ debita partitur in officia reddenda Deo, Proximo, & Nobis; è cauſæ ſinu funditur, quæ ejuſdem Juſtitiæ munera enumerans, aſſignat Timorem Deo, Charitatem proximo, Nobiſque ipſis odium.

2. Partes Diviſionis ſint æquales Toti.

2. Diviſionis partes debent adæquare totum, nec plus minuſve quàm illud complecti, immo opus eſt ut reciproca converſione commutentur; ſi in aliquo ex his defecerit Diviſio, manca cenſebitur.

3. Sint oppoſitę.

3. Partes Diviſionis ſeſe mutuò excludant; ſi enim alia ſenſum alterius

rius

rius contineat, non Partitio ſed repetitio fiet. Peccaret v. g. quæ Jejunium diceret eſſe utile & ſanum, concinit enim ſanitas utilitati, niſi aliqua additione varietur, ut v. g. quod ſit utile animæ & ſanum corpori. Item vitioſa foret quæ Chananæam laudaret ab humilitate, patientia & virtute, poſterius enim membrum duo ſuperiora includit. Se totis ergo differant Diviſionis capita quamvis in eundem finem conſpirent.

4. Partes dividentes inter ſe cohæreant, ideſt ab eodem fonte fluant, & eundem ſcopum ſpectent. Ita præfatæ Juſtitiæ debita ejuſdem virtutis ſunt officia, licèt officiis ipſis & perſonis quibus debentur ſint diverſiſſima. Durior videtur Partitio quam adhibens quidam Eccleſiaſta dicebat: Primo loco exponam vobis parabolam Evangelicam; Secundo proponam Quæſtionem Theologicam. 3. Referam vitam ſancti N. Poſtremo adjiciam moralem Hiſtoriam ex geſtis Romanorum. Nec etiam laudatur in pulpito Diviſio, quæ per diverſos Scripturæ ſenſus progreditur. V. g. Litteralem, Moralem, & Myſticum; eſto enim non dedeceat Interpretem ejuſmodi Partitio, non ideo tamen convenit Eccleſiaſtæ, cujus officium eſt non tantùm docere, ſed & delectare & flectere. 4. Partes unitatem habeant.

5. In proximas & immediatas partes fiat Diſtributio, ideſt in membra Caput cauſæ proximè dividentia. Ita Logici docent Subſtantiam rectè dividi in Corpus & in Spiritum, quia illam nullo interjecto medio partiuntur; vetant autem Diviſionem quæ fieret Subſtantiæ in Rationalem & irrationalem, quia partes ſunt remotæ & aliquo medio à communi ſtirpe disjunguntur. Item Eccleſiaſtæ, v. g. Virtutum Cardinalium genus optimè partiuntur in proximè ſubjectas ſpecies, Juſtitiam, Fortitudinem, Prudentiam & Temperantiam; qui verò idem virtutis genus divideret in Juſtitiam, Prudentiam, Patientiam & Sobrietatem, is à præfata conditione recederet; Patientia enim & Sobrietas, non ſunt partes immediatæ virtutis Cardinalis, ſed illa Fortitudinis, iſta Temperantiæ eſt ſpecies. 5. Diviſio fiat in Partes proximas.

6. Clara & perſpicua ſit Diviſio; eam ob rem enim adhibetur ut obſcuritatis & confuſionis ſit remedium. Propriis ergo verbis, idoneis, uſitatis & poſitivis enuntietur. Nec vocibus ſolùm ludat, qualis eſſet illa, quæ variis alicujus nominis ſignificationibus innixa, polliceretur dicere quot modis uſurpetur *Tentationis* vocabulum, aut quot rationibus D. Paulus poſſit *Vas* appellari, *&c.* A Verbis etiam ambiguis, contortis, & duriore Metaphora translatis abhorret legitima Partitio. 6. Diviſio Perſpicua.

7. Brevitatem amat Diviſio, hoc eſt, certis verbis & paucis membris abſolvatur. Piget improbare inſulſas Partitiones quæ Viginti Puncta, vel quid ſimile promittunt; ſe ipſis enim ejuſmodi Diviſiones improbantur: minutiores & numeroſiores illæ Partitiones, cauſam ſecant in fruſta potiùs quàm in membra, memoriam fatigant, caliginem offundunt, & languorem tum Oratori, tum Auditori pariunt. Laudatur Diviſio Bimembris; Trimembris videtur à celebrioribus Eccleſiaſtis frequentiùs 7. Diviſio ſit Brevis.

uſurpari; poteſt aliquando ad quatuor membra protendi: ſed quotocumque numero conſtet, fiat ſemper appoſitis & exquiſitis verbis quæ dicendorum ſummam brevi & eleganter explicent.

8. Partes Diviſionis inter ſe ordinentur.

8. Diviſionis membra hunc inter ſe ordinem habeant, ut prius ſit ad conſequens gradus & via. Ordo ille ex natura rerum dignoſcitur, eundem obſervet Orator, niſi aliter fieri ſuaſerit graviſſima ratio, de qua prudens & ſolers Ingenium judicabit. Ita conſequuntur debita quæ Filii parentibus tenentur exhibere, ſcilicet, 1. Amorem. 2. Obedientiam. 3. Officium; ex amore enim fluit obedientia, ex hac obſequium derivatur.

ARTICULUS III.

Diviſionum Inventio.

Diviſiones invenire difficile eſt.

NON uſque adeo facile eſt elegantem Concionis Partitionem invenire: Opus quippe eſt eruditione & induſtria, ut Propoſitiones in membra propria & concinna diſtribuantur. Eruditio quidem neceſſaria eſt, quæ calleat genus, ſpecies, proprietates, cauſas, effectus & cætera quæ ad rei propoſitæ deſcriptionem pertinent: Induſtria verò deſideratur, ut ornatis & expolitis tum verbis, tum propoſitionibus Partitio queat enuntiari. Ne tamen quis deſpondeat animo ſi elegantiores ejuſmodi Diviſiones non ſtatim occurrant, Dii certe omnia laboribus vendunt (ait decantata Parœmia:) ita Tyronem Eccleſiaſtam non pigeat operam per aliquod temporis ſpatium navare in Partitionibus inveſtigandis; initio quidem rariores & difficiliores videbuntur Novitio, ſed ſi diligentiæ & labori non parcat, expedita ad dividendum facilitate brevi compenſabitur. Verſet ergo atque iterum verſet propoſitum, revolvat iterumque revolvat, ſcrutatus rei Naturam ejuſque paſſiones, ac denique per varios Promptuariorum ſupra memoratorum fontes mente excurrens, comperiet tot affulgere Partitionum ſemina, quot ſufficiant ad delectum. Aliqua Diviſionum Exempla nunc proferimus ad imitationem, cætera diligentiæ Concionatoris dimittimus.

Diviſionum Fontes.

1. Ab Evangelii contextu.

1. Partitionum fons uberrimus eſt ipſiuſmet Evangelii contextus, qui multifariam verſatus, plures diviſionum rivulos fundit. Prior deſumitur ab expoſitione præcipuarum Quæſtionum quas Evangelium complectitur, indeque fit diviſio. V. g. *Domin.* 3. *Quadrageſ. agitur in Evangelio de Regno Dæmonis*, unde poſtquam Eccleſiaſta præmiſit Hiſtoriæ Evangelicæ narratiunculam, poterit hoc ferè modo ad Partitionem accedere: Tres ex Evangelii contextu celebres & vobis dignas quæſtiones hodie proponere liceat mihi, 1. *Quis ille ſit fortis armatus?* 2. *Quis ille locus in quo dominatur?* 3. *Denique quomodo & in quos ille ſæviat?* Simplicior eſt iſta Diviſionum methodus, ſed venuſtate & utilitate non carebit, ſi ad præcipua ca-

capita res artificioſè revocentur. Item, ſi de Lazaro & Epulone agat Evangelium, poterit fieri parallelus inter utriuſque, v. g. *Vitam*, *Mortem*, *& Judicium*: miſer ille, felix iſte dum viveret; Lætus ille, iſte triſtis dum moreretur: Securus ille, tremens iſte dum ſiſteretur Judicio: ex comparatione igitur inter utriuſque ſtatum inſtituta, orietur legitima Diviſio. Item Domin. 1. poſt Epiphan. de Chriſto in Templo amiſſo tria expenduntur, ſcilicet *Chriſti amiſſio*, *exquiſitio & recuperatio*, amittitur cum dolore, exquiritur cum labore, recuperatur cum gaudio. Aliam inveniendæ Diviſionis rationem ſuggerit Evangelium, ſi in plures ſententias diſſecetur. V. g. ex his verbis *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. tria propoſita exurgunt. 1. Actus Dilectionis, *Diliges*. 2. Objectum Dilectionis, *Dominum Deum*. Modus Dilectionis, *Ex toto corde tuo*, &c. Item cum præcipua Evangelii ſententia per alias ejuſdem circumſtantias explicatur & probatur, V. g. *Ecce quem amas infirmatur*, &c. Joan. 11. 3. hinc magnus in Lazarum affectus demonſtratur, 1. *Ex Viſitatione ſepulchri*. 2. *Ex lachrymarum profuſione*. 3. *Ex ſuſcitatione quatriduani*. Si autem ab Evangelii contextu Literali ad ejuſdem ſenſus varios revocetur Diviſionis Inventio, quamplurimæ ſuccreſcent inde Partitiones, ut puta, ſi per Lazari mortem aut fœtorem adumbrentur plures Peccatorum ſtatus; Vel in eo quod mors corporis animæ mortem repræſentet; Vel quod putidum Quatriduani cadaver ſit Inveteratæ malitiæ figura, &c. idem eſto de cæteris Judicium; diverſimodè enim penſata, varios cauſæ ſtatus, ſeu Concionis membra facillimè progenerant. Hujuſmodi ferè ſunt omnia Quadrageſimæ Evangelia, quorum ſingula plures diverſarum Concionum diviſiones ſuggerunt.

2. Ritus ſolemnes quibus utitur Eccleſia Catholica, ſunt etiam Partitionum fontes copioſi. V. g. Cinis ſacer initio Quadrageſimæ adhiberi ſolitus, Sanat, Docet, Perficit, *Sanat animæ morbos*, *docet Religionis virtutes*, *perficit evectione ad ſanitatis apices*. Rami die Palmarum à Catholicis geſtati, ſunt vel Triumphi, vel Gloriæ Mundanæ, vel alicujus rei ſimilis indices. His enim poteſt ſignificari Triumphus quem de Triplici hoſte, Dæmone, Carne & Mundo reportare debet Chriſtianus. Vel etiam his indicatur triplex de peccato Triumphus, corde, ore, manu; Corde per Contritionem, Ore per Confeſſionem, Manu per Satisfactionis opera, &c. 2. A Ritibus Eccleſiaſticis.

3. Fœcundiſſimum eſt ad Partitiones ſuggerendas Seminarium, quod in Promptuariis l. 2. ſuperiùs adductis habetur; nullus enim ferè locus eſt unde Argumenta erui ſolent, qui Diviſiones non ſuppeditet abundè: res experientia liquet, ſed proferendis exemplis fiet luculentior. 3. E Promptuariis variis Fontes Diviſionum.

1. A Genere laudari poteſt *Martyris patientia*, quæ à triplici fonte orta virtutis triplicis generis opus fuit, 1. *Fortitudinis*. 2. *Gratitudinis*. 3. *Charitatis*. Fortitudinis fuit, tormenta conſtanter tolerare; Gratitudinis, morte propria mortem Chriſti compenſare; Charitatis verò fuit, iſtud Amoris erga Deum ſpecimen exhibere. 1. A Genere.

2. A

2. A Specie. 2. A Specie diſtribuitur virtus in ſubjectas & inferiores partes; ita celebratur hominis virtus, à Juſtitia, Prudentia, Fortitudine, &c. Item expenditur triplex Dei Miſericordia qua Peccatores abutuntur, *Miſericordia Patiens*, *Miſericordia Vocans*, *Miſericordia Parcens; ad priorem non attendunt*, *obſurdeſcunt ad alteram*, *poſtremam deſpiciunt*.

3. A Cauſis. 3. A Cauſis, cùm laudatur Anima rationalis, eò quòd habeat *Deum*. 1. *Creatorem*. 2. *Redemptorem*. 3. *Glorificatorem*; hanc ſcilicet ex Abyſſo triplici eduxit; *ex Nihil*, *ex Peccato*, *ex Miſeria*, &c. Item cùm ſuadetur Inimicorum Dilectio, 1. *A Chriſti præcepto*. 2. *Ab ejus Exemplo*. 3. *A Remunerationis præmio;* Dilectionem quippe Chriſtus *verbo præcipit*, *exemplo ſuadet*, *extorquet præmio*. Item diſſuadetur Detractio, quia *Detractoris lingua Dæmonis eſt ſedes*, *Inſtrumentum & Supplicium;* linguam ſcilicet Diabolus Charitate deſtitutam poſſidet, hac utitur ad injuriæ miniſterium, illam denique torquebit in ſceleris ultionem.

4. Ab Effectis. 4. Ab Effectis; Ita *Cinis Quadrageſimalis* ſuadet Humilitatem, Abſtinentiam, & Mortificationem; *Superbiam deprimit*, *Avaritiam coercet*, *Concupiſcentiam peſſumdat*. Item, Judicis Chriſti lucerna, ſcrutabitur peccata, manifeſtabit, arguet; *ſcrutabitur abſcondita*, *revelabit pudenda*, *arguet punienda*.

5. A Subjectis. 5. A Subjectis, *Fides* Centenarii nos invitat ad profeſſionem Fidei, quæ tribus rebus continetur, *Intellectu*, *Voluntate & Opere*, vel corde ut credamus, ore ut confiteamur, manu ut operemur; in primo Fides imperat velut ex Throno, in altero loquitur velut ex Oraculo, poſtremo utitur tamquam Inſtrumento, &c.

6. A Variis Incitamentis. 6. Ab Argumentis moventibus, v. g. Parentes ſuadentur filios erudire, ob utilitatem refundendam in Dei Gloriam, in Filiorum ſalutem, & in ipſorum Parentum commodum. Vulgariſſimum eſt Incitamentum quod ducitur à triplici Bono, Juſto, Honeſto, & Utili. V. g. *Sanctitatem adipiſci Juſtum eſt*, *Honeſtum & Commodum*. 1. Juſtum quidem, quia præcipitur à Deo, cui parere æquum eſt. 2. Honeſtum, quia Sanctitas colitur ab optimis, quos ſequi Honeſtiſſimum eſt. 3. Commodum, quia Sanctitas cùm in Cœlis, tum in Terris copioſè remuneratur. Huc igitur revocantur omnia Incitamentorum genera ex quibus Partitiones formari poſſunt.

7. A Proprietatibus rerum. 7. A Rerum proprietatibus ſeu paſſionibus: v.g. *Ignis Inferni eſt* 1. *Duratione æternus*. 2. *Acerbitate immenſus*. 3. *Pœnarum Varietate infinitus*. Item Divitiæ fatigant, pungunt, torquent: acquiruntur cum labore, poſſidentur cum ſollicitudine, amittuntur cum dolore. Locus iſte cum Effectis ferè convenit, explicat enim quidquid boni vel mali poteſt ab aliqua re provenire.

8. Ab Enumeratione Partiũ. 8. Ab Enumeratione Partium, Tres occurrunt Miſericordiæ Divinæ erga peccatorem ſpecies; *alia patitur*, *vocat alia*, *alia parcit*. Item, Tres hominum ſtatus in finalem Impœnitentiam ſolent incurrere, *Imprudentes*,

tes, *Obſtinati*, *Deſperati*; priores ſibi non cavent ad ſalutem, alii reſiſtendo differunt, alii denique diffidendo deſpiciunt. Vel tres Peccatorum ſpecies hodie aggredior: *Formidoloſos qui confiteri erubeſcunt*, *Negligentes qui Confeſſionem differunt*, *& Ignaros qui quomodo id ſit præſtandum neſciunt*. Meticuloſis animum facere conabor, ut audacter confiteantur; Deſides ſtimulis urgebo, ut citiùs Exomologeſim perficiant; Ignaros docebo modum quo poſſint ſalubriter confiteri.

9. Ab Adjunctis tum Perſonarum, tum Rerum, innumeræ ducuntur Partitiones. A Perſonis quidem; v. g. Prælatus laudatur, Doctus, Sapiens, & Probus, Doctus ut inſtituat, ſapiens ut regat, probus ut protegat; ſeu, per abſtracta nomina laus ejus texatur, v. g. Prælatus præſtare debet, Doctrina ut erudiat, Sapientia ut regat, Charitate ut tueatur; vel per Adjunctorum connexionem. V. g. eſt Prudens in Regimine, Patiens in Tribulatione, Moderatus in proſperitate, &c. Cicero quatuor in Imperatore dotes deſiderat, virtutem, peritiam, authoritatem, felicitatem. Vix enumerari poſſunt quæ ab hoc fonte ſcaturiunt Partitiones, tam enim multæ ac variæ ſunt, quàm ipſæ res quibus perſonæ veſtiri queunt aut ad ornatum, aut ad probrum. V. g. Divus aliquis laudandus occurrit ob diverſa munera quæ geſſit, Judex fuit, Epiſcopus, & Martyr; æquus fuit dum extitit Judex, fidelis dum Epiſcopus, fortis dum Martyr. Poſſunt, inquam, diſcuti, & penſari ſingula perſonarum Epitheta, vel ab officio, vel à ſtatu, vel à loco, vel ab aliqua re ſimili petita, atque iterum quid in ſingulis conveniat vel diſconveniat, unde exurgant Partitionis capita: v.g. *æquitas Judicem decet*, *fides Epiſcopum*, *Martyrem fortitudo*. Item à diverſis ſtatibus colligitur Diviſio, v.g. Sanctitate præcelluit in Aula, in Militia, in Tribunali; *Aulicus Innocens*, *Miles Pius*, *Judex Integer*. A variis locis. V. g. *Carthago metuit Militantem*, *Roma Concionantem audiit*, *Venetia ſtupuit pœnitentem*. Piget referre exempla Partitionum quæ ab Adjunctis Rerum panduntur, poteſt enim Induſtrius quiſque plures Diviſiones pro ſuo genio invenire, quàm videatur operæ pretium eaſdem nunc proponere. 9. Ab Adjunctis.

10. A Comparatione ducitur ſæpius Partitionum ſeges, per parallelos, ut vocant, ſeu per compoſitionem unius cum altero. V. g. comparatur D. Franciſcus Aſſiſias cum Chriſto in Nativitate, in Vita & Morte, hunc nimirum ille expreſſit *Naſcens*, *vivens & moriens*. Item ſi cum Sole inſtituatur comparatio, *in ortu*, *meridie & occaſu*. Item, Chriſtus inſtar Solis aſcendit magnum pandens Horoſcopum: Ideoque Chriſti Aſcenſio comparatur Aſtrorum exaltationi, & Aſpectui. Crux Chriſti Prædicatur ſimilis *Altari ſacrificantis*, *Tribunali Judicantis*, *Cathedræ Docentis*, *Thalamo Parturientis*, &c. Huc referuntur omnia, non ſolùm quæ paritatem aliquam inſtituunt, ſed etiam quæ Differentiam, Oppoſitionem, & Repugnantiam quamdam ſtatuere poſſunt; illa enim ex Collatione mutua exurgunt. V. g. ſi Plagæ D. Franciſci Stigmatiſati cum Plagis 10. A Comparatione.

Chri-

Chriſti Crucifixi conferantur, & ab illis ſecernantur aliqua, quæ in his occurrunt, poterit ejuſmodi Partitio fieri: In Paſſione Chriſti adfuere Odium, ferrum & ſcelus; at Franciſci Paſſio fuit, 1. Cruciatus ſine odio, 2. Vulnus ſine Ferro; 3. Supplicium ſine ſcelere, &c.

11. Ab Aſſertione unius & negatione alterius.

11. Ab Aſſertione unius cum Negatione alterius. V. g. *Peccator pœnitere debet* 1. *Citò, ſine mora.* 2. *Integrè, ſine exceptione.* 3. *Conſtanter, ſine recidiva.*

12. A Mirabili ſeu Paradoxo.

12. A Mirabili, ſive per Paradoxa fiet Partitio, ſi conjungantur quæ vix aut rarò conjungi poſſe videntur. v.g. Virgo aliqua in ſexu debili martyrium paſſa plures ad Chriſti fidem convertit, de ea poterit enuntiari, quod ſit 1. *Infirmitas Victrix.* 2. *Sterilitas fœcunda.* 3. *Ignorantia docta.* Item SS. Innocentes fuere 1. *Milites ſine pugna.* 2. *Doctores ſine Verbo.* 3. *Martyres ſine merito.* Item de Beatis qui Cœlo fruuntur. 1. *Reges ſunt abſque Libertate;* 2. *Chriſtiani abſque Fide.* 3. *Amantes, abſque æmulatione.* Item in Incarnatione. 1. *Deus factus eſt Homo.* 2. *Virgo Mater.* 3. *Homo Deus.* Item S. Benedictus res oppoſitas copulavit, ſcilicet, *Solitudinem cum Societate; Paupertatem cum divitiis, Humilitatem cum honoribus conjunxit.* Ex his Antitheſibus ſeu rerum diſſimilium & oppoſitarum colligationibus, plurimæ & exquiſitæ funduntur Partitiones.

13. A Problemate.

13. Ad hunc Fontem accedit ille qui per Problemata Concionem partitur. V.g. Qui ſeipſum odit, amat; Qui ſeipſum amat, odit. Item vita morti præferenda eſt, mors vitæ.

14. A Quæſtione.

14. Trita & frequens eſt, maximè in Doctrinali genere, Diviſio quæ Interrogationis ſeu Quæſtionis formam induit. V.g. An Humilitas ſit neceſſaria? in quo conſiſtat? quomodo ſit acquirenda? Hac ferè ratione tractari ſolent Virtutis alicujus utilitas, eſſentia & uſus: nec etiam diſſimili methodo poterunt agitari vitia, ſi tria hæc perpendantur, v. g. Superbiæ, ſeu proprietates, ejus Effectus ſeu damna, ejus denique remedia.

De Diviſionum Inventione hæc ſufficiant Tyroni ad exemplum; harum ad inſtar poterit alias ſimiles plurimas excogitare. De hac re iterum agetur in altera hujus Operis parte, cùm de multiplici Concionum forma, at etiam cùm de methodo qua juxta præmiſſas regulas Conciones parari queant agendi dabitur occaſio. Interim aliquid de Subdiviſionum uſu dicamus.

ARTICULUS IV.

De Subdiviſione.

Subdiviſio quid ſit?

SUBDIVISIO nihil aliud eſt quàm minuta Partitio quæ capitali ſubjungitur, ejuſque quoad cætera Inventionem ac formam imitatur. V. g. qui dixerit *Tribulationem erudire Ignorantes, expiare Reos, Juſtos coro-*

coronare; is capitalem Partitionem fecerit; deinde ſi ſingulis partibus alias iterum ſubjiciat, v. g. Ignorantes quos Tribulatio erudit ſunt triplicis generis; *Alii enim impii ſunt; alii deſides; alii Temerarii; Tribulatio Impios mulctat, Deſides ſtimulat, Temerarios corrigit*; hæc erit altera Partitio priori ſubordinata. Subdiviſionum autem uſum alii damnant, alii improbant. Utriuſque partis rationes profero.

Qui ſubdividendi methodum improbant, hæc in cenſuræ ſuffragium objiciunt. 1. Fruſtra (inquiunt) torquetur ingenium in excogitandis Subdiviſionibus, quæ vel nocent Orationis fluxui ejuſque vim diſſectione frangunt, vel ſanè parum proficiunt, cùm tamen non modico conſtent labore. 2. Vix non aberrat à ſcopo qui Subdiviſione utitur, dum enim ejus partibus explanandis occupatur, à fine propoſito facillimè diſtrahitur. Prolixitatem ferè ſemper parit Concio ſubdiviſa, cùm de hujus partibus ne modicum quid dici poſſit, qui ultra conſuetas Orationis metas fiat exceſſus. 4. Languorem inducit Subdiviſionum uſus, & intellectum minuta Partitione illuſtrans, voluntatem deſtituit abſque ardore. Deinde diſſectiones ejuſmodi lacertoſam orationis colligationem diſſolvunt ac penitus enervant; ideo ex horum ſenſu Subdiviſiones ſunt ablegandæ. **Rationes quibus improbatur Subdiviſio.**

Qui pro Subdiviſionibus ſtant, ajunt 1. His orationem fieri omnino perſpicuam. 2. Oratorem his plurimum juvari cùm ad compoſitionis facilitatem, tum ad memoriæ ſubſidium. 3. Auditorem etiam hinc faciliùs propoſiti ſcopum advertere, nec-non tenaciùs complecti quæ debitè ordinata excepit. Alias iterum utilitates proferunt quæ de Diviſione in genere dictæ ſunt ſuperiùs. Ad objecta verò reſpondent, verum quidem eſſe quod in excogitandis Subdiviſionibus difficultas reperiatur aliqua, ſed quæ vel exercitio modico ſuperetur, vel quæ non ſufficiat ad rei aliunde utiliſſimę improbationem. Prolixitas vitabitur, ſi non aliter, hoc eſt, non fuſiùs tractentur ſingulæ Subdiviſionis partes, quàm tractari deberent alia quæcumque argumenta. Ad Brevitatem proderit, ſi Subdiviſionis caput, hoc eſt, propoſitio unde partes ſubdiviſæ fluunt, fuſiore amplificatione non dilatetur, ſed abſolvatur paucis. V. g. qui dixit Tribulationem eſſe optimam ignorantium hominum magiſtram: hanc, inquam, propoſitionem poterit una vel altera periodo dilatare, unde conſtet propoſitionis id aſſerentis veritas; deinde ſubjiciat partitionem de triplici errantium genere, Impiorum ſcilicet, qui Deum ſpernunt; Deſidum, qui de Deo non ſatis curant; Temerariorum, qui ſuis viribus plus nimio confidentes Gratiæ neceſſitatem non attendunt; his omnibus afferet utiliſſimam eſſe Tribulationem, quia Impios plectit, Deſides urget & Præſumentes deprimit. Si his minutis partibus explicandis, non plus temporis detur quàm ſi tot rationes expenderentur, liquet prolixiores non fieri Conciones ex Subdiviſionibus, quàm ſi argumentis alia forma compoſitis inſtituerentur. Ex abundante ergo ſupellectili ſeligenda ſunt meliora, cætera verò reſecanda ne excedant. Quod de errore à ſcopo objicitur, verum **Rationes pro Subdiviſionum uſu.**

rum quidem eſt ſi Subdiviſionis partes non ſint propriè & è re ipſa natæ; ſed ſi ſint immediatæ & rationes ex viſceribus rei progenitæ, omnino ad propoſitum ſcopum collineabunt. Ne igitur aberret Subdiviſio, ejus membra deſumi debent ab eſſentia rei, nec aliud ſint quàm ipſa argumenta propria ſub Partitionis forma prolata. Languoris periculum eſt in Subdiviſionibus, fateor; ſed facillimum erit remedium, ſi Partitionis membra non proferantur frigidè & Doctrinali methodo quæ Oratoris non ſapit Eloquentiam; at ſi elegantibus Tranſitionibus & figuris ornentur, non ſecus ac Argumenta; nullatenus frigebunt aut frigus inducent. Satagendum eſt igitur, ut Subdiviſionis partes debitis leporibus explicentur, & affectibus idoneis inſpergantur: tunc enim orationis virtuti nullatenus oberit partitio, nec lacertoſam Concionem enervabit.

Si quid hac de Controverſia ſentiam à me requiratur, utramque partem laudabo, modò neutra damnet alteram; fateor nihilominus me in ſubdividendi methodum delabi, cùm ob perſpicuitatem, tum ob memoriæ ſubſidium, tum etiam ob elegantiam quæ ab exquiſita Subdiviſione perficitur. Mallem utraque methodo alternatim uti ad varietatem, ne ab eadem ſemper compoſitionis forma tædium fiat.

Ex his colliges, 1. Partitionem poſſe fieri bimembrem, vel trimembrem, aliquando Quadrimembrem, vixque ad plura membra ſolere extendi; poteſt etiam aliquando unica propoſitione inſtitui Concio, quæ pluribus rationibus ſeu tot partibus gradatim ſuccedentibus ſuadetur, de qua in ultima parte, cùm de forma Partitiva dabitur agendi occaſio.

Colliges 2. Diviſionis membra debere conſtitui verbis perſpicuis, paucis, conciſis, exquiſitis, res diſtinctas ita explicantibus ut partiali ſenſu totum complectantur & ad unum ſcopum ingenioſè & directè collineent. Cavendum etiam eſt, ne unum diviſionis membrum voce aut ſignificatione contineat alterum; quamvis enim eam partium diviſionis oppoſitionem quam ſtatuunt Logici non plenè deſiderent Oratores, ſanciunt tamen eas ita debere diſtingui, ut diverſas omnino res ſignificent; ſi ſecus fiat, non erit æqua Diviſio, ſed Repetitio.

Colliges 3. Partitionis membra enuntiari aliquando ſimplicibus verbis, ut v. g. Chriſtus eſt Paſtor, Sacerdos, Judex. Aliquando verbis adduntur Adjectiva, v.g. Chriſtus eſt Paſtor ſollicitus, Sacerdos ſanctus, Judex æquus. Aliquando, Appellativis nominibus conjunguntur ſubſtantiva, ut v.g. Chriſtus præſtat aut commendatur Paſtoris ſollicitudine, Sacerdotis Sanctitate, Judicis æquitate. Item, additis ſubſtantivis ſubnectuntur Adjectiva. V. g. Paſtoris ſollicitudo indefeſſa, Sacerdotis Sanctitas integra, Judicis æquitas incorrupta. Hæc ſunt inquam Attributa optima, quæ cum re quam perficiunt eximiè colligantur in ſingulis partitionum membris. Ab Attributis etiam removentur quæ ipſis nocerent ſi adeſſent, ſed quorum negatio videtur Attributa ſingula perficere. V. g. Paſtor vigilans abſque remiſſione; Sacerdos ſanctus abſque macula; Judex

dex æquus abſque corruptione: ejuſmodi enim noxiarum qualitatum negatio, videtur plurimum augere Attributi virtutem, quam omnis imperfectionis expertem aſſerit: ſed ſi in malum ſenſum vertatur, auget maximè Attributum perfectionis negatio. V. g. Paſtor ſine vigilantia, Sacerdos ſine Sanctitate, Judex ſine æquitate. Concinnitatem in Diviſione facit ſi Attributis addatur brevis inflexio ad utilitatem quæ inde ſperari poteſt. V. g. Paſtor eſt vigilans, igitur ſecuri ſimus ſub ejus tutela: Sacerdos eſt ſanctus, Spem in ejus mediatione ponamus: Judex eſt æquiſſimus, ſeveritatem ejus formidemus. His & ſimilibus modis per Antitheta & ingenioſè colligata Attributa poſſunt efformari Partitiones, earumque Subdiviſiones de quibus, iterum aliàs agemus.

Colliges 4. Concionis partes præcipuas ita inter ſe ordinari debere, ut quæ prior eſt, ſit ad conſequentem gradus & diſpoſitio. Sic legitimè progreditur partitio beneficiorum quibus Parentes ad Filios tenentur, ſcilicet iis debent Amorem, Suſtentationem, & Inſtitutionem, ſuccedunt enim ſibi ejuſmodi officia; viderentur verò inordinata, ſi præmitteretur Inſtitutio, dein Suſtentatio, tum Affectus, quia hic illis prior eſt, ceu cauſa & principium univerſale quod ſingularia præcedit.

CAPUT V.

De Confirmatione & Confutatione.

DUPLICI modò ſuum opus Orator abſolvit, nimirum aut probando quod aſſeruit, aut refellendo quod objectum eſt. Quæ Orationis pars Argumenta ſuggerit ad propoſiti formationem, *Confirmatio* dicitur; quæ Adverſariorum rationes infirmat, *Confutatio* appellatur; utraque eſt Concioni ex omni parte neceſſaria, ubique enim occurrit occaſio probandi aut refellendi. Quid in utroque munere præſtet Diſpoſitio, mox dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Confirmatione & Argumentatione.

CONFIRMARE, eſt appoſitis rationibus propoſitam Theſim probare, atque iſtud ipſum eſt in quo præſtando Eloquentia nervos omnes adhibet. Quemadmodum enim Juris Doctores ajunt Allegationem ſine Probatione pro nihilo haberi, ideo Auditores arbitrantur de *Confirmationis eſſentia & neceſſitas.*

propoſitionibus in pulpitum adductis, niſi probentur: ideo partem hanc Orationi adeo neceſſariam ſcripſit Ariſtoteles, ut quamvis Exordium vel Epilogus deeſſe poſſint aliquando, nunquam tamen deeſſe poſſit Confirmatio. Hujus igitur negotii curam habere maximam debet Eccleſiaſta, & lectiſſimas inveſtigare rationes quibus intentum probet. Unde autem eruantur Argumenta, dictum eſt abundè Lib. 2. cùm de Promptuario Eloquentiæ, ſeu de Inventione ageretur; nunc verò de variis formis quibus illæ Probationis rationes indui poſſunt, hoc eſt, de Argumentatione, quæ Confirmationis medium eſt ſeu inſtrumentum, paucis agemus.

SECTIO PRIMA.

De Variis Argumentorum Formis.

Quid ſit Argumentatio?

ARGUMENTATIO *eſt Argumentorum tractatio*, hiſque iſtud ferè præſtat, quod arcus telis, vel æneus tubus præſtare ſolet globulis bellicis; argumentatione enim rationes vibrantur in ſcopum propoſitum: hanc plerique cum Tullio definiunt, Argumenti explicationem; at quoquo nomine appelletur, ſat nobis ſit, eam eſſe Artis Oratoriæ partem, quæ Argumenta & rationes, ſeu media ad probandum idonea, ſuggerat Confirmationi; quia verò ejuſmodi rationes in varias formas effingi poſſunt; hinc plures Argumentationis oriuntur ſpecies, quas numero quinario complectimur. Sunt autem *Inductio*, *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Dilemma*, *Sorites*.

§. I.

De Inductione ſeu Exemplo.

Inductio.

INDUCTIO *eſt Argumenti forma quæ fidem facere nititur per ſimilitudinem quam in multis eandem repræſentat*; ſeu eſt ea probandi ratio quæ communem & univerſalem veritatem colligit ex multis ſingularibus. V.g. Nabuchodonoſor, Balthaſar, Antiochus, &c. terribili fato mulctati ſunt ob ſacrilegam vaſorum ſacrorum prophanationem, ergo & te, qui ſcelus idem perpetras, manet idem ſupplicium. Valet autem iſtud argumentandi genus, in utramque partem, hoc eſt, parietatem infert, ut in exemplo mox adducto; vel diſparitatem, ut ſi præfatæ Inductioni contraria concluſio ſuggeratur in his ferè verbis: Ergo tu, qui vaſa ſacra revereris, non debes à pari ſupplicio tibi metuere. Idem infert à Majori vel Minori, prout ſcilicet Exempla quæ proferuntur majorem vel minorem cum ſingulari de quo res eſt ſimilitudinem habuerint.

D. Cyprianus unitatem Dei probat Inductione facta per omnes ſocietates quæ non niſi unius regimine conſiſtunt; ſic ille contra Idola Gentium ait:

Digitized by Google

ait: Ad Divinum Imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quan- „
do unquam Regni Societas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? ſic „
Thebarum germanitas rupta, ſic Romanos geminos unum non capit re- „
gnum, quos unum uteri ſuſcepit hoſpitium. Pompejus & Cæſar affines „
fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. „
Neque hìc tu de Homine mireris, cùm in hoc omnis Natura conſentiat. „
Rex unus eſt Apibus, & Dux unus in Gregibus, & in Armentis Rector „
unus. Multo magis Mundi unus eſt Rector, qui univerſa quæcumque „
ſunt verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat, &c. „

D. Auguſtinus Peccatorem animæ ſuæ incurioſum urget Inductione per
omnia in quibus homo quærit quod optimum novit. Longam cœnam „
(*inquit*) malam nemo vult habere nec ferre; longam vitam malam penè „
omnes volunt habere: utique ſi bonum eſt quod vivimus, bonum ſit om- „
nium grande; quid enim vis malè, dic mihi? puto nihil. In omnibus „
actionibus, cogitationibus, cupiditatibus, nihil malè vis. Terram ma- „
lam non vis, ſegetem malam non vis utique, ſed bonam; arborem vis „
bonam, equum bonum, ſervum bonum, amicum bonum, filium bo- „
num, uxorem bonam, *&c.* ſolam animam vis habere malam. Quid te „
offendiſti? Quid de te tuipſe meruiſti? non vis eſſe malum, niſi te ſo- „
lum, *&c.*

De Syllogiſmo & Ratiocinatione.

SYLLOGISMUS ſeu Ratiocinatio, ex aſſenſu dato præmiſſis propoſitionibus ſuadet aſſentiri Concluſioni quæ ab illis infertur; ejus exempla mox dabo. Communis eſt Dialectico & Oratori, ſed ille Syllogiſmum tractat ſtrictiùs & paucioribus verbis abſolvit, iſte fuſiùs & explicatiùs. Apud Dialecticos, Syllogiſmus conſtat tribus partibus, Majore (ut vocant) propoſitione, Minore, & Concluſione. Apud Oratores verò Syllogiſmus perfectus complectitur quatuor vel quinque propoſitiones, nempe *Propoſitionem*, *ejus Rationem*, *Aſſumptionem*, *ejus Rationem*, *ac tandem Concluſionem*. Utriuſque damus exemplum. En Philoſophicum Argumentum.

Syllogiſmus.

Quod ſaluti noſtræ conſulit, illud nobis expedit. Hæc eſt Major.
At Pœnitentia ſaluti noſtræ conſulit. Hæc eſt minor.
Ergo Pœnitentia nobis expedit. En concluſio.

Idem Argumentum ſi verſetur ab Oratore, ſic ab illo in ſuas partes explicabitur. *Quod ſaluti noſtræ conſulit, id ſane expedit nobis;* hæc eſt Propoſitio quam Dialecticus Majorem dixit; huic Orator Rationem ſubjicit iſtam, *quia in ſalutis opere bonum quodcumque continetur;* hæc eſt ſecunda Syllogiſmi Oratorii pars. Deinde ſubjungitur Aſſumptio; *At pœnitentia ſaluti optimè conſulit*, cujus Ratio additur, *Pœnitentia nimirum eſt, quæ Dei benevolentiam conciliat, Gratiam & Gloriam meretur*, &c. Quinta de-

Syllogiſmus Oratorius.

nique

nique Ratiocinationis pars additur Concluſio; *Quidni ergo Pœnitentiam agimus?*

Syllogiſmus dilatatione expolitus.

Syllogiſmum vides Philoſophis & Oratoribus diverſimodè communem, ſed utrobique nudum & ſuis ornamentis deſtitutum; at ſi figuris & ſchematibus expoliatur, abſolutum habebis. V.g. in eodem Argumento. *E pluribus, quæ nos movere ſolent, illud certè magis nos afficere debet, quod majus bonum procurare poteſt, nempe ſalutem: homo enim quiſquis ille ſit, modò ratione ducatur, primas dabit partes operi quod cæteris præſtat*, &c. quæ propoſitio poteſt illuſtrari exemplis vel aliis Argumentis quibus probetur ſenſati hominis laudanda rerum agendarum diſpenſatio. Jam ad Propoſitionem redeatur; *At quodnam opus excogitari poteſt ſalute melius? nihil ſanè: ab hac enim re pendet æternitas ſeu boni, ſeu mali*, &c. *non hîc certè agitur de corporis ſanitate, de fortunæ diſpendio*, &c. *leviora ſunt iſta, vel ſi quid ponderis habeant, peritura tandem ſcimus; ideoque ad eorumdem jacturam paratos eſſe nos oportet*, &c. *ſalutis verò bona quis plenè penſare poſſit? Quæris quantum à ſalute vel bonum, vel malum dependeat? Deum, ipſiuſque Beatitudinem metire ſi poſſis*, &c. En majoris propoſitionis ejuſque rationis expolitionem rudiori ſtylo exaratam*, quantum ſatis eſſe reor Novitio Eccleſiaſtæ ut methodum efformandi Syllogiſmi percipiat. Superſunt aliæ partes expoliendæ, nimirum Aſſumptio, ejus Ratio, & Concluſio, quod facilè fiet per earumdem Amplificationem. V.g. *Conſtet ergo de merito ſalutis, ſed hinc intelligas, te ad Pœnitentiam ſuaderi: Quod enim opus ſalutem procurare queat meliùs quàm pœnitentia? Peccator es, Dei inimicus, Diaboli mancipium*, &c. *unum dicam verbo, extra ſalutis viam. Quidquid aliud egeris etiam laudandum, auſim dicere, non ſalvaberis niſi pœniteas*, &c. Jam ad Concluſionem accedi poteſt hoc aut ſimili modo; *Quid ergo moraris Pœnitentiam amplecti?* &c.

Non eſt ſcrupuloſiùs inhærendum in ſervando propoſitionum ordine, quo Major præcedit Minorem ſeu Aſſumptionem, nihil enim intereſt à qua propoſitione fiat Ratiocinationis initium. Aliquando ſumitur ab ipſa Concluſione, ſæpe ab Aſſumptione. V.g. in ſupradicto Exemplo ſic poterit Orator ordiri à Concluſione; *Miror certe quorſum tandiu retardamur à Pœnitentiæ amplexu; quis enim non videt quantum ſaluti neceſſaria eſt?* &c. Ab Aſſumptione inchoabit qui dixerit, *Quantum ſaluti conferat Pœnitentia, neminem latere puto*, &c.

De Enthymemate.

Enthymema.

SYLLOGISMUS eſt Imperfectus Enthymema, altera quippe ex duabus præmiſſis deſtitutum, alteram adhibet ad Concluſionis illationem, v.g. Pœnitentia ſaluti optimè conſulit, ergo eſt amplectenda. Dilatatur autem & expolitur aſſumpta propoſitio, & per Amplificationis fontes ac ſchematum formas ducta, ad Intentum ſcopum convertitur non ſecus, ac ſi completæ ratiocinationis partibus conſtaret.

Fre-

Frequentiſſimum eſt apud Oratores Enthymema, eſt enim quaſi expeditum jaculum quod facillimè contorquetur, & quoties Syllogiſmi forma exulat, toties Enthymematis efficacia viget. Interdum etiam una propoſitione conſtat & dicitur Epicherema, quaſi brevi comprehenſa Ratiocinatio. Ita D.Ambroſius cruciatum B. Virginis exaggerans, ait: *Nec illud virgo ſolatium habuit quod alium eſſet filium paritura*, &c. compendiosè dixit quod fuſius potuiſſet dicere; v. g. *Mater quæ filium perdit nec alium eſt paritura, nullum ſolatium habet*; *At hujuſmodi erat virgo*, &c. Item, ſit probandum per enthymema quod peccator pœnitere debeat, ſic poterit enuntiari; *Sapiens quiſque ſuæ ſaluti quam primùm conſulit; ergo & tu quiſquis es qui de ſapientia gloriaris, pœnitere ſtatim debes ut tuæ ſaluti optimè conſulas*. In quo Enthymemate latet Aſſumptio iſta, *ſed tu de ſapientia gloriaris*. Poterat reticeri major propoſitio, retenta aſſumptione & dici, *De ſapientia gloriaris, ergo pœnitentiam debes amplecti*. Poterat unica propoſitione efferri, hoc ferè modo, *Quid non pœnites qui de Sapientia gloriaris?* Vel, *Quid tu, qui de ſapientia gloriaris, non amplecteris pœnitentiam?* Enthymematis.

Expolitio Enthymematis Ratiocinationis amplificationem imitatur: quemadmodum enim ſingula Ratiocinationis membra verſantur & funduntur addictione ſupellectilis Oratoriæ, quæ eadem probat, dilatat & ornat, ita & Enthymematis partes rationibus & argumentis ex Promptuario deſumptis locupletantur.

De Dilemmate.

DILEMMA eſt Ratiocinatio in duas partes ſeu rationes diviſa, quarum utraque ferit adverſarium. Dicitur Argumentum Cornutum, eò quòd utrinque premit ac urget. Ita Cicero patriam cum Catilina ſic agentem inducit; *Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe; ſi verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam*. Idem ferit Piſonem Philip. n. 56. *Vel Triumphi, vel prædæ cupiditas, te ad Provinciam petendam rapiebat; non Triumphi, ut tu profiteris: Ergo prædæ*. Item D. Cyprianus contra Demetrianum ſic ſcribit. *Quæ eſt*, inquit, *hæc inſatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido ſævitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe, aut eſt crimen, aut non eſt; ſi crimen eſt, cur non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſequeris Innocentem? torqueri enim debui, ſi negarem*, &c. Item ſic poſſet urgeri Chriſtianus minus laudabiliter vivens. Vel Evangelii doctrinam probas, vel damnas: ſi primum, cur illam non profiteris? ſi alterum, cur de illius profeſſione gloriaris? Item Crinitus l. 8. de honeſta Diſcipl. c. 9. ſic ferit qui Aſtrologis credunt. *Si proſpera pollicentur, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando: ſi adverſa dicunt & mentiantur, miſer fies fruſtra timendo.*

Dilemma.

Dilemmatis uſus.

Digitized by Google

De Sorite.

Sorites.

SORITES eſt Argumentationis forma quæ multas Argumentationes acervatim complectitur, ac tandem quibuſdam gradibus ad concluſionem accedit. Exemplum ejus habes apud D. Hieronymum Epiſt. ad Heliodor. quem ſic urget. Nemo Propheta in Patria ſua honorem habet: At ubi honor non eſt, ibi contemptus eſt: ubi contemptus, ibi fre-
" quens injuria: ubi autem injuria, ibi & indignatio; ubi indignatio,
" ibi quies nulla: ubi quies non eſt, ibi mens à propoſito ſæpe deducitur:
" ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex ſtudio, minus fit ab eo
" quod tollitur; & ubi minus eſt, perfectum non poteſt dici. Ex hac ſup-
" putatione, illa ſumma naſcitur, Monachum perfectum in patria ſua eſ-
" ſe non poſſe; perfectum autem eſſe nolle, delinquere eſt, *&c. Aliud Acervationis exemplum profero ex D. Ambroſio l. de fuga ſæculi. c.* 8. *De Benedictione paterna per diligentiam Jacob ſurrepta, ſic ille fatur.* Quod in-
" venitur quæritur, eo quod quæritur temporis eſt; quod temporis eſt,
" utique diligentiæ eſt; quod autem prævenit uſum temporis, Deus
" fundit, Deus dat; quod Deus dat, naturæ, non diligentiæ eſt: Inge-
" nium igitur divini eſt muneris; quod autem divini muneris, hoc natu-
" ræ; Ingenium ergo naturæ eſt, Inventio diligentiæ: illud ſine tem-
" pore. *Hactenus Ambroſius.*

Soritis uſus

SECTIO II.

De Diſpoſitione Argumentorum.

NON hic quæritur quomodo debeant inter ſe ordinari præfatæ Argumentorum ſpecies, vix enim aliquid certi de hoc ſtatui poteſt; ſi tamen attendatur diligentius Argumentationum natura, Syllogiſmus videbitur convenientior initiis & partium capitibus; Enthymema, Dilemma & Sorites incaleſcentem orationem ſapiunt; Inductio verò & Exemplum probationis & explicationis rationem præ ſe ferunt. Quamquam de his prudens Orator uſu & judicio facilius dignoſcat quàm regulis. Agitur autem hìc de ordine quem rationes ad probationem adhibendæ ſervare debent inter ſe.

Triplex eſt Diſpoſitionis methodus, alia rerum Naturam penſat, alia pendet ab Oratoris prudentia, alia à fine orationis attenditur.

Diſpoſitio Rationum ſecundum dignitatem, vel efficaciam.

1. Si rerum vel Argumentorum naturam ſpectes, duo attendas, *Argumentorum ſcilicet Dignitatem & Efficaciam*. Ex dignitate, præmittenda ſunt Divina humanis, ſacra prophanis, probabilibus probabiliora, *&c.* v. g.

Neceſ-

Neceſſitas pœnitentiæ ſuadebitur, à Scriptura ſacra, à Patribus, à Ratione, *&c.* ita ut quæ minoris ſint meriti, poſtremum obtineant locum. Ex Argumentorum Efficacia præponi debent fortiora infirmioribus, ita ut quemadmodum Imperator militaris ſcientiæ peritus, fortiſſimos & lectiſſimos milites in exercitus fronte ponit, quibus terreantur & atterantur hoſtes ex primo congreſſu: deinde minus ſtrenuos in medio ſtatuit qui numero potiùs quàm fortitudine pollentes, attritos jam adverſarios facilius ſuperent; ita conſultius cenſetur Oratoris fortiſſima argumenta præmittere quibus flectantur Auditores, deinde acerventur mediocris, quorum pondere & numero premantur mentes, quæ jam fortioribus conſenſere. Non abs re tamen fuerit aliqua ex validioribus argumenta ſervare unde in Epilogo felicius peroret Eccleſiaſta, & ſi quid ſuperfuerit difficultatis omnino complanet.

2. Ab Oratoris prudentia plurimùm pendet Argumentorum Diſpoſitio; Imitari enim debet Imperatoris optimi induſtriam, quæ milites pro data occaſione ordinat, variatque prout rerum neceſſitas popoſcerit; ita Orator Ingenioſus, ex circunſtantiis occurrentibus conſtituit Argumentis ordinem. Advertit ſcilicet, quid tempus, quid locus, quidve Auditorum ſtatus deſiderat, & ad hæc rationes ſcitè accommodat. Validiores adhibet ac affectibus excitandis idoneas, cùm flectere opus eſt; floridiores, cùm delectandum eſt; fuſiores verò & ſubtiliores, cùm docere debet. Item, cùm partes Concionis Inchoat Eccleſiaſta, ab Argumentis quæ doctrinam ſapiant initium faciat, difficiliora etiam & ſpeculativa initio proponat, cùm attentos ſe præbent Auditores, nec periculum eſt ne incaleſcens animus refrigeſcat: deinde eruditioribus illuſtrata mens, viam ad voluntatis ardorem parat, ideoque ab illis ad hæc progredi plurimum juvat. Prodeſt etiam Argumenta ad delectandum nata capitibus partium nonnumquam præfigere, maximè ſi ex præcedentis puncti morali & acriore peroratione fatigatus fortaſſe Auditor videatur modica recreatione indigere. In Epilogis verò, cùm incaluerit animus Audientium & ad dictorum praxim incenſus videtur, ea ſolum Argumenta & eorum hæ formæ adhibeantur, quæ commovendis Affectibus conferunt; caveat autem Eccleſiaſta ſpeculativis & ſubtilibus uti, cùm inſtat Perorationis terminus, his nimirum totius Concionis vigor hebetaretur & langueſceret.

Diſpoſitio ſecundùm Prudentiam.

3. Ad Orationis finem debet etiam accommodari Argumentorum Diſpoſitio, hoc eſt, cum triplex ſit ſcopus, quò tendere poſſit Orator, nempe Docere, Delectare aut Flectere, ea debet Argumenta ſeligere quæ ſingulis generibus dignoſcuntur congruentia. V. g. in Genere Didaſcalico præmitti ſolent latiora, notiora & faciliora, ut viam ſternant ſtrictioribus, obſcurioribus & difficilioribus, &c. Adde quod, cum Eccleſiaſta ſacer non unum ſolummodo dicendi genus ſoleat perſequi, ſed mixtum ex ſingulis generibus, maximè Doctrinali & ſuaſorio, ipſius etiam prudentiæ intereſt, Argumenta ſic ordinare ut artificiosè & ſolerter utrique accommodentur.

Diſpoſitio ſecundùm Orationis finem.

SECTIO III.

De Numero & Varietate Argumentorum.

Paucioribus rationibus rem probare præſtat, modò illæ optimæ ſint.

AD Diſpoſitionem ſpectat numerum etiam Argumentorum quæ Concioni ſufficiant præſcribere; neque enim omnia quæ prodeſſe poſſunt, expediunt: alia ſunt aliis meliora, aut certè, cùm adſunt quæ ſatis ſint rei perficiendæ, cætera cenſentur ſupervacanea. Quamquam aliquid certi hac in re ſtatuere difficillimum ſit, videtur tamen convenientius Concionatorem paucioribus rationibus uti, modò exquiſitæ ſint & rem probent, quàm multitudine probationum quibus oneratur memoria, ſenſus confunditur; nihil verò novi aut exponitur aut confirmatur. Tria unicuique parti probandæ Argumenta ſat eſſe videntur, immo pauciora ſufficere poterunt, ſi Amplificatione & adhibitione alterius ſupellectilis oratoriæ pingueſcant.

Varietas ubique adhibenda.

Jure meritò conſulitur ab Oratoribus, ut variam compoſitionis formam probationibus affingant, ne ob æqualitatem & ſimilitudinem formæ nauſeent Auditores & faſtidiant. Ideoque non eodem modo proferri debent partium præcipuarum & argumentorum initia, ſed diſſimilibus tum formis, tum ornatibus, tum tranſitiunculis (quantum fieri poteſt) proferantur: Ita enim recreatur Auditorum attentio & ipſiuſmet Orationis textura vindicatur à languore quo torpere ſolet longiore & diuturniore æqualitate conſtans pronuntiatio. De varietate agetur lib. 4. de Ornatu.

His adde non abs re futurum, ſi unicuique Concionis parti præfigatur præfatiuncula, quæ Introductionis vices gerens caput ſit probationum in illo puncto adducendarum, atque aditum ad illas commodiorem pandat. An ſingulis membris Epilogus moralis ſeu moralitas ſubjungi debeat, dicetur poſtea ubi de Peroratione res erit.

ARTICULUS II.

De Confutatione.

Confutationis eſſentia & uſus.

CONFUTATIO quæ eluendis & infringendis Adverſariorum argumentis occupatur, pars eſt Confirmationis, ſiquidem Oratori non ſufficit rationibus propoſitum ſtabiliviſſe, niſi objectas rationes infirmet aut objiciendas prævertat ſolutione. Judiciali quidem generi frequentior eſt Confutatio quàm aliis dicendi generibus; at cùm in ſacris pulpitis occurrant etiam difficultates, quæ ſolutionem expoſcant; ideo Concionator indiget Confutationis arte. Quomodo id præſtare poterit, ex Tullio in

in Partit. n. 44. ediſcat, ſic enim ille ait. *Aut totum eſt negandum, quod in Argumentatione adverſarius ſumpſerit, ſi fictum aut falſum eſſe poſſis dicere; aut redarguenda ea, quæ pro veroſimilibus ſumpta ſunt: primùm dubia ſumpta eſſe pro certis: deinde etiam in perſpicuè falſis eadem poſſe dici: tum ex iis quæ ſumpſerint, non effici quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula, ſic univerſa frangentur. Commemoranda ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit; conquerenda conditio communis periculi, ſi ingeniis hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium*, &c.

Paucis habes à Cicerone Confutationis varia ad defenſionem propugnacula; Vel enim plane negatur quod Adverſarius objecit, ſi fuerit falſum; Vel in objicientis odium & propoſiti favorem vertitur, ſi dubium; Vel ſi verum, aut diſſimulatione reticetur, aut rerum bonarum compenſatione reſarcitur; vel denique per Ironiam aut per contemptum ſolvitur. En aliquot exempla ad imitationem Tullii proferimus. V. g. ſi agatur cum hæreticis quorum objecta ſolvere proponit Concionator, poterit orationem integram vel ejus partem tribuere Argumentorum contrariorum ſolutioni, ac eadem per capita præcipua ſingulatim enodare; his aut ſimilibus verbis: *Ne quid difficultatis quod ad veritatem propoſitam ſpectet fugere videar, Adverſariorum fortiora Argumenta vobis ob oculos ponam, ac ſincera & perſpicua ſolutione diruam. Tot autem capitibus continetur quidquid objicitur*, &c. *In priore oſtendam verum pro falſo ſupponi; in ſecundo certum ſumi pro dubio; in tertio bonum pro malo vitioſa interpretatione ſubſtitui*, &c. Varii Confutationis modi.

In ſacris Pulpitis ſolitum eſt Adverſariorum Confutationem aggredi dum ad Perorationem acceditur. V. g. *Quid ſupereſt ad propoſiti tractati perfectionem, niſi ut levioribus argumentis quibus peccator pœnitentiæ obligationem declinare nititur, reſpondeam?* Item: *Quid ad rationes præfatas reſpondeat peccator audite, & mirabimini quàm ingenioſus ſit Intellectus humanus ut præcepta declinet!* &c. Item per compenſationem; *Verum eſt quod ais, difficile eſſe Injurias condonare; at reſpondebo, tibi maxima præmia parari*, &c. Per contemptum; *Non immoror in enodandis iis quæ à peccatore ſolent objici ad deſidiæ excuſationem; leviora enim ſunt iſta quàm ut mereantur attendi*. Item: *Audiſtis venenum, nunc accipite antidota*, &c.

Figuris acrioribus expoliri deſiderat Confutatio, quales ſunt, Interrogatio, v. g. *Quæſo te, quid ad hæc reſpondeas?* Indignatio: *Quouſque tandem patientia divina abuteris, blaſphemorum ſceleſtiſſime? Audite quid ad Vindictæ excuſationem dicat: Honor meus, inquit, ſartus tectus eſt ſi ab inimicis ulciſcar*, &c. *falleris certe*, &c. *ſed dicito mihi, ſi audires Chriſtum ita his verbis te rogantem ut parceres: Parce inimicis*. &c. *Inſtares adhuc, & diceres, Honor meus in condonatione Injuriarum periclitatur?* &c. Variæ formæ Confutationis.

CAPUT VI.

De Peroratione ſeu Epilogo.

Definitio Perorationis.

ORDINE poſtremum, ſed dignitate & utilitate potiorem Concionis locum occupat Peroratio, in ea quippe vertitur totius Eloquentiæ cardo. Hanc plurimi facit Tullius, in eaque præcelluiſſe ait l. de Orator. Ab eodem 1. de Invent. n. 98. definitur *Exitus & determinatio totius Orationis*. A Cornificio l. 1. n. 4. *Artificioſus Orationis terminus*. Aliis dicitur Concluſio ſeu Clauſula; hanc communi titulo vocamus Perorationem & Epilogum, qui totius Concionis vires colligens, ejuſdem ſcopum aſſequi nititur.

SECTIO PRIMA.

Perorationis Neceſſitas & Natura.

AD Perorationis commendationem celebre eſt Henrici magni Galliarum Regis effatum, Oratores à fine Orationis dignoſci. Et ſanè plures videmus qui priores Concionis partes liment, ac expolient, in Concluſione verò deficiunt; qui aliò prorſus perveniunt quàm quò pervenire debuerunt, & ſi ad metam accedere contigerit, caſu illam conſequantur, ſed otioſè omnino & inutiliter.

Cauſæ cur plures malè perorant.

Hujuſmodi defectus ſi rationem quæras, triplex ſtatim occurret, *Imperitia*, *Incuria*, *Impotentia*. Ob Imperitiam deficiunt plures, qui vires omnes in illud quod primùm occurrit impendentes, v. g. Exordium, Introductionem & fortaſſe partium capita accuratiùs elaborando, in his expoliendis abſumuntur; ideoque cùm ad Perorationem accedunt, languent prioribus congreſſibus exhauſti. Ex imperitia aliqui malè perorant, quia quomodo id ſit præſtandum nullatenus didicere. Deſidia hebeſcunt Incurioſi, quia non alium ſibi finem in dicendo præfigentes, quàm ut horam verbis compleant, minimè ſolliciti ſunt de Orationis ſucceſſu, ſat ſibi eſſe putantes ſi dixiſſe glorientur. Alios videre eſt, quorum Ingenium limitibus adeo brevibus definitur, ut cùm pauca tantum complecti queat, ac eadem utcumque ornare, cætera cogitur dimittere inordinata & impolita; ſcilicet hi ob anguſtiam captus, non poſſunt totius Concionis vim ac ſupellectilem continere & in genuinum finem debitè contorquere. Adde quod nonnulli ſpatium temporis in decurrendis prioribus Orationis partibus incautè abſumentes, Perorationis

locum

locum præcludunt : cumque debuiſſent huic tamquam præcipui momenti parti longius ſpatium ſervare, ex inopinato ſentiunt ſe tum ex temporis anguſtia, tum ex Auditorum faſtidio ad exitum tumultuariò urgeri. Non feliciùs perorant, qui paucioribus naturæ dotibus præditi emendicatis laboribus concionantur; cùm enim Epilogus fere à Genio & induſtria dicentis pendeat, quibus illi deficiunt, quia hæc nec comparantur nec commodantur; ideo adſcititii ſermonis recitationi memoriter occupati, languent ad cætera; immo ſæpius propria inopia redditi, velut aves mutuatis pennis exutæ miſerrimè humi affiguntur.

Ex præfatis liquet quid fugere debeat prudens Orator, ut tractandæ Perorationi aptus fiat: hinc quippe diſcere poteſt quantam diligentiam mereatur hæc Concionis pars, cui propoſita cauſa omnino innititur. Jam verò tribus partibus abſolvitur Peroratio, Enumeratione, Motu, & utriuſque Forma. De ſingulis aliqua non prætermittenda dicamus.

SECTIO II.

De Enumeratione ſeu Epilogo.

ENUMERATIO pars eſt Concluſionis quæ Epilogus & recapitulatio dicitur, quæque rationes per totam Orationem diſpersè & diffusè diſpenſatas ſtrictè colligit, & velut uno intuitu ob oculos ponit. De ejus neceſſitate diſputant Oratores: ſed remiſſa contentione ad alios; quæ ad rem faciunt, ex his aliqua tranſſumimus.

Enumerationis neceſſitas tribus præſertim Argumentis adſtruitur; primum eſt, quod Auditoris memoriam fortaſſe debilem vel longiori ſermone oneratam, plurimum juvat dum repetit ſuſcitatque quod perierat vel ſui tenue veſtigium reliquerat. 2. Totam cauſam ſimul oculis ſubjicit & quaſi denſatis radiis ampliſſimum proſpectum in brevem ſed apertum ſcopum colligens, Concionis fuſæ ſummam unico intuitu capiendam & penetrandam repræſentat. 3. Vim Argumentis addit eorumdem enumeratio; ſunt enim quædam quæ per ſe tractata videntur imbecilliora, ſi tamen acervatim conglobata & ſolidioribus admixta urgeantur, plurimum valent. *Enumerationis utilitas.*

Laudatur præfata recapitulatio in Didaſcalico ſeu Doctrinali genere; cùm enim ſæpius res ſit ad plebem rudem & memoria labilem, opus eſt repetitione qua reſtituantur memoriæ quæ ab ea forſitan exciderunt, vel ſanè eidem rurſus infixa fortiùs adhæreant. Prodeſt etiam Epilogus in longioribus orationibus, quæ capitatim & compendiariè collectæ novam induunt faciem & gratiam. Non ita probatur enumeratio in Cauſis acrioribus; cùm ſcilicet Concionis terminum claudi oportet vehementioribus affectibus, v. g. cùm agitur de ſeveritate Judicii, acerbitate Inſer- *Enumerationis uſus.*

ferni & ſimilibus, quæ commotionem accendere debent; repetitio enim qua occupatur Intellectus, teporem & remiſſionem nonnihil induceret in voluntatem. Par eſto judicium, ſi claudatur oratio per aliquod exemplum ad terrorem acrioremve motum compoſitum.

Tres Enumerationis Conditiones.

Conditiones Enumerationis, tres ut plurimùm aſſignantur: *Brevitas, Perſpicuitas & Ornatus*. Brevis eſſe debet Epilogus ne videatur nova aut repetita Oratio, quæ faſtidium Auditori jam fortaſſe fatigato & longiora metuenti creet. Ideoque illa ſolum debent ſummatim enumerari quæ ad cauſam magis faciunt, quæque Auditorum animis altiùs infigi deſideramus. Peſpicuitatem poſcit Epilogus, ad hoc enim adhibetur ut apertius liqueat quò ſpectabat oratio, nec opus eſt caliginem caligine involvere. Ornatus ſit Epilogus varietate figurarum & tranſitionum, verborum ac ſententiarum, quibus ceu gratis condimentis delectatus Auditor repetitionem jucundius excipiat.

Enumerationis formæ aliquæ.

Multis & variis formis proferri poteſt Epilogus, quas uſus & induſtria docebunt, frequentiores aliquas in exemplum ſubjicio. V.g. *Hæc ſunt, Auditores, quibus vos ad Injuriarum condonationem perſuadendos ſperavi, ea tanti facienda ſunt ut à memoria nuſquam excidere debeant immo, huic ſemper obverſari. Mementote igitur quod Indulgentiam jubeat Deus, apud quem ſumma præcipiendi authoritas eſt; quod verbo juſſit, exemplo docuit, obedientiam & Imitationem ipſe idem remunerat, quis non moveatur, præcepto, facto, præmio?* &c. Item: *Finem dicendi facio ne veſtram patientiam lædam; Indulgete tamen ut brevi reguſtemus rationes quibus nemo reſiſtat, ſi fuerit ſana mente*, &c. Item: *Quid ſupereſt jam, niſi ut inferamus pœnitentiam nullatenus remittendam*, &c. *quandoquidem id planè ſuadent Argumenta ſuperius adducta?* &c.

SECTIO III.

De Commotione.

Quid ſit Commotio ſeu Moralitas.

ALTERA Perorationis & ferè præcipua pars, eſt Commotio, quæ ab Epilogo ſecernitur, quod hic enumerandis capitatim rationibus occupetur, illa excitandis affectibus vacet: Ideoque adhibetur ſummaria argumentorum collectio non tantum ut Auditorum memoria ſuſcitetur, & reficiatur, ſed & ut omnia ſimul conglobata & velut agmine facto in Auditorum animos irrumpant, & apud illos quod volumus efficiant. De hoc ita D. Auguſtinus l.4. de Doct. Chriſt. *Sic qui audiunt movendi ſunt potius quàm docendi; ut in eo quod jam ſciunt, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum, quas veras eſſe fatentur accommodent, majoribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes & increpationes, concitationes & coercitiones, & quæcumque alia valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria*, &c.

Hic igitur Amplificationis vela pandenda ſunt, non quidem ut Concio protendatur, ſed ut inflammatum ſortiatur exitum. Figuras adſciſce-

re

re oportet, quæ affectus Auditorum maximè commoveant, urgeantque illa exequi, in quæ totius Concionis Argumenta conſpirare debuerunt. Unde liquet Commotionem ſeu Moralitatem, ut ajunt, debere ſuperioribus partibus perfectè cohærere, & ab iis velut rivum à proprio fonte, fructum à ſua radice, effectum à vera cauſa, manare. Quis enim ferat alienas, extortas, & male aſſutas Perorationes, quæ non aliter à ſuperius dictis fluunt, quàm à quibuſcumque aliis cum quibus vix aliquo ſocietatis vinculo connectuntur? Scio opus eſſe aliquando, ut Eccleſiaſta ſtringat Concionis aciem adverſus eam morum depravationem qua Auditores inquinantur; ſed de ipſius non ſolùm prudentia eſt ut id diſcretè fiat, ſed etiam Induſtriæ munus eſt ut aptè & concinnè, hoc eſt, ad priùs dicta appoſitè.

Moralitas debet eſſe naturalis ſeu è rebus dictis aptè ducta.

Attendere prorſus debet Orator quis ſit propoſiti ſcopus, ut illuc omnia Eloquentiæ jacula convertat & huic affectus ciendos perfectè accommodet; prout dicendi genus in quo verſatur expoſcit. V. g. in Genere Exornativo, cùm laudare oportet, motus erunt Gratulationis, Admirationis, Amoris, Lætitiæ, Imitationis, &c. cùm in eodem Genere vituperandum eſt, motus erunt, Odii, Contemptus, Pudoris, Invidiæ, &c. In Genere Deliberativo, cùm agitur de re ſuadenda aut diſſuadenda, ii affectus convenient qui ſpem de bono aut metum de malo excitent. In Judiciis, plures motus adhiberi poſſunt, ac maximè Indignationis, Odii & Invidiæ in Adverſarium, Amoris verò & Commiſerationis pro eo cujus partes aguntur.

Varianda eſt Commotio pro varietate Generum Dicendi.

Ex his colliget Orator facer quos Affectus urgere debeat: cùm enim Genus dicendi mixtum ſuſceperit tractandum, miſceat etiam neceſſe eſt varios animi motus pro rerum opportunitate. Ac ſanè in Myſteriis Religionis Chriſtianæ cienda videntur, Admiratio, Amor & Imitatio; Admiratio quidem, pro dignitate qua præſtant; Amor, ob utilitatem quæ inde oritur; Imitatio autem, ob virtutis alicujus exemplar quod in iis ſemper traditur. In Panegyricis, conveniunt motus Admirationis, Gratitudinis, Spei & Imitationis. Admirationem meretur præcellens ſanctitas, Gratitudinem eadem poſcit erga Deum qui Sanctitatis author beneficus fuit; Spes à protectoris tutela; Imitatio ab Exemplaris æmulatione ſuſcitatur. Secus verò & oppoſiti motus excitandi erunt in iis qui ob diſſimilitudinem morum, punitionem, deſertionem, alioſque juſtæ vindictæ effectus merentur. In ſuadendis virtutibus aut diſſuadendis vitiis, quos motus ciere oporteat, res liquet, id nimirum fieri ab Utili vel Inutili, ab Honeſto, vel Inhoneſto, Facili vel Difficili, &c.

SECTIO IV.

De Forma Perorationis.

Enumeratio præcedere debet Commotionem.

CONTROVERTITUR inter Oratores utra Perorationis pars præcedere debeat, an Enumeratio, an Commiſeratio? Ne in lite inutiliùs enodanda immoremur, dicam videri convenientius ut præponatur Enumeratio, quæ eſt veluti Commemorationis ſeminarium, & quæ ſi poſtponeretur, teporem & frigus induceret, cùm opus eſſet flammis & ardoribus.

Elocutio ſeu Forma Perorationis.

De Verborum forma in perorando adhibenda, vix aliquid certi ſtatui poteſt, variis enim modis Oratores ad Concluſionem accedunt, quos uſus & induſtria dabunt luculentius quàm præcepta; dicam ſolummodo nonnumquam fieri Perorationis initium ſimplici figura, v. g. *Hæc ſunt, ò Auditores, quæ mihi ad propoſitum occurrerant dicenda, nimirum,* &c. *ſupereſt, ut ad eadem peragenda diligentiam adhibeatis,* &c. Vel, *Finem dicendi facio, veſtrum intereſt ea præſtare quæ præſtanda didiciſtis,* &c. Sæpiùs Figuris acrioribus armatur Peroratio, aliquando per Apoſtrophem ad Chriſtum. V. g. *Ea Chriſte, in tuas manus remitto, quod ad te ſpectat, tuæ ſcilicet Gloriæ ſollicitudinem: quod mihi indigniſſimo ſuggeſſiſti dicendum, protuli, & ſi quidquam aliud quod utilius fortiuſve occurriſſet libentiſſimè protuliſſem. Tuo nimirum nomine juſſi ut condonarent Injurias mutuas,* &c: *plures ſunt fortaſſe qui mihi, ſeu potius tibi non aſſenſere, tuas ipſemet res agito, ut aſſentiant, tuam ipſe cauſam tuere, vel ſanè adjuva nos ſi quid potes,* &c. *Non palles ad hæc Immiſericors Chriſtiane? non contremiſcis ad Judicem fulmine armatum ut de vindicta quam de Inimico contra æquitatis leges expoſcis vindictam ſumat? Audi quid in Evangelio intonet, In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, Matth.* 7. 2. &c. Per Apoſtrophem claudunt Perorationem aliqui, converſi ſcilicet ad Deum vel Sanctorum aliquem, ut inde gratia ſubſidiumve emendicetur ad præfatorum in Concione adimpletionem.

Compoſitio verborum quibus texitur Peroratio, Inciſis, ſententiis & commatibus diſtincta, aptior eſt ad affectus quibus incendi debet, quàm longior verborum circuitus. Narrationes hiſtoricæ valent plurimum apud plebem, ſed advertendum eſt ne longiores ſint aut frigidiores: breves eſſe debent, acutæ & accommodatæ ad propoſitum, cujus ſint quaſi ſynopſis & totius rei geſtæ hypotypoſis. Hinc commoveatur Auditor ad eadem vel ſperanda vel metuenda quæ in ſimili caſu didicit. Aliqui feliciter Perorationem claudunt inopinato diſceſſu è pulpito, ita ut ab Auditorio ex præfatis territo ſeſe abripiant ipſi territi: ſed hi ſimileſque motus, niſi bene fiant (quod rarum puto) vitium Orationi ſæpius faciunt quàm virtutem; Inſolitum quidem exitum, ſed vix probatiorem & utiliorem præſtant.

Con-

Controvertitur nonnihil inter Oratores ſacros an ſingulis Concionis partibus Moralitas ſit ſubjungenda, an verò remittenda ſit in poſteriorem partem. De hoc varii variè ſentiunt: brevi & ex mente dicam quod à probatiſſimis Oratoribus uſurpari video; poſſe aliquando Moralitatem remitti in ultimam totius Concionis partem, maximè in Panegyricis, cùm metus eſt ne Moralis Digreſſio Encomii contextum abrumpens, laudis aliquid à propoſito demat: At cùm Eccleſiaſtæ intentum debeat ad morum inſtitutionem convertere quidquid ad hunc finem occurrerit appoſitum, ideo crediderim præſtare Moralitates idoneas è ſingulis punctis ducere, à quibus ad punctum ſequens apta tranſitione progrediatur. In ultimæ tamen partis clauſula, Perorationem omnibus partibus communem, ad totius Concionis Epilogum texere ſatagat.

Quomodo autem Invectiva ſeu Moralitas parari debeat, dicetur poſtea l. 5. de Affectibus. Et Lib. 3. 2. Part. de Genere Deliberativo.

CAPUT VII.

Exemplum Methodicum, quo præmiſſarum Regularum de Diſpoſitione Concionis uſus in Paradigmate proditur.

ORATORIAM Œconomiam ſeu Diſpoſitionem diximus eò ſpectare duntaxat, ut Concionis præcipuæ Partes, Partiumque cùm probationes tum figuræ prudenter & concinnè diſtribuantur ordine quem vel merentur, vel intendit Orator, vel Auditores ſperant, vel denique ipſe Orationis genius deſiderat. Canones quos de ejuſmodi ordinatione ſtatuimus ex mente peritorum, nunc in exemplo exhibemus, ut inde liqueat Eccleſiaſtæ Tyroni quomodo à Præceptis ad exercitationes & uſus progredi poſſit.

De Spiritus ſancti receptione agitur in Concione ſequenti, qua quæritur quis ex Auditoribus Divinum Hoſpitem exceperit. Scopus Concionis eſt, tradere ſigna quibus dignoſcatur Spiritus ſancti præſentia, eam ſcilicet ob rem, ut qui ea fruitus fuerit, eadem ad ſalutis bonum utatur, caveatque ne Hoſpiti aut injuriam, aut triſtitiam, aut necem inferat: qui verò hunc non exceperit, ſatagat omnino ut eundem apud ſe invitet. Hæc eſt Idea generalis, cujus partes ſigillatim ſuis locis explicabuntur. Intentum Concionis ſequentis.

Thema.

SI *Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? Neque ſi Spiritus ſanctus eſt audivimus.* Actor. 19. Thema.

„ Verba ſunt Divi Pauli ad Epheſios de Spiritus ſancti receptione per-
„ contantis, atque ipſorum Epheſiorum culpabilem tantæ veritatis igno-
„ rantiam fatentium; his vos alloquor, N. quamquam diverſo ſenſu, &,
„ niſi me mea ludat conjectura, diverſiſſimum reſponſum excepturus.

Exordium ab explicatione Thematis & ex viſceribus propoſiti.

„ Non auſim profectò de veſtra fide tam malè ſuſpicari, ut vel minimum
„ quid ad Religionis Myſteria ſpectans vos latere conjiciam, ac præſertim
„ quantum intereſt veritatis quam de Spiritu ſancto profitetur Eccleſia Ca-
„ tholica. Scitis, immo creditis, illum eſſe tertiam Auguſtiſſimæ Triados
„ Perſonam, Patris & Filii indiviſè ſpirantium communem fœtum, ab utriuſ-
„ que ſcilicet amore alternatim reciproco productum, quo perennis, ac in-
„ deficientis fœcunditatis Divinæ fons clauditur & abſolvitur, &c. Didici-
„ ſtis iterum, quid hæcce Dies quæ nomine Pentecoſtes à Chriſtianis coli-
„ tur, ad præfatum Spiritum attineat: Illa nimirum dies eſt, qua Spiritus
„ idem in mundum viſibiliter illapſus, triplici Flatus, Ignis, & Linguarum
„ Symbolo ſua poſt Patrem & Filium beneficia largitur Apoſtolis, ac per
„ eos in omnes deinceps futuros fideles propaganda ſpopondit, *&c.*

„ Non ergo de veſtra fide dubitans vos interrogo, num Spiritum S. acce-
„ peritis, quaſi vos de Epheſiorum errore vel ignorantia ſuſpectos habeam:
„ iiſdem verbis aliud à vobis ſciſcitor, an ſcilicet exceperitis hodie Spiri-
„ tum ſanctum, & adorandi Hoſpitis optanda præſentia fueritis cohone-
„ ſtati? Quæſtio eſt omnino maximi momenti, utpote quæ de ſalute ve-
„ ſtra negotium verſet: at quodnam huic quæſito dabitis reſponſum? non
„ quidem cum Epheſiis ne quidem vos audiiſſe an ſit Spiritus reſpondebitis;
„ ſed abſque piaculo, immo cum merito reſpondere debetis, vos neſcire,
„ an prædicta gratia fueritis donati, & an divinus ille Hoſpes apud vos im-
„ morari dignatus fuerit.

Propoſitum

„ Adſum veſtro dubio daturus ſolutionem, polliceor enim docere ſigna
„ quibus Spiritus ſancti præſentiam poſſitis dignoſcere. Atque iſte eſt ho-
„ diernæ Concionis ſcopus. Sed quoniam *quæ Dei ſunt nemo novit niſi Spi-*
„ *ritus Dei*, 1. Cor. 2. 11. Spiritus Myſteria reſerare non poſſumus, niſi

Invocatio per Apoſtrophen.

„ affulſerit ipſe laturus ſubſidium. Veni ergo ſancte Spiritus, menti meæ
„ ac Auditorum illabere, ut de te digniùs ſentiam ac eloquar, illique uti-
„ liùs capiant & experiantur quæ juſſeris ad tui Gloriam, noſtrorumque
„ omnium ſalutem.

„ Favebit votis Spiritus, ò Auditores, ſi ejus ſponſam Mariam Patro-
„ nam adhibuerimus, hanc deliniamus repetitione verborum quibus illa ad
„ tanti Sponſi connubium erecta eſt; dicamus igitur cum Paranympho
„ Gabriele; *Ave Maria*, &c.

Exordii Examen.

Vides prælibatum Exordium ex traditis regulis formatum, Thema enim ſatis præſagit totius Concionis intentum. Præloquium ipſum ducitur ab explicatione Thematis, remque ipſam adoritur à viſceribus cauſæ, ſummarius quippe ejus ſenſus eſt iſte; Quæſtio magni ponderis, ſed difficillimæ ſolutionis verſatur, num Spiritus ſancti præſentia fueritis hodie donati;

at

Digitized by Google

at quia tantum beneficium dignoſcere minimè poteſtis, docebo ſigna quibus illud dignoſcatis. Conciliatur Auditor ex magnitudine & utilitate rerum dicendarum; fit attentus ex brevi declaratione propoſiti; invocatur Spiritus ſanctus per Apoſtrophen; interpellatur B. Virgo, ut ſuffragio quo apud Sponſum Spiritum S. pollet patrocinetur.

Idea ſummaria totius Concionis ſequentis.

Concionis totius ſumma ſyllogiſmo comprehenſa.

DIfficile quidem eſt, immo impoſſibile, ſigna inhabitantis Spiritus tradere certiſſima, ſed doceri poſſunt quæ ſint probabilia: Divini ſcilicet Hoſpitis præſentia indicari poteſt triplicis Amoris teſtimonio. 1. *Amore Teneritudinis*. 2. *Amore Præpoſitionis*. 3. *Amore Operationis*: Id eſt, qui Deum Hoſpitem habet, is teneriter affectus eſt ad ea quæ Dei ſunt; is Deum cæteris omnibus præponit: is omnia propter Deum operatur. Ex his Argumentum ſic poteſt colligi & ad mores Auditorum inflecti. Qui Deo præſente fruitur, is Deum diligit Affectu, 1. Tenero. 2. Primario. 3. Effectivo: At Chriſtianus per Myſterium Pentecoſtes Deo præſente fruitur; Ergo Deum diligere debet Teneriter, Primariò, & Efficaciter. Hinc triplex Amoris ſpecies jure traditur, tanquam triplex Dei inhabitantis conjectura. Deinde à contrario ſenſu duci poteſt illatio in eos qui triplicem amorem præfatum minimè experiuntur, quod illi Spiritum S. vel non receperint, vel receptum affecerint aut triſtitia, aut contumelia; aut denique extinxerint.

Introductio.

A Quæſtione inſigni & difficili.

REM difficillimam (niſi ſit impoſſibilis) ſpopondi, cùm ſigna inhabitantis Spiritus ſancti ſum pollicitus. Quis enim de re ejuſmodi certitudinem habere & dare queat? &c. Quis profunda Myſteria Dei ſcrutari poſſit? &c.

Difficultatis propoſitæ rationes.

Atque ut verſandæ difficultatis ratio dilucidiùs pateat, operæ pretium eſt notare, quod Sanctificatio noſtra fiat tribus, quæ à ſe invicem nullatenus divelli poſſunt, nec etiam ſenſibus percipi. Prior eſt Spiritus ſanctus. 2. Gratia. 3. Charitas. Spiritus quidem eſt ſanctitatis noſtræ cauſa effectiva, ipſe enim eſt qui nos docet gemere pro peccato ac de eodem pœnitentes & mundatos reddit acceptos Deo. Gratia eſt ſanctitatis noſtræ quaſi forma, per quam efficimur *divinæ conſortes naturæ*. 2. Petr. 1. 4. Charitas denique eſt ſanctitatis noſtræ effectus qua Deum diligimus &c. At ex tribus his rebus nulla poteſt ſenſibus percipi. Non quidem Spiritus, qui animam latenter & ſecretò ſubit, diverſa prorſus ratione ab ea qua principes ſolent ditionis ſuæ civitates ingredi, magno ſcilicet apparatu & ſtrepitu; immo in nos illabitur longè diſſimili modo ab eo quo in Apoſtolos olim illapſus eſt, vehementi ſcilicet ſono in-

„ tonante, &c. ut jure de Spiritu dici queat illud Jobi 9. 11. *Si venerit ad me, non videbo eum; ſi abierit, non intelligam*. Quis verò Gratiæ infuſionem ſentire poſſit, cùm dictum fuerit Eccleſ. 9. 1. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus?* &c. Par eſto de Charitate judicium, quia cùm ſpiritualis & ſupernaturalis ſit, nullatenus ſenſibus poteſt dignoſci, &c. Ex his liquet quàm difficile ſit inhabitantis Spiritus ſigna tradere, &c.

„ Hæc certè in ſpecie videntur minimè poſſibilia, poſſe tamen fieri videbitis ſi perſpexeritis ſignorum alia eſſe certa & evidentia, alia verò probabilia & veriſimilia, &c. Eſto, tradi nequeant ſigna certa quibus Spiritus S. præſentia evidenter dignoſcatur; doceri tamen poſſunt notæ probabiles quibus digniſſimi hoſpitis poſſeſſio conjiciatur, &c.

Diviſio per effecta.

Quæ ſunt (inquies) ejuſmodi probabilia inhabitantis Spiritus indicia? Tria ſunt (ni fallor:) nimirum amoris, 1. Teneritudo. 2. Propoſitio. 3. Operatio; hoc eſt, ſi Spiritum receperitis, tribus his ſignis ceu totidem amoris effectis, num ita ſe res habeat probabitis, 1. Deum teneriùs quàm quodcumque aliud diligetis. 2. Deum cæteris omnibus rebus præponetis. 3. pro Deo opera omnia facietis. Triplex igitur ille Amor, tria Divinæ præſentiæ ſigna dabit, 1. Amor tener. 2. Amor præcipuus. 3. Amor effectivus. Tria inquam hæc commorantis Spiritus ſigna, tot Concionis partes conſtituunt, quibus vos Attentos fieri velim.

Introductionis examen.

Introductio præfata ducitur *à Quæſtione inſigni*, num ſcilicet poſſint inhabitantis Spiritus indicia deſignari: Difficultatis rationes proponuntur ac ſolvuntur diſtinctione adducta. Tum proceditur ad Diviſionem quæ ſtatuitur *ex triplici effectu qui à Spiritus S. præſentia, velut à ſua cauſa, oritur*, eamque probabiliter prodit. Introductionis figuræ poterant adhiberi frequentiores & acriores, at viſum eſt æquius, leniores uſurpare, quia difficilior quæſtio quæ in introductione verſatur, doctrinam ſapit & attentionem poſtulat, quibus non nihil obeſſent vehementiora ſchemata.

Primæ Partis ſummaria reſolutio.

1. Partis ſynopſis ſyllogiſtica.

„ QUI Deo Amorem Tenerum debet, hunc tribus ſignis prodit: 1. *gaudet de amati præſentia*. 2. *de ejuſdem abſentia triſtatur*. 3. *ejus commoda ſibi facit communia*: At Chriſtianus debet Deum diligere cum Teneritudine; quia ad Deum ſe habet ut Filius ad Patrem; ut Sponſa ad Sponſum, ut Hoſpes ad Hoſpitem, &c. Ergo, &c. Hujus ſyllogiſmi Major propoſitio reticetur, & adhibito tantùm Enthymemate, Minor propoſitio præfigitur primæ Parti, deinde Concluſio expenditur, & ad praxim ac morum inſtitutionem convertitur.

Prima

Prima Pars.

QUOD homo debeat Deum diligere Teneriter, fatebitur quiſquis »
perſpexerit quibus ille huic vinculis adſtringatur. Tria autem ſunt »
illa totidem titulorum officiis ſtabilita; ſcilicet Amore Tenero »
diligere debet, 1. *Filius Patrem*. 2. *Sponſa Sponſum*. 3. *Hoſpes Hoſpitem*; »
at tot titulis Deo annectitur Chriſtianus: Deus nimirum dignatur Chri- »
ſtiani fieri Pater; iſte illius eſt Filius; 2. Deus Animæ noſtræ Sponſus »
eſſe vult, hæc illius Sponſa deligitur. 3. Deus eſt Cordis humani Hoſpes, »
iſtud illius Hoſpitium: Affectum autem teneritudinis hæc ita ſuadent, »
ut inficias ire nemo audeat ſi bene ſapuerit. »

1. Chriſtiani Pater omnino Deus eſt, ita ut jure dixerit de Deo Ter- » 1. Ratio.
tullianus; *Tam Pater nemo, tam pius nemo*. Quis Patrem eſſe neget, qui »
vitam cùm Naturæ tum Gratiæ dederit Homini? nonne ipſe Deus eſt »
qui Hominem ex nihilo condidit? &c. nonne Spiritus indidit Homini »
Gratiam ut Chriſtianus fieret? Ita ſanè D. Leo Regenerationem noſtram »
comparat cum Incarnatione Chriſti, quia utriuſque operis author eſt »
Deus: *eodem* (inquit) *Spiritu replente fontem qui replevit uterum Virginis*. »
Parco pluribus, cùm ex his abundè conſtet Deum eſſe Parentem no- »
ſtrum. At quis affectus eſſe debet Filii ad Patrem? Teneritudinis pror- »
ſus amor exigitur, ita quippe perſuadet Natura, ita ratio & gratitudinis »
debitum jubent, &c. »

2. Rem non ſatis fortaſſe ſtatuit Filii ad Patrem titulus, huic adde » 2. Ratio.
Sponſæ ad Sponſum dilectionem. Noſtis quanta eſſe debeat utriuſque ad »
alterum Teneritudo; tanta nimirum, ut ex ſacro Codice relinquat homo »
Patrem & Matrem ut adhæreat uxori; ſunt quippe duo in carne una, &c. »
& ex Philoſopho, Anima magis eſt ubi amat quàm ubi animat, &c. quæ »
omnia Teneritudinem inſpirant; At iſtud eſt vinculum quo Anima Deo »
copulatur, fit enim ejus Sponſa 2. Cor. 11. 2. ipſeque Sponſi vicibus ad »
eam fungitur &c. eam quippe tenerrimè dilexiſſe teſtatus eſt, cùm pro »
illa mortem obierit crudeliſſimam &c. Quidni ergo Deum pari teneritu- »
dinis affectu complecteris, ò Chriſtiane? &c. »

3. Eſto non ſufficiant præmiſſa Teneri amoris argumenta, quæ tamen »
omnium fortiſſima cenſeo; alterum ſubjiciam, quod licèt præfatis duobus » 3. Ratio.
dignitate minus, in eundem tamen ſcopum, ſed fortè ad ſenſum accom- »
modatiùs collineabit. Verſatur autem in ratione Hoſpitis quam ad nos ha- »
bet Spiritus S. *Neſcitis* (inquit D. Paulus 1. Cor. 2. 16.) *quia Templum Dei* »
eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis, &c. Et Roman. 5. 5. *Charitas Dei* »
diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis, &c. Tene- »
ritudinem profectò Hoſpitibus deberi fatentur omnes qui bene ſenſerint: »
ſe ſe enim illi nobis committunt, & jure (ni fallor) Gentium, obliga- »
mur tenerum iis amorem exhibere: alioquin in Hoſpitalitatis officia pec- »
caſſe

„ caſſe cenſebimur, &c. Quàm merito igitur Hoſpitem Deum diligere te-
„ neriter debemus? &c. Num hæc obligationis argumenta intelligis ò Chri-
„ ſtiane? num hæc teneri affectus officia præſtat? At fortaſſe in quibus illa
„ poſita ſint, quæris, en doceo, & ſimul quomodo his fungaris inqui-
„ ro, &c.

Subdiviſio in præcipua ſigna teneri affectus.

Tria ſunt quibus Amoris Teneritudo proditur. 1. Præſentia. 2. Ab-
ſentia. 3. Commodi vel incommodi participatione. Quî enim alterum
„ teneriter diligit, 1. Amati præſentia lætatur. 2. Amati abſentiam me-
tuit. 3. Amati ſortem ſibi communem facit: an hæc experiaris, N. di-
ſpiciamus.

1. Signum Gaudere de præſentia rei amatæ.

1. Ea eſt ſanè Amoris natura, ut in re amata quaſi in ſuo fine conquie-
ſcat & delicietur. Centrum amantis dicitur res ipſa quæ amatur, atque
„ quemadmodum Philoſophi docent in centro reperiri aliquid, quod non
„ modò ſuaviter res ad ſe proliciat, ſed etiam quod illectas reficiat innato
„ ſapore, cujus fruitione illæ delectentur, quaſi adepta Beatitudine; par
„ eſt de re amata judicium, illa quippe centrum eſt amantis, &c. Longe
„ validus erit argumentum, ſi ad divina transferatur. Omnium ſenſu,
„ Deus eſt animorum Centrum, quod appetibilia omnia ſuo ſinu fovet ac
„ complectitur. O quantæ in hujus poſſeſſione deliciæ! eas prorſus expe-
„ rieris, ſi Spiritum ſanctum exceperis; Senties gaudium, pacem, alia-
„ que bona quibus ille dives eſt, ſuoſque hoſpites ditat, &c. Experiris
„ quod dico? felicem te arbitror, ſi ita ſe res habeat; inde præſagire de-
„ bes te Divini Hoſpitis præſentia frui, nam, ut ait Caſſiodorus in Pſal. 18.
„ *inaudita eſt dilectio, quæ amicum diligit & præſentiam ejus non amat*.
„ Sed in hujus delectamenti expertem te compereris; heu metuo, ne ma-
„ lè tecum agatur, ſignum enim probabile eſt, te Deo deliciarum fonte
„ deſtitutum, &c. iſtud eſt ſanè malorum omnium maximè formidan-
dum, &c.

2. Signum triſtari de abſentia.

2. Ex præfato præſentiæ divinæ ſigno ſequitur alterum, ſcilicet Dei
abſentiam metuere, & ſi fortè abſuerit, eundem omni penitus modo re-
vocare. Videte Magnetem, quanta ſollicitudine ferro illigetur, &
„ quàm graviter patiatur ab illo divelli, &c. *Feciſti nos Domine ad te* (inquit
„ Auguſtinus) *& irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te*. En ſtimu-
„ laris ad perpetuam cum Deo connexionem, & ab ejus diviſione deter-
„ reris, &c. Ah, ſi Deum haberes inhabitatorem, toto illi conatu adhære-
„ res, fugereſque omnia quæ ſocietatem ſolvere poſſent. Ejuſmodi erat
„ Paulus, qui ad Romanos ſcribens, ita ſe Deo colligatum ac devinctum
„ profitetur, ut cunctas Creaturas provocet, derideatque, quaſi ſolutionem
„ nullatenus facturas. *Quis* (inquit) *nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tri-*
„ *bulatio? an anguſtia? an fames?* &c. Vides quàm firmiter Deo ille adhæ-
„ reat, quantique faciat ejuſmodi ſocietatem, ut malit incommoda omnia
„ pati, quàm à dilecto Deo vel minimum ſeparari, &c. Parem illi animum in-
„ due, &c. At proh dolor! quantùm ab illo abes, qui flocci pendis Dei ſepara-
tionem;

Digitized by Google

tionem ; qui pro re minimi momenti, &c. Dem pati velis, &c. Erudire, erudire Sponſæ Divinæ exemplo, quæ Sponſi abſentiam modicam paſſa, hunc omni quo poteſt modo revocare ſatagit ; *Surgam* (ait) *& circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*. Cantic.2. Hanc imitare, &c. Si ſecùs feceris, & de abſentia Dei minimè fueris ſollicitus, pro certo habeas, te Spiritus Dei inhabitatione non ſolùm vacuum, ſed & indignum, &c.

3. Signum commoda vel incommoda rei amatę pati.

3. Tertium ſupereſt Teneri amoris indicium ſcilicet commodis vel incommodis rei amatæ participare. *Amicorum eſt* (inquit Philoſophus) *eadem velle, eadem nolle & eadem pati*. Ratio eſt, quia cùm amicorum omnia ſint communia, eadem etiam alter experitur, quæ in altero novit, ſeu commoda ſint illa, ſeu incommoda, &c.

Quis ſit veſter de his ſenſus probate : num fortè lætamini, cùm reſciveritis Deum coli à pluribus, ejuſque Gloriam undequaque celebrari ? &c. Num dolor vos afficiat, cum perſpexeritis eundem Divinum Amantem quacumque injuria verberari, blaſphemiis pungi ? &c. In vos certè recideret ejuſmodi offenſa, ſi Charitas vel modicam cordis veſtri partem inflammaſſet. *Amor* (inquit D. Chryſologus ſer. 24.) *probatur paſſionibus*, &c. Lydius eſt iſte lapis, quo verus Affectus ſecernitur à ſpurio ; legitimus eſt qui amici malis compatitur quaſi ſuis ; falſus eſt, qui his vel duratur, vel non movetur, &c.

Ah quàm rarus eſt Tener iſte Amor! quàm pauci ſunt è Chriſtianis qui ſuas arbitrentur offenſas, quas Deus experitur quotidie à Blaſphemis, cæteriſque peccatoribus, quos Divinitatis contemptores, immo violatores appellare poſſumus! &c.

Concluſio. Translatio.

Ex his, ò Auditores, poteritis dignoſcere Spiritus S. præſentiam ; primum enim iſtud eſt infuſæ Charitatis argumentum, &c. ſcilicet Teneriter Deum diligere, &c. Alterum inquiramus, quod eſt Deum diligere primariò & præcipuè ; Scopus eſt ac propoſitum quod in ſecunda Concionis parte mox expendo.

Examen primæ partis.

En primæ partis ſenſus ferè omnino explicatus. Ejus (ut dixi) Intentum eſt Amoris Teneri ſigna tradere. Propoſitio præmittitur, qua conſtare debeat hominem eſſe hujus Teneritudinis debitorem, triplici nimirum titulo, Filii, Sponſæ & Hoſpitis ; deinde, hoc ſtatuto tria Teneritudinis indicia præfata aſſignantur. Poterat Concluſio vehementiùs intorqueri adversùs eos qui ejuſmodi ſigna non experiuntur, ob ſuam fortè culpam, quia nimirum vel indignos Divino Hoſpite ſeſe exhibuere, vel in eundem extitere ingrati; ſed ne fieret integri ſenſus intermiſſio, ipſaque pars paulò prolixior vitioſam faceret cum aliis inæqualitatem, Moralitas ad calcem ultimi Puncti remiſſa eſt.

Secun-

Secundæ Patris reſolutio compendiaria.

Secundæ Partis Synopſis.

DE Amore præcipuo hìc agitur, omniſque propoſitionis integræ ſenſus hoc Syllogiſmo continetur; Qui Deum Primario affectu diligere tenetur, ille amorem exhibendum ita debet ordinare ut, 1. *Nihil ſupra Deum diligat.* 2. *Nihil æquè ac Deum.* 3. *Nihil cum Deo diligat quod non propter Deum:* At Chriſtianus qui Spiritum ſanctum excepit, Deum affectu præcipuo diligere tenetur; Ergo, *&c.* Atque cùm Effectus Cauſam probat, iſtaque illum viciſſim indicet; inde optimè colligitur, ut inhabitantis Spiritus ſancti ſignum habeatur in triplici Amoris præcipui ſpecie, quia eſt Divini Hoſpitis effectus, ſeu donum; contra verò præſumitur ejuſdem abſentia, ſi affectu primarii præfatæ ſpecies deſint. Immo, qui ſecus fecerit, de triplici crimine reus aſſeritur, qui enim 1. aliquid ſupra Deum diligit, Idololatra eſt. 2. Qui aliquid æquè ac Deum, Sacrilegus eſt. 3. Qui aliquid cum Deo diligit, quod non propter Deum, ille injuſtus eſt. En ſecundæ Partis ſumma, hanc explicatiùs quamvis compendiosè proponimus.

Secunda Pars.

AFfectus & æſtimatio vix à ſe invicem disjungi poſſunt, nam, ut ait D. Bernardus, *Quantum quiſque diligit, tantum intelligit,* &c. Si ergo Amorem ab inhabitante Spiritu infuſum dignoſcere volueris; hunc metire per Æſtimationis ordinem, quo diligi Deum apud te ſenſeris: Divinus enim Hoſpes qui docet omnem veritatem, te prorſus docebit gradum quo Deum diligere debeas. Huc (ni fallor) ſpectat quod à Beatiſſima Sponſa dicitur Cantic. 2. 4. *Ordinavit in me Charitatem;* hoc eſt, Amoris & Amatorum Ordinem ſtatuit, ut hunc res diligendæ obtineant in amore locum quem mereantur, *&c.* Concinit Guillelmus Pariſienſis, dum ait; *Charitas ſervat dilecto ſuo valorem.*

Subdiviſio in tres Amoris præcipui claſſes.

Quæris forſan quis ille ſit ordo in Amore Divino ſtatuendus, & quo gradu debeat ille diligi? Attende, paucis ad Quæſitum reſpondeo. Tribus his Propoſitionibus explicatur præcipuus iſte amor Deo exhibendus. 1. Ut nihil ſupra Deum diligat. 2. Ut nihil æquè ac Deum. 3. Nihil cum Deo quod non propter Deum. Atque ut præcipui Amoris ratio, ex affectu contrario magis eluceſcat, addam, triplici ſcelere adſtrictos, qui oppoſito dilexerint ordine; 1. Qui enim aliquid plus quàm Deum dilexerint, ii Idololatriæ flagitium perpetrant; 2. Qui aliquid æquè ac Deum, ſacrilegium admittunt. 3. Qui aliquid cum Deo diligunt, Injuſtitiam illi deteſtandam committunt. Singula diſpiciamus.

1 Claſſis Amoris præcipui Nihil ſupra Deũ.

1. Facillimum prorſus eſt rationibus evincere, ut conſtet Deum mereri cæteris omnibus rebus in amoris ordine præponi; hoc enim Argumento iſtud

iſtud plane liquet. Huic primarius & potior affectus debetur, qui merito & dignitate præpollet; At ejuſmodi eſt Deus, *&c.* Dubitas forſan de aſſertione, audi Tertullianum l. adv. Marc. 1. 25. *Deus* (inquit) *de Bonitate cenſendus eſt*. Quaſi diceret Africanus; Vis noſſe quantùm & quo gradu diligendus eſt Deus? ejus Bonitatem perpende, & hujus gradui affectum commenſurare ſatage: ita enim ſe res habere debet, ut meritum æſtimatio, hanc amor adæquet ſi fieri poſſit. Adde, quòd ille præcipuo diligendus eſt amore, qui infiniti eſt meriti, & qui omnes in ſe complectitur rationes bonitatis ſeu appetibilitatis quæ affectum provocare queant; At talis eſt Deus, &c. *Deus ſummum bonum credi neceſſe eſt*, ait Tertullianus, 1. adv. Marc. c. 24. Bernardus autem Serm. 24. de Paſſ. ſic ſcribit in Dei gloriam, *Quid quæris quod in illo non invenias? ſi ægrotus es, medicus eſt; ſi exulas, dux eſt; ſi impugnaris, pugil eſt; ſi ſitis, potus eſt; ſi alges, veſtimentum eſt; ſi triſtaris, gaudium eſt; ſi obtenebraris, lux eſt; ſi orphanus es, Pater eſt*, &c. Ex his, cùm tibi liqueat Deum complecti præcipuos ac omnes bonitatis gradus, conſtare etiam debet eundem mereri primarium amoris affectum, *&c.*

Mirari jam deſino cur Septimius aliquando dixerit l. de Idololat. cap. 1. *Principale crimen generis humani, ſummus ſæculi reatus, tota cauſa judicii, Idololatria.* Quid ais Tertulliane? num Chriſtiani Idolis litant? *&c.* Tertulliani mentem ex Auguſtini ſenſu illuſtra. Sic iſte ait l. 1. de Doct. Chriſt. *Hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod cæteris rebus omnibus anteponunt*, &c. Jam intelligis, quò ſpectaverit Africani cenſura, pungit nempe Chriſtianos qui aliquid ſupra Deum diligunt, hoſque de Idololatriæ flagitio reos aſſerit. Ah! proh ſcelus! quot & quanti infamem, ſed aliunde deteſtandam notam incurrunt? *&c.* *Deum negant quem credunt minorem*, addit ille, adv. Hermog. 6. Non ſentis hæc, immo non horres, ò Chriſtiane qui in hoc crimen ferè ſemper delaberis? &c.

Idololatria perversè amantium.

Superius Sponſæ ſanctiſſimæ verbis uſus dixi, *Ordinavit in me Charitatem*, alia verſio ait, *vexillavit in me Charitatem;* militarem artem ſapit iſta vox, quaſi ſenſus Amantis ſit, velle affectum pro Dilecto præcipuum, ſed ejus meritis debitum, vindicibus armis comparare. Ejus partes agere mihi nunc liceat, & D. Michaelis voce adverſus perversè amantes inſurgere, cum eodem Archangelo dicam quod ipſius nomen ſonat, *Quis ut Deus?* te alloquor quis es, qui Creaturas Creatori præponis, qui divitias, voluptates, *&c.* Deo præfers? *&c.* ipſe es qui idololatriæ ſcelus admittis, non tantùm ſemel, aut tormentorum vi coactus, ſed quotidie, & ſponte, nullo cogente, *&c.* *Si forte argentum auro præponis* (ajebat Auguſtinus Serm. 5. ex collect. à P. Sirm.) *dementiſſimus judicaris: aurum Deo præponis & nullus reprehendit?* Ab Idololatris ad ſacrilegos progrediamur.

2. Sacrilegum dixi affectum qui aliquid æquè ac Deum diligit; id à me dictum utiliſſimè, fatebimini, ſi ad perverſitatem hujuſce affectus attenderitis. Sacrilegium prorſus eſt, quod ſacrum cum prophano, ſupre-

2 Claſſis Amoris præcipui, nihil æquè ac Deum diligere.

mum cum infimo, Creatorem cum Creatura, *&c.* componit; digniori enim detrahit, quod concedit indigniori, & Deum è ſuo gradu nititur depellere, ut Diabolum huic ſubſtituat, &c. iſtud eſt ſcelus eorum qui parem Creaturis amorem impendunt quem Creatori, *&c.*

Æqualitatem amoris omnino Deus odit, qui meretur præcipuè, integrè & unicè diligi; Verbis Tertulliani iterum te urgeo qui hujus ſceleris reus es. *Quantus ſit Deus ſatis noſti, qui unicum credidiſti*, &c. l. de Reſurr. car. c. 5. Item l. adv. Herm. c. 7. *Divinitas gradum non habet, utpote unica*, &c. audes ergo aurum, delicias, honores, *&c.* pari affectu diligere quo Deum profiteris? *&c.* Diſcito hunc nullum admittere ſocium, *&c.* Meminiſtis opinor, quod de illa pſeudomatre refertur 3. Reg. 3. 26. quæ cum legitima parente coram Salomone litigans, cruentæ ſententiæ aſſentiebatur; *Dividatur puer*, inquiebat illa cum Judice veritatem ex materno affectu veſtigante, *&c.* Novercæ non abſimilis Dæmon, probat Diviſionis jndicium, ſat ſibi factum ratus, ſi æqualem cum Deo partem ſortiatur, *&c.* at ſacrilegam Diviſionem deteſtatur Deus, *&c.* hinc Matth. 22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, &c. unde Theodoretus Quæſt. 3. in Deuter. ait, *docemur dilectionem non ſcindere in dilectionem Dei & dilectionem auri, ſed totam dilectionis vim Creatori Deo conſervare.* Non te igitur pudet Chriſtiane, qui Deum credis debere præcipuo & unico affectu diligi, omnia tamen creata, ſi non magis, æquè ſaltem ac Deum diligere? *&c.* Dices forſan: Num licet aliquid cum Deo amare? injuſtè agis, niſi illud ipſum quod cum Deo diligere vis, pro Deo diligas.

3 Claſſis Amoris præcipui, nihil cum Deo diligere.

3. Auguſtini verbis utor Deum ſic alloquentis l. 10. Conf. c. 24. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Ita profecto ſe res habet, videtur ille ſentire & facto pronuntiare, Deum non habere quo humanus expleatur affectus; iniquiſſimus eſt omnino iſte ſenſus & Deo bonorum omnium fonti uſquequaque injurioſus. Atque ut hæc iniquitas planè liqueat, illam in exemplo intuere. Principum aliquis te in amicitiæ ſtrictiſſimæ partem fortè vocaverit, te dignitatis, deliciarum, & cæterorum bonorum quibus ille fruitur participem fecerit; affectus iſte ac ejus effectus in te tam liberaliter impenſi, tuam viciſſim gratitudinem provocant; ita ut te totum videantur expoſcere, *&c.* At, ſi de Principis affectu ejuſque amplis beneficiis minimè contentus, miſelli alicujus de infima plebe amorem requiras, veliſque hunc in Regiæ amicitiæ ſocietatem adſciſcere, nonne injuſtus cenſeberis & Principi omnino feciſſe injuriam? *&c.* Injuſtitiam agnoſcis, ut puto, ſed ejus te reum fatere, qui cum Deo iniquius agis, quo ille cæteris quibuſcumque amantibus præſtat, ejuſque beneficentia omnes cordis humani affectus explere valet, *&c.* Quære ab Auguſtino quid de hac re ſenſerit, hæc audies verba: *Dilectio Dei nullum à ſe vinculum extra ſe duci patitur, cujus derivatione minuatur.* L. de Doct. Chriſt. Hoc eſt, verus & ſincerus Dei amor, ita cordis amplitudinem

occu-

Digitized by Google

occupat, ut omnem appetitum exhauriat, nec facultas aliquid ulterius concupiſcendi ſuperſit, &c.

Adde quod Deus Zelotes ſit, Exod. 33. 14. nec aliquid præter ſe amari permittat abſque indignationis offenſâ. Immo & ipſummet Hominis cor plures amantes non patitur. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat*, ait Iſaias cap. 28. 20. Aliis verbis idem Chriſtus dixit, Matth. 6. 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, &c. utrinque prohibetur aliquid cum Deo diligere quod propter Deum non diligatur. *Aut enim unum* "
odio habebit & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit & alterum contemnet. Quid "
ergo fontem limpidiſſimum aquarum viventium, Deum ſcilicet, deſerens, "
ciſternas dehiſcentes & aquis computreſcentibus ſordidas tibi fodis, ac ſi- "
tibundo gutture potas, ô Homo? En, en habes bonorum omnium op- "
timum & præcellentiſſimum, unicum nempe Deum, hunc amplectere, "
huic adhære affectu præcipuo, qui nihil ſupra Deum, æquè ac Deum ni- "
hil, immo cum Deo nihil propter ipſum non amet, diligat; ſed omnia "
longe infra Deum & propter ipſum eadem ſingula ſemper proſequatur. "
Primarius ille amor, index erit inhabitantis Spiritus ſecundo ſigno pro- "
diti; Tertium examinemus, Amorem ſcilicet Effectivum: attentionem "
paulisper renovate, paucis perficiam. "

Examen ſecundæ iſtius Partis pervium eſt; patet enim in quo ſtet Primarius ac Præcipuus affectus, quem Spiritus ſanctus ſua præſentia inſpirat; ſtat (ut dictum eſt) tribus, nimirum 1. Nihil diligatur ſupra Deum. 2. Nihil æquè ac Deus. 3. Nihil cum Deo. Inde etiam colligitur triplex ſcelus perversè amantium. 1. Idololatria, quæ Deo aliquid præponit. 2. Sacrilegium, quod Deum minuit ut aliquid Divinitati æquale faciat: 3. Injuſtitia, quæ Deo non contenta, aliud præter ipſum deſiderat: hinc conſtituitur triplex objurgatio in perversè amantes. Subdiviſionis rationes ex viſceribus rei ſuggeruntur, variis licet ſedatis figuris formatæ; facile eſt aliis leporibus eadem Argumenta expolire. Tranſitio ad 3. partem trita eſt, ſed clara & perſpicua. [Examen ſecundæ Partis.] [Tranſitio.]

Tertiæ Partis compendioſa Reſolutio.

Res eſt de Amore Effectivo quem dixi eſſe tertium inhabitantis Spiritus ſancti ſignum; quod tribus iterum indiciis probatur, nimirum, 1. Cogitatione. 2. Loquela. 3. Operatione. Unde colligi poteſt Argumentatio in his ferè verbis. Qui Deum Effectivo amore diligit, 1. De Deo ſæpe cogitat. 2. De Deo frequenter loquitur. 3. Propter Deum operatur omnia. Ergo ſi Deum effectivè diligas, hæc præſtabis: quæ ſi defuerint, præjudicium quoque eſt, te Spiritum ſanctum nullatenus excepiſſe. Rationes quibus Propoſitio capitalis ſtatuitur, brevi & nudè tantùm perſtringo. [Tertiæ Partis compendium.]

Digitized by Google

Tertia Pars de Amore Effectivo.

Propoſitio. E Pluribus quæ Amoris Effectivi aſſignari poſſunt notæ, nulla mihi videtur certior Operatione, *&c.*

Subdiviſio in tria Effectivi Amoris indicia. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* S. Gregor. Homil. 35. in Evang. ita lux Solem, calor ignem, *&c.* teſtatur.

Triplex Operatio diſtingui poteſt. 1. Alia Cordis. 2. Alia Oris. 3. Alia Manus. Totidem ſignis demonſtratur amor operativus. 1. Cogitat de Deo ſæpe. 2. De eodem frequenter loquitur. 3. Omnia propter ipſum perficit, *&c.*

1. Signum cordis Amantis, Cogitatio. 1. Cogitatione. *Vis noſſe quid ames? attende quid cogites.* S. Fulgentius Homil. 5. *Amorem ex indicio cogitationis intelliges.* B. Laurent. Juſt. tr. de Charit. 14. D. Baſil. l. 5. adverſ. Eunom. c. 1. *Sicut filius Patris eſt, ita Filii Spiritus S. interpres eſt,* &c. Tuum certè de Deo affectum interpretabitur cogitatio: Exemplum habeto in amantibus, quàm ſcilicet ſæpe alter de altero cogitet, *&c.* Quid in te experiaris, proba, *&c.* Ah metuo, ne Deus verba Dalilæ ad Sampſonem torqueat in te, huic enim ajebat illa, *Quomodo dicis quod amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Judic. 16. Num eadem poſſunt objici tibi, qui vix umquam de Deo cogitas? quo enim tempore, qua hora, animus tuus cum Deo eſſe dicatur? *&c.*

2. Signum Oris ſermo. 2. Ore. D. Baſil. *Animorum imagines, revera per ſermones exprimuntur.* D. Paulinus Epiſt. 15. ad Delphin. *Ex abundantia cordis os loquitur, & ſapor mentis in ſermone guſtatur,* &c. Vide quàm frequenter quiſque loquitur de eo quod ardentius amat, Aleator de Ludo, de Tabellis Pictor, de nummis Avarus, *&c.* Ergone, qui de Deo taces, hunc diligere præſumeris? *&c.* nullatenus. Damnandum linguæ ſilentium deteſtatur Tertullianus his verbis, *An accepiſti os, homo, ad vorandum atque potandum, cur non potiùs ad eloquendum, ut à cæteris animalibus diſtes? cur non potiùs ad prædicandum Deum, ut etiam Hominibus antiſtes?* l. de Reſurrect. carnis. c. 6. Ad te ſpectat ejuſmodi objurgatio quæ te de Deo ſilentem arguat & frigentem ad divina probet, *&c.*

3. Signum, manus operatio. 3. Opere. At manus examinandas trade, num hæ præſtant opera quæ intus moventem Spiritum demonſtrent? *&c.* *Non poteſt vacare amor in anima amantis,* inquit Auguſtinus in Pſ. 120. & D. Bernardus Serm. 51. de modo bene viv. *Tunc verè Deum diligis, ſi pro illius amore, bona quæ potes operaris.*

Quænam illa ſunt opera? inquies. Audi Chriſtum te docentem, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Joan. 14. 23.

Concluſio. Finem faciamus atque totius Concionis ſenſum retexamus ad morum inſtitutionem. A Themate ipſo ſumam Concluſionis initium. *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes?* Noſtis jam indicia quibus Divinum Hoſpitem

ſpitem in vobis commorantem poſſitis conjicere: at, quæ vobis inde conjectura mentem occupat? Num Deum teneriter diligitis? Num præcipuè? Num effectivè? Amoris triplicis ſigna ſpecialia repetite, & ex horum examine dignoſcite an Spiritus S. præſentia fruamini. Lætamini forſan ad ea quæ Dei ſunt; ad ejus abſentiam triſtamini; ejus commoda vel incommoda quaſi veſtra cenſetis? Si hæc ita ſint, quàm vos felices iterum arbitror; at quàm meritò timeam ne res ita bene ſe habeat apud vos, cum probem vos omnis ferè ſenſus expertes ad divina. Adſit Deus, abſit, patiatur, vix advertitis: hoccine modo, tam ſcilicet incurioſè de Deo ſatagentes, ipſum Teneriter diligere, & Spiritum excepiſſe credemini? Nequaquam, ſed oppoſitum ſignum quod ex ſtupore & duritie ad divina colligitur, oſtendit nullatenus Spiritum apud vos inhabitare, *&c.* Epilogus ſeu commemoratio.

De præcipuo amore quid aliud ſentiam, cùm experientia conſtet nihil apud vos fieri vilius Deo? Objurgatio hæc eſt Salviani L. de Gubernat. *Solus* (inquit) *in comparatione omnium Deus vilis eſt*. Num iſtud verius eſt apud vos? quid enim non præponitis Deo? nonne aurum, terra ipſa, modica voluptas, *&c.* à vobis præfertur Creatori? *&c.* Et cùm ita res ſe habeant, unuſquiſque Chriſtianus haberi vult ut Dei Filius, Sponſus, Hoſpites? Eſto, modò addiderit, Filius impius, Sponſa infidelis, Hoſpes ingratiſſimus. Hæc quidem audire pudet, at feciſſe pudere magis debet, *&c.*

Quid denique de operatione ſuſpicer in amoris ſignum, niſi te, ò Chriſtiane omni prorſus amore Dei deſtitutum conjiciam? Quandonam enim de Deo cogitas? fatere id fieri aut rarò, aut numquam. Quandò te de Deo Sermones miſcere inter colloquia experiar? heu iterum, quàm rarò! *&c.* denique ubinam opera interni affectus præſagia? ubinam mandatorum obſervatio? Sed quid præceptorum negligentiam memoro, qui eorumdem tranſgreſſionem ferè continuam debui exprobrare? Quod enim præceptum non perfringunt qui de Chriſtiano gloriantur nomine? Quod ergo recepti Spiritus exhibebunt teſtimonium? nonne potiùs hunc exulare teſtantur omnia quæ penſantur?

At ſperamus (inquiet aliquis) tanti Hoſpitis præſentia nos fuiſſe hodie potitos, qui ad Pœnitentiam, ad Euchariſtiam, aliaque opera quæ ſolent Spiritum S. pellicere acceſſimus; quid aliud à nobis deſideratur? Utinam vos conjectura non fallat; ſed monitum magni ponderis excipite, ejus author eſt D. Paulus Epheſ. 4. 30. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum:* Cavete ne quidquam vel contra, vel præter ejus placitum faciatis. *Nihil agunt fideles inconſulto Spiritu ſancto*, ajebat Auguſtinus, hanc ſententiam uſu ipſo probate, omnia veſtra Spiritui commendate, ac ex ejus voluntate pendere penitus ſatagite, *&c.* Gravius addit idem Apoſtolus monitum. *Spiritum* (inquit) *nolite extinguere*. 1. Theſſal. 5. 19. Quid ais Paule, an Spiritus Divinus & immortalis poteſt extingui, an morte affici? *&c.* non quidem effectivè, ſed affectivè, immo & aliqua ratione effectivè extin-

extinguitur Spiritus, ſi ab anima in qua vivebat expellatur: hæc eſt injuria quam patitur à peccato mortali, *&c.*

Parcite igitur, parcite Spiritui ſancto, ſi apud vos dignatus fuerit habitare; tantum Hoſpitem reveremini, colite, diligite. Abſtinete ab iis omnibus quæ huic vel minimum diſplicitura ſuſpicabimini; ac ſi fortè veſtra vel negligentia, vel malitia offenſus receſſerit; ſatagite ut bonis deſideriis & operibus eundem apud vos revocetis; revocatum complectimini, *&c.* Dona ſua Hoſpes in ſuos beneficus, vobis largietur, ac tandem vos deducet in terram rectam & bonam; hoc eſt, in Cœli delitias. Faxit Deus.

Examen 3. Partis.

Fruſtra Tertiæ Partis Examen texerem, cùm liqueat ex acervatis ſed ordinatis rationibus quibus ſtatuitur: Concluſionem ſolam brevi diſcutio; colligit illa intenti propoſitum, ex aſſignatis enim Divinæ Præſentiæ indiciis, ſcrutatur Spiritus ſancti receptionem; repetit ſummatim ejuſmodi ſigna, & invehitur in eos qui illis carere præſumuntur. Variis modis ac figuris poterat efformari hæc objurgatio in homines qui ſua culpa vel Spiritum minimè receperunt vel receptum expulere; acriùs ſcilicet ac vehementiùs argui merentur; leniorem & manſuetiorem hìc adhibui redargutionis formam, ut facilius inde pateret ad imitationem exemplum. Peroratione etiam uſus ſum mitiore, deprecatus nimirum Chriſtianos ne quid delinquant in Spiritum acceptum, vel ſi quid deliquerint, illud pœnitentia ſalubri compenſent. Aderat commoda objurgationis faciendæ occaſio in Spiritus ſancti contemptores, ſed hæc eſt alterius de eadem re Concionis moralitas; quæ ſuo tempore torquebitur in peccatores præfati ſceleris reos.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

ORNATUS

ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ,

SEU

DE ELOCUTIONE.

PROŒMIUM.

EA eſt Rerum digniorum natura, ut ſeipſis fulgentes Ornatum ament vel è ſuo ſinu fuſum, vel aliunde adſcitum, quo ad majeſtatis decus ſplendeant. Deo ſublimius, pulchriuſve nihil eſt: At quantis radiat fulgoribus in Cœlo coram Angelis? quanta luce conſpicuum ſeſe aliquando prodit hominibus? quanto denique cultu jubet decorari Templa, aliave loca quibus aut oracula fundit, aut excipit vota? Nihil profectò auguſtam ſupremi Numinis dignitatem decet magis quàm ornamenta. Hæc etiam amat Verbum Divinum ab Eloquentia ſacra proferendum; quodque apud Patrem in ſplendoribus Sanctorum naſcitur, illud apud Eccleſiam piis Religioſæ Artis Ornatibus illuſtrari & gaudet & deſiderat. Fateor quidem, cum D. Auguſtino, ſanctis Codicibus aliquando non ineſſe ornatum qui numeroſis clauſulis fit, ſive id acciderit ex Interpretum incuria, ſenſus rerum magis quàm verborum lepores attendente; ſeu ex eorumdem induſtria, Myſteriorum dignitatem dictionum neglectu celante; ſeu denique ex inſufficientia, quæ veritatis tantùm ſollicita, nativam patrii Idiomatis venuſtatem in alieno ſervare non potuit. Sed cum eodem Doctore dicam, omnem Eloquentiæ Majeſtatem, quæ ex ſenſibus & ſententiis exſurgit, in Scripturis Sacris abundare. Diſcutiat ſancta Volumina quiſquis de re dubitaverit, perpendat Elegantiam, gravitatem ſcrutetur, & comperiet nullum eſſe exquiſitiſſimæ Elocutionis genus quod apud divinos Authores non omnino eluceſcat. Oratorem Iſaia Propheta cultiorem neminem cenſet D. Hieronymus; acriorem & grandiorem figuris neminem Jeremia, arbitratur Granatenſis; his aliiſque tum ſacris, tum prophanis Oratoribus in omni Eloquentiæ genere præſtantiorem Paulo noſtro neminem credit & probat Chryſoſtomus. Sed de his cùm dixerimus aliàs ſatis; ad præcepta quibus laudata Concionis Ornamenta doceantur, gradum faciamus.

L. 4. de Doctrina Christiana, cap. 20.

CA-

CAPUT I.

Quid ſit Elocutio & quæ ejus Proprietates.

Elocutionis Definitio.

ELOCUTIO *eſt Eloquentiæ pars, quæ idonea verba & ſententias ad Inventionem atque Diſpoſitionem accommodat*; ſeu (quod idem eſt) quæ docet qua ratione omnia quæ mente conceperimus, proferamus ornatè & appoſitè, tum ad rerum exigentiam, tum ad Auditorum perſuaſionem. Hoc eſt præſtantiſſimum Oratoris munus: cæteræ quidem partes ad quemlibet alium ſpectare poſſunt, non ſecus ac ad Oratorem, nam & Dialecticus vacat Inventioni Argumentorum, & ingenium quodlibet judicio ac ſolertia præditum Diſpoſitionis ordinem in oratione aſſequi poteſt: At Elocutio ſolius eſt Oratoris; hac ſcilicet alter alteri præſtat, hancque non niſi multo exercitio & induſtria conſequetur: Illam igitur in Eccleſiaſta deſideramus; non ſanè quæ puerilis ſit & ludicra, verboſa & fucata, numeris pedibuſque numeroſiùs accinentibus illigata; Apage enim tales nugas: ſed Chriſtiani Oratoris Elocutio ſit rebus & ſententiis, verborum ac figurarum decore ſolerter ornatis, fœcunda, digeſta & animata: hoc eſt enim Eloqui.

Quatuor Dotes Elocutionis, Puritas, Perſpicuitas, Ornatus, Accommodatio.

Elocutionis quatuor Dotes ſeu proprietates enumerantur, *Puritas, Perſpicuitas, Ornatus, & Accommodatio, ſeu Apta Dictio*. Aliis, tres tantùm ſufficere videntur, videlicet, *Elegantia, Compoſitio, & Dignitas verborum*. Compoſitio eſt ſtructura partium orationis, ſeu connexio verborum inter ſe, ne quid præpoſterum, indiſtinctum & inſuave obrepat; Dignitas orationis conſurgit ex figuris tum verborum, tum ſententiarum, quæ gratiis, & leporibus orationem qua decet inſpergens, ea majeſtate & venuſtate præſtantem efficiunt.

1. Puritas in Elocutione.

Puritas, Emendatio, Elegantia (tot enim nominibus idem exprimitur) in duobus conſiſtit, nempe *in ſimplicibus, & in conjunctis verbis*: in Simplicibus verbis requiritur, ut ſint communi Sapientiorum uſu probata & recepta: In Conjunctis verò deſideratur, ut ſint conſequentia & juxta probatiſſimas Grammaticorum Regulas & legitimos uſus ad invicem cohærentia.

Hic advertendum eſt in quolibet Idiomate quædam eſſe Verba, Phraſes, Conſtructiones & Elegantias quibus uti ſolent qui in ea lingua præſtant; his uti debet Eccleſiaſtes qui rectè & emendatè loqui deſiderat. Caveat tamen quàm maximè, ne affectatione nimia ſectetur quædam vocabula, quæ quidem in ſe pura ſunt & delicatioribus ſimilia, ſed fortè ab

Digitized by Google

te ab Evangelii ſimplicitate & modeſtia abſona: Sat erit ſi dictio Sapientioribus ejuſdem miniſterii probetur.

Perſpicuitas efficit Orationem adeo claram & dilucidam, ut & ipſi rudiores ac mulieres de plebe (quantum fieri poteſt) intelligant quæ dicuntur. Eſt autem duplex, Verborum alia, alia Rerum. **2. Perſpicuitas Orationis.**

Perſpicuitas verborum multis capitibus obtinetur. 1. Proprietate dictionum, quæ ita ad rem explicandam natæ ſint, ut nihil ſignificantiùs dici queat: ſi tamen res aliqua obſcœna, vel infra dicentis dignitatem exprimenda ſit, præſtat uti aliqua ſimilitudine vel circumlocutione brevi, quæ rem ſufficienter ſed decenter indicet, quàm propriis ſed invenuſtis enuntiare. 2. Ordo rectus verborum ad Perſpicuitatem multum confert, nempe ſi à ſe invicem plus nimio non diſtent verba quæ unum ſenſum conficiunt. 3. Fugienda ſunt verba obſoleta, ab uſu remota, æquivoca, ambigua & hyperbata: cavendæ ſunt voces quædam certis Regionibus aut Artibus maximè familiares, iis enim uti ſæpè, durum & indecorum videtur; ſed horum loco adhibenda ſunt generica nomina quæ ſatis ſint ad rei notionem. 4. Vitandæ ſunt Interjectiones & Parentheſes, præſertim longiores; abſtinendum à verbis inutilibus & ſuperfluis; vice verſa, cavendum eſt, ne ſubſtractis verbis neceſſariis fiat oratio obſcurior. **Perſpicuitas quomodo fiat?**

Perſpicuitas rerum ad Orationem maximè deſideratur: ideo enim loquimur ut nos intelligant Auditores, & quò ſermo fuerit planior, eò melior. Hinc à vero Eccleſiaſtis fine multum recedunt qui abditas atque difficiles quæſtiones ex ipſis Philoſophiæ & Theologiæ penetralibus deſumptas rudi & indoctæ Multitudini proponunt, quo ingenium ſuum oſtentent & eruditi à populo habeantur. Audiant Apoſtolum de ſeipſo loquutum, ſic eos redarguentem 2. Cor. 4. 5. *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per Chriſtum*, &c. Magiſtro accinit Auguſtinus l.4. de Doct. Chriſtiana c.19. *Evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid benè ſonet, ſed quid benè indicet atque intimet quod oſtendere intendit*. Ibid. c.20. *Quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; cùm loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur, non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? qui ergo docet vitabit omnia verba quæ non docent*, &c. Item: *Malo ut me reprehendant Grammatici quàm non intelligant populi, eligens magis in Barbariſmis (damnantibus Grammaticis) intelligi, quàm in mea diſertitudine Auditores deſerere*. **Orator ita loqui debet ut ab omnibus intelligatur.**

Ornatus eſt decus & venuſtas quædam Orationi ex verborum lepore ſuperaddita, qua efficitur grata, & ſuaviter influens. Duplex autem eſt Ornatus verborum; Alius eſt *Simplicium*, alter eſt *Conjunctorum*. **3. Ornatus in Elocutione.**

Simplicia verba quæ unica dictione continentur, ſunt duplicis generis: Alia enim dicuntur *Nativa*, quæ ab initio ſunt inſtituta videnturque cum reipſa nata; Alia vocantur *Reperta*, quæ rei explicandæ inventa ſunt temporis progreſſu. Utraque iterum variè ſubdividuntur.

Aa Nati-

Nativa verba Simplicia ſunt triplicis generis; Alia ſunt aliis *Conſonantiora* & graviorem in pronuntiando ſonum edunt; ſeu propter compoſitionem certarum vocalium & conſonantium, qualia ſunt quæ conſtant ex litteris a, & o, ut v. g. *reſonabant*, *concertare*, *officioſus* & ſimilia: qualia ſunt etiam, quæ contexuntur ex litteris duplicibus, ut v. g. *Perfricata fronte*, &c. ſeu etiam propter quantitatem fiant majora, ut v. g. *contrucidare*, *contremiſcere*, &c. Alia verò verba, ſunt *aliis leviora*; qualia ſunt quæ proximè dictis opponuntur, ut v. g. vox iſta *necare* lenior & levior eſt, quàm *contrucidare*; *metuere*, quàm *contremiſcere*, &c. Alia denique verba ſimplicia, ſunt aliis *nitidiora*; qualia ſunt quibus utuntur probi & exquiſiti Authores; è contra, *Sordidiora* ſunt, quæ ab aggreſtibus uſurpantur.

Reperta vocabula ſunt triplicis generis; alia ſunt *Antiquata*, alia ſunt *Innovata*; alia *Tranſlata*. *Antiquata* vocabula ſunt, quæ uſu & conſuetudine obſoleta à nemine diſerto uſurpantur. *Innovata* verba fiunt pluribus modis, vel *Similitudine ut ſyllatant* apud Tull. l. 9. ad Attic. Epiſt. 12. Vel *Imitatione ſoni*, *ut boare*, *tinnire*, &c. Vel *Inflexione*, *ut Vinoſus à vino*, *Biboſus à bibendo*, &c. Vel denique *adjectione*, ut *verſutiloquus*. In quibus verbis innovatis occurrit notandum, quòd illis rarò utendum ſit; loquendum eſt enim ut multi, noſtræ verò Inventioni cautiùs eſt indulgendum; At ubi ſe offert occaſio his utendi, id fiat cum aliqua brevi parentheſi, addendo v. g. (*ut ita dicam*) vel *ſi ita loqui fas eſt*. Tranſlata verba ſunt quæ à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutantur, dicunturque Tropi; ut v. g. quando Chriſtus dicitur *Vitis*, *Leo*, &c. Cur & qua ratione Tranſlata inventa ſint, mox dicetur; deinde de Ornatu verborum Compoſitorum, ac tandem de tertia Elocutionis parte, nimirum de Aptè dicendo.

CAPUT II.

De Ornatu Verborum Singulorum, ſeu de Tropis.

Tropus quid ſit, & quotuplex?

TROPUS (ut mox dixi) *eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio*. Sunt autem Tropi numero undecim, quorum ſeptem ſunt in verbo, ſcilicet *Metaphora*, *Synecdoche*, *Metonymia*, *Antonomaſia*, *Onomatopœja*, *Catachreſis*, *Metalepſis*, quatuor verò in oratione perficiuntur, ſuntque *Allegoria*, *Periphraſis*, *Hyperbaton*, & *Hyperbole*. De quibus breviter, quantùm ad Eccleſiaſtem intereſt dicemus.

1. Metaphora.

1. *Metaphora aut Tranſlatio*, *eſt quando Nomen aut Verbum propter ſimilitudinem transfertur ex eo loco in quo proprium eſt*, *in eum in quo proprium deeſt*,

deeſt, aut cùm Translatum melius eſt. Res patebit exemplis quæ apud D. Paulum, alioſque Scriptores ſacros frequentiſſima ſunt. Ut 1. Cor. 3. 9. *Dei Agricultura eſtis, Dei Ædificatio eſtis*, &c. Quæ dicuntur per Metaphoram deſumptam ab Agricolis & Architectis & ad Deum traductam. Ita ferè ubique per Scripturam ſparſim, Pſ. 97. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini*. Ubi plauſus & exultatio, quæ hominibus propriè conveniunt, Fluminibus & Montibus per Metaphoram adaptantur.

Triplici autem de cauſa Metaphoræ inventæ ſunt, 1. ob *neceſſitatem* & inopiam verborum, ut cum v. g. infima pars Navis, quæ propria denominatione caret, appellatur Pes. 2. ob *delectationem*, quia cùm homines delectentur ſimilitudinibus, quæ res ſenſibus exhibent & fuſius explicant, ideo capiuntur Metaphoris, quæ ſimilitudinem & repræſentationem rei ad unum verbum contrahunt, ut v.g. cùm Deus dicitur Leo, &c. breviùs & planiùs exprimitur ejus furor, quàm ſi diceretur ſolummodò Iratus. Iſai. 5. 29. *Rugitus ejus ut Leonis*. Cur Metaphoræ uſus reperti?

3. Altera ratio Metaphorarum uſum adſcivit, videlicet *Orationis Ornatus & Elegantia*; etenim quæ aliquando frigidiuſculè enuntiarentur verbo proprio, hæc ſplendidè omnino efferuntur Tranſlato; ut v. g. Coloſſ. 3. 12. *Induite vos ergo ſicut electi Dei*, &c. *viſcera miſericordiæ*, &c. his ultimis verbis Charitatis magnitudo ſignificatur magis quàm ſi dixiſſet tantùm exercete miſericordiam. Item altum ſonat iſtud Deuteron. 32. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine*, &c.

Metaphora fit quatuor modis, 1. cùm ab Animali ad Animal fit Tranſlatio, ut v. g. ſi dixeris hominem mugire vel latrare; ut illud Pſ. 2. *Quare fremuerunt gentes*. 2. cùm Inanima pro inanimis ſumuntur, ut ſi dicas nihil eſſe ſuavius Concentu virtutum, *Exſiccatus eſt vertex Carmeli*. *Amos* c. 2. 3. cùm pro Animalibus res inanima uſurpatur, ut cùm D. Judas Epiſt. n. 12. vocat peccatores, *nubes ſine aqua & arbores autumnales*, & illud Ezech. 36. 26. *Auferam à vobis cor lapideum*. 4. cùm Animata pro Inanimis dicuntur, & rebus ſenſu carentibus ſenſus attribuitur; ut Pſalm. 113. 4. *Montes exultaverunt ſicut arietes*. & Luc. 19. 40. *ſi hi tacuerint, lapides clamabunt*. Hæc autem Tranſlationis ratio maximam augendi virtutem habet, remque mirificè attollit, cùm inanimis ſenſuum affectus conceditur; ut v. g. cum Paſſionis inſtrumenta introducuntur conquerentia de peccatoribus, qui Paſſionis meritum prodegerint. Quot modis fiat Tranſlatio.

Hæc notantur fugienda in Tranſlationum uſu. Non ſint frequentiores Metaphoræ, non ſint redundantes, nec majores nec minores quàm par ſit; non ſint longiùs petitæ aut diſſimiliores, duriores, humiles & ſordidæ. Si verò durior aliqua occurrerit, emollienda eſt dicendo (*ut ita dicam*) debet enim Tranſlatio ſubire orationem non vi, ſed liberè.

2. Synechdoche *eſt Tropus quo totum pro parte, aut pars pro toto, aut antecedentia pro conſequentibus ponuntur*; ut 1. Cor. 1. 29. *Ut non glorietur* Sinechdoche.

Aa 2 *omnis*

omnis caro. Ibi Caro pro toto homine ſumitur. Item Geneſ. 14. 21. *Da mihi Animas, cætera tolle tibi*. Animæ ibi pro hominibus integris nominantur. Geneſ. 3. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: Hoc eſt in labore qui ſudorem antecedit, ipſumque cauſat..

Metonymia. 3. Metonymia *eſt Tropus quo ſumitur Continens pro contento, vel contra; vel inventor pro re inventa; Poſſeſſor pro re poſſeſſa, vel contra; aut cauſa efficiens pro effectu, vel contra*. Quorum hæc ſunt exempla: ut Matth. 20. 22. *Poteſtis bibere Calicem quem ego bibiturus ſum?* &c. Id-eſt, Poteſtis pati ſicut ego ſum paſſurus? ibi continens pro contento ſumitur.

Antonomaſia. 4. Antonomaſia *eſt Tropus quo nomen commune pro proprio, vel proprium pro communi, & adjectivum pro ſubſtantivo uſurpatur*. Ut cùm S. Paulus dicitur Apoſtolus, aut Doctor gentium, ſine addito: ſic ipſe vocat Tentationem Diabolum Epheſ. 4. 27. *Nolite dare locum Diabolo*, id eſt Tentationi.

Uſus Antonomaſiæ eſt quadruplex; 1. *ad neceſſitatem*, ut cùm nomen proprium deeſt, tunc aliud ejus loco adaptatur. 2. *ad ornatum*, ſplendidiùs enim *ſæpe* ſonat nomen Antonomaſticum, quàm proprium; ut v. g. cùm Caput vocatur Arx corporis humani. 3. *ad diſſimulationem*, cùm de induſtria obſcurare volumus orationem, tunc non appellamus hominem nomine proprio & noto, ſed adſcititio. 4. *ad indignationem*, cùm ſcilicet non dignamur aliquem nuncupare proprio nomine, quaſi nos puderet; ideo alienum uſurpamus.

Epithetum. Epithetum non eſt propriè Tropus, quia nullum nomen vertit, ſed Tropum imitatur, quia aliquid proprio nomini addit, ſive in laudem, ſive in dedecus. In his cavenda eſt nimia frequentia & diſparitas; debet enim Epithetum congruere & accommodari omnino rei cui adjicitur. Sic Judas Apoſtolus in ſua Epiſtola congerit varia Epitheta in Pſeudo-Apoſtolos. n. 11.

Onomatopœja. 5. Onomatopœja *eſt nominis fictio vel per Imitationem morum, aut Doctrinæ*, ut cùm Paulus Petrum reprehendit his verbis; *Quomodo cogis Gentes judaizare?* Galat. 2. 14. vel per aliquam analogiam, ut cùm dicitur Oratio ſylveſcens.

Catachreſis. 6. Catachreſis ſeu vocis abuſio, eſt Metaphora impropria, *qua vocabulis aliquibus perinde ac propriis utimur, neceſſitatis cauſa*. Hujus exempla frequentiſſima ſunt in Scripturis, ut cùm dicitur Epheſ. 6. 17. *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus*. Jerem. 12. 12. *Gladius Domini devorabit*, &c.

Metalepſis. 7. Metalepſis eſt Tropus Dictionis qui latinè dicitur *Tranſſumptio, ex uno in aliud viam præſtans*, cùm gradatim itur ad id quod ſignificatur, ut ab effectu ad cauſam. v. g. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, Pſ. 127. ideſt fructus laborum tuorum.

Tropi

Tropi Orationis ſunt, quibus integra Orationis ſignificatio in aliam commutatur, quorum ſpecies hæ ſequuntur.

1. Allegoria ſeu Permutatio, eſt plurimorum verborum continua quædam Metaphora, *quoties aliud verbis dicitur, aliud ſenſu intelligitur* ut Galat. 4. 24. per filium Saræ & filium Agar duo Teſtamenta ſignificantur. Item Joan. 4. 35. dicitur, *Videte Regiones quia albæ ſunt jam ad meſſem;* Ideſt Gentiles ſunt apti ad credendum. Item Pſ. 79. 9. *Vineam tranſtuliſti ex Ægypto, ejeciſti gentes & plantaſti eam;* ideſt Iſrael. Cavendum eſt autem, ne Allegoria ſit diuturnior aut frequentior, fieret enim Ænigma, quod eſt obſcura ſententia per obſcuram rerum ſimilitudinem expreſſa, quale eſt Samſonis Ænigma, his verbis, *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*. Allegoria.

2. Paroimia *eſt dictum celebre accommodatum rebus temporalibus*, ut Actor. 9. 5. dicitur Paulo; *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Item 2. Petr. 2. 22. *Canis reverſus ad ſuum vomitum*. Paroimia.

3. Ironia ſeu Illuſio, Tropus *eſt qui non ſolùm aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ſed contrarium*; illa autem intelligitur aut rerum natura, aut perſona, aut pronuntiatione. V. g. Geneſ. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis, factus eſt ſciens bonum & malum*, &c. Item 3. Reg. 18. 27. Helias ironicè dicebat ad Prophetas Baal: *Clamate voce majore: Deus enim eſt & forſitan loquitur aut in diverſorio eſt*, &c. Quando verò Ironia ſolis verbis fit, non autem pronuntiatione, tum vocatur Antiphraſis, v. g. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Ironia.

4. Hyperbole *eſt Oratio ſuperans fidem*, qua utimur ſeu ad augendum ſeu ad minuendum. V. g. Pſ. 106. 26. *Aſcendunt uſque ad Cælos & deſcendunt uſque ad Abyſſos*. Hyperbole.

His undecim Tropis tres alii adduntur, videlicet *Amplificatio, Diminutio & Periphraſis*. Amplificatio verbi eſt, cùm magnifaciendæ rei gratia verbum gravius pro proprio uſurpamus. V. g. 1. Petr. 2. 9. Chriſtiani dicuntur *Genus electum, Regale Sacerdotium*, &c. Contra vero ſi proprio verbo levius ſupponimus, fiet diminutio; v. g. attingere pro vulnerare. Periphraſis autem eſt, cùm pluribus verbis dicimus, quod uno vel paucioribus dici poteſt: fitque per notationem Nominis, per Definitionem aut Deſcriptionem.

CA-

CAPUT III.

De Ornatu verborum conjunctorum, ſeu de Figuris in genere.

POSTQUAM de Ornatu verborum ſingulorum, qui ut plurimum fit per Tropos & Translationem ſignificationis propriæ ad impropriam, dictum eſt; nunc de Ornatu verborum conjunctorum, qui præcipuè conſtat *Figuris*, ſeu variis dicendi formis ad rerum dignitatem accommodatis, quas Græci Schemata vocant, diſſeramus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Figurarum natura, numero & uſu.

Quid ſit Figura. FIGURA definitur *Conformatio quædam Orationis remota à communi, & primùm ſe offerente ratione*, ſeu qua recta & vulgaris loquendi forma in aliam politiorem ac elegantiorem mutatur. Etenim ut eidem corpori plura & diverſa poſſunt aptari veſtimenta, quorum alia ad venuſtatem, ad gravitatem alia, alia ad luctum lætitiamve accommodantur; ita eadem Sententia poteſt diverſis explicari verborum formis ſeu figuris, quarum aliæ venuſtatem, gravitatem aliæ, aliæ vim & acrimoniam oſtendant & exhibeant. Induſtrii autem eſt Oratoris, eam ſeligere figuram, quæ Sententiæ pronuntiandæ vel propoſito ſuo conveniat. Res patebit hoc exemplo. Apoſtolus 1. Cor. 15. ait, *Quis infirmatur & ego non infirmor? qui ſcandalizatur & ego non uror?* hæc eſt Interrogationis figura. At quantò elegantiùs hoc ſub illa forma protulit, quàm ſi forma ſimplici dixiſſet, *ſi quis infirmatur ego infirmor; ſi quis ſcandalizatur, ego uror*. Iſta inquam eſt vulgaris & ſimplex ſermonis forma; quæ figura & ſchemate per D. Paulum exprimitur.

Quotuplex, ſit Figura. Figuræ ſunt duplicis generis, *aliæ Verborum*, *aliæ Sententiarum*. Verborum Figuræ ſunt, quæ venuſta & concinna eorundem verborum collocatione conſtant, qua ſublata mutatur vel tollitur Figura; quale eſt illud Apoſtoli: *Hebræi ſunt? & ego. Iſraelitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego*, &c. Ubi voces illæ (& ego) multoties repetitæ, figuram verborum efficiunt, quæ Converſio dicitur.

Verborum & Sententiarum Figuræ. Sententiarum figuræ ſunt, quæ non in verbis, ſed in rebus ipſis ſunt poſitæ; ut cùm vel exclamamus, vel interrogamus, vel obſecramus, &c.

Digitized by Google

&c. de quibus poſtea. Ubi occurrit notandum, quòd inter Conformationem verborum & ſententiarum hoc intereſt, quòd verborum Conformatio ſeu figura tollitur, ſi verba mutaris; ſententiarum verò figura permanet quibuſcumque verbis utaris, v. g. in exemplo mox allato; repetitio vocis *ego* conſtituit verborum figuram; interrogatio verò, ſententiæ Schema; ſi tollatur ejuſmodi repetitio non erit amplius figura verborum, manebit autem figura ſententiæ, quia ſervabitur interrogationis forma, ut puta, ſi dicatur, Nunquid ego ſum Hebræus, Iſraelita & ſemen Abrahæ ſicut illi?

Magnum orationi lumen ac decus confert Figurarum uſus, ſed debet eſſe maximo judicio adhibitus; ideoque hæc videntur obſervanda. 1. ut verbis & ſenſibus Figura omnino quadret, atque Figuræ partes etiam inter ſe penitus concordent, ideſt, ea Conformatione res quæque veſtienda eſt, quæ conveniat naturæ rei, ejuſque circunſtantiis, nec non & Orationis partibus; qui enim interrogaret aut exclamaret, quando neutra aliave ſimili figura opus eſt, contra elocutionis rationem peccaret; quemadmodum ille qui exordiretur à Figura quæ Exordio non conveniret; item, qui Figuram aggrederetur quam ipſe non poſſet ob defectum indolis adimplere, vel quæ loco tempori-ve non congrueret. 2. eadem Figura ſæpius uti, elegantiæ contrarium eſt; inde enim fit metus ne ob ſimilitudinem & æqualitatem oriatur faſtidium. Variandæ ergo ſunt Figuræ & ſolerti judicio miſcendæ. 3. Longior mora in eodem Schemate vitioſa eſt, tædium enim parit ejuſmodi Figuræ nimia ſimilitudo, tollit omnem delectationem quæ à varietate manaſſet, & ipſe Eccleſiaſtes eodem vocis tono, ac pari corporis motu defatigatur. 4. Ubi ergo Concionator ſupellectilem oratoriam ſufficientem congregaverit ac in debitum ordinem per partes ſeu puncta digeſſerit; tunc totam orationis ſeriem mente attenta revolvat, perpendatque, qualis Figura verbis ac ſententiis ſit accommodanda. 5. Adde, quòd Figuræ aliæ aliis famulantur, vel tamquam harum præviæ diſpoſitiones, unde his præmitti debent; vel tamquam complementum & perfectio, unde eiſdem poſtponi deſiderant.

Obſervationes in uſu Figurarum.

ARTICULUS II.

De Figuris Verborum.

FIGURÆ *Verborum ſunt* (ut dixi) *eorundem verborum Exornationes, quæ ipſius ſermonis inſigni continentur perpolitione, ſeu concinna dictionum inter ſe proportione.* Fiunt autem tribus modis; ideoque ſunt triplicis generis; Aliæ enim fiunt per *Adjectionem* verborum, ut, Occide occide; Aliæ per *Detractionem*, ut, Abiit, exceſſit, erupit, evaſit; ubi

Con-

Conjunctio & prætermittitur: poterat enim dici, Abiit & exceſſit & erupit, &c. Aliæ per *Similitudinem*, ut illud Cypriani de habit. virg. *Capilli tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit*, ubi quædam inducitur ſimilitudo inter voces illas *fecit* & *infecit*.

SECTIO PRIMA.

De Figuris Verborum quæ fiunt per Additionem.

OCTO ſunt Figuræ Verborum præcipuæ quæ per Adjectionem fiunt, ſcilicet, *Repetitio*, *Converſio*, *Complexio*, *Conduplicatio*, *Traductio*, *Synonymia*, *Polyſintheton* & *Gradatio*. Hæ paucis explicantur.

Anaphora ſeu Repetitio.

1. Repetitio, quæ Græcis *Anaphora* dicitur, eſt cùm eadem vox repetitur initio vel membrorum, vel periodorum. Sic Hierem. 50. *Gladius* ad Chaldæos. *Gladius* ad Divinos ejus qui ſtulti erunt. *Gladius* ad fortes illius qui timebunt. *Gladius* ad equos ejus. *Gladius* ad Theſauros ejus qui diripientur. Et illud Pſ. 44. *Virga directionis*, *Virga regni tui*. Sic
» D. Bernardus 4. de Conſid. c. 6. characteres Miniſtrorum Dei deſcribit his
» verbis; Vacuum prorſus à ſollicitudine rerum minorum & vilium opor-
» tet eſſe animum, tam magnis & tam multis intentum rebus: *oportet* li-
» berum eſſe, quem nulla ſibi vendicet violenta occupatio: *oportet* inge-
» nuum, quem nulla deorſum trahat indigna affectio: *oportet* rectum,
» quem nulla ſeorſum avertat ſiniſtra intentio: *oportet* cautum, quem nulla
» ſubeat furtiva ſuſpicio: *oportet* vigilem, &c.

Fit autem tribus modis ſeu potius locis, nimirum, cùm eadem vox repetitur initio vel inciſorum ſingulorum, vel membrorum, vel periodorum. Valet verò hæc figura ad vehementiam ſi Repetitio fiat cum interrogatione, ſeu inſectemur, ſeu laudemus alterum, quale eſt iſtud; Cùm nudus ſiſteris ante Tribunal ſupremi Judicis, *ubi* tunc divitiæ tuæ? *ubi* delitiæ? *ubi* ſuperbum famulitium? *ubi* ſtipatores armati? &c. Valet etiam ad delectandum & amplificandum.

Converſio.

2. Converſio eſt cùm in fine, vel inciſorum, vel membrorum, vel periodorum fit unius vocis iterata ſæpius repetitio. Sic D. Paulus 1. Cor.
» 13. Cùm eſſem parvulus, loquebar ut *parvulus*; Sapiebam ut *parvulus*;
» cogitabam ut *parvulus*, &c. Item 2. Cor. 11. 22. Hebræi ſunt? & *ego*.
» Iſraelitæ ſunt? & *ego*. Semen Abrahæ ſunt? & *ego*, &c. Ubi vides Converſionis figuram in repetitione vocis *Parvulus*; vel alterius, *Ego*, conſiſtere.

Complexio.

3. Complexio Repetitionem & Converſionem unà complectitur, in qua ſcilicet vox eadem, initio & in fine repetitur. Ut; *Quid* eras priuſquam te conderet Deus? *Nihil*. *Quid* eras priuſquam te redimeret Chriſtus? *Nihil*. *Quid* nunc futurus eſſes, ſi tibi ſubduceret gratiam ſuam? *Nihil*. *Quid* habes aut potes ex teipſo? *Nihil*.

Va-

Valet potiſſimùm ad Orationis vehementiam; Videlicet ad objurgandum, exhortandum & exprobrandum; ſed cavendum eſt ne longius protrahatur aut frequentius uſurpetur. Elegantiſſimum habet Complexionis exemplum D. Ambroſius, probans eum eſſe Martyrem, qui Chriſtum operibus confiteatur, his verbis; *Tentatus es* Spiritu fornicationis, » ſed veritus futurum Chriſti Judicium, temerandam mentis & corporis » caſtimoniam non putaſti? *Martyr es Chriſti. Tentatus es* ſpiritu Avaritiæ, » ut poſſeſſionem minoris invaderes, indefenſæ viduæ jura temerares; & » tamen contemplatione cœleſtium præceptorum, opem magis ferendam, » quàm inferendam injuriam judicaſti? *Teſtis es Chriſti. Tentatus es* ſpiritu » Superbiæ, ſed videns inopem atque egenum, pia mente compaſſus es, » humilitatem magis quàm arrogantiam dilexiſti? *Teſtis es Chriſti*: & quod » eſt amplius, non ſermonis tantummodo, ſed operis etiam teſtimonium » præbuiſti. »

4. Conduplicatio, Græcè Anadiploſis, eſt ejuſdem verbi geminatio, *ut Iſa.* 40. *Conſolamini, conſolamini popule meus.* Et ibid. 43. *Ego ſum, ego ſum*, qui deleo iniquitates tuas. Pluribus autem modis verba geminantur, ut patet ex ſubjectis exemplis à Cicerone imitatis. 1. Aut adjungitur verbum idem geminatum, ut *vivis, vivis*, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. 2. Aut idem ad extremum refertur, ut *Occidiſti* Chriſtum; quid dicam amplius? Chriſtum Deum tuum, Salvatorem tuum, *occidiſti*. 3. Aut poſt aliquod intervallum geminatur Verbum, quod ita redditur ut ultimum primo & ultimo medium congruat; ut, *Veſtrum* hìc jam factum reprehenditur, Auditores, non *meum*: ac pulcherrimum quidem factum, verùm dixi non *meum*, ſed *veſtrum*. Geminantur autem non ſolùm verba, ſed etiam ſententiæ, ut, Ad Eccleſiæ etiam auguſtiſſimum Altare accedere audes *proditor Religionis? Proditor*, inquam, *Religionis* accedere audes ad Eccleſiæ auguſtiſſimum Altare? Anadiploſis ſeu Conduplicatio.

5. Traductio eſt ejuſdem verbi crebriùs in oratione poſiti Repetitio Caſuum varietate diſtincta; ut, Qui nihil habet in *vita* jucundiùs *vita*, is cum virtute *vitam* non poteſt colere. Hìc oratores per Caſus non intelligunt ſolummodo ſcrupuloſam caſuum varietatem, quam Grammatici declinationem appellant, ſed etiam ſimilem ferè verborum terminationem, quæ Græcè dicitur Polyptoton, ut, Peccatori quod intendit, ultro & gratis *cedamus*, ipſius rationes *audiamus*, & ſi fieri poteſt ipſi *credamus*. Ad Traductionis figuram reducitur illud D. Pauli ad Rom. 11. 36. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Traductio.

6. Synonymia, Figura eſt quæ plura verba idem ſignificantia geminat. Ut, Te ſceleſtiſſime hominum, Deus *non feret, non patietur, non ſinet*. Item decantatum illud, *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit*. Nec verba modò, ſed ſenſus quoque idem facientes acervantur. Synonymia.

Uſus autem hujus Figuræ adhibetur, quoties non ſatis videmur rei dignitatem unico verbo demonſtraſſe, propterea idem aſſerimus aliis verbis

ejuſdem ſignificationis, repetitis: ſed cavendum eſt ne multitudine Synonymorum gravetur Oratio potiùs quàm illuſtretur.

Polyſynthetum. 7. Polyſynthetum eſt ſchema quod conjunctionibus, plus quàm communiter ſolet, abundat. Adhibetur autem ut magis inſtemus, & Emphaſim ſeu altiorem intellectum quàm ipſa verba ſonant, efficit. V. g. *Et* Deum, *&* homines, *&* ſacra quæcumque contemnit Avarus. Item, ad Peccatorem dici poteſt: *Tu*, lucem aſpicere audes? *Tu*, hanc calcare terram? *Tu* in Civitate, *Tu* in Templo, *Tu* in Adytis ſanctioribus ſtare?

Gradatio. 8. Gradatio, Græcis Climax, eſt figura qua Oratio per quoſdam veluti gradus aſcendit ad ſummum, vel ad infimum deſcendit. Vel, ut ait Eraſmus lib. 3. Eccleſ. Gradatio fit, quoties ita per gradus oratio diſtinguitur, ut dictio finiens particulam præcedentem, inchoet ſequentem. Ut Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit*. Item 1. Cor. 11. 3. *Caput mulieris vir, viri caput Chriſtus, Chriſti caput Deus*. Item Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. D. Cyprian. ſer. de Liv. [Zelare, inquit, quod bonum videas & invidere melioribus, leve apud quoſdam crimen videtur: dumque exiſtimatur leve, non timetur: dum non timetur, contemnitur: dum contemnitur, non facilè vitatur.] B. Campianus martyr orat. de S.Venceslao, ſic ait: [Præclarum eſt amare in Chriſto pauperes, præclarius cum Chriſto eſſe pauperem: Liberale eſt tribuere facultates, liberalius ſeipſum: generoſum eſt colligere mendiculos, generoſius velle vivere mendicatò, *&c.*]

Venuſtatis habet plurimum hæc Figura, valetque ad exprimendum dolorem vel concitandam invidiam. Eſt illa pulcherrima Gradationis ſpecies, cùm noſmet interrogamus, utrum ſatis res excreverit, aut oſtendimus necdum ſatis aſcendiſſe, ut ſi dixeris; Quid de illorum iniquitate dicam, qui Deum ſuis ſceleribus continuò impetunt? eſſe illos feris immaniores, quæ beneficiorum ſenſu non carent? parum eſt. Profitear communi ſpiritu quem trahunt, immo vita, quam Dei beneficio ducunt, indignos? necdum ſatis. Atrociſſima quæque ipſis imprecer? ſed quid, ſi jam ipſi ſua capita diris omnibus devoverunt? *&c.* Debet autem Gradatio ita creſcere ut à minoribus ad majora ſenſim fiat incrementum; & è contra, ſi decreſcat.

SECTIO II.

De figuris quæ fiunt per Detractionem.

Synecdoche. QUATUOR verborum ſunt Figuræ quæ per Detractionem efficiuntuor, ſcilicet, *Synecdoche*, *Diſſolutio*, *Adjunctio*, *Disjunctio*.

1. Synecdoche, Latinis intellectio, non eſt Tropus nominis de quo antea, ſed eſt Verborum figura, qua Orationi ſubſtrahitur aliquod Verbum quod

quod ſatis ex cæteris intelligitur. Ut ſi dixeris, tum illi muſſitare inter ſe, impiè conjurare, arma tandem ſumere; Ideſt, *cœperunt*.

2. Diſſolutio, Græcis Aſynthetum & Dialytum, fit cùm demptis conjunctionibus, verba in Oratione dicuntur diſſolutè & indiſtinctè. D. Paulus Ep. ad Rom. 1. 29. *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia*. Hac uſus D. Cyprianus contra Demetr. ſic loquitur; [Qui alios judicas, aliquando eſto tibi Judex. Conſcientiæ tuæ latebras intuere: aut enim ſuperbia inflatus es; aut Avaritia rapax; aut Iracundia ſævus; aut alea prodigus; aut vinolentia temulentus; aut livore invidus; aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus: & miraris, in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cùm creſcat quotidie quod puniatur?] ubi tacetur dictio *es*, quæ poterat ſingulis membris adjungi. D. Solutio.

3. Adjunctio, Græcis Protozeugma, figura eſt qua ad unum Verbum, quod primum aut poſtremum collocatur, plures ſententiæ referuntur: quarum unaquæque ſuum deſideraret, ſi ſola poneretur. Fit autem duplici modo, vel præpoſito verbo, ad quod reliqua reſpiciant, v. g. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, &c. ſubintelligitur per ſingula commata, *vicit*. Vel fit poſtpoſito verbo quo plura clauduntur, v. g. Neque enim is es, ò peccator, ut te aut pudor umquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit. Adjunctio.

4. Disjunctio, Græcè Alyton, ſuperioribus proximè traditis contraria eſt, eſtque figura, qua unicuique membro ſuum verbum apponitur, cùm tamen unum aliquod toti Orationi ſufficere potuiſſet. Sic D. Cyprian. contra Demet. [Quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere; Virtutem mentis infringe; fidem deſtrue; diſceptatione, ſi potes, vince.] Idem ſer. de mortalit. [Si Avaritia proſtrata eſt, exugit libido; ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio; ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat.] Disjunctio.

SECTIO III.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Similitudinem.

SEPTEM figuræ Verborum ſunt quæ per ſimilitudinem efficiuntur. Videlicet *Annominatio*, *ſimiliter cadens*, *ſimiliter deſinens*, *Compar*, *Contrapoſitum*, *Commutatio*, *Correctio*.

1. Annominatio, quam Græci Paranomaſiam vocant, eſt vocum diverſæ ſignificationis exquiſita ſimilitudo, cùm ſcilicet paululum immutata & deflexa verba in oratione collocantur. Quale eſt illud D. Cypriani de habitu Virg. Capilli tibi non ſunt quos Deus *fecit*, ſed quos Diabolus *infecit*. D. Bernardus, hac figura utitur frequentiſſimè: Benigna Charitas *affluit*, non *defluit*, &c. Fit autem pluribus modis hæc figura, qui quia non videntur maximi momenti ſacro Eccleſiaſtæ, hos videre eſt apud Rhetores. Annominatio.

Similiter cadens. 2. Similiter cadens, ſeu Homoioptoton, eſt Exornatio, cùm in eadem conſtructione verborum, duo aut plura ſunt verba, quæ ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur. Quale eſt illud D. Cypriani adverſus Demetr. [Certè & labor irritus, & nullus effectus, offerre lumen *cæco*, ſermonem *ſurdo*, ſapientiam *bruto*; cùm nec ſentire *brutus* poſſit, nec *cæcus* lumen admittere, nec *ſurdus* audire.]

3. Similiter deſinens, ſeu Homoioteleuton, eſt ſimilis duarum ſententiarum vel plurium finis, hoc eſt, cùm Orationis membra vel Articuli, ſimili exitu terminantur. Ut, Difficile eſt *ſapere* ſimul & *amare*. Infinita ſunt ejuſmodi exempla in Hymnis Eccleſiaſticis qui diſſimilibus verbis ſed ſimilibus clauſulis ſæpè terminantur.

Iſocolum. 4. Compar, Græcis Iſocolon, habet membra Orationis, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum. Quale eſt illud, *Extrema hieme apparuit: ineunte vere ſuſcepit; media æſtate confecit*. Hujus Figuræ exempla plurima irrepſere inter Ritus Eccleſiaſticos, quemadmodum ſimiliter cadentia & ſimiliter deſinentia.

Antitheſis. 5. Contrapoſitum, ſeu Antitheſis, vel, ut quidam vocant, Contentio, eſt figura, qua verba verbis, ſententiæ ſententiis opponuntur. Habet autem dignitatis & ſplendoris plurimum hæc Exornatio, quia contraria contrariis oppoſita, majorem vim & elegantiam obtinent. Hac figura uſus eſt Apoſtolus 1. Cor. 4. cùm ait, *Maledicimur & benedicimus; perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus*, &c.

Valet ad Acrimoniam, ut cùm D. Cyprianus Epiſt. ad Cornelium contra Novatianos ait: [An ad hoc, frater Chariſſime, deponenda eſt Eccleſiæ Catholicæ dignitas & ſacerdotalis authoritas ac poteſtas, ut judicare velle ſe dicant de Eccleſiæ Præpoſito extra Eccleſiam conſtituti, de Chriſtiano hæretici, de ſano ſaucii, de integro vulnerati, de ſtante lapſi, de judice rei, de Sacerdote ſacrilegi? *&c.* hìc verba verbis opponuntur.] Alia eſt ejuſdem nominis figura quæ ſententiis ſententias opponit, de qua poſtea.

Commutatio. 6. Commutatio, Græcè Metabole, eſt cùm duæ ſententiæ inter ſe diſceptantes ita efferuntur, ut à priore poſterior, contraria priori proficiſcatur. Ita 2. Machab. 5. 19. *Non propter locum Gentem, ſed propter Gentem locum Deus elegit*. Item Marci 2. 27. *Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum*. Item, Rom. 7. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago*. Sic etiam diceretur: Ede ut Vivas, non Vive ut Edas.

Correctio. 7. Correctio eſt, quæ corrigit verbum quod eſt poſitum. Fit autem duobus modis. 1. cùm verbum priùs poſitum tamquam malè uſurpatum tollitur nullo alio ſubjectò; V. g. ſi ad peccatorem diceretur; En quid tibi *Conſiliarii* ſuadent, *ſi tamen Conſiliarii* ſunt appellandi qui in tuam perniciem conſpirant. Alter modus eſt, cùm verbum in oratione priùs poſitum ita corrigitur, ut aliud illi ſubſtituatur magis idoneum:

V. g. O ſtuporem *hominis! voluí dicere pecudis*: ò hominem inter delicias carnis *fortunatum, vel potiùs infeliciſſimum*!

8. Dubitatio Correctionem elegantiſſimè profert. V. g. Sic ſentit de divitiis, quem populi vocant fortunatum, ſapientiores Avarum appellant; ego quo nomine dicam neſcio; eum vobis deſcribam, ut debito donetis nomine. Dubitatio.

ARTICULUS III.

De Figuris Sententiarum.

DIXIMUS ſub initio hujus capitis, Figuram Sententiæ eam eſſe Exornationem, quæ non ſolùm in Verbis, ſed in ipſis rebus quamdam habet dignitatem. Schemata vocantur à Græcis hujus generis figuræ, quæ maximè ornant orationem, ac ut definitio indicat, non tam in verbis pingendis, quàm in illuminandis ſententiis pondus habent. Antithesis Sententiarum.

Figurarum numerus vix conſtat inter Authores: alii enim pauciores, alii plures ſtatuunt; nos potiorum tantùm ſeriem texentes, viginti quinque cum probis Authoribus enumeramus, quas in tres claſſes diſtribuimus, ſcilicet pro triplici Concionatoris officio, quod eſt Docere, Delectare & Flectere: *Aliæ igitur ad dicendum & docendum valent*; *Aliæ ad delectandum*; *ad flectendum & movendum aliæ accommodantur*. Has deinceps ordine Alphabetico recenſebimus.

SECTIO PRIMA.

De Figuris Sententiarum quæ ad Docendum videntur comparatæ.

1. ANTITHESIS. De hac diximus cùm de figuris Verborum ageretur. Differunt verò, quod verba verbis illa opponat, iſta ſententias ſententiis oppoſitas ſubjiciat. Exemplum ſit illud D. Pauli, 1. Cor. 4. 12. *Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus*, &c. Item 2. Cor. 6. *Per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris; per gloriam & ignominiam*; *per infamiam & bonam famam*, &c. Illud Ambroſ. 3. de Virgin. [Non eſt Chriſtus Circumforaneus, eſt enim Pax; in foro lites: Chriſtus juſtitia eſt; in foro iniquitas: Chriſtus operator eſt; in foro inane otium: Chriſtus Charitas eſt; in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt; in foro fraus atque perfidia.] Idem in Pſ. 2. [Duæ ſunt viæ; una juſtorum, altera peccatorum: una æquitatis, iniquitatis altera: Juſtorum via anguſtior eſt; iniquorum latior, &c.] D. Cyprian. ſerm. de Eleemoſyna. [Dei filius, hominis filius eſſe voluit, ut nos filios Dei faceret. Humiliavit ſe, ut populum qui priùs jacebat

erige-

erigeret. Vulneratus eſt, ut vulnera noſtra ſanaret. Servivit, ut ad libertatem ſervientes extraheret. Mori ſuſtinuit, ut moriens immortalitatem mortalibus exhiberet.]

Uſus hoc præſtat, ut Antitheſes delectent, odium excitent, commiſerationem & ſtuporem pariant. Elegantiam huic Figuræ addunt aliæ non minimam. V. g. *ſi per Commutationem* proferatur, quale eſt iſtud Plinii in Panegyr. Trajani. [Non ideo viciſſe videris, ut Triumphares, ſed Triumphare quia vinceres] *Per comparatione n*, V. g. Si quis Porſennæ facinus audax prunis ardentibus manum ſubjicientis cum invicta Martyrum conſtantia compoſiturus dicat: [Conferte utroſque ad invicem ſi lubeat, & videbitis quantum hi ſuperent illum toties ab Hiſtoricis celebratum. Ille manum crepitantibus flammis objecit; iſti corpora mille ſuppliciis excarnificanda dederunt: Ille ad breviſſimum temporis ſpatium; iſti multos dies, immo menſes & annos, graviſſima quæque tormenta pertulerunt: Ille ſuperbiæ faſtu quodam arcano ſtimulatus, vel æſtuantis animi facibus accenſus; iſti ſolo amore divino incitati.]

Cavendum eſt à nimia Antitheſium frequentia quæ curioſiorem pompam, & artificium Eccleſiaſtæ indecorum ſapiunt; immo his plus nimio illigatus Orator, vix à numeroſa contentione ad liberam morum increpationem digredi poteſt.

Communicatio. 2. Communicatio figura eſt, qua vel Judicem, vel Adverſarium, vel Auditorem conſulit Orator dubius, quid tandem aut dicere debeat, aut facere. Qualia ſunt hæc Exempla paucis verbis tradita. *Si idem tibi caſus incideret; cedo, quid faceres? In hoc turbulentiſſimo rerum ſtatu, date conſilium, quid mihi cenſetis faciendum? Te appello, Inexorabilis, cui nunc nulla vindicta ſatis, cùm ipſe paria, aut etiam atrociora peccas in Deum, quàm facile tibi ignoſcis, quàm extenuas peccatum? Hic tuam appello conſcientiam; an ferres hoc ab alio factum, quod tibi nunc vis eſſe impune?*

Valet hæc Figura ad Refutationem, ad faciendam fidem, ad ſedandam iracundiam, & ad commiſerationem excitandam: V. g. ſi quis divitem ad compatiendum pauperi vellet invitare, poſſet perſonam miſerorum in ipſos divites induſtriè transferre his verbis: [Per Deum immortalem oro vos atque obteſtor, Auditores, quibus ampliſſimas opes fortuna conceſſit, videte quid ſuaviſſimo divini Numinis amori debeatis. Poterat ſupremus ille rerum omnium moderator abjicere vos ad conditionem vitæ ſordidiſſimam ſimul & miſerrimam: poterat vos cæcos, *&c.* his ipſis miſerrimis hominibus, quos ad pedes veſtros jacere & lachrymari cernitis, egentiores demittere, *&c.* Id igitur ſi vobis contigiſſet, quod prohibere nullo modo poteratis, quis quæſo veſter ſenſus fuiſſet? *&c.*]

Compenſatio. 3. Compenſatio, ſive Subjectio, eſt Figura qua aut nobis ipſis objicimus, quod ab Auditoribus objici poterat, & quaſi ſit objectum reſpondemus; aut adverſarios compellamus ut reſpondeant, & quaſi reſponderint, refellimus; aut, dum quaſi deliberantes varia proponimus, ac ſingu-

ſingula refutamus. Prioris generis exemplum dabunt hæ loquendi formulæ, quæ objectionem efformare videntur: v.g. *Dixerit hìc aliquis*, &c. *Scio quod hìc reclamaturi ſint Avari*, &c. *Dicet enim eorum aliquis*, &c. *Non me fallit quid hic pleriſque venturum ſit in mentem*, &c. His aut ſimilibus objiciendi formulis præmiſſis, addatur quod objicitur; deinde confutetur.

Secundi Generis exemplum adverſarios compellit ardentius. Sic Hieronymus Heliodorum hortatur ad Eremiticam vitam ſubjectis objectionibus quas ſolvit. [Paupertatem times? ſed beatos Chriſtus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo Athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famem non timet. Super nudam metuis humum, exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus tecum jacet. Squallidi capitis horret inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Te terret infinita Eremi vaſtitas? ſed tu Paradyſum mente deambula. Delicatus es, ſi & vis gaudere cum ſæculo & regnare cum Chriſto.] Paulò ſedatius eſt iſtud D. Cypriani Epiſt. 77. [Non fovetur in culcitris corpus molliter, ſed refrigerio & Chriſti ſolatio fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere; ſquallent ſine balneis membra, ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritualiter intus abluitur quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illis exiguus; at non in ſolo pane vivit homo. Veſtis algentibus deeſt; ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt.] Hoc, inquam, Subjectionis exemplum ſuperiore mollius & remiſſius eſt, ſed non minùs ornatum ac elegans.

Tertii Generis exemplum erit, ſi ad mundi Cultorem habeatur hic ſermo: Dic mihi quæſo, quid habet mundi cultor quo turgeat & in quo ſpem ſuam figat? In divitiis? Neminem reddunt magnum aut beatum; ſæpe vivum deſerunt, tantum abeſt ut morientem comitentur. In Liberis? Poſſeſſio eſt ipſis opibus incertior. In uxore, famulitio, cæteriſque commodis? Nihil in his ſtabile, neque tale, ut animum hominis tranquillum efficiat. Ad Deum confugiet? Eum habet iratum. Ad ſuum ipſius animum? Illic inveniet carnificem conſcientiam, *&c.*

Ex his patet quàm venuſtè Figura hæc occurrat objiciendis eaque ſolvat adjuncto reſponſo. E tribus verò Generibus ſupra traditis, prius convenit Argumentationi, ſecundum Epilogo, utrumque Inductioni, tertium tandem idoneum eſt Deliberationi. Valet ex omni parte ad ornatum, ſuaſionem & diſſuaſionem, ad docendum & refutandum. Habet præterea hoc Schema multum affinitatis cum interrogatione, ſermocinatione, occupatione & dubitatione.

4. Conceſſio eſt Figura, qua videmur etiam aliquid iniquum vel pati, vel adverſario concedere fiduciæ cauſa. Sic honoris cupidis concedimus ut honorem quidem appetant, ſed verum & ſolidum, non futilem & inanem. Conceſſio.

Exemplum ſit illud Cypriani de habitu Virgin. [Locupletem te eſſe dicis & divitem, & utendum putas iis quæ poſſidere te Deus voluit: Utere,

re, ſed ad res ſalutares; utere, ſed ad bonas artes; utere ad illa quæ Deus præcipit, quæ Dominus oſtendit. Divitem te eſſe ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes; Patrimonia tua Deo fœnera, Chriſtum ciba, *&c.*] Item illud D. Pauli Epiſt. ad Aptum. [Sibi habeant literas ſuas Oratores; Sibi ſapientiam Philoſophi; ſibi divitias ſuas Divites, ſibi Regna ſua Reges: nobis Gloria & poſſeſſio & Regnum Chriſtus eſt: nobis ſapientia in ſtultitia prædicationis; nobis virtus in Infirmitate carnis: nobis Gloria in Crucis ſcandalo, quo mihi mundus occiditur & ego mundo.]

Uſui hujus Figuræ accommodari ſolent Formulæ ſequentes, *Eſto*, *ſit ita ut dicis*, *demus hoc*, *fac ita*, *concedamus*, *verùm eſto*, *ſed id ſit*, &c. Elegans eſt Conceſſio ſi huic Ironia jungatur, quale eſſet iſta ad peccatorem, *Verùm*, *eſto*, *fruere delitiis*, *divitiis ſatiare*, &c. *Velim tibi & hoc concedi, immo & pluſquam appetas. At quæſo quod tibi lucrum, ſi pro momento æternitatem pedas?* &c.

Congeries. 5. Congeries, quæ Frequentatio & Synathroiſmus dicitur, eſt Exornationis genus, quod Argumenta fuſiùs ac ſparſim tractata, velut in unum faſcem collecta ſubjicit oculis. Vel aliter, eſt rerum, aut verborum aut Argumentorum collecta multitudo, quæ præcipiti quadam volubilitate, ſic incitat Orationem, ut torrentis inſtar Auditorum animos abripiat. Quale eſt illud 1. Corint. 4. 11. *Uſque in hanc horam*, *& eſurimus*, *& ſitimus*, *& nudi ſumus*, *& colaphis cædimur*, *& inſtabiles ſumus*, *& laboramus operantes manibus noſtris*. Quale eſt etiam illud D. Cypriani contra Demet. [Innoxios, Juſtos, Deo charos, domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis; gladio, beſtiis, ignibus punis, *&c.*]

Valet hæc Figura ad amplificationem, quàm facillimè dilatat congerie ac conglobatione tum Verborum, tum rerum, tum Argumentorum, tum definitionum, tum denique exemplorum. V. g. exemplis congeſtis utimur adverſus homines qui voluptatibus putant ſe poſſe conſequi cœlum quod tantis ſudoribus, jejuniis ac vigiliis emere omnes Sancti; his autem verbis liceret eos inſequi. [O parum prudentes Baptiſtas, Paulos, Antonios, Macharios! ò incautos Benedictos, Franciſcos, Dominicos, *&c.* qui tantis malis iter in cœlum vobis paraſtis! Cautior vobis omnibus eſt iſte qui viam beatam ſternit roſis, *&c.*]

Correctio. 6. Correctio. De hac figura ſat diximus ſupra cùm de Figuris verborum quæ fiunt per ſimilitudinem, ageremus; tunc quidem ſermo erat de Correctione verborum qua videlicet, verbum aliquod tollitur, aut alterum hujus loco ſubſtituitur. Nunc agitur de Correctione quæ in ſententiis fit, qua nimirum emendatur tota ſententia, quæque fieri ſolet per particulas *quamquam*, *ſi tamen*, aliaſque ſimiles, quæ retractationem notent; Quale eſt iſtud; Chriſtus nos gratis redemit, *immo non gratis*, vel *quamquam* non gratis, ſed pretioſo ſanguine ſuo. Item 2. Cor. 12. 11. *Factus ſum inſipiens*, *vos me coegiſtis*. Item tota hominis vita,

quid

quid aliud eſt quàm temporis pugillus? *Nimium eſt quod dixi;* Quid aliud eſt quàm temporis punctum? *Et hoc quoque nimium eſt;* Nihil eſt & minus nihilo hæc vita, ſi ad æternitatem conferatur.

7. Definitio. De Definitione actum eſt ſatis in Promptuario Dialectico; quia tamen ad Orationis perſpicuitatem & ornatum utilis eſt, ideo inter Figuras locum habet; Rei autem naturam pingit explicatque quid ſit. D. Cyprianus de habitu Virginum, Diſciplinam hoc modo definit; [Diſciplina, cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, *&c.*] Definitio.

Valet verò ad probandum, laudandum, vituperandum, amplificandum & præſertim ad docendum.

8. Diſtributio, ſeu Enumeratio partium, eſt figura Diviſioni affinis, qua plurimæ aut res aut perſonæ dividuntur, atque ita, quod uno aut altero verbo dici poterat, id enumeratis partibus fuſiùs explicatur. Ita D. Paulus Roman. 13. *Qui tribuit in ſimplicitate; qui præeſt in ſollicitudine; qui miſeretur in hilaritate.* Idem Epheſ. 5. & 6. variorum ſtatuum perſonas, hoc eſt, viros, uxores, filios, parentes, ſervos atque dominos ad virtutum officia unicuique debita hortatur. D. Cyprianus ſer. de Lapſis, corruptos ſui ſæculi mores ſic increpat. [Non in ſacerdotibus Religio devota; non in miniſtris fides integra: non in operibus miſericordia; non in moribus diſciplina, *&c.*] Idem Ep. ad Donatum. [Flagrant ubique delicta, & paſſim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubjicit; ille falſum capitali fraude ſcribit. Hìc arceantur hæreditatibus liberi; illic bonis donantur alieni. Inimicus inſimulat, calumniator impugnat, teſtis infamat, utrobique graſſatur in mendacium criminum proſtitutæ vocis venalis audacia.] D. Bernardus l. de Conſcientia cap. de multipl. variet. cogitationum. [Cogitationum multiplex varietas eſſe cognoſcitur; Aliæ namque cor inflant, aliæ elevant, aliæ perturbant, aliæ diſſipant, confundunt, diſtendunt, ligant, inquinant, contrahunt, corrumpunt. Inflant ut ſuperbæ, elevant ut vanæ, perturbant ut invidiæ, diſſipant ut iracundæ, confundunt ut acedioſæ, diſtendunt ut ambitioſæ, ligant ut guloſæ, inquinant ut luxurioſæ, contrahunt ut timidæ, corrumpunt ut malitioſæ, *&c.*] idem in ſententiis ſic de homine fatur.] Triplici morbo laborat genus humanum, Principio, medio & fine, ideſt, Nativitate, vita & morte. Nativitas immunda, vita perverſa, mors periculoſa. Venit Chriſtus & contra triplicem hunc morbum attulit triplex remedium: Natus eſt enim, vixit, mortuus eſt; atque ejus Nativitas purgavit noſtram, mors illius deſtruxit noſtram, & vita illius inſtruxit noſtram] Item, D. Hilarius in illud Pſalti s Regii, *Tuus ſuum ego*, &c. ſic ait [Quomodo ſe Dei profitebitur in libidinem calens, in iram mobilis, in avaritiam ſollicitus, in ebrietatem ſitiens, in gloriam ſæculi inanis?] Diſtributio.

Uſus hujus Figuræ debet eſſe mediocritate temperatus, ne ſi frequen-

Digitized by Google

tior ſit, artificii ſuſpicionem moveat. Valet autem plurimum ad Amplificationes, Objurgationes & Panegyres; ac potiſſimum confert ad docendum, ob eam ſcilicet rationem, quia naturam & proprietates alicujus rei dilucida & grata partitione aperit. Illuſtratur verò aliis Figuris, quibus juncta venuſtatem habet maximam; frequentiſſimè exprimitur per interrogationem, repetitionem, ſimiliter cadentia & antitheta. V.g. ſic alicujus conſortium cum ſceleratis pingitur & damnatur. Quis nebulo? Quis ganeo? Quis latro? Quis Adulter? Quis Perditus, &c. inveniri poteſt, cui nequam iſte adoleſcens ſtrictiſſima ſe familiaritate non conjunxerit?

Interpretatio. 9. Interpretatio, Figura eſt qua dictum aut factum alicujus, juxta ſententiam & mentem noſtram interpretamur. V.g. ſi peccatoris factum exagitet Eccleſiaſtes, dicere per Interpretationem facti poterit; Quid agit peccator? Terræ, voluptati, &c. adhæret; aliud præterea nihil quærit. Quid eſt hoc? hoc eſt ſentire, Creaturis contentus Creatorem nolo; quaſi diceret, Tibi ſint, ò Deus, tuæ divitiæ celeſtes; tibi tuiſque ſerva, quæ tantopere venditantur, delitias, &c. has non ambio, modò terra fruar, ſat mihi fuerit. O ſtupenda ſententia frequentiſſima tamen, ſi enim uniuſcujuſque peccatoris mentem æquo perpenderis examine, vix aliquem reperias qui aliter ſentiat.

Duplici methodo fit Interpretationis Schema, vel cum verba verbis, ſententiæ ſententiis adjunguntur in præcedentis explicationem, tuncque hęc Figura non multum diſtat ab ea quę Synonymia aut Conduplicatio appellatur. Hujus exempla ſunt frequentiſſima. Pſ.91. 13. *Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur*, D. Cyprian. ſerm. de Lapſis. [Doleo fratres, doleo vobiſcum. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo, &c.] Idem de habitu virgin. [Si tu te ſumptuoſiùs comas & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, peccandi fomenta ſuccendas, ut etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica, &c.] D. Ambroſ. de obitu Satyri fratris expendens illud Sapient. 4. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret cor ejus*, ſic fatur. [Raptus eſt ne in manus incideret barbarorum: raptus eſt ne totius orbi excidium, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes; ne poſtremò ſanctarum virginum, atque viduarum, quod omni morte acerbius eſt, colluvionem videret. Ego verò te, frater, cùm vitæ tuæ flore, cùm mortis commoditate beatum arbitror; non enim nobis ereptus es, ſed periculis; non vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatum formidine caruiſti, &c.]

Alio etiam modo formatur hoc Schema; quando Dictis aut Factis quæ brevia ſunt, ſubjungitur prolixior Interpretatio, quæ plerumque his aut ſimi-

ſimilibus verborum formulis exprimitur: *Quaſi dicat*; *quaſi diceret*; *Id eſt*; *hoc eſt*; *ut ego arbitror*; *paucis dixit*, *ſed ſi ſenſus aperiatur*, *hæc intellexit*; &c.

Hujus formæ typum præmiſimus, peccatoris factum ſupra interpretati.

Ad Elegantiam, perſpicuitatem, laudem & vituperium valet hujus Figuræ uſus; ſed monendus eſt Orator, ne verborum aut ſententiarum idem ſignificantium multitudine nimia oneret Concionem: illa enim ſapit oſtentationem, tempus inutiliter abſumit, & Auditores ſynonymia, quæ in battologiam degenerat, fatigat.

10. Occupatio, quam Quintilianus Præmunitionem & Præſumptionem, Græci Prolepſin, alii Anteoccupationem vocant; eſt cùm id quod objici poteſt vel admirationem cauſare, vel difficultatem creare dubitationemve & offenſionem movere, prævertit Orator, emollit & placat. Occupatio.
V. g. ſi Eccleſiaſtes peccatorem procraſtinantem urgeat ut citò pœnitentiam amplectatur, & ea concionis forma uti velit quæ forenſis ſeu Judicialis dicitur, ſic poterit per Occupationem exordiri. [Credo ego vos, Auditores, mirari quid ſit quòd Suggeſtum conſcenderim partes Cauſidici acturus &c. *En præmunitionis prima pars*, *cui ſecunda ſubjicitur hoc ferè modo:* At ceſſare debetis omnino ab admiratione, ubi attenderitis, eò dementiæ peccatorem deveniſſe, ut furentium inſtar ruinam ſibi parare nitatur, niſi ſollicitè moneatur ne ſui ipſius hoſtis infenſiſſimus ſibi perditionem acceleret, ac tandem ſibi redditus in ſuam conſervationem vigilet, &c. Illud eſt Patroni munus quod Deo jubente ſuſcipere debeo in peccatoris commodum, &c.]

Locum habet hæc Figura in Exordiis ut plurimum, in Retractationibus & Exprobationibus; denique cum aliquid dicendum eſt quod minus jucundum fore videtur: Ideoque prævidendi ſunt Auditorum ſenſus, penituſque noſcendi, ne quid Orator afferat quod ab eorum judicio diſſentiat. Sunt autem iſtius Exornationis frequentiores hæ formæ, v. g. *Credo vos mirari* &c. *Mirabimini forſitan*, &c. *Si quis eſt qui dixerit*, &c. *Novi quid vobis*, *vel adverſariis*, *mirum*, *dubium*, *difficile*, *durum*, &c. *videri debeat*, &c. *Dura eſt vox illa*, *fateor*, *ſed longe durior res illa quæ voce ſignificata timeri debet à peccatore*, &c. *Dicet fortaſſe aliquis*, &c. Item ſæpe Correctioni finitima eſt Occupatio, cùm ſcilicet dicit Orator quod ſe negat velle dicere. v. g. [Pudet me dicere, quod iſtos non pudet facere, ad leviora veniam: Venit ad nos Paſtor, pene dixeram depaſtor, hæc ſunt edicta Domini, nolim enim dicere Tyranni.]

11. Objectio eſt cùm dictum factumve aliquod refellimus objectis aliorum vel dictis vel factis. V. g. ſi quis damnandam aliquorum Prædicatorum ardentiùs ex concione quæſtum colligentium cupiditatem reprehendat, ſic loqui poterit; [Quiſnam eſſet Apoſtolorum ſenſus de avidiſſimis illis ex ſacro miniſterio fœneratoribus? quæ mens Pauli de lucro ex Objectio.

Prædicatione reportando? &c. Audite quid dixerit; quid egerit percipite, Actor. 20. 34. *Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*, &c.] Item Rom. 9. 20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?*

Prætermiſſio ſeu Reticentia. 12. Prætermiſſio, quæ aliis Præteritio, vel Reticentia, Græcis Apophaſis dicitur; figura eſt qua profitemur dicimuſque nos ultro præterire, aut non dicere, aut nolle dicere, id quod tunc maximè dicimus. Hujus figuræ exempla dabit quis, ſi dixerit adverſus peccatorem; [Taceo damna eaque maxima quorum ille orbi occaſio eſt ſcelerum perpetratione: non dicam ejus cauſa immitti à Deo ultore peſtes, fames, bella, aliaque furoris divini ſupplicia, &c. Ea ſolùm profero quorum ſibi ipſi author eſt, &c.] Item [Poſſem hìc multa ejuſmodi malorum exempla memorare, at ultro ab his abſtineo, &c. Quid immoror in his recenſendis quæ omnibus patent, ſuntque ipſis ſtupidioribus notiſſima? ad alia progredior &c. Non dicam quantis ſe peccator implicet Conſcientiæ cruciatibus, de his ſolùm damnis loquar quæ palam ſunt, neminemque latent &c.] D. Paulus ep. ad Philem. 1. 19. *Ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes.*

Valet hæc Exornatio, tum ad laudem, cùm videlicet præteriri à nobis multa alia profitemur quæ gloriam augere poſſent; tum ad vituperium ob eandem rationem, vice verſa; hac enim figura gravius objurgamus cùm ſilere fingimus plurima Criminum capita, quæ per congeriem & coarcevationem proferimus.

Suſtentatio. 13. Suſtentatio, Græcis Hypomone, præcipuum inter Exornationes quæ ad docendum valent locum obtinet, eſtque, cùm ſuſpenſus aliquandiu tenetur Auditoris animus, antequam ipſi rem quam veluti animo conditam ſervamus, exprimamus. Seu eſt Figura qua diu ſuſpenduntur Auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum ſubjungitur. V. g. ſi quis miſeram peccatoris felicitatem damnans, dixerit, [Quid futurum putatis de homine tot voluptatum generibus immerſo? cenſeris forſitan eum his perpetuò potiturum? &c. Non ita erit ſanè: expectate paululum & videbitis quis futurus ſit tandem deliciarum finis, &c.]

Valet ad Vituperium, ad Laudem, & Diminutionem. Ad vituperandum quidem, quatenus crimen aliquod inexpectatum & enumeratis majus ſubjungit; Ad laudandum verò, cùm Communicationi (ut plurimum) juncta Suſtentatio factum nova laude dignum commemorat. Sic D. Ambroſius 2. Officior. cap. 16. Joſephum Patriarcham laudat. Denique inſervit Diminutioni hæc Figura, dum aliquid magni pollicita, tenuiſſimum quoddam profert. Hac ratione amplificare poſſumus Phariſæorum levitatem qui Chriſti diſcipulos reprehenſione dignos cenſebant, eò quòd illotis manibus manducarent. Priùs enim explicari

poſſet

Digitized by Google

poſſet Phariſæorum dignitas, deinde eorundem cœtus ad Chriſtum ex conventione accedens, tum eorum propoſitio. [Quare (inquiunt) *Diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditiones ſeniorum?* Math. 15. 2. Magnum prorſus & execrandum crimen, cùm ſcriptum ſit; Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Sed videamus, quale ſit hoc crimen, qualis iſta tranſgreſſio. Non (inquiunt) lavant manus ſuas, cùm panem manducant. Quid hac accuſatione magis ridiculum? Hoccine erat crimen illud, quod tanti Doctores communi conſilio exprobare volebant? &c.] Hac igitur Figura duplici in loco præſertim utimur, vel cùm leve aliquid hoc modo inferre, vel ſummum aliquid & inexpectatum amplificare volumus: ut quod natura ſua magnum eſt, præmiſſa hac præparatione majus appareat. De his plura apud Granatenſem l. 5.

SECTIO II.

De Figuris ad Delectandum appoſitis.

1. APOSTROPHE ſeu Converſio, Figura eſt gravis & vehemens, ad delectationem plurimùm compoſita, quæ ſermonem ab iis quibus loquebamur, avertit ad aliam perſonam ſeu præſentem ſeu abſentem, aut ad res inanimas quas uti perſonas compellamus. Hujus exempla in Scripturis ſunt frequentiſſima. Matth. 17.16. *O Generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos?* 2. Reg. 10. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abjectus eſt clypeus fortium.* Ez. 21. *O mucro, mucro, evagina te ad occidendum; lima te ut interficias & fulgeas.* Hierem. 2. *Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer*, &c. Apoſtrophe.

Hujus Exornationis uſus magnam vim habet ad urgendum & increpandum, ad Commendationem, Cohortationem, Commiſerationem, Monitionem & Vituperationem. Prudenter adhiberi debet; non quidem prolixior fiat, ne tædium Auditoribus, ipſique Eccleſiaſtæ deſatigationem creet. Cavendum eſt etiam ne indecora alterius ſermonis forma miſceatur Converſioni, neque enim decet, ut qui per Apoſtrophem alloquitur Deum, interea ad Creaturas identidem digrediatur. Denique ex adductis exemplis patet Converſionem fieri ad Deum, ad Angelos, ad homines cujuſcumque ſtatus; ut cùm Zachar. 11. 17. dicitur *O Paſtor & Idolum*, &c. Item Pſ. 2. 10. *Et nunc Reges intelligite*, &c. Convertitur etiam Eccleſiaſtes ad res ſacras, ad Templa, ad Monumenta, &c. quæ invitare poteſt ut vel audiant, vel teſtimonium perhibeant ſeu de dictis ſeu de factis laude vel vituperio dignis.

2. Comparatio inter Exornationis Figuras reponitur, cùm tamen propriam habeat ſedem in Argumentorum locis, ideò de illa nunc pauca di- Comparatio.

dicturi ſumus, ſiquidem fusè de ea diximus in Promptuario Dialectico Art. 2. Sect. 1. Valet nihilominùs ad ſuaves motus ciendos, ad claram docendi methodum, quia ſæpiùs res fit planior in exemplo quàm in ſeipſa. Adhibetur ad quodcumque Oratoris intentum; ſeu laudet, ſeu vituperet, ſeu ſuadeat, ſeu diſſuadeat. Non videtur tamen frequentiùs uſurpanda in Concionum exordiis, congruentius enim cenſetur ut res ipſa oſtendatur priùs quàm ejus Imago, quæ per Comparationem pingitur: Quamquam extra uſum non ſit apud probatiſſimos Authores, ut Exordium texatur ab aliqua ſimilitudine quæ ſit quaſi præludium ſeu præparatio ad rem penitiùs inſpiciendam. Definitur autem, Oratio qua duæ pluresve res in aliquo tertio quod ſit ſingulis commune componuntur. Ita Chriſtus Matth. 6. 26. ait: *Reſpicite volatilia cœli, quomodo non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea & Pater veſter cœleſtis paſcit illa: Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Comparatio verò fit inter res, vel pares, vel diſpares, ab æquali, à majori, vel minori. Horum exempla repete loco ſupra indicato.

Deſcriptio. 3. Deſcriptio eſt perſpicua & dilucida rerum cum gravitate expoſitio. Hac in parte Orator multum habet affinitatis cum Pictoribus, quibus ſtudio eſt rem omnem oculis ſubjicere, ut nihil omnino deſit præter vocem; ideoque obſervandum eſt in primis ad propriam Deſcriptionem, ut circunſtantiæ omnes, præſertim quæ potiores ſunt, notentur & adhibeantur ad rei expreſſionem; deinde cavendum eſt etiam, ne quid indignum, quid indecorum, quidve à natura rei alienum affingatur; quemadmodum enim utraque ratione peccat Pictor, rerum ſcilicet neceſſariarum omiſſione vel ſuperfluarum & incongruarum adhibitione; ita & Orator.

Ex varietate rerum quæ deſcribi deſiderant, oriuntur variæ Deſcriptionis ſpecies. Deſcribuntur enim, vel perſonæ, fitque inde *Proſopographia* ſeu Perſonarum expreſſio; vel loci, unde *Topographia*; vel tempora, eſtque *Chronographia*; vel denique res ipſæ ſeu facta repræſentantur, & *Hypotypoſis* dicitur. De ſingulis aliqua mox adjiciemus iis, quæ ſupra cùm de Definitione in Promptuario Dialectico ageremus, diximus.

Proſopographia ſeu Perſonarum Deſcriptio. Proſopographia eſt veræ vel fictæ perſonæ Deſcriptio; expreſſis Animi, Corporis, Fortunæ attributis, ut hominis mores, habitus, lineamenta ipſis pene oculis ſubjici videantur. Seges autem huic Figuræ neceſſaria petitur ut plurimùm ab Adjunctis, Antecedentibus, Concomitantibus, Conſequentibus, & Effectis; nec non ab eo loco quem Dialectici à communiter accidentibus appellant. Hujus Schematis alia prætereà exempla, ut prodeat D. Bernardus Detractorum mores pingens in Cantic. ferm. 24. Sic enim ait ille; [Videas à Detractore alta ſuſpiria præmitti, ſicque cum quadam gravitate & tarditate, vultu modeſto, demiſſis ſuperciliis & voce plangenti egredi maledictionem: quæ quidem tantò perſuaſibilior eſt quantò creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu quàm malitiosè proferri. Doleo (inquit) vehementer, pro eo, quòd di-

diligo eum ut ſcitis, & numquam potui de hac re corrigere eum: Aliàs mihi benè compertum fuerat; ſed per me numquam innotuiſſet, per alterum patefacta res eſt. Veritatem negare non poſſum, dolens dico, revera ita eſt: nam aliàs quidem in pluribus valet, cæterum in iſta parte, ut verum fateamur, minimè excuſari poteſt.] En Detractoris Proſopographiam, non quidem quoad habitum corporis, ſed quantum ad mentem & ingenium, quod Deſcriptionis genus *Ethopœja* vocatur de qua poſtea. Sic deſcribi poſſet Invidus, Luxuriei deditus, ſic avarus, ſic denique omnis cujuſcumque vel virtutis, vel vitii ſectator. Sic à Petr. Damian. 2. Epiſt. 3. deſcribitur Adulatoris genius ad omnia ſe ſe effingens, multis enim præmiſſis ſic ait: [Pendet ad nutum, ut ſic herile præceptum, tanquam ſybillinum os, Phœbi præſtoletur oraculum. Ire jubetur? evolat: ſtare præcipitur? ſilicem repræſentat: ſi Dominus fervet, ipſe ſudat: ſi ille æſtum, hic cauma conqueritur, &c.]

At ſi Perſonam exactiùs deſcribere volueris, ejuſmodi expreſſio aliquibus dicetur, Icon, Imago, Effigies, Character, Figura & Forma. Diſcutientur autem quæcumque tum ad corpus, tum ad Animum, tum denique ad fortunam ſpectant, quæ omnia fusè tractata ſunt in Promptuario Oratorio; ita fiet ut videamur non narraſſe ſed depinxiſſe, lector verò ſpectaſſe potiùs quàm legiſſe, quod de homine dicimus. Sic à Cicerone pingitur Gabinius vir mollis & effeminatus 2. Agrar. num. 12. [Primùm proceſſit qua authoritate vir? vini, ſomni, ſtupri, plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce & temulenta,] &c.

Topographia eſt loci alicujus Deſcriptio, in qua tria potiſſimùm occurrunt obſervanda. Primum eſt id ex quo tamquam ex materia Deſcriptio exurgit, & ad Inventionem pertinet. Secundum eſt ejus materiei diſpoſitio. Tertium verò indicat ſtilum in Deſcriptione adhibendum. Quantum ad Inventionem ſpectat, abundè dictum eſt in Promptuario Oratorio; hìc breviter addo, Locum, ſeu ſit Regio, ſeu ſit domus aliudve quid ſimile, deſcribi ab his potiſſimùm capitibus, ſcilicet *ab origine vel fundatore vel antiquitate; à finibus ſeu limitibus; à ſitu ſeu ſpatii diſpoſitione; qualis eſt plagæ ratio quæ ad orientem aut ad occidentem vergit, plana eſt vel montuoſa: ab Effectis, quæ ſunt ubertas ſterilitaſve, ornatus, ædificia, templa, flumina, fontes, villæ*, &c. Hujus ſupellectilis oratoriæ diſpoſitio magna indiget prudentia, ne videlicet aliquid tumultuarium & inordinatum ponatur. Recta videtur eſſe œconomia quæ Locum deſcribens, orditur ab iis quæ natura vel tempore præcedunt. Stilus verò debet eſſe floridus, concinnus & ſuaviter fluens. En Deſcriptionis exemplum à D. Hieronymo petitum in D. Hilarionis vita, ubi S. Antonii habitationem pingit his verbis. Topographia.

[Saxeus & ſublimis mons per mille circiter paſſus ad radices ſuas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapſæ pau-

Deſcriptio Loci. paulatim rivum efficiunt; ſupra quem ex utraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. Hic pſallere, hic orare, hic operari, hic feſſus reſidere ſolitus erat. Vites & arbuſculos plantavit. Areolam manibus ſuis ipſe compoſuit, Piſcinam ad irrigandum hortulum multo ſudore fabricatus eſt. Erat autem cellula non plus menſuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Propterea in ſublimi montis vertice, quaſi per cocleam aſcendentibus, arduo valde niſu, duæ ejuſdem menſuræ cellulæ viſebantur, in quibus venientium frequentiam & diſcipulorum ſuorum contubernium fugiens moratus eſt. Verùm hæ in vivo exciſæ ſaxo, oſtia tantùm addita habebant, &c.]

Chronographia. Chronographia eſt temporis Deſcriptio, qua ſubjiciuntur quæ in Tempore dicuntur aut accidunt, appellaturque Hiſtoria, de qua in Promptuario Miſcellaneo abundè actum eſt.

Hypotypoſis. 4. Hypotypoſis, Ciceroni Deſcriptio, aliis Demonſtratio dicitur. Figura eſt qua res ita exprimitur verbis, ut geri potiùs & videri quàm narrari & audiri videatur. Ita D. Chryſoſtomus hom. 29. in Matth. crudelis Avari ſpeciem ſubjicit oculis, hoc modo. [Fingite videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat; cui ex utroque humero Dracones pro manibus dependeant; cujus os cavernæ inſtar magnitudine ſit, in quo pro dentibus acuti enſes ſtent; ex lingua venenoſus fons ſcaturiat, &c.] D. Auguſtinus ſer. 1. de Innocentibus his verbis eorum trucidationem pingit per Hypotypoſim adjuncta ſermocinatione. [Grande martyrium, crudele ſpectaculum! Eximitur machæra & nulla intervenit cauſa; ſola ſtridet Invidia] *Deinde paucis interjectis*. [Mater crines capitis diſſipabat, quæ ornamenta capitis amittebat. Quantis modis infantem volebat abſcondere & ipſe ſe infantulus publicabat. Neſciebat tacere, quia necdum didicerat formidare. Pugnabat mater & carnifex; ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat: Quid ſeparas à me quem genui ex me? &c.]

Nec ſolùm quæ facta ſunt vel fiunt exhibentur per Hypotypoſim, ſed etiam quæ futura ſunt vel timentur. Formæ autem quibus fieri poſſunt ejuſmodi Deſcriptiones rerum futurarum, poterunt eſſe iſtæ vel ſimiles; *Hæc quæ nondum vidiſtis oculis, animis cernere poteſtis*, &c. *Quid futurum putatis ſi animus tremendi Judicii apparatum meditatione prævertat? Cogitate enim*, &c. *Fingite vobis*. Hujus Figuræ exempla frequentiſſima ſunt in ſacris Scripturis, cùm oſtenditur quanta felicitas ſit futura ſi Dei juſſis homines paruerint; rurſus quanta calamitas, ſi Dei præcepta neglexerint. Huc pertinent Moſaicæ benedictiones ac maledictiones; Huc etiam ſpectant Prophetarum vinculis & catenis onuſtorum per plateas Jeruſalem excurſus, ut hoc ſymbolo captivitatem Judæorum futuram prædicerent Jerem. 27. 2. Huc denique revocari debent quorundam Concionatorum geſtus, qui fune colla manuſque ſibimet vincientes, ac flexis genibus Juſtitiæ divinæ

vinæ furorem emollire nituntur; ſed hæc niſi bene & prudentiſſimè fiant, riſum potiùs movent quàm commiſerationem.

5. Proſopopœja quæ Conformatio & Perſonarum fictio dicitur, Figura eſt, qua rebus mutis ac ſenſus expertibus ſermonem accommodamus, aut vita functos & abſentes tanquam ſpirantes præſenteſque inducimus loquentes. Hoc Deſcriptionis genus in tres ſpecies ab aliquibus ſubdividitur; videlicet, in *Proſopopœjam* quæ perſonam ejuſque mores fingit; in *Idolopœjam* quæ perſonam defunctam & loquendi impotem inducit loquentem; in *Ethopœjam*, quæ mores perſonæ fingit. Quamquam hæ ſpecies confundantur ſæpius ac præſertim Proſopopœja & Idolopœja, nos tamen accuratiorum examen ſequuti, eas diſtinguemus. Proſopopœja.

Proſopopœja igitur, ſeu Conformatio, eſt cùm alicui rei contra naturam datur perſona loquendi. Ut cùm inducitur patria, templum aliudve ejuſmodi quod loquendi facultate caret, loquens quaſi perſonæ vices gereret. Sic Proverb. 8. Sapientia homines ad ſui amorem invitat his verbis: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum*, &c. Baruch 4. 9. Civitas Jeruſalem ſic lamentatur: *Audite confines Sion; adduxit enim mihi Deus luctrum magnum. Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum & filiarum quam ſuperduxit illis Æternus.* Sic poſſent templa ſacra de impia Hæreticorum prophanatione conqueri, hac aut ſimili verborum forma; [Etenim ſi auguſtiſſima templorum ſacrorum ædificia in hujus ſceleris teſtimonium adhiberentur, hæc ſanè dicerent: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in noſtris Aditibus, Altaribus, Sanctuariis, &c. beneficio & pietate patrum veſtrorum habuimus, diripuiſtis, contriviſtis, polluiſtis &c. Quod majores veſtri ad Religionis noſtræ decus conceſſere gratis & cum laude, hoc vos temerario & ſacrilego auſu tollere & in ſceleſtiſſimos uſus proſtituere non formidaſtis. &c.] Hac ratione poſſent interrogari, vel in teſtes advocari, templorum parietes, fornices, &c. num audiſſent Eccleſiaſtem, nulli parcentem ſermoni ut Auditores neceſſaria ad ſalutem doceret? Sic inquam, poſſent res illæ inanimes ad interrogata reſpondere, ut vehementior fieret inde obſtinatorum increpatio, qui tot Concionibus moniti non reſipuere.

Idolopœja, quam ſimulacri fictionem appellat Priſcianus, eſt cùm iis quæ corporis expertia ſunt, corpus ſeu loquendi facultatem tribuimus. Ita D. Cyprianus de habitu virg. inducit Deum hoc modo loquentem. [Non metuis, oro, quæ talis es, ne cùm Reſurrectionis dies venerit, Artifex tuus te non recognoſcat,& ad ſua præmia & promiſſa venientem removeat & excludat, & increpans vigore Cenſoris & Judicis dicat; Opus hoc meum non eſt, nec hæc imago noſtra eſt; Cutem falſo medicamine polluiſti; crinem adulterino colore mutaſti; expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt. Deum videre non poteris, cùm oculi tibi non ſint, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, Idolopœja.

 cum

Digitized by Google

cum illo pariter arſura. Hæc, oro, non cogitanda ſunt Dei ſervis? non die ſemper ac nocte metuenda?]

Idem Cyprianus ſerm. de Eleemoſyna, immanitatem eorum hominum qui pauperibus negant quod in damnandos ſumptus effundunt exaggerans, induit Dæmonem Chriſto exprobrantem, his verbis: [Ponat unuſquiſque ante oculos ſuos Diabolum cum ſervis ſuis, id eſt, cum populo perditionis & mortis, in medium proſilire, plebem Chriſti præſente & judicante ipſo, comparationis examine provocare, dicentem: Ego pro iſtis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi; nec familiam meam pretio paſſionis ac crucis redemi; ſed nec regnum cœleſte illis promitto.] *Deinde aliquibus intermiſſis addit:* [Tuos tales munerarios Chriſte demonſtra, illos divites, illos copioſis opibus affluentes, & in Eccleſia præſidente & ſpectante te ejuſmodi munus edant oppignoratis vel diſtractis rebus ſuis, immo ad cœleſtes Theſauros, mutata in melius poſſeſſione translatis. In iſtis muneribus hominum caducis atque terrenis nemo paſcitur, nemo veſtitur, nemo cibi & potus ſolatio ſuſtinetur: cuncta inter furorem edentis & ſpectantis errorem prodiga & ſtulta voluptatem fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris & paſceris; tu æternam vitam operantibus polliceris: & vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus & præmiis cœleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus fratres Chariſſimi? Divitum mentes qua ratione defendimus? qua excuſatione purgamus, qui Zabuli ſervis minores ſumus, ut Chriſto pro pretio paſſionis & ſanguinis vicem nec in modicis rebus rependamus?]

Hoc Schemate defunctos è ſepulchris excitamus ac velut in ſcenam producimus. Sic D. Paulus advocaretur adverſus prædicantes Evangelici miniſterii corruptores, ſub hac vel ſimili verborum forma; [Quod ſi nunc ille veritatis Præco reviviſceret & inter Auditores Eccleſiaſticos conſtitutus Logodædalos concionantes audiret, non hac uteretur cenſura? Ego à Chriſto didici veram quam tradidi concionandi methodum, vos corrupiſtis. Ego veritatem quæ diu latuerat manifeſtavi, vos occuliſtis. Ego juſtitiam à ſervitute ſub qua tot ſæculis gemuerat liberavi, vos in vincula conjeciſtis, &c. Ego ſermonis ſimplicitate orbem ab errore vindicavi, vos loquacitatis fuco mundum luditis, &c.]

Ethopœja. Ethopœja eſt Allocutio, ſeu ſermonis imitatio ad mores, & ſuppoſitas perſonas accommodata; vel, eſt expreſſio morum & affectuum alicujus perſonæ nobis notæ, quam ſuos ſenſus prodentem repreſentat Orator. Hujus Figuræ uſus valet ad demonſtrandam aut improbitatem aut dignitatem, vel ad commiſerationem iramve excitandam. Ejus exemplum erit ſi quis induxerit Damnatum miſeræ ſuæ ſortis ſtatum renuntiantem ac plangentem. Id autem faceret commemorando calamitatem temporis præſentis & felicitatem præteriti, ac denique ex utriuſque miſeriæ comparatione

majo-

majorem ſibi in futuro metueret. Sunt enim hæc tria temporis capita ex quibus petuntur rationes quæ inſerviunt Ethopœjæ.

6. Sermocinatio, Græcis Dialogiſmus, eſt ficta perſonarum colloquutio; vel, eſt Figura qua cuique perſonæ affingitur ſeu attribuitur ſermo cum decore, hoc eſt, qui congruat perſonis loquentibus, ſeu ſit vir fortis, ſeu ſit mulier, ſeu ætate ineunte, ſeu matura. Sic Sap. 2. perditorum hominum cœtus ſe mutuò ad luxum hortatur: *Venite* (inquiunt) *& fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter*, &c. Ita in hiſtoria Machabæorum c. 7. tribuitur invictæ matri ac fratribus martyribus, ſermo quo uſi ſunt aut uti potuerunt. Ita D. Ambroſius de Virginibus l. 1. exhibet D. Agnetis martyrium ejuſque affectum & amorem in Sponſum exprimit. Habetur in Breviario Rom. die 21. Januarii. Plura ejus Figuræ exempla non refero, quia frequentiſſima ſunt & conſtant ut plurimum ex commixtione Proſopopœjæ cum Hypotypoſi; quibus ſupra explicatis, nihil videtur ad rem ulterius addendum. Dialogiſmus

7. Hyperbole, ipſo nomine ſignificat augmentum ſuperans fidem veri, definiturque Oratio fide major, ſive ad augendum, ſive ad minuendum comparata. Hujus Figuræ exempla plurima traduntur in ſacris Scripturis: ut cùm Geneſeos 13. Dominus promittit Abrahæ ſe æquaturum poſteritatem illius pulveri terræ. Hæc, ut ait Auguſtinus de Civit. Dei l. 16. c. 21. hyperbolicè dicta ſunt. Item Danielis 4. dicitur *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & proceritas ejus contingens cœlum, aſpectus ejus erat uſque ad terminos univerſæ terræ.* Hæc etiam per allegoriam de Nabuchodonoſore dicta hyperbolicè arbitratur Hieronymus. Hyperbole.

8. Ironia, quam alii Permutationem vocant, alii Simulationem & Illuſionem appellant, Figura eſt, qua non modo aliud ſenſu, aliud verbis, ſed omninò contrarium oſtenditur: Ea ſi uno verbo aut brevi oratione fiat, inter Tropos enumeratur, cùm verò longa oratione fiet, inter ſententiarum ornamenta recenſebitur. Hujus Figuræ exempla in Scripturis habentur plurima. Ironicè dictum putant aliqui, quod de primo Parente poſt tranſgreſſionem dixit Deus, Geneſ. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis, factus eſt ſciens bonum & malum.* Item ad Pſeudo-Prophetas loquebatur ironicè Helizæus 3. Reg. 18. dicens, *Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio, aut in itinere, aut certè dormit ut excitetur.* Ironia.

Hujus Figuræ uſus debet eſſe apud Eccleſiaſtas ſacros parcior; neque enim deceret Chriſtianum Oratorem ad Socratis exemplum paſſim ironicè loqui: Poterit nihilominus adhiberi ad imitationem SS. Doctorum qui eam uſurparunt cum irriderent Deos gentium, ritusque ſuperſtitioſos. Valet ad irridendum, ad exprobrandum, extenuandum, refellendum; & aliquando ad laudandum; omnibus ferè aliis Figuris ſubeſſe poteſt ac per ipſas expoliri.

SECTIO III.

De Figuris ad Permovendum idoneis.

1. ACCLAMATIO, ſeu Epiphonema, eſt Figura quæ Sententiæ præcedenti ſubjicitur tamquam rei narratæ ac probatæ coronis, ipſique arguta ſed brevi oratione accinit. Talis eſt illa ſæpiùs decantata 1. Æneid.

Tantæ molis erat Romanam condere Gentem.

Acclamatio. Variis aliarum Figurarum formis exprimitur Acclamatio; aliquando enim fit per Admirationem, qualis eſt mox citata; aliquando per ſimplicem Sententiam quæ dictis applaudit & ad ea executioni mandanda hortatur. Ejuſmodi eſt iſtud Pſ. 2. *Beati omnes qui confidunt in eo.* Sic etiam præmiſſum de Patientia ſermonem claudit Tertullianus l. 1. de Patient. c. 15. [Si injuriam depoſueris penes eum (ſcilicet Deum) ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, Medicus eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt. *Quantum Patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem!*]

Uſus hujus Figuræ non videtur fuiſſe Ciceroni admodum familiaris. Crebrò reperitur in D. Hieronymo, Ambroſio, Gregorio aliiſque Eloquentiæ Chriſtianæ probatiſſimis authoribus. Adhiberi poteſt ſingulis orationis partibus, ſed convenientiùs inſeritur Epilogis, nempe cùm inſperſa per totam Concionem argumenta infiguntur Auditorum animis. Vitetur tamen nimia & indecens Epiphonematum frequentia.

Addubitatio. 2. Addubitatio definitur, Figura quæ præ ſe fert hominis ſolliciti & in conſilii ſeu perturbatione ſeu acceptione hæſitantis affectum: vel Dubitationis Schema eſt cùm quærere videtur Orator, utrum de duobus potius, an quid de pluribus potiſſimum dicat, eligat, faciat. Tale eſt iſtud D. Cypriani ſerm. de lapſis. [Quid hoc loco faciam, dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? quid, aut quomodo dicam? lacrymis magis quàm verbis opus eſt, &c.] Item Euſebius Emiſſ. homil. de Nativit. Dom. [Quid primùm mirer, quidve poſtremum? quod ſine conceptu eſt collata fœcunditas; an quòd per partum magis eſt glorificata virginitas? ſed non mirum ſi ita peperit; talis erat ille cui nupſerat, &c.]

Uſus Dubitationis magnam vim habet ad rem exaggerandam, atque ad attentionem apud Auditores parandam, afficiuntur enim vel benevolentia vel admiratione erga Oratorem quem vident dubium quid debeat dicere vel facere; ſeu præ nimia rerum dicendarum copia; ſeu ob caſum aliquem fortuitum qui dicturo creet ſtuporem vel reverentiam; ſeu denique ob ejuſmodi occaſionem quæ conſilii deliberationiſve moram poſcat. Sic D. Gregorius de Magdalena fatur.

[Quid

[Quid igitur miramur fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? ſuſcipientem dicam, an trahentem? dicam meliùs, trahentem & ſuſpicientem, &c.]

Adhibetur aliquando in Exordiis cum laude; ut D. Bernardus ad Eugenium: *Unde jam initium ſumam?* &c. Tale eſt etiam iſtud pluries decantatum, *Eloquar an taceam?* &c. *Quo me vertam neſcio*, &c. Effingitur autem Dubitatio per alias Figuras cum venuſtate; qualis eſſet iſta ad peccatorem Apoſtrophe Contentioni admixta: *Quo te nomine appellem neſcio. Dicam ſaxum? at ipſis ſaxis etiam duriſſimis durior es. Vocabo belluam? at belluarum feritatem tua ſuperas ſævitia* &c.

3. Admonitio (ut ipſum nomen ſonat) fit cùm aliquem blandè ac placidè commonemus officii. Hujus Figuræ exempla frequentiſſima ſunt in ſacris Scripturis. Aliquando mitiùs effertur, ut Iſai. 1. *Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam*, &c. Aliquando delinquentem caſtigat, ut Proverb. 1. *Uſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo?* &c. Item D. Cyprian. contra Demet. ſic argumentationem claudit. [Reſpicite itaque, dum tempus eſt, ad veram & æternam ſalutem: & quia mundi finis in proximo eſt, ad Dominum Deum mentes veſtras Dei timore convertite: Deum vel ſerò quærite, quia jam pridem per Prophetam præmonens hortatur & dicit: *Quærite Dominum & vivet anima veſtra*. Credite illi, qui omnino non fallit; Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit; Credite illi qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit: Credite illi, qui incredulis æternæ ſupplicia Gehennæ ardoribus irrogabit, &c.] Admonitio.

4. Comminatio terrorem incutit metu futuri mali, ſeu malum ipſum per Hypotypoſim prædicat; ſeu nuda & ſimplici declaratione prænuntiet. Hujus Figuræ exempla frequentiſſima ſunt in Scripturis, ut Amos 6. *Væ vobis qui opulenti eſtis in Sion, Optimates, Capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael*. Item Math. 11. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betſaida*, &c. Ibid. 23. 13. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi*, &c. Comminatio.

5. Deprecatio, Obſecratio & Obteſtatio, plura ſunt nomina ejuſdem Figuræ, quæ eò ſpectat, ut vel opem imploret, vel Miſericordiæ motum concitet, vel ad eam hortetur, vel denique aliquid ſeu boni ſeu mali deſideret alteri. Exempla ſint iſta, Epheſ. 4. *Ipſe autem ego Paulus, obſecro vos per manſuetudinem Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audiam*, &c. Ita D. Paulus ſæpiſſimè obſecrat. Peroratio feliciter clauditur obſecratione, qualis foret iſta, *Quid mihi igitur ſupereſt, niſi ut orem obteſterque vos?* &c. Deprecando adhortatur iſta ſententia Math. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*. In bonam partem precatur Iſaac ſuo filio Jacob, Geneſ. 27. 28. his verbis, *Det tibi Deus de rore Cæli & de pinguedine Terræ, abundantiam frumenti & vini*, &c. In malam vero partem Paulus precatur homini Deum non diligenti 1. Cor. 16. 21. dicens, *Si* Deprecatio.

quis

quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, Maran-Atha.

Valet hæc Figura ad omnem motum; illa enim Auditores impellit Orator, modò ad gaudium, modò ad benevolentiam, modò ad odium; aliàs ad fiduciam, immo ad omne virtutis genus: ſed intereſt maximè ut ornatè tractetur; eſt enim omnium Schematum capax.

Exclamatio. 6. Exclamatio fit cùm poſt rei perſuaſionem vel ſaltem ſufficienter enucleatam, mens ſe continere non valens erumpit in ſubitam aliquam & brevem ſententiam qua rei magnitudinem teſtetur. Sepiùs exprimitur ac indicatur interjectione, *ô*, quamquam & abſque illa poſſit effingi. Sic Paulus Rom. 7. 24. exclamat, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Acriùs Galatas corripit hac Exclamatione, Galat. 3. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati?*

Uſus hujus Figuræ prudentiam & moderationem poſcit, tunc enim plurimùm valet ad rem augendam vel minuendam, & ad quemcumque affectum, præſertim commiſerationis, excitandum; Si verò frequentiùs & præter rationem adhibeatur, puerilis fit & inanis. Vix occaſio dabitur quæ exordiri jubeat ab Exclamatione; quamquam in re lugubri & inexpectata, non videtur abſonum ſi Orator incipiat ab his vel ſimilibus verbis quæ apud Hieremiam habetur Threnor. 10. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus!* Solet igitur præmitti dicti vel facti gravitas, dein Exclamationis Figura augeri vel minui, unde in Amplificationibus & Epilogis aptiſſimum ſibi vendicat locum.

Varias induit formas Exclamatio, hac enim quis indignatur, ut qui diceret, O crimen! ô ſcelus! *&c.* Exclamando corripit diſcipulos Chriſtus his verbis Luc. 24. *O ſtulti & tardi corde ad credendum ea*, &c. Ironiæ miſcetur ſic, *O egregiam peccatoris laudem!* &c. Graviſſima eſt ſimul & ſuaviſſima, quæ poſt ſingulas ſenteutias breviter & acutè exclamat. Ita Tertull. Apologet. c. 50. [Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit; facere aliquid in caſtris felicius potuit, nihil fortius. O ſublimitas animi! Empedocles totum ſeſe Catanenſium Ætneis incendiis donavit. O vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo ſe ſecundum matrimonium dedit. O præconium caſtitatis! *&c.*

Interrogatio. 7. Interrogatio à Percontatione diſtinguitur ſecundum aliquos, quod illa ſit volentis diſcere & expectantis reſponſum, iſta ſit urgentis inſtantia, ad quam reſponderi non poſſit. Venuſtatis plurimum & ardoris addit Orationi, ſi debitè inſpergatur, hac enim languens & æqualis Concio excitatur & acuitur. Hac frequentiſſimè utitur Paulus, ut 2. Cor. 11. 29. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non uror?* Molliùs & blandiùs aliquando profertur, ut Luc. 18. 18. *Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?*

Variis affectibus hæc Figura inſervit, Aſſeverationi, Commiſerationi, In-

Digitized by Google

Inſtantiæ, Indignationi, Admirationi, Dubitationi, &c. Interrogationem Occupationi jungit Paulus, ea ſibi objiciens quibus poterat ab amore divino retardari Rom. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio? an Anguſtia? an Fames? an Nuditas? an Periculum? an Perſecutio? an Gladius?* D. Ambroſius Virginem devotam cap. 1. terrendo monet his interrogationibus. [Quid tibi cum mortalibus? quid in illis deſideras ac requiris? caſtimoniam, quam non habent? quid? fidem, quam non inveniunt? doctrinam, quam non ſequuntur? jejunium, quod oderunt? abſtinentiam, quam judicant? humilitatem, quam opprimunt? ſobrietatem, quam negligunt?]

8. Increpatio ſeu Objurgatio factum vel dictum minus rectum reprehendit & caſtigat. Ita D. Paulus 1. Corint. Chriſtianorum lites arguit; *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos & non apud Sanctos?* Movetur etiam contra juſtitiam Objurgatio. Sic Phariſæi Chriſtum temerariè increpant Matth. 15. *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones Seniorum?* Huic Figuræ finitima eſt Conqueſtio, quæ variis adhuc modis exprimitur: aliquando enim miſeram ſortem noſtram lamentamur, ſic David Pſ. 12. 1. *Uſquequo Domine oblivíſceris me in finem? uſquequo avertis faciem tuam à me?* &c. aliàs nonnihil de alio conquerimur; ut Abacuc 1. *Uſquequo Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens & non ſalvabis? Hei mihi*, &c. Increpatio.

9. Licentia quam Græci Parrheſiam vocant, definitur Orationis libertas atque fiducia, liberiùs affectum mentis exprimens: ſcilicet, cùm Orator profitetur ſe præfidenti animo & magna libertate dicturum quæ gravia aut periculoſa dictu videbantur. Sic Paulus Actor. 25. 10. audacter ait; *Ad Tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari*, &c. *Cæſarem appello.* Adhibetur etiam, ut mitigentur quæ fortaſſe fuerunt aſperiùs dicta, velut: [Ignoſcite Auditores, ſi viſus fuero aliquibus nonnihil ſeveriùs loquutus, *&c.* Duriùs loquor, ſed huc me compulit impunis tot ſcelerum frequentia. Dei res agitur, audenter pro Deo conquerar. Indignamini quantumcumque volueritis, ò peccatores, propterea quidem doleo, ſed eò proceſſit inſania veſtra, ut cùm tacendi ratio non ſuperſit, fari jam ex præcepto debeam, *&c.*] Hæ & ſimiles loquendi formæ Licentiam exprimunt. Licentia ſeu Parrheſia.

10. Optatio eſt vehementis alicujus deſiderii ſignificatio, qua quod nobis aut aliis proſit optamus. Ut Cantic. 8. *Quis det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris & deoſculer te?* Item Hierem. 9. 2. *Quis dabit me in ſolitudine diverſorium viatorum, & derelinquam populum meum & recedam ab eis?* D. Chryſologus arborem primis parentibus prohibitam inſequitur hac Optationis Figura. [O ſi tunc vel levis turbo mortiferam arborem dejeciſſet! ò ſi nebulæ fumus illius mulieris tenebraſſet aſpectum! ò ſi terræ nubes lethalis pomi ſpeciem caligaſſet! ò ſi manus tangens inconceſſa tremuiſſet! &c.] Optationi affinis eſt Imprecatio Optatio.

tio quæ malum alicui deſiderat, ſed de ea ſuperius cùm de Deprecatione actum eſt.

Reticentia.

II. Reticentia, quam alii vocant Præciſionem, alii Exceptionem, eſt cùm abrupto ſermone, quod reticemus Auditorum animis æſtimandum aut ſuſpicandum relinquimus. Hac Figura uſus eſt Regius Vates Pſ. 6. *Anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine uſquequo?* Hìc reticetur, *non parces mihi?* vel aliud ſimile. Efficit Reticentia, ut plus intelligatur quàm ſi res fusè diceretur. Sic v. g. poſſet Eccleſiaſtes fari; [Utinam liceret innumera damnatorum corpora ignibus æternis undequaque exuſta veſtris oculis ſubjicere! cerneretis abyſſum pice, ſulphure, bitumine ſtagnantem, &c. At pluribus parco, ne vos ipſa rei formidandæ pictura exanimem: Video enim tremefactos omnium animos; Quid ſi ampliora recenſerem? Quid ſi res ipſa præ oculis veſtris gereretur? &c.] Reticentia uſus eſt Hieronymus Sabinianum increpans his verbis: [Infeliciſſime mortalium ſpeluncam illam in qua Dei Filius natus eſt & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? &c. Proh nefas! non poſſum ultra progredi: prorumpunt lachrymæ ante, quàm verba, & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur, &c.] De Figuris poterant hìc plura ſubjici, cùm infinitis prope modis proferri queant cùm verba tum ſententiæ, unde Schematum varietas exurgit; at ne multitudine gravetur Eccleſiaſtes novitius, præcipuas tantùm Figuras depinximus, alias poterit proprio labore apud Authores ediſcere & in ſuum uſum transferre. De his igitur ſatis, nunc de Compoſitione.

ARTICULUS II.

De Compoſitione ſeu de Verborum compoſitorum ornatu.

SECTIO PRIMA.

Ejus utilitas & partes.

Compoſitionis utilitas.

EAM habet cum humano corpore ſimilitudinem Oratio, ut quemadmodum partibus & membris per Articulos ingenioſè connexis ſubſiſtit illud ac perficitur; ita hæc Inciſis, Colis, & Periodis ſolerti artificio compactis exurgit ac conſtituitur. Inde Orationis venuſtas & elegantia, quæ non ſecus ac flumen per alveum pronum nullo reluctante obice decurrens, auribus cum maxima voluptate excipitur; vel ad inſtar ſpiculi per amentum ſeu nervum fortiter vibrati, duriſſimum etiam pectus configit ſuavi ſimul & concinna verborum ſententiarumque conſtructione.

Politam ejuſmodi Compoſitionem mirè commendant Oratores tum

ſacri

Digitized by Google

ſacri tum prophani: Illa non dedignetur Eccleſiaſtes Evangelicus, immo eam excolat, quantum Miniſterium rerum majeſtate occupatum deceat: Id enim ſenſiſſe videtur D. Paulus 2. Timot. 2. 15. dum ait, *Formam habe verborum ſanorum*, &c. Auguſtinus l. 3. de Doctr. Chriſt. c. 20. ſic de ſeipſo fatur: *Ego* (inquit) *in meo eloquio, quantum modeſtè fieri arbitror, non prætermitto iſtos numeros clauſularum*. Nolim tamen Concionatorem curioſiùs venari ſcrupuloſas comptioris ſtructuræ dimenſiones ac verborum tolutim incedentium frequentiores periodos; quas meritò quidam appellat *Spumam puerilium verborum, qua imperitæ aures conſpuuntur*. Claud. Mamert. l. 3. de ſtatu animæ. Cavendum eſt enim, ait Auguſtinus l.4. de Doctrina Chriſt. *ne divinis gravibuſque ſententiis dum additur numerus, pondus detrahatur*. Iſocratem harum minutiarum nimium obſervatorem Plutarchus ridet hoc dicterio: Quomodo (inquit) non ſonitum armorum phalangiſque hiatum metuiſſet, qui tantopere vocalem cum vocali conjungere metuebat?

Compoſitio igitur eſt *Partium Orationis concinna & expolita Conſtructio*. Hujus duæ ſunt ſpecies: prior dicitur ſimplex, libera, fluxa nullis ferè numeris illigata, ſed inſulſas & aſperiores ſolummodò litterarum, verborum aut ſententiarum concurſiones devitans, liberè ac vagè funditur. Tale eſt illud Geneſeos: *In principio creavit Deus Cœlum & Terram. Terra autem erat inanis & vacua*, &c. Altera ſpecies certis Inciſis ac Membris numeroſè compactis illigatur, de qua Sectione proxima, quantum propoſito noſtro ſufficiat, breviter acturi ſumus.

SECTIO II.

De Partibus Orationis, ſcilicet Commate, Colo, Periodo, earumque compoſitione.

COMMA dicitur Latinè Cæſum vel Inciſum; eſtque vel Dictio, vel Oratio minor Colo, ac ejus velut pars quædam abſciſſa, quæ ſenſum reddit imperfectum & à ſequentibus dependentem. Comma. Dictione igitur præſertim repetita nonnumquam perficitur, ut v. g. *animo*, *voce*, *vultu*, *geſtu*, &c. *peccas*, &c. Cęſa ſunt quæ duplici dictione conſtant, ut quæ Paulus 2. ad Cor. 11. 29. ſcribit, *In laboribus plurimis*, *in carceribus abundantiùs*, *in plagis ſupra modum*, *in mortibus frequenter*, &c. Comma dixi minus Colo, eſt enim illius pars, vixque ultra octo ſyllabas extenditur. Sæpiùs diſtingui ſolet per virgulam, ut illud 2. Cor. 11. *In itineribus ſæpè*, *periculis fluminum*, *periculis latronum*, &c. Aliquando diſtinguitur puncto, ſeu interrogante, qualia ſunt, *cur? quid ita? quo authore? quo ſocio?* &c. ſeu admirationis Figuram habeat, ut *ò Scelus! ò Peſtis, ò Labes!* Cæſim ergo dicit, qui Commatibus & Inciſis utitur in exprimendis

ſententiis, quod frequenter fit in familiari ſermone, in Congerie, in Contentione, in Syntheto, *&c.*

Colum. Colum ſeu Membrum, eſt Oratio quolibet Commate longior, quæ extra Periodum poteſt ſenſum perficere, intra verò Periodum non ſemper abſolvit ſenſum, ſed eo audito intellectus aliquid ulterius expectat à ſequentibus perficiendum. Abſoluti Membri exemplum habet Paulus 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* &c. Imperfecti & dependentis Coli exemplum eſt iſtud; *Si quis veſtrum fortaſſe miretur quod de re ſilenda dicturus prodeam.* Hoc enim pronuntiatio, intellectus necdum quieſcit, ſed aliquid adhuc deſiderat. Octodecim circiter ſyllabis conſtare ſolet Colum, ad triginta aliquando protenditur. Puncto cum virgula diſtinguitur ſi ſenſus fuerit minus completus, duobus verò punctis ſi perfectior fuerit. Quando Membrum alteri reſpondet pari ferè numero ſyllabarum, dicitur Iſocolon & Compar.

Periodus. Periodus à Latinis dicitur Ambitus, Circuitus, Comprehenſio, Converſio, Concluſio & Circumſcriptio. Eſt Oratio conſtans pluribus membris aptè ac rotundè inter ſe connexis & procurrentibus, donec plenam ſententiam clauſerit. Multiplex eſt Periodus pro numero partium ſeu membrorum quibus conſtat.

Bimembris. Bimembris Periodus eſt quæ duobus Membris ſeu Colis conſtituitur. Ejus membra debent eſſe ad invicem converſa & ſibi mutuò reſpondere, ut *Virtutum praxis non voluptatem modò, ſed & utilitatem parit: tam pius eſt, quàm doctus.* Poſſunt tamen Cola ejuſmodi Converſione carere.

Trimembris. Trimembris Periodus tria membra continet; qualis illa Pauli 2. Cor. 11. *In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego*, &c. Exquiſitiores Rhetores, jubent trium membrorum, vel primum vicem gerere Prutaſeos ſeu Propoſitionis, & duo poſteriora priori reſpondere in modum Apodoſeos, ſeu Reſponſi: vel duo priora ſententiam proponere & ultimum reddere rationem prioribus. Quamquam & abſque ejuſmodi Converſione ſæpius reperiatur trimembris Periodus. Quadrimembris ſeu quadrata Periodus, quatuor continet partes, quarum duæ priores Protaſim, ſeu Propoſiti explicationem præmittunt; aliæ poſteriores duæ præmiſſis reſponſum reddunt. In exemplum profero Tullii quadratam Periodum quæ Orationem pro Cæcinna his verbis exorditur: *Si quantum in agro, locíſque deſertis audacia poteſt*; (en membrum ex duobus commatibus conſiſtens) *tantùm in foro, atque in judiciis impudentia valeret:* (en Protaſis ex duobus membris præmiſſis) *non minus in cauſa cederet A. Cæcinna Sext. Æbutii impudentiæ, quam in vi facienda ceſſit audaciæ.* En Apodoſis.

Quadrimembris Periodus.

Pluribus etiam Membris conſtare poteſt Periodus, eoque ſæpius elegantior eſt quo longior; modò tamen rationem in longitudine ſervet, nec ultra productionem ſpiritus extendatur. Exemplo erit illud D. Cypriani Epiſt. ad Cornel. [Cæterum dico, dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus; quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur,

tur, quando populi univerſi ſuffragio deligitur, *&c.* cùm talis frater à quibuſdam deſperatis & ineruditis & extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet: non ſcilicet Chriſtus, qui ſacerdotes aut conſtituit aut protegit: ſed ille qui Chriſti adverſarius, & Eccleſiæ ejus inimicus, ob hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur, ut Gubernatore ſublato, atrociùs & violentiùs circa Eccleſiæ naufragia graſſetur.]

Plura quæ de Periodorum ſtructura, amplificatione, contractione & expolitione dicenda occurrent, ultro prætermittimus, quia non eſt inſtituti noſtri minutiſſima expendere quæ Scholæ docent ex profeſſo. Qui ampliora diſcere voluerit, eas conſulat, hìc tantum compendiosè ſubnectimus aliqua, quæ ad Periodi ornatum & uſum ſpectant.

Ornatus Periodicæ Compoſitionis deſiderat, primò verborum cæſim & membratim ac numerosè diſpoſitorum conſtructionem: Deinde concinnam ſequelam ex qua ſuavis fiat pronuntiatio, quæ gratior erit 1. ſi viteneur aſperiorum Conſonantium commiſſuræ; ut ars ſtudiorum, Xerxis exercitus; nam R. S. X. ſtrident & inſulſum edunt ſonum. Item crebriores Vocalium concurſiones, ut vaccæ æneæ. 2. Fugiantur ſimiliter cadentia frequentiora, monoſyllaba plura mutuò conſequentia. 3. Abſit nimia ejuſdem verbi uſurpatio & ille numerus qui Poeſim imitetur. Denique ad ornatum Periodi confert quod certa eligantur verba, quorum alia exordiantur Periodum, alia in medio collocari poſtulent, alia tandem clauſularum vices gerant. Quæ autem illa ſint docent fusè Rhetores, & quilibet diligens Orator poterit experientia comperire: nam quælibet lingua ſua ſuas habet dictiones cuilibet Idiomati proprias, quarum aliæ initio, medio aliæ, aliæ clauſulis accommodantur. Ornatus Periodi.

Uſus Periodi probatur ille qui non eſt perpetuò ſimilis, ſed modò bimembres, modò trimembres, modò quadrimembres adhibet; illa enim varietas faſtidium levat, Orationem acuit & artificii ſuſpicionem tollit. Quadrata Periodus maximè convenit Exordiis, aliiſque orationis partibus, quæ majeſtatem ac dignitatem præ ſe ferant: aliæ verò Periodorum ſpecies miſcentur cùm incaleſcente oratione Eccleſiaſtes perſuadere ac flectere nititur. Membra & Inciſa Altercationibus, Dialogis, Epiſtolis quæ minus gravitatis & plus acrimoniæ habent, inſerviunt. Uſus Periodi.

CAPUT IV.

De quarta Elocutionis Proprietate, quæ eſt Aptè Dicere.

TRES Elocutionis Dotes, Puritatem, Perſpicuitatem & Ornatum explicuimus, quarta ſupereſt non minima, ſcilicet *Aptè & Appoſitè Dicendi ratio*, quæ orationem omnibus circumſtantiis accommodatam reddit. Quod fiet, ſi qui aptè dicere cupit, quatuor præcipuè obſervet, nempe ut *Oratio tum Dicenti, tum Auditori, tum rebus ipſis quas tractat, tum officio quod gerit, maximè conveniat*. Hoc eſt ſi conſideret, Quis dicat, Quem alloquatur, Qua de re dicat, & quid potiſſimùm dicendo conſequi velit. De his multa diximus l. 1. hujus Partis c. 2. ubi de Fine & Officio Eloquentiæ Chriſtianæ; hæc duobus articulis ſubjungenda ſuperſunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Appoſita ratione Dicendi, & aliquibus Elocutionis Virtutibus.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit appoſitè dicere ad Perſonam tum Oratoris, tum Auditoris.

Quid ſit appoſite dicere ex parte Dicentis?

1. PERSONÆ Dicentis ratio maxima debet haberi, neque enim quemcumque Oratorem omnia decent: alia quippe uni conveniunt quæ non alteri; & quemadmodum militaris ſupellex aliunde exquiſitiſſima non omni congruit militi niſi adæquata & adaptata, nec etiam Orationis Genius ſtiluſve cuicumque Eccleſiaſtæ accommodatur. Quod ut feliciter ſuccedat, hæc ſolent præcipi. 1. Ad omnes Oratores pertinet, ne quid dicant, quo Auditores offendi jure poſſint: hoc eſt, ut nihil inſolenter, nihil arroganter, nihil inverecundè, nihil contumelioſè, nihil ſordidè, nihil ſcurriliter, nihil abjectè, nihil licenter aut aliàs indecenter & vitioſè dicant: ſed totus Orationis Character modeſtiam, humanitatem, charitatem, & communis ſalutis ſtudium & ardens veræ pietatis deſiderium preſeferat. Hanc mentem, hunc habitum Evangelica pietate & modeſtia pleniſſimum induat, fugat, ſpiret ſacer Eccleſiaſta in omnibus Concionis partibus, maximè in Exordiis quæ ſubmiſſa & verecunda debent eſſe. 2. Ad quoſcumque etiam Eccleſiaſtes ſpectat fugere oſtenta-

oſtentationem & jactationem, tum geſtu, tum verbis, tum rebus proditam; hæc enim venditatio faſtidium Auditoribus affert, ſed plerumque æmulationem & odium. 3. Denique videat Orator, quam perſonam ipſe gerat & gerere debeat. Juniorem Concionatorem alia decent, alia provectiorem, alia ſeniorem & plena ætate maturum. Conveniunt plurima Eccleſiaſtis in dignitate conſtitutis, quæ inferiores & nulla authoritate commendabiles dedecerent. Perſonæ autem Dicentis ſicut & Audientis ratio attendi debet ex Circumſtantiis, quæ perſonas afficere ſolent, velut *Nomen*, *Natura*, *Victus*, &c.

Quid ſit Aptè dicere ad perſonam Auditoris?

2. Auditorum Perſonas obſervet prudens Orator, etenim pro illorum varietate Concio variè debet accommodari. Horum circumſtantiæ ut plurimùm occurrunt iſtæ, nimium quòd ſint aut Rudes & Agreſtes, aut Eruditi & Nobiles, aut Eccleſiaſtici & Religioſi, aut meticuloſi & facilè tractabiles, aut obſtinati & rebelles, aut alicui negotio addicti, quales ſunt milites, mercatores, *&c.* aut denique aliquo vitio publico infames, malè apud omnes audiunt. Hæc, inquam, accuratè attendat ſapiens Eccleſiaſtes; His omnibus Concionem accommodet pro varietate ſcilicet Auditorum, ad quos haberi debet ſermo. Ruſticos erudiat, & eorum imperitiæ ita ſe, verba, reſque dicendas ſubmittat, ut (ſi fieri poſſit) nihil eorum quæ dixerit, fugiat quæmcumque ignarum & ſtupidum; Erga ejuſmodi homines valent, Exempla, Parabolæ, Similitudines è rebus familiaribus deſumptæ, & alia quæ veritatem quaſi ſenſibus ſubjiciunt. Stilus debet eſſe ſimpliciter & demiſsè fluens, verba non deſpiciat tritiora, modò non ſint ſordida, eo enim fine loquitur Orator ut intelligatur. Figuras uſurpet quæ doceant & delectent, aliquando terreant, his enim ſeverioribus monitionibus moventur Ruſtici. Eruditos Auditores, Nobiles, Sacros & Pios, decet Oratio ſublimis, elaborata & leporibus identidem perſperſa, Figuris ad delectandum & flectendum idoneis pro opportunitate permixta. Nec abblandiatur Oratio comptioribus & mollioribus dicendi formis; nec etiam horridior appareat durioribus & aſperioribus increpationibus, quæ aures delicatas vellicent, meticuloſiores plus nimio terreant, & Religioſiores importunis, inſulſis & fortè ignorandis objurgationibus fatigent niſi contaminent. Paucis plura complectar, ſi dixerim Eccleſiaſtam debere per omnia ſe ſuaque ſingula Auditoribus accommodare pro eorumdem & ſufficientia & neceſſitate. Sic conſulebat, ſic ſe gerebat Paulus ſcribens 1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis*, &c. Item 1. *Timot.* 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem*. Item 2. *Timot. Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem: rectè tractantem verbum veritatis*, &c. Vide quæ dicta ſunt l. 1. hujus partis c. 4. art. 2. ſect. 4.

SECTIO II.

Quid ſit Appoſitè dicere prout Rebus ipſis convenit.

Ubi de variis Cauſarum generibus & dicendi formis.

Quid ſit Appoſite dicere, ad Res ipſas?

AD Inventionem ſpectat adhibere rationes & Argumenta, non quidem promiſcuè & ſine diſcrimine occurrentia, prout ex fontibus Promptuariorum deſumi poſſunt, ſed prudenter & magno ſtudio eligere è multis quæ propoſitum rectiùs & fortiùs probent ac ſuadeant: Item ad Diſpoſitionem pertinet eaſdem probationes inter ſe ordinare ut debitum obtineant ſitum: At Elocutionis munus eſt ea omnia convenientibus ornamentis veſtire, prout Rerum conditio meretur: nam, ut ex Cicerone ait D. Auguſtinus [Is eſt eloquens, qui ut doceat, parva ſubmiſsè: ut delectet, modica temperatè: ut flectat, magna granditer dicit.] Atque hæc eſt Elocutionis virtus, cùm delectationi tum perſuaſioni maximè neceſſaria, duo autem attendit iſta dicendi cura appoſita, nempe varium Cauſarum Genus & variam dicendi formam ſeu Ideam, de quibus hæc obſervanda occurrunt.

Triplex Cauſarum Genus.

1. Triplex eſt Cauſarum Genus, *Didaſcalicum*, ſeu Doctrinale, quod Ignorantiæ tenebras illuſtrat dilucida Doctrinæ traditione; *Demonſtrativum*, quod laudi aut vituperationi vacat; *Deliberativum*, quod in ſuadendo vel diſſuadendo occupatur. De his abundè agitur l. 1. primæ Partis hujus, cap. 2. & cap. 4. art. 1. & tota Parte 2. ubi quod hìc dicendum foret explicatur, nimirum quale Elocutionis Ornamentum cuilibet cauſarum Generi accommodetur.

Triplex Dicendi forma.

2. Triplex eſt Dicendi forma ſeu Idea, *Grandis*, quæ Gravis & Sublimis dicitur; *Mediocris*, ſeu Temperata; *Infima* ſeu Demiſſa vel Attenuata. *Grande* dicendi genus conſtat ex verborum & ſenſuum gravium magna ornataque conſtructione. *Mediocre*, conſtituitur ex humili non tamen infima & pervulgatiſſima verborum dignitate. *Infimum* dicendi Genus eſt quod demittitur uſque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem.

Grande Genus Dicendi.

Grandis forma dicendi, non tam verborum Ornamentis attendit, quàm rerum ponderibus ac ſenſuum affectibus. Excipit quidem omnia Elocutionis lumina, ſed prout occurrunt rapit potiùs quàm exquirit: gaudet verborum ac ſententiarum Figuris gravioribus, quæ majeſtatem, reverentiam, & terrorem ſignificent, quales ſunt Amplificationes magnificæ, *Hyperboles*, *Hypotypoſes*, *Proſopopœjæ*, *Metaphoræ*, *Synatroiſmi*, &c. Accommodatur Rebus dignitate, majeſtate, & timore plenis, quales ſunt vehementes objurgationes, malorum impendentium, mortis infauſtæ, judicii formidandi, tartareæ acerbitatis & ſimilium Deſcriptiones. Valet ad exageranda ſupplicia, ſcelera, pericula, & quæcumque maxima

ma ad ciendos motus, & excutiendas lachrymas idonea. Hujus Grandis formæ Exempla ſint iſta. Iſaiæ 1. 2. *Audite Cœli & auribus percipe Terra*, &c. Jerem. 2. 12. *Obſtupiſcite Cœli ſuper hoc*, &c. Apud D.Paulum frequenter, ut 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes ullam offenſionem ut non vituperetur miniſterium noſtrum*, &c. Item Roman. 8.35. *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio?* &c. Granditer invehitur in Sabinianum D. Hieronymus his verbis, Tu infeliciſſimè mortalium, ſpeluncam illam in qua Dei Filius natus eſt de ſtupro conditurus ingrederis? *&c.* Epiſt. 40. ad Sabin.

Mediocre Dicendi Genus.

Mediocris idea, ſubmiſſior eſt Grandiori, ſed uberior & robuſtior humili, omnia Elocutionis Ornamenta ſuſcipit, ac præſertim quæ ad delectandum valent, hoc enim genus ſuavitatis plurimum habet. Ideo invenienda ſunt res quibus ſuavis & morata ſit Oratio, ut aliquid admirabile, inauditum, novum, fabulæ, hiſtoriæ, adagia & ſimilia Argumenta quæ jucunditatem pariant. Diſpoſitio ſit facilis & plana; verba ſuaviter & numeroſè fluant, floribus conſpergantur, & Figuris delectationem moventibus efformentur. Generi Exornativo, nec-non & Didaſcalico præſertim coram eruditis convenit. Sic temperatè loquitur Paulus Roman. 12.1. *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, &c. Sic etiam eloquitur D. Cyprianus de Diſcipl. & habit. Virg. *Nunc ad Virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria eſt, major & cura. Flos eſt Eccleſiaſtici germinis*, &c.

Humile Dicendi Genus.

Humile dicendi genus, tam verbis quàm rebus & compoſitione eſt demiſſum. Hujus proprium eſt docere & in eo conſuetudinem loquendi vulgarem quidem, politam tamen & ſordibus purgatam imitatur Orator. Res, Figuras, Pronuntiationem poſcit quæ Auditorum mentibus illabantur planitie, perſpicuitate & facilitate. Hoc genere uſus eſt Paulus Galat. 4. 21. *Dicite mihi* (inquit) *qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis? ſcriptum eſt enim: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*, &c. Hæc ſunt clariora quàm ut pluribus indigeant exemplis.

SECTIO III.

De Stilo, & aliquibus Elocutionis virtutibus.

Optimus Stilus quæ cavere & obſervare debeat?

EX præmiſſis liquet Oratorem debere magna uti prudentia & induſtria, ut Dicendi genus, ſibi, Auditoribus, rebus dicendis, aliiſque tum loci, tum temporis circumſtantiis accommodet: unde ſtudeat neceſſe eſt conſequi virtutes quæ cuique generi finitimæ ſunt; cavere autem à vitiis ad quæ facilis eſt ex illis deflexus. V. g. Grande Genus caveat ab Inflato; ut enim tumor imitatur bonam valetudinem, ſic inflatus grandem ſtilum. Mediocris idea caveat à ſtilo diſſoluto quo Auditores patiuntur tædium, ſitque Concio exanguis. Idem ſibi caveat humilis forma, ne ſcilicet languente

guente doctrina torporem ſomnumve inducat. Conſilium optimum erit ſi Concionator plura ſimul dicendi genera, variaſque formas prudenter, ingenioſè & opportunè commiſceat.

Vitioſus Stilus. Stilus nihil eſt aliud quàm forma dicendi, quæ ſi fuerit optima Stilum faciet optimum, ſi à debita rectitudine deviet iſta, deviabit & ille. Stili vitia ſunt 1. *Inflatus* & luxuriæ nimia fluctuans, ſeu verbis, ſeu rebus, ſeu utriſque. 2. *Puerilis*, qui næniis & ludicris immoratus, magna deſerit ac negligit ut tenuiſſima inſequatur. 3. *Frigidus*, exanguis, ſiccus & inornatus. 4. *Inſanus*, furioſus & nimis concitatus. Laudabilis ergo Stilus qui horum vitiorum expers, acutus eſt, gravis, ſuavis, varius & ornatus.

Elocutionis virtutes. Præter dotes Elocutionis ſuperiùs enumeratas, aliæ non minimi momenti virtutes ſuperſunt, de quibus cùm plura identidem & ſparſim, ſcilicet pro data occaſione, dixerimus; pauca ex Granatenſi compendioſè tranſumpta ſubjungimus: deinde vitia eiſdem oppoſita indicabimus. Hæ autem virtutes Orationis expolitioni conferentes, ſunt *Energia*, *Concinnitas*, *Dinoſis*, *Copia*, *Varietas*: ſingulas breviter attingimus.

1. Energia. 1. Energia, quæ Latinè dicitur Evidentia ſeu Repræſentatio, Rem oculis evidenter veluti ſpectandam proponit & repræſentat; de qua Fabius Lib. 8. cap. 13. [Magna virtus eſt, res de quibus loquimur clarè atque ut cerni videantur enuntiare.] Quod aliquando brevi Oratione, aliquando longiori efficitur: Hoc modo Cicero luxurioſum convivium deſcribit his verbis. [Videbar videre alios intrantes, alios verò exeuntes, quoſdam ex vino vacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Humus erat immunda & lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium. Quid plus videret qui intraſſet? Sic urbium captarum creſcit miſeratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam eſſe civitatem, complectitur omnia, quæcumque talis fortuna recipit; ſed in Affectus minùs penetrat brevis hic velut nuntius: At ſi aperias hæc, quæ verbo uno incluſa erant, apparebunt effuſæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantium, feminarumque ploratus, malè uſque in illum diem ſervati fato ſenes; tum illa Prophanorum, Sacrorumque direptio, efferentium præda, repetentiumque diſcurſus, & acti ante ſuum quiſque prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter victores.] Hæc ex Granatenſi Fabium referente.

Ex præfato exemplo liquet quantum poſſit ad Orationis cùm efficaciam, tum venuſtatem Energia, quæ rem ita narrat ac deſcribit, ut qui dicit non tam dixiſſe quàm pinxiſſe, & qui audit non tam audiiſſe quàm inſpexiſſe videantur. Quomodo verò & qua ratione id fieri poſſit, dictum eſt ſupra inter Figuras ad delectandum idoneas, cùm de Deſcriptione ageretur.

Ener-

Energiæ finitima eſt Emphaſis, quæ altiorem præbet intellectum quàm verba ipſa ſonent. Ejus autem duæ ſunt ſpecies: altera quæ plus ſignificat quàm dicit; altera quæ id etiam quod non dicit ſignificat. Emphaſis eſt in præcepto quo Abſalon ſatellitibus juſſit Ammonem fratrem occidere, 2. Reg. 13. 28. *Nolite timere* (inquit) *Ego enim ſum qui præcipio vobis*. Emphaſim habet vox *Ego*, quæ authoritatem jubentis notat. Item Chriſtus Matth. 5. 44. ait: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros*. Emphaſis eſt in voce *Ego*; quaſi diceret: Attendite quòd non alius jubeat dilectionem inimicorum, ſed *Ego ipſe* ſim qui id jubeam; *Ego* Dominus, Redemptor & Glorificator; *Ego* cui omnia parent, etiam Dæmones, hoc mandatum *Ipſe* dedi hominibus; *Ego* qui opere priùs perfeci quod verbo præcepi, &c. Item Emphaſim habent verba D. Pauli 2. Timoth. 1. 18. cùm ait: *Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die*. Emphaſis.

Hìc animadvertenda eſt & vitanda Concionatorum Logodædalorum dicacitas, qui tempus omne (quod ſeriis & gravibus rebus debetur) abſumunt in Deſcriptiunculis rerum inutilium, vel ſanè minutiorum, ac de ejuſmodi nugis nomen ſibi facere arbitrantur, quaſi veriſſimum Eloquentiæ apicem attigiſſent. Apage ſimiles Loquacitates, quæ nec puerum Rhethoricæ prophanæ diſcipulum decerent, tantum abeſt ut Eccleſiaſtæ ſacro conveniant. De iis egimus l. 1. hujus partis, cap. 3. art. 3. cùm Artis nimia curioſitas improbata eſt. Caveat igitur Eccleſiaſta noſter ab ejuſmodi verboſis, Auroræ v. g. Floris, Tempeſtatis, Triumphi, &c. picturis: Hæc enim non ſunt Eloquentiæ, præſertim ſacræ, Emphaſes, immo ejus ſunt potiùs vana ſimulachra, niſi malueris cum D. Paulo tot Evangelii Adulteria appellare. Non diffiteor quòd in ſcriptis SS. Patrum reperiantur aliquando Deſcriptiones floridæ, ſed hæ non ſolùm verbis jocantur, at virtutem divinam ſpirant, & ſub vocum textura nonnihil abblandiente, ſalutem tum audientium tum legentium efficaciter ſuggerunt. Deſcriptiones rerum inutilium & minutiorum vitandæ ſunt.

2. Concinnitas, virtus quædam eſt Eloquutionis, quæ gratiam & benevolentiam omnium ſibi conciliat, per eam quæ affulget venuſtatem animos oculoſve ſingulorum demulcens. Vix definiri poteſt in quo præcisè ſtet ejuſmodi Concinnitas. Aliquando fit verborum grata Structura, aliquando Pronuntiationis ſeu geſtu ſeu voce perficitur. Non Artis videtur donum, ſed Naturæ & Gratiæ beneficium, quamquam & huic non minimum conferat Artis induſtria. Hujus virtutis defectu Concionatores aliqui, quamquam aliunde diſerti, aures & oculos omnium ita diſcruciant, ut ſi locum quem fortè ob eruditam compoſitionem inter Oratores mutos merentur obtinere velint, ii nec videri nec audiri debeant, ita ſcilicet plurimùm diſtant à Concinnitate geſtus & vocis: contra pollerent alii gratia Pronumtiationis, ſed his ſermonis Concinnitas deeſt. Concinnitas.

Gravitas in Dicendo.

3. Dinoſis, Latinè Gravitas, virtus eſt quæ rei magnitudinem exaggerat, & præſertim cùm facti alicujus indignitas oſtenditur. Hac enim fit ut rei appareat indignitas, tanta quanta eſt, & interdum major quàm ſit: Demoſthenes hac virtute excelluiſſe dicitur; utinam & in omnibus Eccleſiaſtis reperiretur, ut illi ſcelerum indignitatem, Peccati ſupplicia, Salutis neglectum, aliaque ſimilia ad quæ ſtupent homines, ita ſermonis efficacia attollerent, ut vivis & genuinis coloribus depicta, fierent tanti quanti fieri debent. Quomodo ea dicendi Gravitas poſſit Artis beneficio haberi, docetur ſequente libro ubi de Amplificatione. Sed eſt quædam in dicendo Gravitas quæ aliquibus à Natura conceſſa eſt, qua illi quæcumque dixerint grandia faciant & magnifica.

Copia ſeu ubertas in Dicendo.

4. Copia, eſt Orationis ubertas, qua quidquid aptè & commodè ad cauſam afferri debet, facundiſſimè & facillimè dicitur, nihil verò eorum quæ utilia ſunt prætermittitur. Notat Granatenſis, quod quemadmodum duo vitia Liberalitati oppoſita, nempe Avaritia & Prodigalitas, virtutem ex utraque parte ita ſepiunt, ut prior defectu, altera redundantia, mediocritatem laudabilem deſerat; ita Copiæ duo dicendi vitia utrinque adverſantur; prior eſt Ariditas & inopia, qua Oratio jejuna fit & ſterilis, tum verborum, tum ſententiarum neceſſaria ſupellectile; poſterior eſt Redundantia, quæ ſuperfluitate & prolixitate peccat. Ab utraque recedit Copia quæ reſecatis inutilibus & ſuperfluis, utilia & neceſſaria commodè & oppoſitè adhibet.

ARTICULUS II.

De Varietate & cæteris Elocutionis Dotibus, nec non & de ejuſdem Vitiis.

SECTIO II.

De Varietate ſeu Methodo Variandæ Orationis.

Varietatis utilitas.

HOMINUM genius eſt iſte, ut novitatis & diverſitatis ſemper avidus, res etiam optimas minoris faciat, faſtidiat ac prorſus deſpiciat, ſi vetuſtatis aut æqualitatis, ſeu (ut dicam) Identitatis faciem præſe ferant. Hinc ad Elocutionis Ornatum maximè commendatur *Varietas*, quæ res diverſas, aut eaſdem ſed diverſà veſte indutas rapræſentans, ſatietatem ex ſimilitudine metuendam prævertat, & appetitum diverſitatis illecebra provocet. De hac Tullius 2. de Orat. num. 177. ſic ſcribit: *Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat attem, qui audit, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Proponi oportet quid afferas, & id quare ita ſit, oſtendere; & ex iiſdem Locis interdum concludere, relinquere aliàs, alio-*

alioque tranſire: Sæpe non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit declarare: Si cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes; deinde quod agitur, adjungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare poſſit, ut re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur &c. Idem ſentiunt de Varietate omnes Eloquentiæ Magiſtri, illam ſcilicet ita præſtare arbitrantur, ut maximam inde gratiam hauriat oratorium opus; arridet quippe quod prudenti varietate contextum ac inſperſum proponitur; nauſeat verò, niſi ſordeat, quod diverſitate carens, idem ſemper aut eſt aut æſtimatur. Hæc igitur Orationis virtus, cùm plurimum faciat ad Elocutionem & ornatum cujuſcumque rei quæ dici poteſt, poſteriorem iſtius libri 4. partem ceu ejus Coronis occupabit.

Varietas autem in hoc videtur ſtare, quòd Orationem vel Orationis partes repræſentet diverſas, ſeu alias ab aliis nonnihil differentes, vel ſanè ſi eædem ſimileſve ſint, has vario & differente modo conformatas exhibeat. Quæ Varietas in plurimis rebus ſpectari debet. 1. Variantur Themata Concionum. 2. Propoſita. 3. Formæ. 4. Partitiones. 5. Argumenta ſeu probationes. 6. Argumentationes, ſeu Argumentorum formæ. 7. Figuræ. 8. Dicendi Genera. In his, inquam, Varietas deſideratur, quæ quomodo fieri poſſit ſigillatim paucis expendo. In quo ſita ſit varietas.

1. Themata videntur Varietate indigere. Scio non eſſe inſuetum aliquibus ex celebrioribus Eccleſiaſtis, idem pluribus Concionibus præponere Thema; cùm duntaxat idem verſatur propoſitum, per Adventus, Octavarum, Miſſionum, &c. tempora, quibus unicum aliquod generale intentum præſtituitur obtinendum. V. g. ſuſcipiatur Pœnitentia ſuadenda, Peccati fuga; ſi agatur de Peccatorum pœna, de Juſtitiæ Divinæ operibus & aliis ſimilibus propoſitis continuo curſu tractandis; His, inquam, penſis idem ſpirantibus, ac non intermiſſis, ſolent plurimi Thema idem præfigere ad ſingulas Conciones: At quamquam illud non auſim improbare, quod aliquando fit à peritioribus; immo id à ceteris poſſe etiam cum laude fieri arbitrer; puto tamen (niſi mea me fallat conjectura) feliciùs & jucundiùs ceſſurum ejuſmodi negotium, ſi ſervato propoſiti ſenſu varietur Thema: hoc eſt, diverſum aſſumatur pro ſingulis Concionibus, modo communi ſcopo conveniat & accommodetur. Nam (ut taceam quod ad Homojologiam & ſimilitudinis vitium accedit, Thematis nimirum ejuſdem repetitio frequentior, ideoque nauſeam fortaſſe creabit aliquibus) unum incommodum proferam, quod experientia probavi, ut plebis aniculæ, ac ipſi pueri riſum ſæpe moveant & ludum de Themate quotidiano, quod ferè in Proverbium circumforaneum abit, & tamquam fabula jactatur, ob frequentiorem uſum; audiuntur enim per vicos ſponſione certare, de primo verbo quod prolaturus eſt Concionator die ſequente. Solebat aliquis Eccleſiaſtes præfigere Quadrageſimalibus Concionibus, iſtud Pſ. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit*; Vultis 1. Varietas Thematum.

Digitized by Google

mecum ſpondere (ajebat ad ſocios certatim puellus) me dicturum verba à quibus Prædicator noſter, faciet ſermonis craſtini principium? Levia videbuntur fortaſſe ejuſmodi incommoda; ſed facillimè vitabuntur, ſi modico labore per Concordantias Bibliorum alia exquirantur Themata, quæ ad propoſitum verbis aliis idem ferè ſignificantibus accommodentur.

2. Propoſitorum varietas. 2. Propoſitum Varietate gaudet, nam cùm Auditorum animus fatigetur, immo & adversùs dicta frequentiùs repetita earundem rerum tractatione pertæſus inſurgat; videtur ex prudentia Eccleſiaſtis eſſe, materias & propoſita variare: Hoc eſt, non perpetuo Concionator intonet Pœnitentiam, Mortem, Judicium, Infernum, &c. Ad hæc enim terribilius ſonantis, velut ad incudis ictus obſurdeſcunt Auditores, & dum ab aſſuetis non fit paſſio, ita illi quotidie repetitis terroribus aſſueſiunt, nec formidant minas quas ad metum fruſtra compoſitas cenſent. Mallem igitur propoſita nonnihil variare, ut his recreatus Auditorum animus ardentior fiat ad ea percipienda & exequenda, quæ (ut ait Tertullianus) ex raritate ponderat ac æſtimat. Nolim hìc improbare, quòd plures in eundem finem Sermones dirigatur; immo id probo; quia ut guttis pluribus emollitur & excavatur lapis, ita pluribus Concionibus atteritur Peccator, qui fortaſſe ad unicam vix evigilaſſet, ſed prudenter fieri arbitror, ſi remiſſiores ſermones acrioribus intermiſceantur, & propoſita nonnihil molliora aliquando ſeligantur, quæ mentes vehementioribus efferatas demulceant, & abblandiente paululum Oratione delinitas ad puncturam (ut ajunt) ſenſim & cautè parent.

3. Formæ Concionum varietas. 3. Neſcio an cum peritioribus benè ſentiam, ſed ingenuè fatebor mihi non omnino probari Oratorem, qui eadem dicendi forma dicit ſemper quæcumque dicenda ſuſceperit: hoc eſt, eadem methodo formatum præmittit Exordium, Introductionem ſimili arte inſtructam, Partitiones ejuſdem numeri quoad capita, ac paris inventionis, quantum compoſitionis intereſt, cætera item non diſpari ratione tractata quotidie profert; Hæc (inquam) frequentior ejuſdem formæ repetitio mihi videtur ab Eloquentiæ genio recedere; ut enim ab iiſdem aut ſimilibus verbis faſtidium ſumunt Auditores, ita & à paribus Concionum formis. Audivi quemdam, aliunde non incelebrem Eccleſiaſtem, qui de propoſitis diverſiſſimis concionatus, idem tractaſſe propoſitum viſus eſt, quia eandem dicendi formam uſurpaverat in rebus longiſſimè diſtantibus; Iſta plus nimio ſibi conſtans compoſitionis ac ſtili æqualitas, anguſtioris induſtriæ argumentum eſt, & quemadmodum pictor ille non cenſeretur in arte primarius, qui Tabellas omnes non niſi ſub unica tantùm forma, vel eodem ſemper colore expreſſas exhiberet; ita nec Concionator diverſa propoſita eodem modo tractans, videtur eximii gloriam mereri. Conſuluerim ergo Concionum formas variare, cùm penſum inſtat continuum & quoti-

dia-

dianum; non quidem quòd ſingulis diebus varia proferatur forma, ſed ſaltem varietur, cùm illud præſtandi ſe ſe obtulerit juſta occaſio. Id fiet, ſi aliquando exordiatur Orator ab uno è Procemiorum fontibus, aliquando ab aliis; modò per unam Præloquii formam, modò per aliam faciat initium, ut dictum eſt l.3. c.2. Aliàs adhibeatur Introductio, aliàs prætermittatur. Nunc Partitionem uſurpet trimembrem, nunc bimembrem. Nunc utatur forma Concionum ordinaria, nunc verò inſolita; quales ſunt *Forenſis Oratio*, *Medico-moralis*, *Dialogiſtica*, aliæque ſimiles, quarum regulæ ac exempla traduntur in ſecunda hujus Operis parte. At in his non modica induſtria opus eſt, ut feliciter & utiliter fiant. Quomodo & quando ſit adhibenda varietas.

4. Partitiones variari etiam debent. Hæ ſcilicet modò ducantur ab uno Diviſionum fonte, modò ab altero; modò Bimembres fiant, modò Trimembres; nonnumquam Quadrimembres. Aliquando Subdiviſionibus diſtinguantur; aliquando plurimis partibus gradatim ſuccedentibus increſcat Oratio, ut docetur in ſecunda Parte. Aliàs Exordio, aliàs Introductioni Partitiones inſerantur. Nunc ſimpliciter & nudè proferantur, nunc cum Antithetis, nunc cum aliquo alio verborum induſtrio circuitu. 4 Partitionum varietas.

5. Argumentorum ſeu probationum Varietas, tædium abſtergit & delectationem parit non modicam. Hoc eſt, cùm plurimi ſint fontes è quibus erui poſſunt rationes ad propoſiti Confirmationem, de quibus ſupra l. 2. in Promptuariis abundè dictum eſt, inde varia debet hauriri ſupellex, qua Conciones diverſimodè locupletentur; ſed id fiet jucundiùs ſi diverſa Promptuariorum genera prudenter commiſceantur, rationes ſcilicet aut Philoſophicæ aut Theologiæ teſtimoniis tum Scripturæ S. tum SS. Patrum inſerantur, conceptibus etiam, Apophthegmatibus, aliiſque ſimilibus ſententiarum luminibus ſapienter inſperſis omnia ditentur ac condiantur, unde audientium recreetur guſtus. Inſtituetur igitur Probatio, nunc per Dialecticum Promptuarium, nunc per Oratorium, per Theologicum aliquando, aliquando per Miſcellaneum; ac iterum in ſingulorum uſu varietas obſervari debet, ne ſcilicet eodem modo ac ordine, ſed multiplici & diverſo uſurpentur. 5 Argumentorum varietas.

6. Argumentationes ſeu Argumentorum formæ diverſimodè adhibitæ laudabilem inducunt varietatem. Quinque Argumentationis ſpecies ſupra recenſuimus, Syllogiſmum, Enthymema, Inductionem, Dilemma & Soritem. Varietatem ex his efficies ſi unam modò argumenti formam, modò alteram uſurpaveris. Præire quidem ſolet Syllogiſmus, quinque partibus conſtans; medium locum Enthymema occupat, ultimum ſæpius obtinet Inductio vel Sorites; at inverti poteſt ordo iſte, ut varietas ex Argumentationum commixtione oriatur. Poſſunt etiam inverti ejuſdem Argumentationis partes; Aſſumptio enim poteſt propoſitioni majori præponi, ac etiam utrique Concluſio. V. g. eſto Syllogiſmus iſte tribus tantùm conſtans partibus, *Quod Eloquentiam procurat illud omnino debet excoli; At Exercitatio in Dicendo, &c. Eloquentiam procu-* 6. Argumentationum Varietas.

curat, *Ergo debet excoli*. Simplex & rudis iſta Argumentatio, variabitur per adhibitam Schematis Figuram, ſi dicatur: *Nullus* (*ut puto*) *ſanæ mentis non excolet medium quo poſſit ſibi Eloquentiam comparare*, *&c. At quodnam eſt ad id conſequendum aptius & certius medium, quàm Exercitatio? &c. Quidni ergo hanc frequentamus?* Præponetur Aſſumptio ſeu ſecunda propoſitio ſi dicatur: *Ex omnibus mediis quibus Eloquentia comparari poteſt, nullum* (*ut opinor*) *aptius aut promptius eſt Exercitatione, &c. Quidni ergo hanc adhibeamus?* Præmittetur Concluſio, ſi dictum fuerit; *Mirum profectò cur Exercitatione in dicendo non utamur: Quis enim ſanæ mentis non excolat medium quo Eloquentiam ſibi vendicet? At quodnam ſit Exercitatione aptius, minimè perſpicio.* Vides quomodo ex permutatione propoſitionum unius Syllogiſmi varietur Oratio: idem eſto judicium de cæteris Argumentorum formis, quæ diverſitatem gratiſſimam ex partium commutatione efficient.

7. Varietas per Figuras.

7. Orationem omnino variam reddunt Figuræ: quarum quidem nulla eſt quæ ad varietatem non conferat, ſed maximè *Interrogatio*, *Admiratio*, *Exclamatio*, *Ironia*, *Addubitatio* & aliæ ſimiles, quæ in proferendo mox exemplo demonſtrabunt eandem propoſitionem poſſe ex plurimarum Figurarum permixtione variari. En propoſitio nuda & ſimplici ſtilo expreſſa: Peccatorum ſors eſt omnino plangenda, quia cruciatus formidandi ſupplicio plectenda eſt. Sic *variabitur per Interrogationem*, Quæ ſors magis plangenda quàm Peccatorum? Quæſo, num ſit aliquid miſerius? Quot enim cruciatibus illa conditio obnoxia eſt? *Per Admirationem*, Bone Deus! quàm plangenda eſt ſors Peccatorum! Quomodo tuam non advertis plangendam ſortem, Peccator? *Per Exclamationem*. O plangenda Peccatorum ſors! ò formidandis plectenda cruciatibus! *Per Ironiam*; Tua fortaſſe conditio habet plura quæ amandam efficiant: Sunt quippe ii cruciatus quibus plectenda eſt deridendi. *Per Addubitationem*; Neſcio quid magis debeam, an ejus ſtupiditatem plangere, an ejus ſupplicia: utrum è duobus planctum mereri videtur vobis? *Per Occupationem*; Cruciatus æterni plangendæ Peccatorum ſorti parantur, ut interim de temporalibus ſileam ſuppliciis. Hæc enim non modò ultorem Deum experitur, verùm etiam & Creaturas in ultionem Creatoris armatas. *Per Comminatinem*; Væ tibi miſera Peccatorum Sors, quæ æternis cruciatibus deſtinaris. Vides quàm varius induatur color eidem propoſitioni per adhibitionem Figurarum, unde non mediocris exurgit elegantia. Figurarum igitur præcepta ediſcat ad unguem Eccleſiaſtes & in iis efformandis frequentiſſimè ſeſe exerceat, ita ut ex repetito ſæpiùs exercitio, fiant illi familiares, tum certò probabit, quàm facile ſit Figurarum perito, Orationem ejuſque partes gratiſſimè variare.

Varietas per Æquipollentiam.

Ad Varietatem quæ fit per Schemata accedit ea quæ per Æquipollentiam ſeu per verba æquè ſignificantia fieri poteſt. Conſtat autem (ut ait Granatenſis) Negationis Additione, Detractione, Geminatione, &

& verbis contrariis. Ut v.g. primas obtinet, non eſt poſtremus. Vir egregiè doctus, vir minimè indoctus. Omnia fecit, nihil non fecit. Placet, non diſplicet. Accipio conditionem, non recuſo conditionem.

Ad hanc etiam formam pertinent quæ actionem & paſſionem declarant; ut, Ab illo grave vulnus accepit, vel, Inflixit illi grave vulnus. In Cicerone quædam deſiderantur à doctis; Vel, in Cicerone docti quædam deſiderant.

Facilis eſt item variandi ratio per dictiones relativas, quæ ipſa ad contrariorum genus pertinet. Ut, Uxor illius eſſe non vult; non vult illum maritum. Recuſat illius eſſe Socer; recuſat illum Generum. Pudet me hujus Nurus; pudet me hujus Socrum videri. O me tali felicem præceptore! Felicem me, qui talis Præceptoris ſim diſcipulus! Hæc de varietate per Æquipollentiam ex Granatenſi l. 5. c. 20.

8. Varia Cauſarum ac Dicendi genera, Varietatem inducunt maximam, duntaxat utilem cùm habentur plurimæ Conciones ad idem Auditorium quotidiano penſo innexæ; tunc enim non modicæ artis eſt, varia Cauſarum ac Dicendi genera alternatim uſurpare. Modò nimirum Didaſcalicam Inſtitutionem proponendo, modò Deliberationem, modò Exornationem texendo: nunc Grandi; nunc Mediocri, nunc parumper Demiſſo Genere dicendi Orationem pro data opportunitate prudenter variando.

8. Varietas ex diverſis Dicendi Generibus.

SECTIO II.

De Tranſitionum & Digreſſionum Moralium Formis, quæ ad varietatem Orationis ſpectant.

TRANSITIO eſt ea Orationis forma, qua Orator ab uno ad aliud progreditur. In hac attendi debent ejus utilitas, locus, conformatio & varietas. 1. Quantum ad prius caput attinet, Tranſitio valet ad ordinem, diluciditatem, docilitatem, attentionem & faſtidientium ob æqualitatem compoſitionis, Auditorum recreationem. Hæc enim confert ad jucundiſſimam varietatem, quam in Carneade laudabat Cicero ſibique optabat 2. de Orat. Variis in Locis deſideratur Tranſitionis Ornatus, v. g. cùm ab una Orationis parte ad aliam fit tranſitus, v. g. ab Exordio ad Introductionem, ab hac ad Diviſionem, deinde ad Puncta, atque etiam ab horum altero ad alterum itur: Variari debent iterum Tranſitiones ab Argumentis ad Argumenta, à Figuris ad Figuras, atque etiam à Propoſitis ad alia Propoſita, immo & ab una Tranſitione ad conſequentem Tranſitionem; elegantia enim carere videtur ipſa Tranſitio quamvis ingenioſè excogitata, ſi frequentiùs eadem repetatur. Cùm autem diverſiſſimæ fingi poſſint Tranſitiones, earum tantùm formas proferemus quæ à celebrioribus Oratoribus ſolent uſurpari.

Quid ſit Tranſitio: cur, & ubi uſurpanda?

1. Vul-

Digitized by Google

1. Vulgatiſſima eſt Tranſitio quæ tritis & communibus particulis fit, quales ſunt, *Deinde*, *Poſtea*, *Ulterius*, *Item*, *Iterum*, *Addo*, *Addam*, *Adde*, & his ſimiles, quæ novum Argumentum ſubjiciendum indicant, ſufficienter quidem, ſed minùs eleganter.

2. Communis eſt, ſimplex & ingenuus ad novam probationem Tranſitus, qui fit his aut ſimilibus verbis. *Primam audiiſtis rationem, audite nunc ſecundam. Priorem hactenus expendi veritatem, nunc ad alteram faciamus gradum. En quod occurrit ut ſuaderem quod prius erat ſtatuendum, jam ad id quod conſequitur tranſeamus. Sat multa dixi de primo puncto, de altero nunc dicamus.*

Tranſitiones ab Exordio ad Invocationem.

3. Cùm de Exordio ageretur l. 3. dictum eſt quomodo fiat Tranſitus ab ipſo ad Invocationem Numinis, ut v.g. [Hic eſt futuræ Concionis ſcopus: At antequam ulterius abeam, debeo Spiritus S. gratiam deprecari. *Vel*, Non ulteriùs progrediar, quin priùs Dei ſubſidium emendicem. *Vel*, Temerarius haberer, ſi tot & tantas difficultates ſubire auderem abſque Deo Duce, &c. *Vel*, Magna ſunt quæ dicenda ſuſcipio, ſed huic tanto oneri impar, cederem, niſi cœleſtis auxilii ſpes effulgeret, &c. *Vel*, Conſpicitis quanti momenti ſint ea quæ ſum dicturus, inde moveamini ut Divinum ſubſidium precibus veſtris procurare ſatagatis, &c.]

Tranſitiones ab Introductione ad Diviſionem.

4. Ab Introductionis contextu ad Diviſionem fieri debet elegans Tranſitio, at quibus modis fiat vix certò ſtatui poteſt; aliqua tantùm exempla profero. V.g. [Atque ut dicenda certis arctentur limitibus, illa ad tres partes contraho. *Vel*, Atque ut dicendorum ordo vobis pateat, tribus capitibus totum negotium complectar, vel elucidabo. *Item*, Ne longiùs quàm par foret abeat Oratio, hanc duobus, vel tribus punctis comprehenſam accipite, in his enim totius Concionis Partitio continetur. *Item*; O ſi propoſitam veritatem vobis ſuadere poſſim! At id conabor efficere; Tribus autem mediis, ſeu tot Incitamentis ſuaſionis opus aggrediar; Honeſto, Facili, & Utili; Hæc eſt præſentis propoſiti ſummaria diſpenſatio. *Item*, Virtutis propoſitæ encomium eſt iſtud; at Quæritis fortaſſe, quibus modis Chriſtus nos ad præfatæ virtutis amplexum invitet? Reſpondebo id præſtare triplici via, nimirum Verbo, Exemplo, Præmio. Priore quidem jubet, altero pellicit, ultimo ferè cogit. Triplicem ſuaſionis methodum tribus ſequentis Concionis partibus explicabo, his vos attentos velim, à prima incipio. Communis & ſimplex eſt diviſio, quæ ait de laudata virtute, Tria hodie tractanda ſuſcipio, Primum eſt quid ſit; Secundum, quibus mediis acquiratur; Tertium, quibus modis perfici queat. Vel, de hoc vitio dicam 1. in quo conſiſtat. 2. Quot & quanta damna pariat. 3. Quibus mediis curetur?]

Tranſitiones à Propoſitione Capitali ad Subdiviſionem.

5. A propoſitione quæ ſingulis partium capitibus præfigitur, ad Subdiviſionem (ſi hæc fiat) requiritur Tranſitio, præcedentibus non abſimilis. Unum aut alterum profero exemplum; V.g. ſi agatur de ſignis affectus teneri erga Deum, de quibus actum eſt in calce ſuperioris libri, poterit

res

res enuntiari his aut ſimilibus verbis: Quod Amorem Tenerum debeamus exhibere Deo nullus dubitat niſi qui ſe hominem Chriſtianum ignorat, *&c.* At quænam (inquies) Teneritudinis hujus ſigna poſſunt haberi? Quæſitum tanti ponderis reſponſionem meretur, en do. Tribus ſignis Teneritudinem affectus erga Deum probabis, eadem nempe ſunt quæ ſapienter Amans erga rem à ſe teneriter dilectam experitur. 1. Lætatur ad Dilecti præſentiam. 2. Ad ejus abſentiam triſtatur. 3. Ipſius incommodis compatitur. Totidem notis, utrum Teneriter Deum diligas dignoſces, eas ſigillatim diſcutiamus, examinemus, perpendamus. *Vel*, ab ipſa Subdiviſione ſtatim ſumatur Partis initium. V. g. Tria ſolent tradi ſigna quibus Amoris Teneritudo dignoſcitur, *&c. Vel* præmiſſæ propoſitioni capitali ſubjungitur triplex Argumentum quibus illa nititur; V. g. Homo tenetur Deum diligere, hæc eſt prima veritas, quam triplici Argumentorum genere probo, 1. Scripturæ S. Oraculis. 2. SS. Patrum teſtimoniis. 3. Rationum evidentium convictionibus. *Vel*, Triplici titulo Homo ſpectat ad Spiritum ſanctum, 1. Ut Filius ad Patrem. 2. Ut Sponſa ad Sponſum. 3. Ut Hoſpes ad Hoſpitem; ſingulorum examen propoſiti veritatem demonſtrabit.

Tranſitiones à Puncto ad Punctum.

6. A Puncto ad Punctum variantur Tranſitiones. Aliquarum formam ſimplicem ſupra retuli, en aliquas alias. Orator induſtrius ingenioſè progreditur à probationibus unius partis ad ejus concluſionem moralem, à qua prudenter dilabitur ad ſenſum ſeu propoſitionem aliquam finalem cum ſenſu ſequentis partis cohærentem, atque inde ſumit alterius puncti exordiendi occaſionem. V. g. At nec verbo tantum Chriſtus ſuaſit Crucis geſtationem, ſed etiam id ſuo præſtitit exemplo, iſtud examinandi ſcopus eſt ſecundæ partis. *Vel*, Sufficeret ſanè, ſi Chriſtus mortificationem docuiſſet proprio exemplo, immo penitus redundaret: At nec præcepto, nec exemplo contentus, adjecit Præmium, iſtud perpendemus in altera parte. Cùm de virtutis natura dictum eſt in prima parte, pro Tranſitione ad Media dici poterit; Satis nullatenus foret docuiſſe in quo ſtet Humilitatis vel alterius virtutis eſſentia, niſi doceatur modus quo poſſit comparari; hoc eſt alterius partis propoſitum. *Vel*, Perſpicitis (opinor) quid ſit Ambitio, liquet enim ex præfatis; At fortaſſe non æquè patet modus quo poſſit evitari; Hunc demonſtrabit altera. Vel, hunc accipite in puncto quod mox aggredior.

Tranſitiones ab uno Argumento ad aliud Argumentum.

7. Ab uno Argumento fit ad aliud Tranſitio, communi enim vinculo prudenter connecti decet rationes, quæ in eundem ſcopum conſpirant. Vulgares & tritas Tranſitiones indicavi ſuperiùs, quales ſunt *Iterum*, *Ulteriùs*, *Adde*, &c. Sed his longè elegantiores per Schemata & Figuras efformantur. V. g. aggrediatur aliquis ſuaſionem Amoris erga Deum, ex pluribus titulis, nempe Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ beneficiis, poſtquam recenſuerit naturalia dona, quibus affectus gratitudinis provocatur, ſic poterit ad ſupernaturalia beneficia digredi, *per Conceſſionem*. Cedo, quod iſta non

mercantur amorem (quamquam res ita ſe non habeat) per me tamen licet ut his minus attendas; at pondera quæ his majora ſunt, nempe Gratiæ per Redemptorem partæ beneficia. *Vel per Interrogationem*, Parvane tibi videntur iſta amoris Argumenta? En, audi, accipe, *&c.* majora, fortiora, digniora, utiliora, *&c.* Vix eſt aliqua Figura per quam non poſſit ab una ratione ad aliam fieri Tranſitus; atque hinc, non modica Orationi venuſtas inſpergitur, tædium quippe, languor, & æqualitas tolluntur jucunda & ſuavi diſſimilitudine, quæ recreatos Auditorum animos ad ulteriora benigniùs audienda invitant.

Tranſitionum varietas.

8. Variari etiam debent Tranſitiones, hoc eſt modò una, modò altera uſurpetur; qui enim ſimilibus utitur frequentiùs, is ad homolologiam & inſuavem æqualitatem devolvitur. Idem obſervandum eſt in Digreſſionibus moratis ſeu (ut vocari ſolent) Moralitatibus; non igitur ſimili forma, nec de pari materia inſtruantur. Videre eſt aliquos Concionatores qui iiſdem ſemper modis Moralitates quotidie texant; inſtituere forſitan aut didicere certam ſtatuum humanorum concatenationem, atque in iis vulgares defectus, quibus frequentiùs delinquitur; hanc Auditoribus perpetuò inculcant, ac per ſingulas conditiones pari ſemper methodo excurrunt. Hæc, inquam, cantilena ſapit mediocrem, immo demiſſum Oratoris genium, & Auditores diverſitatis cupidos importuna fatigat æqualitate. Ab his caveat prudens & ingenioſus Eccleſiaſta, nec iiſdem Figuris, nec iiſdem objurgationibus utatur, nec in eoſdem ſtatus aut defectus cenſuram ferat; aut ſanè plurima varietate Conciones, earumque Moralitates condiat.

Morales concluſiones variari debent.

9. Enumerari vix poſſunt Tranſitiones, quæ in ſingulis partibus propriam varietatem efficiant. Communium formas quæ diverſis in locis pro opportunitate adhiberi queant compendioſè deinceps exhibebo. 1. *Cùm metus eſt ne prolixior ſermo tædium pepererit;* poterunt hæ aut ſimiles verborum formæ adhiberi: Longiùs fortaſſe abiit primæ hujus partis tractatio, vel hæc Concio, quam patiatur juſta rerum æqualium diſtributio, vel aſſueta Orationis menſura; ſed illud indulgete gravitati rerum quæ in ſuperiori parte verſatæ ſunt. *Vel*, Eò me provexit Argumenti gravitas, cui vos attentiores intellexi, *&c.* ſed prolixitatem prioris puncti brevitate poſterioris compenſabo. 2. *Cùm non poſſunt omnes Concionis Partes expleri*; Abripuit me ſuperioris Argumenti dignitas longiùs, quàm ut ſuperſit ſpatium, quo alteram veritatem in ſequenti puncto valeam explicare; finio igitur, ne faſtidium creem; ſed indulgete modicum temporis, quo priùs dictis utar ad morum inſtitutionem, id paucis abſolvo. *Vel*, Proſpicio, me non poſſe integram Concionem perficere, ultimam partem dimitto intactam; vel, alia occaſione tractandam; interim, ex dictis breviter urgeo. *Vel*, Tertium punctum quod ſupererat expendendum, ſi id per tempus licuiſſet, paucis contraho. 3. *Cùm ſit Tranſitio à Confirmatione ad objectorum Confutationem;* Intellexiſtis, opinor, Aſſertio-

Digitized by Google

tionis veritatem, at quid objiciant Adverſarii, audite jam, ego ſolutionem dabo. *Vel*, Ad objectiones ſolvendas tranſeo. *Vel*, Ne inauditos Adverſarios damnemus, his audiendis demus locum. *Vel*, Ad hæc objiciet fortaſſè aliquis. *Vel*, Nihil prorſus quod veritatem ſapiat objici poteſt, ſed ne quid dubii ſuperſit, fingamus Adverſarium ejuſque rationes audiamus: Quid ergo ais, quiſquis es, qui præfatam Aſſertionem conaris infringere? *Vel*. Mihi audire videor oggannientem Adverſarium, atque objicientem, *&c.* Ludicra prorſus ſunt iſta, & attentione indigna, afferemus tamen & ſolvemus. 4. *A minùs gravibus ad graviora Tranſitio*. Audiſtis fortia, vel levia; audite fortiora, vel graviora. *Vel*, Ex naturalibus Argumenta ſuperiora duxi, alia jam ex ſupernaturalibus ducam, audite. 5. *A ſimilibus ad ſimilia*. Ejuſmodi Argumentum præmiſſis adjungere libet, ut ſi fortè adverſarii rationum pondere non premantur, earum ſaltem numero victi cedant; En alia ratio, *&c.* 6. *A contrariis*. At quia contrariis contraria innoteſcunt; ab oppoſito ratiocinor; fingit ergo, *&c.* 7. *A verbis ad exempla*. Huc uſque verbis actum eſt, Exemplis nunc rem efficiamus. *Vel*, Ab aurium perceptione ad oculorum intuitum vos pellicio. *Vel*, Hæc quidem nonniſi verba ſunt, Facta intueamur. 8. *Per Figuram Licentiæ*. Magna ſunt ea quæ dixi, fateor, ſed eſto, per me tibi licet illorum obliviſci, modò dicendis attendas. 9. *Per Præteritionem*. Plurima aliunde gravia prætereo, ut ad graviora progrediar. *Vel*, Non immoror in iis retexendis Argumentis, quæ rem apud Chriſtianos efficerent, ad alia venio quæ vel ipſos impios debeant omnino ſuadere. 10. *Ab occaſione, ut in lugubri de Chriſto Patiente Concione:* Quis hæc audire vel intueri queat animo immoto? nullus, niſi fallor: fateor me horrendis cruciatibus ita concuſſum, ut verba proſequi ulterius nequeam; date igitur modicam remiſſionem, qua lachrymarum penſum ſolvam, interim cor veſtrum apud vos linguæ meæ fungatur vicibus, voſque qui concentui præeſtis, triſtibus accentibus nobiſcum Chriſto parentate. *Vel*, Hæc quæ in Prætorio adversùs Chriſtum geſta ſunt, quo potui modo explicui; at inſufficienter omnino id me præſtitiſſe fateor; ſed quæ verbo pingere non potui, meditatione ſupplete; Ideo modicum ſpatium vobis remitto, dum ipſe pauliſper ceſſans, vires ſumam ad novorum tormentorum declarationem. 11. Solemnis eſt quæ à Digreſſione ad Propoſitum revocat attentionem. V. g. Sed ad ſcopum unde nonnihil digreſſa eſt Oratio, redeamus. Omitto plurimas Tranſitionum formas, quæ uſu & experientia magis quàm regulis edocentur.

SECTIO III.

De vitiis quibus Orationis Elocutio extinguitur vel fœdatur.

CUM decor omnis & Ornatus Orationis in tribus ſtet, nimirùm in delectu Verborum cum rebus ipſis cohærentium, in Figuris cùm Verborum tum ſententiarum appoſitis, ac denique in grata & ſuavi compoſitione, totidem capitibus peccatur adversùs Elocutionem, atque hinc exurgunt quæ Orationis vitia vocamus. Hæc ut vitentur, mox breviter oſtendimus.

Deformitas Orationis. 1. Deformitas enunciationis, cùm ſcilicet res parum honeſta exprimitur. Vitium iſtud eſt ab auguſto Miniſterio ablegandum, nec enim licet Eccleſiaſtæ turpe aliquid proferre vel indicare; ſed id omnino tacere debet, aut communi & honeſto vocabulo appellare, aut denique circuitu verborum; aut etiam Metaphora ſeu Periphraſi ſub obſcuriùs attingere.

Demiſſio. 2. Demiſſio, cùm rei honeſtæ vel ſplendidæ verbum aut ſententia minus digna & parum accommodata tribuitur. Pari errore, licet oppoſito modo, peccant Verbum & Sententia quæ rei modum excedunt; ut ſi quis rem parvam hyperbolicis & grandioriobus tum verbis, tum ſententiis efferat. Utrumque defectum corrigit Aptitudo, quæ res dicit quales ſunt, nec majores, nec minores facit, ſed ipſarum naturæ omnia accommodat.

Repetitio. 3. Repetitio eadem verba vitiosè pluries profert, non quidem ad majorem & nitidiorem rei explicationem, ſed ob inopiam & ariditatem, quæ plerumque inexercitatis ac ſterilibus geniis accidit, qui eandem videntur cantilenam recantare. Hujus vitii remedium eſt varietas cùm verborum, tum ſententiarum, de qua dictum eſt ſuperiùs.

Redundantia. 4. Pleonaſmos, ſeu redundans eſt ſuperflua alicujus verbis uſurpatio. Ut v. g. *Ore* loqui, *Pedibus* ambulare, *&c.* Supervacaneo verbo peccantem Panſam riſit Cicero, eò quòd ille dixiſſet filium à matre decem menſibus in utero geſtatum, ad quem non inurbanè Tullius, ait. [Quid igitur? aliæ in penula filios geſtare ſolent?] Ita Doctor Catholicus irriſit Miniſtellum qui audebat dicere Chriſtum debuiſſe aliquid addere verbis conſecratoriis, ſi his voluiſſet ſuum Corpus verè ſub ſpeciebus Panis conſtitui; [Quibus verbis (ait Catholicus) voluiſſes uti Chriſtum ut mentem clariùs explicaret? Mellem (inquit) dixiſſe, *Hoc eſt Corpus meum* ORE *manducandum*. Verum aliquomodo foret (reſpondit alter) ſi Chriſtus ſermonem habuiſſet ad homines, qui credidiſſent comeſtionem poſſe nonnumquam fieri per *Calcaneum:* At quoniam res ipſi erat cum Diſcipulis, qui aliam manducationem non noverant quàm quæ fit

Ore,

Digitized by Google

Ore, quid neceſſarium fuit, illam particulam ſententiæ aliunde ſatis evidenti addere? [Pleonaſmus igitur eſt & redundantia vitioſa in verbo, quod nihil rei addit. Cave tamen ne credas ſuperfluum, quod aliquando cum aſſervationis gratia ſubjicitur. V.g. *Hiſce oculis ego ipſe vidi*. Præſtat igitur paucioribus verbis rem proferre, modò totum quod dicendum eſt, ſufficienter explicent, cætera redundant & tempus inutili garrulitate abſumunt.

5. Superiori vitio contraria eſt nimia Brevitas, quæ paucioribus quàm par eſt rem abſolvit, unde fit obſcuritas & inſufficiens rei explicatio: Brevitas nimia.

Sæpe fit obſcurus, qui brevis eſſe cupit.

Laconiſmus igitur ille, qui paucitatem verborum affectat, in tenebras ſæpiùs devolvitur nec Oratoris officio facit ſatis, nimirum ob parcimoniam & jejunam Orationem.

6. Homojologia, quæ Orationem eodem tenore ductam profert, abſque varietate, tum Figurarum, tum rerum, maximè tædioſa eſt, Auditorem & Oratorem ipſum fatigat, auribus & animis ingratiſſima probatur. Hujus remedia tradidimus in proximè ſuperioribus Sectionibus, ubi fusè de Varietate egimus. Æqualitas.

7. Cacophonia quæ difficilem & inſuavem pronuntiationem efficit, eò quòd voces aut ſyllabæ, aut litteræ duriùs & confragoſiùs ſonent ac veluti collidantur; peccat contra Compoſitionis lenitatem & concinnitatem; de quibus ſupra dictum eſt. Cacophonia.

8. Plurima contra Elocutionem vitia hìc breviter cum Fabio & Granatenſi congero. 1. Indiſtincta Oratio, in qua nulla eſt Œconomia neque artis diſtributio: qualis eſt in imperitis & inertibus, aut etiam in imparatis & tumultuariis Concionatoribus, qui abſque meditatione ſuggeſtum conſcendunt; quid inde ſperari poteſt quàm inconditus ſermo? De hoc abundè diximus l. 1. de Apparatu. 2. Hebes Oratio in qua nihil eſt acuminis. 3. Sordida, in qua nullus eſt nitor aut ſermonis elegantia. 4. Jejuna & ſterilis quæ Copia & Ubertate caret. 5. Ingrata, quæ nihil ſuavitatis & leporis oſtendit. 6. Vilis, in qua nihil accuratè dicitur. Hæc igitur vitia Oratori vitanda ſunt, & virtutes Elocutionis his oppoſitæ obtinendæ ſunt, ut Oratio prudenter & ingenioſè ornata Eloquentiæ gloriam aſſequatur. Alia Orationis vitia.

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

IMPERIUM

ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ,

UBI

DE AMPLIFICATIONE

ET

AFFECTUUM COMMOTIONE.

PRÆLOQUIUM.

AUGUSTUS *eſt iſte Imperii titulus, de quo gloriatur Eloquentia, quippe qui dominium in Affectus Humanos præ ſe ferens aliquid de Majeſtate Dei (cujus ſolius eſt corda hominum flectere quò voluerit) videatur minuere, ut illi tribuat: At quiſquis ſanæ mentis Eloquentiæ vim attentiùs perſpexerit, qui etiam celebriorum è Sapientibus ſenſum bene perpenderit, fatebitur ille glorioſam Epigraphem (abſque Numinis injuria) Arti bene ſuadendi prorſus convenire, quam virtutis merito & unanimi prudentiorum ſententia conceſſam probaverit. Ac certè, an non merebitur illuſtre Dominatricis nomen, quæ innumeras eaſque mirabiles de Hominibus retulit victorias? Taceo quæ forſan vel fabulæ ſunt, vel fabulis ſimiles, ut veriſſimas & indubitatas attingam. Ignorat nemo quæ circumferuntur de Pericle verbis fulgurante, de Æſchine intonante, de Demoſthene Flexanimo, de Tullio qui Cæſarem à ſententia mortis in Ligarium ſcripto ſtatuta diſcedere coegit; cæteros inquam ſileo Eloquentiæ prophanæ Princi-*

pes,

pes, ut unius memorer Pauli, quem conſtat tot edidiſſe miracula quot verba, eaque tanta ut Eloquii Deus cenſeretur Lycaoniorum judicio, Actor. 14. 11. Ubique & de omnibus triumphavit (inquiunt) Eloquentia humana ſolius Artis præſidio munita; at quid non potuit Paulina, quæ cœleſtem induerat virtutem? quos Adverſarios non proſtraſſet? quas palmas non fuiſſet aſſequuta? Dei nempe omnipotentis fortiſſima veritas loquebatur in Præcone, in Oratore ſuadebat, triumphabat in Apoſtolo. Ne mireris ergo de nomine quo inſignitur Eloquentia Chriſtiana, ac ejus maximè Pars, quæ de Affectibus tractandis agit; ejuſmodi gloria à Paulo ſacri Eloquii poſt Chriſtum principe mutuatur illa; velut à Magiſtro diſcipuli, & à parentibus filii ſolent titulos ſibi tranſcribere. Meritiſſima laus eſt Eloquentiæ, præſertim Chriſtianæ, ad quamdam Divinitatis ſimilitudinem affectibus humanis dominari, & homines libertatis ſuæ vindices acerrimos ſuavi non minùs quàm honorifico Imperio ſubjugare. At quomodo id efficiat? Breviter dicam.

Tria ſunt (ni fallor) quibus Eloquentia dominatur: Argumentatio, Amplificatio, & Affectuum Commotio. Prior, Argumentis, ceu tot facibus, mentem illuſtrat, ut his edocta dignoſcat quid debeat fugere vel amplecti: Altera, nimirum Amplificatio, voluntatem rationibus diverſimodè compoſitis, ceu tot flammis ſubjectis incenſam impellit ad Amorem vel Odium, prout res mereri viſa eſt. Affectuum verò Commotio ſcopus eſt in quem tum Argumentatio, tum Amplificatio collineant; ſeu potiùs, Ars eſt quæ Affectuum Naturam ſcrutata, hos quocumque libuerit inflectere novit, in quem finem utitur Argumentationis & Amplificationis miniſterio.

Argumentationem & Amplificationem ſolent tractare Rhetores poſtquam de Inventionis fontibus egerint: ab hac Methodo nonnihil recedere mihi viſum eſt commodius. De Argumentatione egi, l.3. cùm de Diſpoſitionis officio (cui illa inſervit) diſſerui; Amplificationem, quæ eſt Imperii Oratorii Armamentum, huc tranſtuli, ne medium à fine ſejungerem, hoc eſt Amplificationis Artificium ab Affectuum humanorum Commotione. De utraque deinceps.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM,

De Amplificatione.

ARTICULUS PRIMUS.

Amplificationis Neceſſitas, Eſſentia, Differentia.

Amplificationis neceſſitas.

I. AMPLIFICATIO quæ in rebus vel augendis vel minuendis conſiſtit, graviſſima Eloquentiæ pars ab omnibus cenſetur, utpote quæ Orationi confert non modò colorem, lucem & gratiam, ſed ſanguinem, ſpiritum & lacertos. Hac igitur Orator nullus deſtitui debet, quin potiùs eam ſæpiſſimè adhibeat prudentia & ingenio diſpenſatam, ut palmis quibus Eloquentia ſplendere ſolet, ipſe de affectibus triumphans potiatur.

Amplificationis utilitas.

Triplici modo ad Auditores Amplificatio ſpectat; vel enim non attendunt ad ea quæ dicuntur, fortaſſe ob diſtractionem mentis; vel, etiamſi attendant, vix percipiunt Orationem citiùs è memoriæ ſinu dilabentem; vel ſanè præpoſtero judicio errant, peſſima pro optimis, leviſſima pro maximis & ſumma pro minimis amplexati. Tot incommodis medetur Amplificatio, diſtractum ſcilicet revocat animum & torpentem excitat, dum rem fuſiùs ſed vivis ac genuinis coloribus explicat; oblivioſo dilapſa reſtituit, repetita rerum imagine, & adhibitis veris ac propriis circumſtantiis Auditorem cogit ad juſtam de omnibus quæ verſantur æſtimationem, nec denique patitur ut aliquid pluris minorìſve fiat quàm mereatur.

Pueriles & Verboſæ Amplificationes rejiciuntur.

Ne tamen arbitreris me puerilibus & inanibus Garrulorum Rethorum favere, quibus ſolemne eſt vana & importuna loquacitate laſcivire, hi enim à vera Eloquentia, ceu figmentum à veritate, diſtant. Apage etiam infames Sophiſtarum impoſturas, quæ alienam rebus faciem induentes, eaſque aliter quàm ſint exhibentes, perſonatis vultibus deludunt Auditorum ſimplicitatem. Has inquam, ſimileſve Amplificationum corruptelas ſincerus Orator ac maximè Eccleſiaſta, omnino fugiat; priores quidem, quia nihil ſunt præter vocem; alias verò, tamquam præſtigia & mendaces fucos deteſtetur. De vera, ſincera & lacertoſa Amplificatione, non de fictitia, nugatoria, & inani dilatatione, diſſerimus.

2. Di-

2. Diverſimodè à variis Oratoribus definitur Amplificatio; En quid celebriores de illa ſenſerint. Ex Iſocrate, *eſt Ars qua ex parvis magna, & ex magnis parva fieri poſſunt*: ſed hæc eſt Sophiſtæ potiùs quàm Oratoris definitio. Ex Cicerone, *Amplificatio eſt gravis quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*. Vel, *eſt vehemens quædam Argumentatio, cauſa commovendi*. Ex Longino, *eſt plenitudo quædam, quæ ex omnibus rebus, adjunctis, terminis & locis, commemoratione roborat Orationem*. Ab aliis dicitur, *Oratio juſtam magnitudinem vel diminutionem tribuens rebus ſubjectis*. Ex his ſimilibuſque deſcriptionibus ſupereſt, ut Amplificatio ſit Oratio quæ ex circumſtantiis variè penſatis, æquam rebus magnitudinem concedit, ſeu augendo, ſeu minuendo. Hoc enim intereſt inter Oratorem Forenſem & Eccleſiaſticum, quòd ille amplificando conatur (ut plurimum) efficere ut res appareat major vel minor quàm eſt, ſeu nimis augeat, ſeu plus æquo minuat; quod utrumque eſt (ut dixi) genus præſtigii & impoſturæ. Iſti verò (id eſt Concionatori) ſatis eſt, efficere ut res tanta videatur quanta eſt, quamvis major aut minor quàm à multis æſtimetur. V. g. cùm Eccleſiaſta ſacer oſtendere nititur aliquid eſſe in genere ſuo vehementer indigmum, calamitoſum, lætum, triſte, amabile, deteſtabile, formidandum vel optandum; qualia ſunt Beatitudo vel Damnatio, virtus vel vitium, & ſimilia quæ fortaſſe non tanti cenſebantur aliquibus, donec propriæ magnitudinis ſeu gravitatis ſtatus genuinis coloribus per Amplificationem pingeretur.

Amplificationis Definitiones.

3. Magnam prorſus affinitatem habet cum Argumentatione Amplificatio, utraque enim fidem apud Auditores conatur ſibi facere, ſed diverſo nonnihil modo, unde triplici capite ſolent diſtingui. 1. *Materia*, nam Argumentatio adhibetur ad omnia Quæſtionum genera quæ tractanda occurrunt; V. g. cùm quæritur ſit-ne res, an non ſit, quid ſit, cujus gratia ſit, *&c.* quæ latiſſimè patent. Amplificatio autem ad certa Quæſtionum genera contrahitur, quæ non niſi de magnis & gravibus cauſis agunt. V. g. cùm oſtenditur rem mereri commiſerationem, deteſtationem, *&c.* 2. *Tractatione differunt;* Argumentatio enim preſsè & argutè aſſenſum petit ab intellectu; Amplificatio autem fusè & graviter urget Auditores, & adhibitis undequaque facibus voluntatem incendit. 3. *Fine* diſcrepant, quia finis proximus Argumentationis eſt rei cognitio, ac intellectus illuſtratio; Amplificationis ſcopus eſt, affectus excitare & à cognitione ad amplexum vel fugam, amorem vel odium impellere.

Tres differentiæ inter Amplificationem & Argumentationem.

Plurimæ recenſentur Amplificationis ſpecies quas paucis complector. Primò dividitur in *Narrativam*, quæ rem ita pingit ut oculis ſubjiciat, & *Argumentativam*, quæ rem rationibus auget. 2. Alia eſt *Abſoluta*, quæ rem ex innatis & propriis circumſtantiis repræſentat. Alia *Comparativa*, quæ unum oſtendit majus vel minus ex comparatione illius cum altero. 3. *Univerſalis*, quæ rem exhibet in genere, v. g. virtutem vel vitium. *Specialis*, quæ ſingularia vel ſpecies exprimit, v. g. virtutem Temperantiæ, hunc

Amplificationis plures ſpecies.

Digitized by Google

actum ſobrietatis. 4. **Motiva**, quæ amplificando ſpectat affectuum commotionem. **Exornativa**, quæ rei tantùm decori ſtudet. 5. **Negativa**, quæ de re aliquid negat: v. g. 1. Cor. 13. 4. *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, &c.* **Affirmativa**, quæ aliquid aſſerit, v. g. ibid. *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c. 6. **Communis**, quæ ex quacumque circumſtantia ducitur, v. g. vel ab Oratore vel ab Auditore. **Propria**, quæ ex viſceribus rei, rem ipſam amplificat.

Item Amplificatio fit aut *Verbis* aut *Rebus*. Verbis quidem, ut cùm verbis gradatim augentibus vel minuentibus res explicatur; Rebus verò Amplificatio texitur, cùm ſententiis & rationibus propoſitum augetur vel minuitur.

ARTICULUS II.

Amplificationis Materia & Forma.

1. NON in quacumque re feliciter ſuccedit Amplificatio: ſunt enim quædam adeo exilia, ut Orationis quacumque induſtria vix poſſunt laudabiliter creſcere; alia verò primas partes ita merentur, ut minui vix queant abſque detractionis injurioſæ ſuſpicione. Eam ob rem deligendá eſt Oratori materia quæ vel incremento vel diminutioni ſit idonea.

Amplificationis Materia poteſt eſſe in triplici ſtatu.

Triplicis dignitatis Materia excogitari poteſt, vel enim **Grandis** eſt & Amplificationem facillimè ſuſcipit, immò ſæpiùs vincit Oratoris facultatē. Ejuſmodi ſunt *quæ de Deo ac Divinis agunt*; cùm enim ſint ſupra mentem humanam, admirationem movent, & dum majeſtatis vultum induunt, invitant Oratorem ad grandiores eloquendi formas & ipſius Auditoris affectus ſeipſis invadunt. His accedunt *Res inſolitæ, illuſtres, maximè lætæ, mirabiles, atroces, funeſtæ, calamitoſæ*, &c. Vel, *tenuis Materia* ſe offert, quam nullus ſapiens Orator magnifaciendam ſuſcipiat, niſi ludere potiùs quàm ſeriò loqui velit. Vel denique *mediocre Propoſitum* occurrit, quod neque ad majeſtatem grandiorum aſſurgit, neque ad vilitatem tenujorum demittitur; atque iſtius generis Materia plurimum induſtriæ deſiderat ut Auditoribus videatur major quàm fortaſſe cenſebatur.

Materia Infinita & Finita.

In memoriam revocari debet quod l. 1. c. 4. art. 1. dictum eſt, duplicem iterum diſtingui Materiam, Infinitam aliam ſeu Theſim, vel univerſalem, quæ vaga eſt & nullis circumſtantiarum cancellis limitatur; Aliam Finitam, ſeu Hypotheſim vel particularem, quæ adjunctis ſingularibus arctatur. Prioris generis Materia dilatatur ex variis Promptuarii fontibus generalibus, V. g. virtus in genere, amplificatur per locos communes tum extrinſecos, tum intrinſecos: Poſterioris verò rationis Materia quæ ſingularis eſt, ampliatur per Adjuncta propria & ſingularia attributa. V. g. à Patria, à Parentibus, à Studiis, &c.

2. De

Digitized by Google

2. De Amplificationis Forma probatiore vix inter Oratores conſtat. Dionyſius Longinus noluit rem certis definire limitibus, ſed Formas Amplificationis ait eſſe ſexcentas, hoc eſt, innumerabiles. Cicero l. 2. ad Herenn. decem locos Communes ad exaggerandum Crimen enumerat, hos compendioſè refero. Primus ab Authoritate ſumitur, ſcilicet Dei, Majorum, Regum, Nationum, Sapientiorum, &c. qui vel crimen damnarunt, vel laudavere virtutem de qua agitur: & quo major erit teſtimoniorum tum Divinorum, tum Humanorum numerus ac gravitas, eo illuſtrior conſurget Amplificatio. Secundus Locus conſiderat perſonas ad quos crimen ſpectare videtur; v. g. an ad Superiores, an ad Pares, an ad Inferiores; hinc enim augetur vel minuitur ſcelus. Tertius Locus, futura incommoda & pericula proſpicit & ponderat. 4. Explicat damna ex condonatione criminis conſequutura. 5. Oſtendit nullum malo remedium deinceps futurum, niſi ſevera & matura pœna plectatur. 6. Omnem crimini excuſationem præſcindens, ejus malitiam voluntariam exaggerat. 7. Demonſtrat facinus eſſe tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum, &c. 8. Factum dicit non vulgare, ſed ſingulare maleficium, quod atrocius ſit vindicandum. 9. Nonus Locus amplificat crimen ex Comparatione ejuſdem cum ſimilibus, duriſſimè forſan mulctatis. 10. Enumerat Adjuncta omnia & rei circumſtantias, quibus eam exaggerat. Ex his ergo fontibus ſecundùm Ciceronem facile eſt aliquod ſcelus dilatare, ſi nimirum per ſingulos Locos præfatos ducatur Oratio, qua crimen deſcribitur & augetur. Contra verò ſi de ejuſdem ſceleris diminutione opus ſit, oppoſita via tenenda eſt, quatenus aſſeratur & oſtendatur contra nullum ex prænotatis capitibus deliquiſſe.

10. Loci ex quibus crimen Amplificari poteſt. Ex Cicerone.

Aphthonius Amplificationem cum Loco Communi facit eandem, ideoque hanc ait eſſe *Orationem quæ bona aut mala quæ alicui inſunt augmentat:* quæ definitio explicat naturam Amplificationis; utramque verò tractari poſſe decem capitibus ſequentibus ſcribit.

Amplificatio per Locum Communem ex Aphthonio.

Primum eſt *à Contrario*, ut cùm oſtenditur aliquod facinus eſſe majorum placitis, ſanctiſſimis legibus, virtuti, modeſtiæ, &c. contrarium.

2. *Ab Expoſitione*, qua Crimen non ſimplici narratione, ſed viva & arguta deſcriptione repræſentatur.

3. *A Comparatione*, qua ex collatione ſceleris majoris vel minoris, ſimilis vel diſſimilis, colligitur illius gravitas deteſtanda vel punienda.

4. *A voluntario*, hoc eſt, à deliberatione & libera electione, quæ abſque violentia, commotione, vel alia facti excuſatione, ſed ſponte & ultro facinus perpetravit.

5. *Ab Excurſione, ſeu Digreſſione*, quæ non modò diſcutit præſens factum, de quo agitur, ſed omnem Rei vitam, ſtudia & mores præteriti etiam temporis penſat, unde ipſum in criminis vel ſuſpicionem vel odium vocat.

6. *A Miſericordiæ præcluſione*, qua ſcilicet probatur, Reum omnem

Miſericordiæ ſpem ſibi ademiſſe, nec ullatenus mereri, ob gravitatem criminis quod ſaluti publicæ injurioſum eſt, &c.

7. *A Legibus*, quæ ut præclaris viris præmia decernunt, ita ſceleſtis pœnas ſtatuere debent.

8. *Ab Æquitate*, quæ crimen in ipſum Authorem refundi poſcit.

9. *Ab Utili*, quo nimirum oſtenditur multa commoda in Rempublicam futura ex Reorum punitione.

10. *A Facili*, hoc eſt, cùm demoſtratur facilius eſſe malum extinguere inter cunas, quàm cùm longa temporis mora invaluerit.

Quæ ſuperiùs ex Aphthonio deſumpta ſunt, à quibus amplificari poteſt alicujus crimen, adhiberi poſſunt ut factum ejus laudabile attollatur, modò ſcilicet in oppoſitum ſenſum inflectantur. Nam ſi contrariorum contrariæ ſunt leges, iiſdem locis poterit dilatari Virtutis encomium quibus explicatur Sceleris vituperium.

Amplificatio fit duobus modis. 1. Figuris. 2. Rationibus.

3. Amplificationis tota ratio in duobus omnino conſiſtit, nimirum in Exaggeratione & Locorum tractatione. Prior modus quem Græci vocant *Dinoſin*, Latini *Exaggerationem*, rem oſtendit majorem vel minorem, adhibitis Figuris ad id præſtandum idoneis. Ejuſmodi ſunt Eſclamationes, Admirationes, Increpationes, Proſopopœjæ, Ironiæ, &c. V. g. ſi laudetur vir præſtans virtute dici poterit, O Egregium opus! ô mirabile! Quodnam huic ſimile? &c. Si vituperetur, adhiberi poterit Ironia, v. g. Egregium vero facinus! Quouſque tandem? &c. Alter Amplificationis modus fit *per Locorum Communium tractationem*, quam Græci appellant Topigoriam. Iſte Orationem ducit per fontes Topicos de quibus actum eſt in Promptuario l. 2. Ex iis autem ſeligere debet prudens Orator quæ ad rem facere perſpexerit. Aliquorum ſubjicio exempla ex Scripturis SS. deſumpta.

1. *A Definitione* negativa deſcribitur Juſtus, Pſ. 1. v. 1. *Qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Definitur poſitivè ibid. *In lege Domini voluntas ejus; & in lege ejus meditabitur die ac nocte*, &c.

2. *A Diviſione* improbantur Simulachra Gentium. Pſ. 113. *Os habent & non loquentur; oculos habent & non videbunt; Aures habent & non audient*, &c.

3. *Ab Enumeratione*, 1. Cor. 13: Charitatis proprietates recenſentur: *Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. Item 2. Cor. 11. 25. Paulus enumerat labores quos pro Chriſto paſſus eſt. *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, die ac nocte in profundo maris fui: in itineribus ſæpe, periculis fluminum*, &c. Potuiſſet paucis verbis dicere, Multa paſſus ſum, ſed ut amplificet, enumerat plurima paſſionum genera.

4. *A Cauſis*, ut cùm exaggeratur Chriſti mors ex eo quod pro peccatoribus eam ille ſubierit. 1. Petri 3. 18. *Pro peccatis noſtris mortuus eſt,*

juſtus

juſtus pro injuſtis, &c. Ut etiam dilatari poterit Dei miſericordia, quæ ſalvos nos fecit non ex operibus juſtitiæ, ſed ex mera benevolentia, cùm eſſemus ipſius inimici, & ingratitudine damnanda inſurgeremus in Benefactorem, *&c.*

5. *Ab Effectis*, ut ſi Deum laudans cum Pſalte dicam, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas*; *qui redimit de interitu vitam tuam*; *qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, &c.

Non profero plura exempla Amplificationum è Scriptura, cùm ſingulis ferè paginis occurrant; hæ ſufficiunt ut Eccleſiaſtes diſcat quomodo à ſingulis Locis Promptuariorum duci queant Amplificationes. Ejus tantùm induſtriæ & prudentiæ erit (ut dixi) eos adhibere Locos, qui rei vel augendæ vel minuendæ viſi fuerint magis accommodati: eſt enim par ratio Argumentationis quæ Amplificationis, cùm utraque ex iiſdem fontibus hauriat ſuas rationes quibus illa probet ac intellectum illuſtret, iſta verò exaggeret ac voluntatem accendat.

ARTICULUS III.

Amplificationis Verba, Figuræ, Fontes, Locus & Methodus.

1. QUONIAM in verbis initium quoddam Eloquentiæ conſpicitur, horum delectus haberi debet non mediocris, ut Amplificationis intentum aſſequantur. In his autem duo attendi debent. 1. *Ipſamet nimirum verba in ſe ſpectata*. 2. *Eorumdem ſtructura ſeu compoſitio*. Triplicis generis ſimplicia verba cenſeri poſſunt; vel enim ſunt *Illuſtriora*, quæ rem mirificè ornant; vel *Conſonantiora*, quæ rei naturam vocali ſono ferè pingunt; vel denique *Graviora*, quæ majeſtatem, atrocitatem & magnitudinem aliquam ſeu bonitatis ſeu vitioſitatis repræſentant. En ſingulorum exempla.

Quæ Verba ſint ad Amplificandum idonea.

Illuſtria verba ſunt 1. *Tranſlata*, ut Gloriæ ſeges, Affectuum procellæ, Libidinum Charibdis, & ſimilia per Metaphoram idoneam deducta. 2. *Superlata*, quæ veritatem excedunt & plus dicunt quàm reipſa eſſe poſſit. Ut Tull. pro Milon. n. 106. *O terram illam beatam quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam ſi ejecerit! miſeram, ſi amiſerit!* Huc referuntur quæ Hyperbolem ſapiunt, quæque plus dicunt quàm res habeat; non ideo tamen mendacii ſemper redarguenda ſunt, ſed ſi ſobriè & religioſè uſurpentur, indicant aliquid quod fidem excedat; Ita Paulus, dum ait Philipp. 3. 8. *omnia ſe arbitrari ut ſtercora*, &c. dat nobis occaſionem colligendi extremum ipſum de rebus humanis contemptum, &c. Ita dum Pſalmiſta dicit fluctus aſcendiſſe uſque ad cœlos & deſcendiſſe uſque ad abyſſos, inde intelligimus immanem tempeſtatem. 3. *Epitheta* multùm proſunt ad res illuſtrandas; atque Oratoris non minima laus eſt, appoſita & pro-

Digitized by Google

propria ſubjungere attributa, ut v. g. *Sapiens Paſtor*, *vigilans Prælatus*, *Dux peritiſſimus*, *virtus eximia*, &c. Verba etiam *Repetita* Orationem illuſtrant; v. g. *Videte*, *Videte*, &c. *Conſonantia* Verba ſunt, quæ grandius aliquid ſonant quàm alia quæ poterant adhiberi, ut ſunt *Superlativa pro Abſolutis*, v. g. graviſſimus, ſceleſtiſſimus, pro gravi & ſceleſto. 2. *Verbalia pro abſolutis*, ut virtus Dominatrix conſonantius quid dicit quàm Domina. 3. Verba *Compoſita pro ſimplicibus*, ut contrucidare, excruciare, pro trucidare & cruciare. 4. *Quæ plures ſyllabas habent* conſonantiora ſunt quàm quæ paucioribus conſtant: v.g. Immenſus, Immanis, quàm Magnus. 5. Item *Pluralis numerus ſingularis* ſenſum excedit, v.g. violantur jura, proculcantur authoritates, &c. his plus intelligitur quàm ſi diceretur, jus violatur, contemnitur authoritas.

Graviora verba magnitudinem, ſeu boni, ſeu vitii, ſeu noxæ, ſeu utilitatis, in re aliqua ſignificant, præ aliis quæ non tanti valere videntur. V. g. Clementia graviùs ſonat quàm lenitas, magnificentia, quàm liberalitas; Prædo, quàm fur; expilare, quàm furari; trucidare, quàm occidere, cruciare quàm torquere, &c. Item vehementiora ſunt, ſi per Figuram Correctionis ampliora verba cum his pro quibus ponuntur, conferuntur. Exemplum familiare eſt illud Ciceronis 3. in Verr. n. 9. *Non furem*, *ſed raptorem; non adulterum*, *ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum*, *ſed hoſtem ſacrorum*, *religionumque*; *non ſicarium*, *ſed crudeliſſimum carnificem civium ſociorumque in veſtrum judicium adduximus*.

Compoſitio utilis eſt ad Amplificationem.

Compoſitio ſeu ſtructura verborum vim etiam habet amplificandi. Periodorum ergo membra productiora ſint præſertim initio Concionis & cùm ejus partes inchoantur: nam quæ ſunt conciſiora, videntur aliquid demere de Orationis gravitate. Nemo tamen damnabit Oratorem, ſi in Periodo longiore membra quædam brævia inſeruerit.

2 Amplificatio fit egregie per Figuras.

Figuræ ad Amplificandum aliæ ſunt aliis aptiores. Cùm res illuſtrari debent, his adhibendæ ſunt leniores & comptiores, ut *Hypotypoſes*, *Diſtributiones*, *Proſopopæjæ*, *Addubitationes*. Ubi cum Adverſario decertatur, uſui ſunt vehementes *Increpationes*, *Interrogationes acriores*, *Ironiæ duriores*, *Epiphonemata*, *Execrationes*, *Apoſtrophes*, &c.

3. Ex omnibus Locis duci poteſt Amplificatio.

Fontes ex quibus Amplificatio petitur, iidem ſunt (ut dixi) ex quibus eruitur Argumentatio; quamquam ex his aliqui certis rebus explicandis conveniant magis quàm cæteris. V. g. Deus, Angelus, Anima, Scientiæ & ſimilia quæ corpore carent, tribus potiſſimùm modis repræſentantur. 1. eſt *Locus Negationis*, facilius eſt enim dicere quid non ſint quàm quid ſint. 2. eſt *Locus Eminentiæ*, quo ex perfectione quæ in inferioribus cernitur, colligimus dignius aliquid in ſuperioribus eminere ac contineri. 3. *Locus eſt ab Effectis*, quibus res ſpiritales ſenſibus ſubjiciuntur; ut ait D. Paulus Roman. 1. 20. *Invisibilia ipſius*, *à Creatura mundi*, *per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. At verò, ubi res corpore & partibus conſtant, amplificantur Deſcriptionibus, partium Enume-

merationibus, à Definitionibus conglobatis, aliiſque Locorum Communium fontibus.

De propria Amplificationis ſede, hoc eſt, in quonam loco præcipuè ſtatui debeat, vix aliquid certi aſſignari poteſt; viget enim per omnes omninò Concionis partes ſicuti ſanguis omnibus corporis partibus affuſus; ſed varias induit Figuras prout occaſio ſenſuſve loci quem dilatat, poſcere videtur. Initio quidem Orationis, Amplificatio gravior & ſedatior præponitur; acrior & vividior accedit, cùm agitur de Confirmatione aut Confutatione: at in Peroratione totis viribus decertatur, nihil dimittitur quod conferre poſſit ad Triumphum. 4. Sedes Amplificationis.

Methodus Amplificationis faciendæ petitur à Quintiliano l. 8. Inſtit. c. 4. qui modos quatuor ſeu fontes exaggerandæ rei Idoneos oſtendit, Incrementum, Comparationem, Ratiocinationem, Congeriem. De ſingulis aliqua quæ Eccleſiaſtæ ſufficiant expendemus Articulo ſequenti.

ARTICULUS VI.

De Variis Amplificationis ſpeciebus,

Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, Congerie.

SECTIO PRIMA.

De Incremento, & Diminutione.

1. INCREMENTUM eſt augendi ſpecies, quæ exaggeratis inferioribus per gradum unum aut plures, ad ſummum pervenitur. Celebre eſt exemplum ex Cicerone in Verrem 7. n. 113. & 114. *Facinus eſt vincire Civem Romanum; Scelus verberare; Parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* Ubi Orator à vinculis ad verbera, à verberibus ad parricidium, hoc eſt gradibus duobus ad ultimum augendo perveniens, quartum tandem criminis gradum, ſcilicet, cruci figere Auditoris cogitationi reliquit, quia nullum videbatur occurrere acerbius verbum quo iſta criminis circumſtantia explicari ſufficienter poſſet. Pſ. 47. 6. *Admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos*. Item ex Iſidor. l. 2. Soliloq. *Magna eſt virtus ſi non lædas à quo læſus es: magna fortitudo ſi læſus remittas; magna gloria ſi cui potuiſti nocere parcas.* Item ex Seneca. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus; tota aliud agentibus.* 1. Incrementi modus.

Alter Incrementi modus eſt, cùm ſummo aliquid additur præſtantius. Velut apud Virgilium de Lauſo dicitur, *Quo pulchrior alter non fuit, ex-* 2. Modus.

cepto

tepto Laurentis corpore Turni. Item, Inter homines nullus ſanctior Joanne Baptiſta, ſi Chriſtum ejuſque Matrem excipias.

3 Modus. Tertius Incrementi modus eſt, cùm non per gradus itur ad id quod eſt plus quàm maximum, ſed ad id tantùm quo nihil majus dici poſſit. Velut iſtud, *Matrem tuam occidiſti. Quid dicam amplius? Matrem tuam occidiſti*.

4. Modus. Incrementi modus quartus eſt, cùm citra diſtinctionem, in contextu & curſu Orationis ſemper aliquid priore majus additur. Ut de Antonii vomitu Cicero 2. Philip. n. 63. [Tu iſtis faucibus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in Populi Rom. conſpectu vomere poſtridie. O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu! ſi inter cœnam in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò Populi Rom. negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum Tribunal implevit, &c.] Hæc omnia augmentum habent ut patet intuenti. Nihilo mollior eſt D. Cyprianus cùm in Demetrianum invehitur his verbis: *Parum eſt* (inquit) *quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita veſtra maculetur: quod ſuperſtitionibus falſis Religio veſtra ſubvertitur: adhuc inſuper Dei ſervos & Majeſtati ac Nomini ejus dicatos, injuſtis percuſſionibus flagellas. Satis non eſt, quod tu ipſe Dominum non colis, adhuc inſuper eos qui eum colunt, ſacrilega inſectatione perſequeris*.

Diminutio. Diminutio ad Incrementum ſpectat ut iſtius æmula, quæque iiſdem ferè gradibus (quamvis contrariis) à ſummo decreſcit ad imum, quibus iſtud ab imo tendit ad ſummum. Utrique commune eſt, ut gradus quibus creſcunt aut decreſcunt, non inverſo vel interpoſito ordine, ſed naturali & debito ſitu ſibi ſuccedant, ſcilicet vel à minoribus ad majora, vel à majoribus ad minora progrediendo.

Diminutionis artificium minimè negligi debet, cùm ſæpiùs occurrat extenuandi neceſſitas, ut in Confutatione Argumentorum vel ſententiarum quæ ab adverſario in oppoſitum adducuntur. Eaſdem penè leges ſequitur quas Amplificatio cujus eſt ſpecies: hoc tantùm differunt, quòd altera dilatet propoſitum addendo magnitudinem, altera extenuationi ſtudeat detrahendo. Solemne eſt Oratori rationes adverſarii infringere per ſuſpicionem artis qua ille abuti dicendus eſt contra veritatem. Solent etiam ejus Argumenta ſolvi per Ironias graves, Compenſationes ſerias, Apoſtrophes, Exclamationes, aliaſque ejuſmodi Figuras, quarum uſus frequens eſt in Confutationibus. Vide l. 3. c. 4.

SE-

SECTIO II.

De Comparatione.

SECUNDUM Amplificandi genus eſt per *Comparationem* quæ diverſa inter ſe & majora cum minoribus confert, non tantùm ut probet (quod proprium eſt Argumentationi quæ ducitur à Comparatis) ſed ut exaggeret, ſumendo Argumentum ab Inferioribus, quæ ſi omnium opinione magna ſunt, maximum apparere neceſſe eſt quod amplificatum per Collationem volumus. Hæc autem amplificandi ratio imitari dicitur Pictores, qui ubi inſignem aliquem colorem eminere inter cæteros volunt, alium triſtiorem ei ſubſternunt, qui illum magis conſpicuum reddat. Pictoris inſtar, Orator exempla & ſimilia profert, quorum Comparatione rem quam attollere cupit maximam facere nititur. Interdum uno gradu, interdum pluribus Comparatio inſtituitur. En exempla. 1. Amplificatio per comparationem.

Comparantur uno gradu quæ ſequuntur. Iſaiæ 1. cap. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & Aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Poterat ex hoc inſtrui Argumentum à Comparatis, hoc modo, Si Bos & Aſinus cognoverunt poſſeſſores ſuos à quibus aluntur; quantò magis convenit ut homo cognoſcat Deum conditorem & altorem ſuum? Sed exemplum horum animalium videtur adductum ut amplificetur Gentis Judaicæ ſtoliditas & ingratitudo. Sic etiam Chriſtus amplificat Judæorum cæcitatem exemplo Ninivitarum & Reginæ Sabæorum, præſertim cùm perſonarum circunſtantiam ſubjicit, *Ecce pluſquam Jonas hic, & ecce pluſquam Salomon hic.* Illud autem in ejuſmodi Comparationibus curandum eſt, ut utriuſque partis circunſtancias quæ rem attollere poſſunt diligenter excutiamus; non enim ſolùm tota totis, ſed etiam partes partibus comparantur. Ita D. Cyprianus oſtendit Deum jure puniturum Peccatores, amplificatione ducta ab hero qui ſervum delinquentem plectit. *Ipſe* (inquit) *de ſervo tuo exigis ſupplicium, & hominem homo obedire compellis; & cùm ſit eadem vobis ſors naſcendi, conditio una moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege, vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtmodum recedatur: tamen niſi pro arbitrio tuo tibi ſerviatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus & nimius ſervitutis exactor, flagellis verberas, fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoſcis Dominum Deum tuum, cùm ſic exerceas ipſe dominatum?* 2. Comparatio in uno gradu.

3. Comparatio fit pluribus gradibus ex quibus amplificatur Oratio, ut patet exemplo ſequente. [Si quis homo gratis tibi donaret in ſingulos annos centum mille drachmarum, non hunc ex animo diligeres ac pro virili tua gratiam referre ſtuderes? Si quis hoſpes te ſuo ære redemiſſet à miſera ſervitute barbarorum, aut è tetro carcere liberaſſet, an non eum virum Comparatio in pluribus gradibus.

adamares, ac per omnem vitam coleres? Si quis te in prælio aut in naufragio periturum ſua virtute ſervaſſet, an non eum hominem numinis loco coleres, profeſſus nullam unquam parem illi gratiam abs te referri poſſe? Quæ igitur ingratitudo in Chriſtum Deum & hominem, qui te condidit nobiliſſimam poſt Angelos creaturam, cui totum debes quidquid habes, qui tibi præter corporis alimoniam gratis donavit juſtitiam, gratis impertit ſui Spiritus dona, qui te captum non ære, ſed ſuo ſanguine redemit; qui ſuper hæc omnia ad cœleſtis regni conſortium invitat; ſic negligere, averſari, ſic quotidie criminibus offendere, ac pro tanta benevolentia tantam contumeliam reponere?] In hoc exemplo quo Eraſmus utitur, patet pluribus gradibus Orationem increſcere à minoribus.

1. Comparationis modus à Pari.

4. A Comparatione Parium ducitur interdum Amplificatio, ſed tum, verbis efficiendum eſt, ut quod exaggeramus majus eſſe videatur, quàm prima fronte apparet. Par videtur Schiſmaticorum & Chriſtianorum lapſorum crimen, illud tamen huic præfert D. Cyprianus, ſequente exaggeratione. [Pejus hoc crimen eſt quàm quod admiſiſſe lapſi videntur, qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hìc Eccleſia quæritur & rogatur; illic Eccleſia impugnatur. Hoc poteſt neceſſitas fuiſſe; illic voluntas tenetur in ſcelere. Hìc qui lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit; illic, qui hæreſim vel Schiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hìc animæ unius eſt damnum; illic periculum plurimorum. Certè peccaſſe ſe & hic intelligit, & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato ſuo & in ipſis ſuis delictis placens, à matre filios ſegregat, & oves à paſtore ſollicitat, Dei Sacramenta diſturbat; & cùm lapſus ſemel peccaverit, ille quotidie peccat. Poſtremò lapſus martyrium conſequutus, poteſt Regni promiſſa percipere: ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia pervenire.

2. Modus ab Inæquali.

5. Ab Inæqualitate ſeu Comparatione inferiorum amplificantur ſuperiora, cùm excuſſis omnibus locis & circumſtantiis utrorumque, oſtenditur ſuperiorum gravitas. Ita Eraſmus collatione furti cum obtrectatione, infert hanc illo fore longè pejorem. Exaggerat autem comparando utriuſque definitionem, quæ eſt tollere alienum: Deinde bonum famæ præfert pecuniæ; tum iſtius damnum eſſe recuperabile, famæ damnum non ita. Poſtea, quòd furtum uni tantum noceat, obtrectatio pluribus; quòd adverſus furem poſſit eſſe cautio, adverſus obtrectatorem nulla ſit; ab Inſtrumento etiam quo utrumque peragitur, auget obtrectationem, quia fur manu lædit, detractor lingua, telo muliebri, *&c.*

3. Modus à Contrario.

6. Ad Amplificationem ſyncriticam pertinet ea quæ à Contrariis inſtituitur Comparatio, qua fit ut Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant. Ita ſi Eccleſiaſtes velit attollere Caſtitatem, ex adverſo ſubjiciet quàm fœda res ſit Luxuria; ſi Liberalitatem laudare ſtudeat, eam cum deformitate Avaritiæ comparabit; ſi ad pacem invitet, belli damna enumerabit. Idem fit in conferendis ſimilibus, exemplis ac perſonis, quæ virtute aliqua aut huic

Digitized by Google

huic contrario vitio inſignes ſunt. Velut exemplum pietatis erga parentes eſt in Ciconiis; in Viperis exemplum impietatis; in Gallinis exemplum ſollicitæ educationis, in Aquilis diverſum, quæ ova protrudunt è nido ſi plura ſint tribus, idque tædio nutricationis.

SECTIO III.

De Ratiocinatione.

Amplificatio per Ratiocinationem.

TERTIUS iſte eſt Amplificationis modus, cui Fabius nomen *Ratiocinationis* fecit. Eſt autem, cùm ex his quæ ſequuntur ac antecedunt, aut conjuncta ſunt colligit Auditor, quantum ſit hoc quod amplificatum volumus. Item, cùm ut aliud creſcat, augetur illud unde ad id quod extolli deſideramus ratio deducitur. V. g. cùm Goliæ fortitudo colligitur ex haſta ejus, quòd eſſet quaſi liciatorium texentium, & lorica, quæ erat quinque millium ſiclorum ponderis. 1. Reg. 17. unde etiam exaggeratur virtus Davidis qui tantum adverſarium devicit. Item Deuteron. 3. proceritas corporis, v. g. Regis Baſan intelligitur ex magnitudine ferrei lecti quo utebatur, qui novem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis haberet; inde etiam laudatur populus Iſraeliticus qui talem hoſtem ſuperarit.

Ratiocinatio ab Antecedentibus.

Ab Antecedentibus ducitur Ratiocinatio, cùm ex magnitudine rerum præcedentium colligitur futurarum gravitas. V. g. cùm ex iis quæ Deus Incarnatus fecit ut Generis humani ſcelus expiaret, infertur quid nos ipſi facere debeamus ut ſalvemur; an non enim pudeat homines quorum maximè intereſt: tam parva præſtare pro ſalute conſequenda, cùm Chriſtus tot tantoſque labores ac dolores perpeſſus fuerit ut ſalutis noſtræ viam ipſe aperiret? Videat igitur peccator, quorſum Dei Filius oret, vigilet, laboret; famem, ſitim omnemque aeris injuriam patiatur; opprobriis, verberibus, morte denique crudeliſſima afficiatur. Sciſcitetur quorſum iſta? Diſcet ſanè, ſalutis humanæ gratia omnia hæc facta fuiſſe: Ergone ipſe homo ad hæc obſtupeſcet, nec pro ſemetipſo vel minimum laborare curabit? *&c.* O ſtolida Inſipientia minimè ferenda!

Ratiocinatio à Concomitantibus.

A Conjunctis ſeu Concomitantibus infertur quanta fuerit Mulieris peccatricis pœnitentia, quæ pudoris ac metus oblita irruperit in convivium ſuperborum Phariſæorum, illiſque ſpectantibus ad pedes Chriſti advoluta, eoſdem lachrymis rigavit & capillis terſit. Luc. 7. 44.

Ratiocinatio à Conſequentibus.

Ab Inſequentibus ratiocinamur, cùm exaggeramus Gehennæ ſupplicia, quæ nunquam ſint habitura finem, modumque omnem dolorum excedant; inde ſcilicet colligimus quantum malum ſit peccatum quod tantis malis ſit puniendum.

Ratiocinatio à variis Locis.

Denique Ratiocinatio inſtitui poteſt per omnes ferè Locos Oratorios; nam *à Perſonæ circumſtantiis* amplificando plurima inferuntur: *A corpu-*

lentia Antonii Cicero colligit ejus voracitatem. *Ab Inſtrumento*, ut à clypeo Ajacis, vel ex haſta Achillis, vel ex arcu Ulyſſis, conjicitur robur aut quid ſimile in his qui iis uſi ſunt. *Ab Occaſione* laudatur temperantia Socratis quam flectere non potuit obvia voluptas. *A Loco* æſtimatur Job qui probus fuerit in terra Hus. *A Tempore*, *ab Ætate*, *à Sexu*, *à Conditione*, & cæteris ejuſmodi fontibus Amplificatio ducitur percommodè Ratiocinationis methodo.

SECTIO IV.

De Congerie.

Amplificatio à Congerie.

CONGERIES quartum Amplificandi modum conſtituit, eſtque multiplicatio verborum aut ſententiarum rem eandem velut inculcantium. Ab Incremento differt quod iſtud gradatim increſcat, illa velut acervo premat. Notus eſt Ciceronis hac de re locus Congerie verborum ſynonymorum & ſententiarum idem ſignificantium conſtans. Pro Ligario num. 9. *Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* &c. Ad hanc Orationis partem tradunt Cæſarem, coram quo dicebatur, immutaſſe colorem. Expende quàm multæ voces hìc ſunt idem ſignificantes, *Gladius*, *mucro*, *arma*, *ſenſus*, *mens*, *animus*, *cupiebas*, *optabas*. Tum quot ſententiæ eodem ſpectantes, *diſtringere in acie gladium*, *latus petere*, *ſenſus armorum*.

Amplificatur Livoris ſcelus ſententiis conglobatis à D. Cypriano his verbis de Liv. [Si receſſerunt (inquit) de pectore tuo tenebræ; ſi nox inde diſcuſſa eſt; ſi caligo deterſa; ſi illuminavit ſenſus tuos ſplendor diei; ſi homo lucis eſſe cœpiſti; quæ ſunt Chriſti ſequere: ſequere, quia lux & dies Chriſtus eſt: quid in Zeli tenebras ruis? quid te nubilo Livoris involvis? quid Invidiæ cæcitate, omne pacis & charitatis lumen extinguis?]

Idem, De habitu virg. [Si tu te ſumptuoſiùs comas & per publicum notabiliter incedas; oculos Juventutis in te illicias; ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas; concupiſcendi libidinem nutrias; peccandi fomenta ſuccendas; ut, etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & te velut gladium ac venenum videntibus præbeas; excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis ac pudica.] Hìc congeruntur Metaphoræ & Allegoriæ idem ferè ſignificantes ut attollatur periculum quod mulier incurrit, dum greſſu molliori & habitu comptiori ornata in publicum procedit.

Congeries etiam frequens eſt à conglobatis & congeſtis *Definitionibus*, *Cauſis*, *Effectis*, *Partibus*, *Adjunctis*, *Similibus*, *Diſſimilibus*, *Contrariis*, *Repugnantibus*, aliiſque ejuſmodi Locis, de quibus actum eſt in Promptuario, l. 2. D. Gregorius Nazianz. Matris Machabæorum conſtantiam am-

Digitized by Google

amplificat, ex eo quod nullis tormentis dejici potuit [Matris robur animique conſtantiam nihil flectere & emollire aut debilitare potuit: non inſtrumenta luxandis artubus accommodata, non rotæ propoſitæ; non exquiſitiſſima quæque tormentorum genera, non ferrearum ungularum acies; non furentes beſtiæ; non enſes acuti; non ferventes ollæ; non ignis erumpens; non urgentes ſatellites; non filiorum aſpectus, non membra quæ diſcerpebantur, non carnes quæ lacerabantur, non defluentes ſanguinis rivi, non flos ætatis qui abſumebatur; non præſentia mala, non impendentes acerbitates, *&c.*]

ARTICULUS V.

Amplificationis Artificium Practicum.

SECTIO PRIMA.

Compendio retexuntur Amplificationis Canones.

NE in re Oratori ſumme neceſſaria (qualis eſt Amplificatio) hæreat Eccleſiaſta, ejus leges compendiosè non minus quàm perſpicuè explicatas in hujus Capitis calce perſtringo, totumque dilatandi artificium exemplis breviter exaratum profero, ad imitationis facilitatem.

1. Amplificatio igitur eſt *Oratio qua res oſtenditur eſſe tanta, quanta eſt, ſed major vel minor quàm fortaſſe pluribus videatur*. V. g. plurimi non faciunt ſatis curam de ſalute æterna; non pauciores etiam magis faciunt curam de rebus temporalibus, utriſque remedium ſubjicitur per Amplificationem. Prioribus quidem demonſtratur ingentis momenti negotium eſſe, quod ſalute æterna continetur; ideoque pingitur vivis coloribus quidquid ad hoc opus ſpectare poteſt, ut pluris videatur ac æſtimetur hominibus deſidibus, quàm antea videbatur & æſtimabatur. Aliis verò qui bona temporalia plus nimio faciunt, hiſque perperam illigantur, eorundem vanitas & inutilitas per Amplificationem oſtenditur, ſeu id fiat *Affirmativè*, hoc eſt, demonſtrando qualitates malas & indignas quibus abundant illa, ſeu *Negativè*, hoc eſt, diminuendo & detrahendo ſpecioſas boni rationes quibus Mundi ſectatores deludi ſolent. Quid ſit Amplificatio.

2. Hinc duplex Amplificandi artificium: aliud quod communi vocabulo dicitur *Amplificatio*, cujus Induſtria ſatagit augere rem ſeu oſtendere majorem; Aliud quod vocatur *Diminutio*, cujus ſtudium eſt rem demonſtrare minorem, detrahendo ſcilicet magnitudinis larvam, qua illa incautiores fortaſſe decipiebat. Exempla Affirmativæ & Negativæ Amplificationis mox tradita rem abundè explicant. Amplificatio & Diminutio. Varii modi quibus inſtituitur Amplificatio.

3. Multiplici modo fit Amplificatio, aut *Verbis* aut *Rebus*, aut *Figuris*,

Digitized by Google

1. Verbis. *ris*, aut his omnibus. 1. *Verba* inſerviunt Amplificationi; ſeu cùm adhibentur Illuſtriora, Graviora, Conſonantiora, *&c.* atque his contraria, ſi de Diminutione agitur. Seu adduntur tantùm verba verbis, quæ quidem non augent vel aliquid majus dicunt, ſed ſolùm multiplicem & varium ſenſum edunt ut V.g. *Audite*, *Audite*, & ſimilia quæ accumulatione augent. Seu adduntur verba verbis, ſed quæ aliquid majus & novum dicant, ut, *Abiit*, *exceſſit*, *evaſit*, *erupit*. Illuſtriorum & graviorum verborum exempla frequenter occurrunt, ut v.g. qui potuiſſent dicere, *Læſit*, *vel occidit*, augebit dicendo, *mactavit*, *trucidavit*, &c. Aliquid majus ſonabit ſi addiderit Adverbia ſuperlativa, *Crudeliſſimè*, *atrociſſimè*, &c. Item, Metaphorica verba multum augent, ſi v.g. dicatur
2. Rebus. *pro bellicoſo & generoſo*, quòd ſit *Leo*, *Fulmen*, &c. 2. Rebus conſtituitur Amplificatio, cùm ſententiis propoſitum augetur, quod fieri quatuor modis dictum eſt, ſcilicet per Incrementum, per Congeriem, per Comparationem & per Ratiocinationem. De his exempla ſuperiùs tradita
3. Figuris. ſunt. 3. Figuris illuſtratur Amplificatio, ut cùm formantur Admirationes, Exclamationes, Apoſtrophes, Proſopopœjæ, &c. que rem augent, non quidem rebus, ſed tantùm adhibitis Figurarum coloribus eam repræſentant majorem. Unum exemplum præcedentibus addo. V.g. exaggeretur Chriſtianorum crimen aliquod, poterit Chriſtiana Religio induci per Proſopopœjam id ſcelus fidelibus exprobrans [O ſi mihi jam concederetur triſtem avitæ Religionis formam ante oculos veſtros ſtatuere, ipſaque apud vos conqueri vellet de injuriis quibus veſtris ſceleribus continuò afficitur, qualem putatis extituram? quæ foret ejus forma? quæ ejus voces? Fingite vobis Mulierem gravem, majeſtate quidem conſpicuam ſed mœrore dejectam, *&c.* quid illa diceret? Uſque quo tandem in me ſævietis, ò Chriſtiani? quouſque Filii, Matris viſcera dirumpetis, & ingeminatis ſceleribus uterum quod formati eſtis dilacerabitis? *&c.*] Hæc inquam & ſimilia rem augent plurimùm ac majorem oſtendunt, quam-
4. Locis. vis vix aliquid novi adjiciant; Figurarumque eſt iſtud artificium. 4. Denique Amplificatio fit ex omnibus Locis de quibus in Promptuario actum eſt, ac etiam ex iis quæ à Longino, Aphthonio, & Cicerone indicata ſuperiùs referuntur.

4. Materia quam Eccleſiaſtes deligit amplificandam, plurimùm diſtare debet ab ea quæ Oratori prophano ſolet eſſe familiaris: Hic enim vix aliud intendit quàm ut de Temporalibus & terrenis agat, Eccleſiaſtæ autem longè nobilior & ſanctior eſt ſcopus, nimirum de iis quæ ad Dei Gloriam Hominumque ſalutem attinent, tractare. Eamobrem, omne Amplificationis Eccleſiaſticæ artificium deſudet (quantum fieri poterit) in ſeligendis ejuſmodi Propoſitis quæ ſacrum finem complectantur. Ut ſunt Dei Attributa, Poteſtatis qua cuncta creata conſervat; Sapientiæ qua eadem regit; Providentiæ, qua neceſſaria ſuppeditat; Miſericordiæ, qua miſerias levat; Juſtitiæ, quæ merita remunerat, *&c.* Talia ſunt Præ-

cepta

Digitized by Google

cepta Divina, Dignitas Religionis Chriſtianæ, Vocatio ad Fidem, Gratiæ beneficia, Mortis incertitudo, Paradiſi felicitas, Inferni acerbitas. Ejuſmodi etiam ſunt ſalutis cura, virtutes, vitia, aliaque ſimilia quæ ſuaderi vel diſſuaderi, laudari vel vituperari poſſunt. Denique huc referuntur Divorum Encomia, quibus geſtorum laudabilium imitatio provocatur: hæc inquam, aptiſſima ſunt ad Amplificationem & Eccleſiaſtam ſapiunt. In his igitur dilatandis omnem ille induſtriam ponat, vana verò & puerilia propoſita prorſus abjiciat, velut ſacro miniſterio prorſus indigniſſima.

5. Diximus ſupra non poſſe aſſignari certum Orationis locum, cui Amplificatio non conveniat, ubique enim & omni parti neceſſarius eſt ille Ornatus ſeu vigor, qui per Amplificationem formatur ac inſpergitur: tradidimus etiam varias methodos quibus Amplificatio fit, ejuſque Locos indicavimus unde illa locupletetur & protendatur. At, ob Novitiorum commodum, eoſdem Amplificationis fontes breviter repetimus ac Exemplis ſpecialibus proditos exhibemus.

9. Trium tantùm rerum Amplificationem ſubjicio, ſcilicet Propoſitionis alicujus, Periodi, & Concluſionis. Propoſitio, eſt ſententia aliqua ceu Effatum paucis verbis comprehenſum, quod pluribus dilatandum aſſumitur. Periodus, eſt etiam propoſitio aliquibus membris conſtans, quæ indiget Amplificatione. Concluſio denique, eſt ea Concionis pars quam Oratores Epilogum, aut Perorationem vocant, quamque ſolemus ut plurimùm Moralitatem appellare. Quomodo hæc poſſint dilatari nunc docemus, ex his cæterorum Amplificatio clareſcet.

SECTIO III.

Amplificationis Ideæ Practicæ, ſeu Exempla faciendæ Amplificationis.

1. IN memoriam revocandi ſunt Promptuarii fontes, ſeu Loci, tum ii qui Perſonis tum qui Rebus conveniunt, tam intrinſecè, quàm extrinſecè. Revocandi etiam ſunt Loci, qui ſingulis Quæſtionum generibus, ac Dicendi formis proprii ſunt. Item Loci quibus ex Longino & Aphthonio Amplificatio Criminis alicujus duci poteſt. Ne tamen credas, quòd ſtatim atque horum Locorum memineris, continuò dilates Orationem quocumque & quantum volueris: dictum eſt enim ſupra l. 2. quòd Loci capſis Apothecarum repoſitoriis ſimiles, vacui & inanes ſunt ex ſe, niſi Oratoris eruditione locupletentur. V. g. vox iſta *Genus*, quæ me monet ut rem amplificem per ſuum Genus, inutiliter monitionem præfatam mihi ſuggerit, niſi ſciam quid ſit iſtud quod Generis voce appellatur, quodnam etiam ſit Genus illius rei quæ dilatari debet à genere. Juvant tamen maximè prædicti Loci, quia (ut dixi) monent Oratorem ut ſumat dicendi Argumentum ab eo loco qui viſus fuerit ad rem & occaſionem

nem commodior. V. g. Locus *Generis* me monet ut de Sobrietate dicam per ejus Genus, quod eſt Temperantia; memorabor igitur iſtius Generis ſi illud ſciam, vel ſi ignoro, illud à libris ediſcam; tum laudem Sobrietatis amplificabo per Temperantiæ proprietates quæ in Sobrietate ſplendent. Idem præſtandum eſt in ſingulis Locis, quos vellem memoriæ ita mandari, ut citiſſimè occurrerent Oratori Concionem facturo; vel ſaltem chartæ inſcribi compendioſè, ut ad unum intuitum explicarent omnes Thecas repoſitorias, è quibus prudens Eccleſiaſta mutuaretur, quod melius & commodius dijudicaret.

2. Exhibeo hìc Catalogum Locorum, quos Aphthonius in ſuis Progymnaſmatibus ſeu Præexercitationibus Oratoriis præſcribit ſingulis Dicendi formis obſervandos.

Narratio, quæ eſt rei factæ vel tamquam factæ expoſitio, à ſex capitibus petitur. 1. *A Perſona*, de qua geſtum refertur, quæ ſcilicet illa fuerit, cujus aliæ circumſtantiæ expenduntur. 2. *A Re geſta*, hoc eſt, quid fuerit factum. 3. *A Tempore*, circa quod res geſta eſt. 4. *A Loco* in quo tranſacta. 5. *A Modo*, ſeu quo pacto res eſt geſta. 6. *A Cauſa*, quæ facto dedit vel potuit dare occaſionem. Iſta ſunt clariora quàm ut indigeant exemplo. Inde nimirum liquet Oratorem debere auſpicari Narrationem à Perſonæ deſcriptione. Poteſt etiam, immo ſæpiùs inchoatur à Tempore, quo res primùm evenit.

Sententia, quæ eſt Oratio brevi complexu aliquid quod ad hortandum dehortandumve pertinet explicans, his capitibus expenditur. 1. *A Laude* illius qui Sententiam protulit. 2. *Ab expoſitione* & paraphraſi Sententiæ de qua agitur. 3. *A Cauſa*, cur excogitata fuerit & in quem finem tendat. 4. *A Contrario*, ſeu incommodo quod ex oppoſita ſententia naſcitur. 5. *A Similitudine*, qua Sententia illuſtretur. 6. *Ab Exemplo* eorum qui ſimiliter ſenſerunt aut fecerunt. 7. *A Teſtimonio* veterum, qui idem probarunt.

Confirmatio, eſt propoſitæ rei Aſſervatio ſeu Probatio. His autem Locis inſtituitur, 1. *A Laude* ejus qui Eſſati probandi author eſt. 2. *Ab Expoſitione* propoſiti confirmandi. 3. *A Probabili*. 4. *A Poſſibili*. 5. *A Cohærente*. 6. *A Decoro*. 7. *A Conſequenti*.

Confutatio, ſeu propoſitæ alicujus rei Deſtructio, totidem in oppoſitum fit modis quo res, ſeu propoſitio adſtruitur: Contrariorum enim eædem ſunt ex adverſo leges. Ex ſequentibus fontibus ducitur, 1. *Ab Expoſitione*. 2. *Ab Improbabili*. 3. *A Difficili & impoſſibili*. 4. *Ab Inconſequenti*. 5. *Ab Indecoro*. 6. *Ab Inutili*.

Laus definitur ab Aphthonio, Oratio bona alicujus enumerans. Nam, ut ait Quintilianus l. 3. c. 7. Proprium eſt Laudis res amplificare & ornare. Ea autem quæ laudanda occurrunt, hæc enumerantur. 1. Perſonæ. 2. Res, ut Juſtitia, Temperantia, &c. 3. Tempora. 4. Loci. 5. Ratione carentia, ut Animalia. 6. Plantæ.

Perſonæ laudantur, 1. à Genere, quod dividitur in Gentem, Patriam, Majo-

Majores, Patres. 2. Ab Educatione, quæ complectitur Inſtitutionem, Artes, Leges ſeu ſtudia quibus aliquis vacare poteſt. 3. A Bonis, tum Animi, tum Corporis, tum Fortunæ. Ab his inquam capitibus poteſt Encomium Perſonarum amplificari, atque iterum ex Comparatione unius cum altero creſcet Amplificatio. Addit Quintilianus loco citato, quòd Laus hominum in tria tempora dividitur; in Tempus, quod ante eos fuit; quo ipſi vixerunt, & quod fatum eorum eſt inſecutum. Cætera vide in 2. parte, l. 2. de Exornatione & aliis pluribus locis.

Vituperatio, quæ definitur Sermo mala quæ alicui inſunt exponens, iiſdem tum propoſitis tum capitibus adducitur & tractatur, quibus Laus, ſed oppoſita omnino verſatur ratione.

3. Ex his breviter recenſitis, & quantùm fieri potuerit ita memoriæ mandatis, ut quaſi ob oculos habeantur, Eccleſiaſtes accedet ad amplificandum quodcumque libuerit, quod exequetur faciliùs ſi ſequentem Methodum, quam Tyroni præſcribo, obſervaverit.

Attendat propoſitum quod tractandum ſuſcipit ejuſque naturam ac proprietates ponderet. Vel enim iſtud repræſentat *Perſonam aut Rem*, *ſive laudandam*, *ſive vituperandam*, *ſive diſcribendam*, &c. atque tunc conſulendi ſunt hujus Operis Loci, in quibus traduntur leges, ſecundùm quas ejuſmodi Genera Orationis formari debeant, in 1. p. l. 3. cùm de Definitione; l. 4. de Deſcriptione; & 2. p. l. 2. *Vel propoſitum tractandum conſtat ſimplici ſententia ſeu propoſitione*; *vel conſtituitur ex pluribus* qualis eſt Periodus, ac Concluſio quæ per excurſionem moratam diffunditur. Si propoſitio dilatanda, eſt ſimplex affirmatio aut negatio unius de altero, v.g. *Juſtitia eſt ſervanda*: Illa inquam Propoſitio *vel eſt abſoluta*, nullum comparationis ordinem explicans, ut v. g. *Deus eſt bonus*, *Chriſtus amat homines*, *Euchariſtia eſt pignus amoris*, &c. *Vel eſt Comparativa* & confert unum cum altero, ut v.g. *Deus eſt melior omni alia re*; *Chriſtus magis amat homines*, *quàm quivis alius princeps ſuos ſubditos*, *vel pater filios*; *Euchariſtia eſt majus amoris divini pignus*, *quàm quodcumque aliud beneficium*.

Si propoſitio fuerit ſimplex & abſoluta, quales ſunt iſtæ, Virtus eſt exercenda, vitium eſt fugiendum, hæ inquam Propoſitiones dilatabuntur per omnes Locos quibus tractari ſolent Deliberativi generis partes. Suaſio & Diſſuaſio; nimirum *ab Honeſto vel Inhoneſto*; *Ab Utili vel Inutili*, *aut Noxio*; *Jucundo vel Injucundo*, *Poſſibili vel Impoſſibili*, *Tuto vel Periculoſo*, denique ab omnibus circumſtantiis penſabitur & diffundetur ejuſmodi propoſitio ſuaſoria vel diſſuaſoria, quibus Conſultorium Genus verſatur. Idem præſtandum eſt ſi Propoſitio ſpectet ad Genus Exornativum, vel ad Doctrinale, his enim addicuntur Loci ſpeciales & proprii, quos adhibere oportet, cùm agitur de amplificandis Sententiis quæ ad ejuſmodi genera revocantur. De his conſule 2. Partem hujus Operis lib. 1. & 2.

Propoſitiones amplificandæ methodus.

Si Propoſitio fuerit Comparativa, conſtans nimirum ex duabus partibus,

K K

bus, quarum altera confertur cum altera; fieri debet utriuſque partis dilatatio. V. g. *Euchariſtia eſt Pignus Amoris Divini majus, quàm quodcumque aliud beneficium à Deo acceptum.* penſabitur & expendetur magnitudo ac multitudo plurimorum beneficiorum à Deo acceptorum: v. g. *Creationis, Conſervationis*, &c. Hæc eſt una ex Propoſitionibus quæ amplam dilatandi ſegetem ſubjicit; poſſunt enim omnes circumſtantiæ ſingulorum beneficiorum ponderari; deinde altera præcipua ſeu capitalis Propoſitio, quæ eſt hìc *De Euchariſtiæ dono*, ac ejus circumſtantiæ omnes debent expendi; atque ex collatione unius cum altera, apparebit Euchariſtiam eſſe beneficium quocumque alio ſublimius & magnificentius. Sed hinc etiam liquet, quàm facile ſit ejuſmodi Propoſitiones comparativas amplificare; quia nimirum ex duplici parte materia Amplificationis ſuggeritur.

Si Propoſitio formam Argumentationis præ ſe ferat, dilatabitur per rationes quibus ſingulæ Argumenti partes probari poſſunt: quæ (inquam) probationes ſuis propriis propoſitis annectentur. V. g. *Beneficium quod majorem confert utilitatem, pluris faciendum eſt; At ejuſmodi eſt Euchariſtia; Ergo*, &c. Syllogiſmus iſte nudus & ſtrictus eſt, qui tamen comparationem inſtituit. Poterit autem diffundi hoc aut ſimili modo. Præmittetur prior propoſitio, v. g. *Beneficium quod majorem confert utilitatem, pluris eſt faciendum.* Huic ratio ſuggeretur ad probationem; v. g. *Solitum eſt enim apud homines, ut res æſtimentur pluris minoriſve, prout magis aut minus commodi afferunt.* Quæ ratio majorem propoſitionem firmans, poteſt iterum probari per alias rationes, ſimilitudines, exempla, &c. unde dilatabitur fuſiſſimè prima propoſitio. Idem præſta in altera Propoſitione. V. g. *At Euchariſtia majorem confert utilitatem, quàm quodcumque aliud beneficium:* Hujus rationes ducantur ex circumſtantiis quibus Euchariſtia antecedit cætera beneficia; v. g. Creationis, &c. Hinc patebit uberrima Amplificationis materia. Pari modo Concluſiones ac ſimiles propoſitiones diffundi queunt, ut patet modicum attendenti. Sed illud obiter notandum occurrit, ut è multa ſupellectili qua pingueſcere & locupletari poteſt Amplificatio, ſeligatur prudenter quod viſum fuerit ad rem & intentum magis appoſitè convenire. Item, cùm tota vis argumenti nitatur in ſecunda propoſitione v. g. quod *Euchariſtia majorem conferat utilitatem*, in ea dilatanda major cura debet impendi, eamobrem minùs diffundenda eſt prior propoſitio, quia hinc fieret digreſſio longior & ſæpe inutilis; ſed ubi illa ſufficienter conſtare viſa fuerit, fiat citiùs ad ſecundam propoſitionem (ſeu illam quæ propoſitum præcipuè complectitur) tranſitio, ut in hac omne Amplificationis artificium impendatur. In cæteris Argumentationis ſpeciebus, eadem dilatandi methodus obſervanda eſt, quæ in Syllogiſmo obſervatur.

Periodi Amplificandæ methodus.

Periodus non diſſimili ferè modo explicatur, quàm quo diffunditur Argumentatio; ſi enim ſingulis illius membris proprias rationes ſubjunxeris

xeris, tunc feceris eorum Amplificationem. V. g. *Ex omnibus Argumentis quæ Concionatori tractanda occurrunt, nullum aut utilius aut difficilius eſt eo, quod Sanctorum Panegyrim texit.* En propoſitio, cujus duo membra ſunt: prius de utilitate, poſterius de difficultate tractandi, quarum probationes ſuggeſtæ Amplificationis uberem materiam dabunt. V. g. *Utile quidem eſt ejuſmodi propoſitum, quia dum merita Sanctorum explicat, ad eorundem imitationem provocat Auditores*, &c. En prioris membri una ratio: poſterioris verò membri ratio hæc poterit adjici. V. g. *At nihil eſt ſanè difficilius, quàm Sanctitatis præconium ſtruere; opus enim illud cùm Naturæ vires ſuperet ut fiat, eaſdem vincit ut explicetur.* Liberum eſt etiam (niſi ſit ſupervacanei metus) addere etiam rationem à pari petitam; unde iterum propoſitio diffundatur. V. g. *In cæteris quidem pluribus propoſitis, Orator habet verba quibus ſuo officio faciat ſatis; ut cùm agitur de ſuadenda virtute aut diſſuadendo vitio, unde humana ſocietas aut ſplendet aut fœdatur: hæc enim cùm ſint ordinis naturalis, facilè poſſunt enuntiari; At ubi res eſt de Gratiæ operibus, quale ſunt Divorum virtutes, illa ſunt tot prodigia, quibus pingendis humanum non ſufficit eloquium*, &c. Ex hoc exemplo rudi & ſimplici Minerva exarato, conjicit Eccleſiaſtes Novitius, facillimum eſſe Periodos variaſque Propoſitiones amplificare, atque etiam totam Orationis ſtructuram dilatare, & rationibus ſeu Figuris ubique inſperſis, ac prudenter ſubjectis eandem ampliare.

Concluſio ſeu Peroratio Moralis plurimùm indiget Amplificatione; ut aſſequatur intentum. Diximus ſupra in calce l. 5. Perorationem conſtare duabus partibus, ſcilicet Enumeratione ſummaria rationum priùs adductarum, & Commotione affectuum quæ ab iiſdem capitibus explicatis ducuntur; Hìc autem adjicimus, eandem Commotionem indigere Amplificatione, ut omnia incentiva & incitamenti media torqueat efficaciter in Auditores. Quomodo debeat hæc Affectuum excitatio claudere Concionem, vix poteſt conſtitui particulatim, cùm hoc artificium pendeat à Concionatoris genio, à Concionis genere & à Propoſiti ſcopo. Non eodem ſemper modo perorare poſſunt Oratores, quorum diverſus Genius, diverſam Epilogi methodum deſiderat. Aliter quippe perorat qui vehementis eſt naturæ, aliter qui mollioris: diverſimodè finiuntur Dicendi genera Exornativum & Deliberativum: illud Admirationis affectum ſuſcitat, iſtud imitationis & operationis deſiderium: Aliàs ſcopus Concionis eſt Hortatione ad bonum vel Dehortatione à malo, finem facere; Aliàs intentum eſt laudare vel vituperare: unde vix eadem Amplificandæ Concluſionis methodus deſignari poteſt. Atque ut bene fiant, conſuli debet proximum caput ubi de Affectibus tractandis agitur. Interim monebo, quòd ſi opus fuerit ſuadere praxim alicujus virtutis, v. g. Liberalitatis ſeu Beneficentiæ, adhiberi poſſunt Loci, ab Honeſto, à Jucundo, ab Utili, atque etiam alii rationum fontes qui ſub his tribus Capitibus continentur. Deinde oppoſitis rationibus impugnandi ſunt qui

Concluſionis Amplificandæ methodus.

ſecus fecerint & à beneficiis largiendis parciùs & ſordidiùs abſtinuerint: Hic prodeſt uti Figuris ad propoſitum aptis, quales ſunt Interrogationes, Apoſtrophes, Proſopopœjæ, Commiſerationes, Obſecrationes, Comminationes, & ſimiles Affectuum incaleſcentium motus, de quibus ſequenti capite ſumus acturi.

CAPUT II.

De Affectibus Humanis in Communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Affectuum Natura, Nomen, Neceſſitas & Dominium.

Variæ opiniones de Affectibus.

1. PESSIME apud Stoicos & Pythagoreos audiunt Affectus humani. Hos appellat Pythagoras ſæviſſimos mentis Tyrannos; Zeno, animi morbos; Seneca, ſæviſſimos hoſtes & truculenta beſtias; Ariſtonymus, ventos quibus procellæ naufragia ſpirantes excitantur in corde. Alii lethalem animorum peſtem malorumquè omnium ſcaturiginem inclamant. Mitiùs agit cum Affectibus Plato, qui hos dixit eſſe quatuor rotas quibus animus noſter quaſi currus ab Appetitu pertrahitur, & quibus Ratio velut auriga inſidet. Idem l. 6. de Repub. ait varios Affectus eſſe tot animalium portiones è quibus homo coaluit; ideoque ipſum conſtare Leonis ira, Leporis timiditate, Vulpis calliditate, &c. Zoroaſter, Motus animi comparavit Alis, quibus homines in optatum finem feruntur. Ejuſmodi plurima commenti ſunt de Affectibus Philoſophi veritatis luce nondum ſatis illuſtrati. Excuſantur ab Angelico Doctore 1. 2. q. 24. a. 1. & 2. quod hi perperam cenſuerint Appetitum ſenſitivum à Rationali minimè diſtingui; ideoque rationem cum appetitu facientes eandem, hujus vitioſos defectus alteri affingebant. Longe benigniùs & indulgentiùs de Affectibus opinati ſunt ſacri Doctores, qui hos à Deo cenſuere inditos ad bonum finem, ſi recta Ratio (cui ſubditi ſunt) his imperaverit, quamvis in pejus ruant ſi Rationis moderamine caruerint.

Affectuum varia Nomina.

2. Variis nominibus eadem res intelligitur, cùm Affectus appellantur *Commotiones*, *Motus*, *Animi impetus*, *Paſſiones*, &c. Diverſimodè definiun-

niuntur, ſed dimiſſis cæteris Affectuum deſcriptionibus ex Nemeſio l. de Natura hom. c. 15. Affectus ſeu Paſſio definitur *Motus Animæ Sentientis ob opinionem boni vel mali*. Motus dicitur, quia ut corpus pedibus, ſic anima movetur affectibus; Sentientem animam afficiunt, quia nullæ ſunt Paſſiones in anima Intelligente nec in Vegetante.

3. Ne Stoica falce Affectus reſcindas quaſi inutiles & minimè neceſſarios; plurimum enim utilitatis habent ſi in legitimum uſum vertantur, hoc nomine ſat neceſſarii, quòd à Deo fuerint inditi. Hæc autem ſolent notari Affectuum Officia. Ex Damaſceno Orat. de duab. Chriſti voluntat. *Datæ ſunt homini Paſſiones conceſſu Dei ad munera vitæ exequenda: Cupiditas ut Deo pareamus; Ira autem ut Dæmoni & peccato reſiſtamus. Per Affectus* (inquit Theodoretus in cap. 7. ad Rom.) *ea omnia conſiſtunt, quæ ad præſentem vitam pertinent*, &c. *Sine his* (ait Lipſius) *languebit omnis actio, & vis ac vigor animi reſolvetur. Sine Ira fortitudo non erit; ſine Metu, prudentia; ſine Cupidine, temperantia; ſine Lætitia, ſenſus amorque virtutis*. Ex quibus liquet Affectuum neceſſitas, ſunt enim virtutum inſtrumenta, iiſdem palmarum & triumphorum ſeges ac occaſio ſuggeritur: ſtimulant, accendunt, urgent, pelliciunt, rapiunt animos, abſque his ſtipites, deſides & impotes futuros. Affectuum utilitas.

4. Ad Eccleſiaſtam maximè ſpectat Affectuum naturam noviſſe, quemadmodum enim Deus dicitur ſuper pennas ventorum ambulare, quia horum Dominus his utitur ad nutum; ita Orator ſacer Numinis imago & interpres, ejuſdem imitatur dominium in Affectus humanos, ac ipſis velut pennis ventorum inſidet legem daturus. Cicero 1. de Orat. n. 17. ait: *Omnes animorum motus quos hominum generi Natura tribuit, penitus pernoſcendi; quòd omnis vis ratioque dicendi, in eorum qui audiunt mentibus, aut ſedandis aut excitandis exprimenda eſt*. Idem opinatur Quintilianus l. 6. Inſtit. c. 2. *Hoc eſt* (inquit) *quod dominatur in judiciis, hoc Eloquentiæ Regnum, hoc non docet litigator, hoc libellis non continetur*. Omnes igitur Eloquentiæ principes huc conſpirant, ut arbitrentur Artis Oratoriæ ſummam in Affectuum induſtria commotione conſiſtere: quamquam Eccleſiaſta ſacer alios motus & in ſanctiorem finem excitare debeat, quàm quos urget prophanus Orator; methodo tamen non diſſimili ſuum opus exequitur, ideo utriſque eſt communis iſta de Affectibus tractandis methodus; cui tamen ſubjiciemus quæ Oratori Chriſtiano ſunt propria in 4. Capite hujus Libri. Eccleſiaſtes, debet noſſe Affectuum naturam.

ARTICULUS II.

Affectuum ſedes, numerus, differentia.

Deus expers eſt Paſſionum. L. 1. Confeſſ. c. 4.

1. CUM de Paſſionibus agitur, nullum de Deo dubium moveri aliquatenus poteſt. *Apud ipſum enim* (ait D. Jacobus) *nulla eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: nec eſt ſicut homo qui mutatur. Amat* (inquit Auguſtinus) *non æſtuat; zelat & ſecurus eſt: pœnitet, & non dolet; iraſcitur, & tranquillus eſt. Zelat ſine livore; iraſcitur ſine ulla perturbatione; miſeretur ſine aliquo dolore; patiens eſt, ſine ulla paſſione.* Nec etiam Chriſtus indignos paſſionum motus expertus eſt, ſed vicarias tantùm commotiones, hoc eſt, ab involuntariis ſenſuum perturbationibus omnino immunis, earum loco voluntarios rationis integræ affectus aſſumpſit & oſtendit; hos Theologi appellant Propaſſiones. Unde D. Auguſtinus tract. 68. in Joan. acutè interpretatur illud quod in Evangelio dicitur, *Cœpit Jeſus tædere & triſtari*, id eſt (inquit) triſtitiam & metum cepit, tanquam ejus Dominus, non ab illa captus eſt, &c. Corporearum item affectionum minimè participes ſunt Angeli, animæque carneis exuviis ſolutæ. D. Auguſtinus 9. de Civit. c. 5. *Sancti Angeli* (ait) *& ſine ira puniunt, & ſine miſeriæ compaſſione ſubveniunt; & tamen iſtarum nomina paſſionum, conſuetudine locutionis humanæ etiam in eos uſurpantur, propter quamdam operum ſimilitudinem, non propter Affectionum infirmitatem.*

Solus Homo Paſſionum motus experitur.

Soli igitur homini vera convenit paſſio, quia ſolus inter cætera Dei opera ſenſu viget & ratione. Fons quidem omnium affectuum eſt ea pars hominis quæ Sentiens dicitur, quæ dum Rationalem aggreditur, eam intenſiùs vel remiſſiùs commovendo, Affectus procreat quos iſta patitur, ideoque Paſſiones experiri cenſetur. In omni enim Paſſione (ut ait D. Thomas 1. 2. q. 24. a. 2. additur aliquid vel minuitur à naturali motu cordis; quamvis non oporteat ut paſſionis motus ſemper declinet ab ordine naturalis rationis. Cordi autem Paſſiones inſidere aptiùs dicuntur quòd ſpiritu, calore & ſanguine, quaſi inſtrumentis, vehementes illi affectus, quales ſunt Amoris & Iracundiæ potiſſimùm indigeant, quorum omnium cor locus eſt & domicilium.

2. Non morabor in recenſendis Philoſophorum opinionibus de Paſſionum numero; dicam ſolùm à Platone ſex enumerari; *Voluptatem & Dolorem, Metum & Audaciam, Spem & Iram.* A Boœtio quatuor Affectuum fontes aſſignantur, unde cæteri velùt rivuli dimanant, ſuntque *Spes & Gaudium circa Bonum, Triſtitia & Metus circa malum.* Ita ille l. 1. de Conſol. Philoſ. Metr. 9. D. Auguſtinus videtur unicum agnoſcere Affectuum parentem, ſcilicet Amorem, quia varia pro varietate rerum circa quas occupatur præſtans munera, varias etiam induit formas & appel-

pellationes diverſas ſuſcipit. *Vita Cordis Amor eſt*, inquit ille l. 3. de Trinit. Concinit D. Bernardus ſer. 33. in Cant. dum ait, *Amor cæteros in ſe traducit Affectus*.

Undecim Paſſiones ſolent à communi Schola deſignari. 1. *Amor*. 2. *Deſiderium*. 3. *Gaudium*. 4. *Odium*. 5. *Fuga*. 6. *Dolor*. 7. *Audacia*. 8. *Spes*. 9. *Ira*. 10. *Timor*. 11. *Deſperatio*. Harum numerus & ordo ſic colligitur; Appetitus ſentiens duabus conſtare partibus dicitur, an aliter illæ diſtinguantur quàm ab objectis variis in quæ diverſimodè tendunt, viderint Philoſophi; nobis ſufficit geminam Sentientis Animæ facultatem dignoſcere. Prior vocatur *Concupiſcibilis*, quæ circa bonum aut malum, ut ſunt ab omni conditione ſoluta, verſatur; Altera dicitur *Iraſcibilis*, quæ ad Bonum etiam aut Malum ſpectat, ſed ut difficilia ſunt vel impoſſibilia. Pars Concupiſcibilis ſi Bonum ſimpliciter abſtrahendo ab eo quod ſit vel præſens vel abſens, ſpectet, fit *Amor*; ſi Bonum abſens, fit *Deſiderium*; ſi præſens, fit *Gaudium*. Si de Malo agatur, vel de malo ut in ſe tale eſt, ſeu adſit ſeu abſit, fitque *Odium*; ſi abſit, erit *Fuga*; ſi adſit, fiet *Triſtitia ſeu Dolor*. Pars verò Iraſcibilis quæ in Bonum aut Malum arduum inſurgit, ſi Bonum præſens poſſibile aggrediatur, fiet *Audacia*; ſi futurum, *Spes*. In Malum præſens armatur *Ira*; ſi malum immineat, fit *Timor*; ſi ſpes victoriæ deficiat, animus in *Deſperationem* labitur. Ad hos plures alii affectus quaſi eorumdem appendices adnectuntur, ut *Miſericordia & Benignitas* ad Amorem; *Livor & Invidia* ad Odium, &c.

Paſſionum numerus & ordo.

Notandum occurrit, quòd Motus triplici modo animum ſtimulent, vel leniter, vel duriùs & funditùs. Qui leniter tentant, veluti infantes ſunt, & Affectiones dici ſolent: hos Græci vocant ἤθη hoc eſt, *Mores*, quæ vox deflexa eſt ut affectus communes & moderatiores ſignificet. Qui verò duriùs in Rationem inſurgunt, πάθη, hoc eſt, *Paſſiones*, quas natura indidit quaſi ſtimulos & Pædagogos ad virtutem. Qui denique funditùs convellunt mentem, *Perturbationes*, procellæ, animique ægritudines, à Stoicis meritò nuncupantur. Primi generis exempla ſunt Affectus quibus amant Parentes liberos, Matres tamen indulgentiùs; Feminei ſexus inconſtantia, virilis prudentia: Favor erga pubeſcentem ætatem; Senum moroſitas; Militum profuſio; Gallorum candor & humanitas; Italorum urbanitas: Hiſpanorum gravitas; aliique ſimiles motus qui naturæ inſunt, & delectant veriùs quàm perturbent. Vehementiores affectus ſunt præcipui, *Miſericordia*, *Indignatio*, *Amor & Odium*, &c. Horum fontes aperimus ſequente articulo.

Leniores Affectus, Mores; vehementiores dicuntur Paſſiones.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Affectuum Fontes & Cauſæ.

TRIA hoc in Articulo expendimus. Primùm cauſas fonteſque Affectuum ſcrutamur: Deinde conditiones Oratoris Affectus ſollicitantis notamus: tum Auditorum ipſorum indolem variorum Affectuum diverſimodè capacem, inveſtigamus; ab his enim tribus pendet omnis excitandorum Motuum induſtria.

SECTIO PRIMA.

Affectuum Cauſæ.

Difficile eſt Affectuum cauſas aſſignare.

UT Ventorum difficile eſt originem aſſignare, ita & Affectuum veriſſimas cauſas; quamvis enim Cordis humani ſint incolæ, non tamen proinde liquet cuinam pareant & cujus Imperii legibus ſubjiciantur. Sunt enim velut venti, quos (ut ait Vates Regius Pſ. 34.) *educit Deus de Theſauris ſuis*. *Cor* (inquit Macharius hom. 41.) *vaſculum quidem parvum; ſed in quo recipiantur omnia. Ibi Deus, ibi Angeli, ibi vita & regnum; ibi Cœlum, ſi rectum fuerit: at ſi pravum, ibi Dracones, ibi Leones, ibi Beſtiæ venenoſæ*. Inde intelligitur Cor humanum eſſe Affectuum fontem ac ſedem, atque ab ipſo velut ab Armamentario, prodire Paſſionum varios impetus, quibus homines in varias (ut diximus) formas tranſmutantur.

Triplicis generis cauſæ ſolent Affectibus concedi, *Efficiens*, *Movens & Diſponens*. Efficiens eſt iterum triplex. Prima, *Deus*; Secunda eſt ipſa *Natura*; Tertia duplex, *Appetitus ſentiens*, *Concupiſcibilis & Iraſcibilis*. Cauſa Movens, duplex, intrinſeca & extrinſeca. Prior eſt *Apprehenſio boni vel mali*, veri vel apparentis: Altera quæ ab extrinſeco movet, complectitur *Senſum*, *Senſibile*, *Angelos*, *Dæmones*, &c. Cauſa Diſponens ſeu materialis, eſt *Syderum influxus in corpora*, *lac Nutricis*, *Alimenta*, *Educatio*. Hæc à Philoſophorum Schola decerpſimus ex quibus pauca in rem noſtram mutuamur.

1. Affectuum cauſa, Deus.

3. Deus Naturæ omnis conditor, Homini, quemadmodum cæteris Animantibus, Inſtrumenta tribuit, quibus commoda ſibi conquirere vel incommoda à ſe amoliri poſſit. Hæc autem ſunt Affectus, ſine quibus inermis foret: at quorum eſt author, horum eſt Dominus, his imperat, hos flectit quocumque libuerit; nec ullis indiget adminiculis ut cor humanum ad juſtum cogat obſequium: ſi ſecus fecerit, ſuo non utitur jure, ſed hominem ſuo permittens arbitrio, ab hoc illum non vult per vim & invitè dejicere: immo ſuavibus & accommodatis gratiæ vin-

cu-

culis, ipſum pellicere ſatagit; at quocumque modo id præſtet, dominio in utrumque appetitum ſupremo ſemper fruitur. Solus ergo Deus Affectus excitare poteſt quando & quomodo voluerit; nec Orator aliquis quacumque Eloquentiæ facundia fretus, hos movere poterit, præſertim ad pietatem, niſi Deus cordi ſemper intimus illud emollierit verbiſque fecerit pondus. Inde patet, Eccleſiaſtas, quò plus commercii cum Deo habuerint, eò in permovendis Affectibus feliciùs laboraturos. Hac ope freti Apoſtoli aliique ſacri Præcones, quotquot extitere vel futuri ſunt, mirabiles quas legimus, de Auditoribus victorias obtinuere, ac etiam aſſequentur.

4. Cauſa Affectuum motrix, eſt ut diximus uterque Appetitus ſentiens, dum aut concupiſcit aut iraſcitur, quorum natura variè temperata diverſimodè movetur ad apprehenſionem Boni vel Mali. Cauſa omnis Paſſionum in opinione eſt (ait Tullius 4. Tuſcul.) Duæ ex opinionibus boni, voluptas geſtiens, ſive lætitia præter modum elata, & cupiditas; aliæ duæ ex opinione mali, metus & ægritudo: Cauſa igitur movens intrinſecè Affectus, eſt iſta boni vel mali apprehenſio, judicium & opinio; inde enim Appetitus in Affectum prorumpit. Cauſa verò exteriùs movens, eſt bonum vel malum ſenſibile, verum vel apparens. Ex hoc patet quantam vim habitura ſit Eloquentia, ſi rerum appetendarum vel fugiendarum magnitudinem ingenioſè & fortiter exaggeraverit. Ab extrinſeco etiam moveri poteſt Appetitus per Angelos, quatenus ſcilicet Senſus internos vel externos nonnihil immutando, Affectus ſollicitare poſſunt, quamvis extorquere nequant: ſed hæc ad Theologos dimitti par eſt, ſicut & quid polleant Cœlorum Aſtrorumve influxus. Ad Eloquentiæ negotium propiùs accedamus. 2. Cauſa, Appetitus Sentiens.

SECTIO I.

Auditorum indoles attendi debet, ut Affectuum negotiatio huic accommodetur.

INTEREST plurimùm optimè noſſe horum Indolem cum quibus agit vel agere poteſt Eccleſiaſta; ab illa enim ferè pendet totum Eloquentiæ negotium: cumque inter plures ſit diverſiſſima, varios etiam & multiplices Affectus ſuſcipit. Alii ad Commiſerationem ſunt molliſſimi, alii duriſſimi: Ad iram & odium alii ſunt faciles, alii non ita: præſtant eruditione vel educatione alii, cæteri vel ignorantia vel deſidia ſtupent. Vix certè efficiet aliquid Orator, niſi geniorum diverſitatem callens, huic artem qua motus excitare præſumit accommodet. A variis fontibus peti poteſt ejuſmodi Auditorum varietas, hos paucis aperimus.

Digitized by Google

Regio ſeu Patria.

UT plantis ac metallis, ſic in moribus humanis evenit, ut Affectus naturam ſoli patrii propriam ſequantur: Regionum enim diverſa temperies, ſpiritus quoque animales ac proinde animorum & ſtudiorum diſſimilitudinem maximam parit. Videat ergo cum quibus agit Orator, patriaſque propenſiones edoctus, his ſe conformet.

Indoles Gallorum. Gallorum genius, candidus, humanus, comis, ſtudii & pietatis amans, ad commiſerationem proclivis, paululum mobilior & diverſitatis ſtudioſus. Amat Orationes elaboratas, eruditas, rerum ac affectuum varietate locupletes. Vocis tono & geſtus majeſtate quæ temperiem ſeu mediocritatem ſapiant, delectatur.

Hiſpanorum. Hiſpanorum indoles, acuta, erudita, gravis, ad patientiam nata; Conciones amat profundis conceptibus divites, geſtus ad pompam formatos, & Affectus magnificentiam ac dominium ſpirantes ſuſcipit.

Italorum. Itali vividos animi motus ubique produnt; faciles ſunt ad Iram & Odium; difficiliores ad conciliationem & injuriarum oblivionem. Subtilitate & acumine ingenii pollent in excogitandis ſenſibus altioribus, ſeu ex Scriptura, ſeu aliunde conquiſitis. Corporis geſtibus abundant, niſi excedant; lucri avidiores dicuntur, & de aliis plus nimio ſuſpicioſi.

Germanorum. Germanorum indoles ſincera, facilis, & fraudibus expers. Illis ingenium ad Scientias & Artes idoneum; veterum conſuetudinum tenax; & quantum ad Conciones ſpectat, gaudet iis, quas ſolidiora firmant Argumenta, & ſubtilem minùs quàm nervoſam Eloquentiam poſtulat.

Proprios aliarum Regionum mores non refero, hæc ſufficiant ut moneatur Eccleſiaſtes, non eodem modo agere cum diverſis diverſorum Climatum geniis, ſed ſingularum eſſe omnibus Indolem, ad quam Orationum formas accommodare debet ſi Affectus excitare velit.

Ætas, Sexus & Educatio.

Genius Juvenum. JUvenibus dominari ſolet magna vis Cupiditatis, Iracundia, Voluptas, & Ambitio. Honeſtatis ſpecie ducuntur potiùs quàm utilitatis; amicitias facilè ſanciunt; ad liberalitatem, ad jocos & ſales propenſi, alienæ calamitatis commiſeratione moventur.

Senum. Senes, refrigeſcente temperie, inardeſcunt pecuniarum cupiditate; Egeſtatem timent; mortis memoriam fugiunt; moroſi ſunt & difficiles, nec iis joci arrident, niſi rarò & proprio motu ſuccreverint. Prudentes & providi, præteritarum rerum recordatione & narratione deliciantur. Affectus formidinis, deſperationis & commiſerationis facilè ſuſcipiunt.

Feminarum. Feminæ, ad cupiditatem & timoris motus faciles; hos ſæpe tenaciùs ſervant. Vix iras odiaque deponunt etiam poſt vindictam, rationibus

bus obluctantur quantum poſſunt; Exemplorum ac rerum præſentium moventur magis quàm ſolidioribus Argumentis.

Educatio & conſuetudo alterius Naturæ vim imitantur, ideoque magnam vim obtinent in ſuſcipiendis vel repudiandis Affectibus. Plurimùm in his valere certam membrorum configurationem ait Ariſtoteles 2. De part. anim. c. 4. Alimentorum qualitas, quid poſſit, refert Gellius l. 12. c. 1. dum ait puellam Capræ uberibus enutritam, altricis genium ſaltandi retinuiſſe; Romulum Lupæ nutricis crudelitatem ebibiſſe; alterumque ſuillo lacte paſtum cœni volutabro fuiſſe ſemper delectatum. Educationis effectus.

Conditio & Inſtitutio.

Auditorum qualitas & conditio maximè ponderanda eſt, ejuſque ratio præſertim habenda, cùm de motibus ciendis agitur; omnino enim diverſimodè tractandi ſunt qui diverſa inſtitutione ac eruditione præmuniuntur. Apud Doctos & Politicos, non ſunt adhibendi molles & teneri affectus, nec etiam vehementiores, niſi juſta & legitima occaſio hos popoſcerit: graves motus & ſolidis fundatos rationibus deſiderant; frigent enim inter acriores ſi inſulsè incanduerint. Apud Agreſtes & Ruſticos, vaneſcunt Affectus molliores, immò & exquiſitiores; opus eſt voce, lateribus, Figuris acrioribus, & exemplis terrorem incutientibus ut ſtimulentur; hiſque ſunt rationum & Argumentorum loco miſerabiles ac formidandi ſimilium caſus. Apud ſimplices animos, valent moderati Affectus; faciles ſunt ad Commiſerationem & Iracundiam; ſed cavendum eſt, ne acrioribus harum motibus plus nimio dejiciantur. Nobiles & exculti Auditores mitiùs haberi debent quàm milites & feri; commiſerantur illi, & quoſcumque Affectus facilè ſuſcipiunt; Indurantur hi, & nonniſi ad hoſtiles incurſiones evigilant. Variorum ſtatuum indoles.

SECTIO III.

Oratorum Conditiones ad permovendos Affectus aptæ expenduntur.

A Dei gratia penitus pendere omnem cordis humani ad Pietatem affectum, conſtat inter Chriſtianos Eccleſiaſtas, ut ſuperiùs dictum eſt; Propter eaque, pauciores ex iis Oratoribus (quos ſacros vocamus) ſcopum Eloquentiæ Evangelicæ attingunt, quia fortaſſe inanibus vaniloquii viribus confiſi, minimè curant Dei ſubſidium ex animo invocare. At cùm præcipuè Theologorum ſit de his adminiculis quæ divina ſunt agere, ea ipſis examinanda dimittimus, præſidia Eloquentiæ tantummodò humana prodituri.

Prima, nec minima excitandis Affectibus idonea in Oratore qualitas, eſt ſimilitudo, aut corporum, aut animorum, aut morum, aut deni- 1. Affectuum ex parte Oratoris cauſa, Sympathia.

que latentis alicujus vinculi quo homines hominibus aliunde ignotis colligantur. Abſconditus ille animorum nexus *Sympathia* dici ſolet; ſeu illa oriatur ex æquali temperie, quæ veluti Cytharæ fides alterius ſimilis ſonum abſque ſui pulſatione reddit; ſeu fiat ex alterutrius natura, quæ inſtar ſulphuris ad amicum ignem exardeſcit; ſeu denique (ut aliqui opinantur) ex tranſmiſſione tenuium aliquot ſpirituum in alterius corporis poros, in quos amicis qualitatibus affectum vehunt, referuntque inde in ſuum fontem reſilientes. Ita celebres amicitias Caſtoris & Pollucis, Achillis & Patrocli, Oreſtis & Pyladis olim exarſiſſe ad invicem ferunt. Idem factum fuiſſe inter primæ ætatis Chriſtianos ait Minutius Felix (in Octavia) quos iſte ſcribit arcano quodam philtro ſe ſe mutuò amaſſe antequam noviſſent. Ubi ergo ſimiles occurrunt animæ in Oratore & Auditore, ſimiles quoque Affectus ab illius ore in iſtius ſenſum verbis quaſi vehiculis facillimè derivantur, natura ſcilicet benevolentiam mutuam negotiante.

2. Cauſa, Probitas. Secunda movendorum Affectuum efficax ratio, eſt Oratoris ipſius Sapientia, Sanctitas & Juſtitia, quas ſi dicenti adeſſe opinetur Auditor, hinc maximè ſuadetur illius monitis obſequi; ſi verò deeſſe cenſuerit, ejuſdem verba ſicut & vitia ſtatim averſabitur. Unde Tullius 2. de Orat. n. 189. ait; *Neque fieri poteſt ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes ii motus, quos Orator adhiberi volet Judici, in ipſo Oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur*. Inde patet Eccleſiaſtam eos inducere mores priùs debere quos in Auditores refundere deſideret. *A faciente* (inquit Seneca Ep. 98.) *diſcendum quid faciendum ſit*. Contra verò, ſi probitatis exiſtimationem amiſerit, omnes perſuaſionis nervos ſuccidit; eam ob rem, Lacedæmones probam ſententiam ab improbo viro fortè prolatam nuſquam probarunt, donec à viro ſugi pronuntiaretur. Quàm efficax in permovendo Paulus, qui commiſerationem qua in omnes afficiebatur his verbis commemorat! 2. Cor. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

3. Authoritas Dicentis. Dicentis Conditio & Authoritas plurimùm ponderis habent ut Auditorum benevolentiam ſibi conciliet. Ita Plinius ſcribit M. Æmilium Scaurum uno verbo depuliſſe accuſationem à Vario Scauro homine nequam factitatam. Auguſtus etiam tumultum inter nobiliſſimos Juvenes excitatum continuò ſedaſſe dicitur his verbis, *Audite Juvenes Senem, quem Juvenem Senes audiverunt*. Atque ut ſacratioribus exemplis utar, Chriſtus Authoritatis pondere vindictam diſſuadet dum ait, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, &c.* Matth. 5. 44. Item Joan. 13. 14. Diſcipulos hortatur ad humilitatis charitatiſque officia Authoritatis exemplo, his verbis; *Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus & Magiſter; & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Intereſt igitur, ut ad ſemetipſum attendens Orator, eam verborum formam adhibeat ad Auditores,

quæ

quæ ipſius ætati & conditioni, ipſorumque ſtatui conveniat; neque enim decet Juniorem v. g. Eccleſiaſtam, Senioris & authoritate ſeu dignitate præſtantis viri gravitatem uſurpare, & cum eruditis ac nobilibus eadem methodo agere, qua cum rudioribus & agreſtibus.

Denique ad ciendos Affectus efficaciſſima eſt Eloquentiæ majeſtas ſuis numeris abſoluta. Voluntatem illa pelliciet aut impellet quocumque voluerit; ad amorem vel odium, ad commiſerationem vel indignationem; ad gaudium vel triſtitiam; ad ſpem aut deſperationem; ad fugam, ad metum atque ad alios ſimiles animi ſenſus pro inſtante opportunitate commovebit Auditores. Et hæc eſt palma quam eximius Orator reportare deſiderat. 4. Cauſa, Eloquentiæ ipſius via.

ARTICULUS IV.

Affectuum incitandorum & regendorum Methodus.

SECTIO PRIMA.

De Affectuum Incitamentis.

PRÆCIPUOS quidem Affectuum fontes delibavimus in præmiſſis, eaque breviter indicavimus quæ in Perſona cùm Oratoris tum Auditoris ſpectari debent; at operæ pretium videtur aliqua ſubjicere & quaſi compendiosè retexere capita communia, unde Affectus ſolent feliciùs incitari; atque cùm homines ſoleant moveri ſenſu frequentiùs quàm ratione, ab illo quid ſperandum ſit, hìc maximè annotamus.

1. Habitus Oris & Corporis plurimum valet ad omnes Affectus, ac præſertim ad commiſerationem excitandam. Hoc artificio divinitùs edocti Prophetæ, olim cinere conſperſos, indutos cilicio, funibus præcinctos, cathenis onuſtos, aliiſque ſimilibus formis compoſitos ſe ſe prodebant in publicum, ut populos ad luctum, pœnitentiam, & terrorem commoverent. Ita Eccleſiaſtes, vultu ſaltem præ ſe ferat Concionis affectum; ut ſi ad pulpitum accedat, de Judicio extremo, de Inferni acerbitate, de Paſſione Dominica, *&c.* dicturus, non habitu lætiore vel exultabundo appareat, ſed mores ſui propoſiti induat, quaſi jam expertus commotionem quam in cæteros refundere deſiderat.

2. Plures ſimul hìc congero Affectuum fontes; alii nimirum ducuntur à moribus & ſtudiis; alii à fortuna & caſu; ab ætate alii, ſexu, conditione, Patria, & communione ſanguinis. Ex his, inquam, circumſtantiis variè penſatis, varii motus amoris, miſerationis, odii, indignationis, *&c.* excitantur.

3. A Loco & Tempore, *à cauſis cur aliquid factum ſit, & à modo quo*

res

res geſta eſt eruuntur Affectus. His D. Hieronymus vehementer exagitat Monachi cujuſdam ſcelus, virginem ad ſtuprum fugamque in templo ſollicitantis, l. 2. Epiſtol. 3. *Infeliciſſime mortalium* (inquit) *tu ſpeluncam illam in qua Dei Filius natus eſt, & terra noſtra dedit fructum ſuum, de ſtupro conditurus ingrederis? Non times, ne de Præſepi Infans vagiat; ne Puerpera Virgo te videat; ne Mater Domini contempletur. Angeli clamant, Paſtores currunt, Stella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma conturbatur; & in cubiculum Virginis decepturus virginem irrepis?* &c.

4. Ab Imaginibus & Similitudinibus rerum moventur vehementer Affectus, veluti cùm quis ſibi Auditoribuſve pingit miſerabilem caſum perſonæ alicujus amiciſſimæ, graviſſimæ vel alterius notæ inſignis, quod fit per Figuras Conformationis, quales ſunt Hypotypoſes, Proſopopœjæ, Euthopœjæ ac perſonarum vivæ Deſcriptiones, quæ illuſtriores fiunt ſi gravioribus Metaphoris & Comparationibus attollantur. Frequentes ſunt in ſacris Codicibus ejuſmodi Configurationum uſus, præſertim ubi Prophetæ ruinam Populi Judaici aut Civitatis Hieruſalem præſagiunt. Totus in his eſt Jeremias cap. 27. 28. & 40.

SECTIO II.

Methodus in tractandis Affectibus ſervanda.

Concionatoris & Oratoris non ſacri differentia.

1. OBSERVANDUM eſt, (ut jam præmonui) Affectus alios movendos incumbere Eccleſiaſtis, alios Oratoribus non ſacris. Hi quidem, non aliò ſpectant ferè quàm ut Judicum vel Auditorum animos ad Commiſerationem vel Indignationem proliciant; illi verò plures alios motus qui ſalutis ſint, ſatagunt excitare. Hujuſmodi ſunt Amor Dei, Peccati odium, Spes divinæ miſerationis, Metus divini Judicii, ſalutaris Triſtitia & Dolor, mundi Contemptus, Cordis humilitas, *&c.*

Senſibilia & ſingularia, ſunt Affectibus excitandis apta.

2. Animadverſionem iterum meretur, quod in permovendis Affectibus plus valent res ſingulares quàm univerſales. Ratio eſt, quia hæ ſunt à ſenſibus remotiores ideoque minùs ipſos afficiunt; illæ verò cùm ſint ſenſibus viciniores & in partem animæ ſentientem circumſtantiis individuantibus impingant, in hac etiam faciliùs commotiones tranſmittunt. Eam ob rem Concionator nitetur animum ex arce ſuperiore in qua ſpeculabatur, evocare ad inferiora ſeu ſenſibilia, ut eorum ardore Appetitus inflammetur. Theſim ergo ad Hypotheſim, ac univerſalem propoſitionem ad ſingularem, ad perſonas & adjuncta ſpecialia quàm primùm poterit reducat.

Auditores facile moventur per oculos.

3. Duobus maximè ſenſibus Commotiones animum ſubeunt, viſu & auditu, quorum uterque præſentibus & ſingularibus afficitur. Oculorum ſenſus omnium eſt acerrimus, ideoque quæ viſui ſubjiciuntur vehementiùs

tiùs irruunt in phantaſiam, & celeriùs opinionem boni vel mali creando, validiùs etiam & acriùs appetitum impellunt ac proritant. Hinc Imaginum ac Conformationum de quibus ſupra, mirabilis efficacia. Notum eſt Marci Antonii artificium ut indignationem populi Romani excitaret in Cæſaris interfectores, explicata enim coram omnibus Cæſaris veſte cruentata, exclamavit in hæc ſolùm verba: *Heu canos ſanguine cruentatos! Heu veſtem laceram! Cæſar invictiſſime! invictiſſime Cæſar! Heu ideo togam aſſumpſeras, ut in ea morereris*. Arte non diſſimili Pupienus Imperator, cùm excitatam inter plebem & milites ſeditionem comprimere non poſſet Imperii majeſtate aut Senectutis veneratione, Gordianum principem Infantulum ſeditioſis oſtendit, quo viſo ſtetere pacifici qui priùs furebant. Idem præſtitit Gregorius Nonus, dum capitibus Apoſtolorum Petri & Pauli publicè deportatis, Populum Romanum in Pontificias partes revocavit.

Auditus, eſt alter hominis ſenſus tranſmittendis Affectibus efficaciſſimus. Dio ſcribit Dimotheum muſicum ſuis modulis quos volebat affectus in Alexandrum magnum transfudiſſe. Idem narratur de Empedocle Agrigentino, qui furibundum adoleſcentem, ſtricto gladio hoſpitem impetentem, mellitis cantionibus ſanæ & placidæ menti reſtituit. Mirabile eſt quod Saxo l. 12. Daniæ refert de quodam Cytharædo, qui Ericum 2. Danorum Regem alioquin ſedatiſſimum, ita militaris ſoni artificio accendit, ut ſuperatis cuſtodiis quibus ſibi præcaverat, & arrepto enſe quatuor transfoderit, nec ante deſiderit bacchari, quàm pulvinarium & lectulorum mole oppreſſus. Vide plura P. 2. Lib. de Suggeſtu. cap. 2. de vocis efficacia. Orat. 1. de Regno.

4. Induſtria plurimum indiget iſte ſpecierum ſenſibilium & Imaginum externarum uſus; ea eſt enim grandioris Eloquentiæ, ſicut & excellentiorum omnium rerum, conditio, ut ſi appoſitè & perfectè uſurpetur, in admirabiles prorumpat effectus; ſecùs autem, ſi minùs eximiè & ingenioſè adhibeatur, facillimè defloreſcat & in deridendos diffluat partus. Riſum nempe pro luctu parient illa ſpecioſa & inſolita Dramata, ſi ad ſummum non attigerint, nec aliam de Oratore opinionem creabunt, quàm ut inſulſus, audax & abſurdus perſonarum confictor æſtimetur: tanti ſcilicet periculi eſt, altiora & difficiliora non ſatis prudenter ſapere. Videas igitur aliquos informem cadaveris exſiccati calvariam in pulpito ſubſtituere, ut viventes de pari ſorte moneant. Alii funem collo vel manibus innectunt, quaſi veniam à Deo pro ſalute publica deprecaturi, vel honorariam mulctam luituri. Crucifixi ſculptam Imaginem alii proferunt (ut in die Veneris ſanctæ fieri ſolet à pluribus) ad exaggerandos Chriſti paſſi cruciatus, & Auditores ad commiſerationem incitandos. Tabellam pictam alii explicant, unde ejuſdem Salvatoris Patientis tormenta oculis ſubjiciunt. Deliquium cordis præ horrore & dolore ad Paſſionis crudeliſſimæ narrationem fingunt aliqui, diffluuntque veluti Specierum ſenſibilium, & Imaginum uſus.

exani-

exanimes & tabeſcentes. Alii ſe Auditorum oculis è ſuggeſtu ſubripiunt ex improviſo, quaſi ex dictis vel dicendis tremefacti, & ob commune periculum in deſperationem ferè acti abrumpunt Orationem, ſubitum diſceſſum pro Epilogo ſufficientes. Alii alias induunt Perſonas. Quid de iſtis omnibus ſentiendum ſit ex celebriorum Oratorum judicio, paucis referam.

Confictа ſimulachra improbant Oratores plurimi.

Fabius l. 6. cap. 2. improbat ejuſmodi artem quæ corporeis imaginibus Auditorum Affectus tentat. *Quæ enim eſt* (inquit) *Actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quàm Orationem pro ſe putet loquuturam?* Pictura nuſquam videtur uſus Cicero in permovendis Auditoribus. Theatrica ſunt iſta figmenta, quamvis nec in ipſis Theatris in quibus major eſſe ſolet licentia, probantur apud eruditos ſpectatores. Expreſſæ ſcilicet rerum per ſimulacra & ſpecies corporeas loquutiones, Eloquentiæ penuriam, Artis inſidias, & Oratoris audacem inſcitiam ſæpiùs produnt. Eſto, profuerit Antonio Tunicæ Cæſareæ oſtenſio; ceſſerit feliciter Pupieno Imperatori deportatio Gordiani infantuli; aliàſque iterum bene contigerit ſimilibus Confictoribus, rerum formas externas adhibere, vel ſolas vel ipſis verbis permixtas; non ideo tamen conſulitur ſacris Eccleſiaſtis Effigie picta aut ſculpta piorum oculorum lachrymas ſollicitare. Majeſtati rerum ſacrarum ſeipſis grandium detrahunt figmenta illa Myſteriis Religionis longe minora; in pueriles & ſæpius rediculas ſcenas degenerant; indoctas & aniles aures tantùm delectant & ludunt, dum excultas & ſagaces fatigant. Eraſmus l. 3. Eccleſiaſt. ridet Concionatores, quorum alter Sathanæ figuram in hominem, diabolica ſpecie perſonato, flammeis oculis, adunco roſtro, dentibus aprugnis, oculato pectore, uncina terribili, vocem immanem emittentem oſtendit plebi, ut formidandam peccatoris ſervitutem probaret; Talis eſt (inclamabat ille) Dominus cui voſmetipſos peccando tradidiſtis. Inde (ait) mox nata plebeculæ Trepidatio, mox verſa eſt in ludibrium. Alter proferens Imaginem Crucifixi cum affixis folliculis, è quibus attactis ſanguis erumperet & in turbam ſpargeretur. Cartaceam Diaboli Figuram horrendi Serpentis ſpecie conformatam in ſublime theatrum alter prodidit, quam multis anathematiſmis & maledictis oneratam in proximum ignem ſulphure & reſina permixtum projecit ac incendit. Hæc & ſimilia Dramata refert ille, quæ in Concionatoribus damnata, velut indigna gravitate tanti *miniſterii* & circumforaneorum ludionum præſtigia redolentia.

Aliquando in Concionibus feliciter ceſſerunt.

Fatendum nihilominus adſcitas ejuſmodi Perſonas eximiis Eccleſiaſtis feliciter aliquando ceſſiſſe. Inter præcipuos memorabo ſanctiſſimum Carolum Borromæum, qui cruce ingenti onuſtus ac pedibus nudis per aſperiora loca circumiens, populum ad pœnitentiam, Deum verò ad commiſerationem provocavit. E noſtris Alphonſum Lupum, qui cruce etiam lignea humeris impoſita, & fune collo innexo, pœnitentiam per plateas inclamans, innumeros meliori vitæ reſtituit. Quid de Hieronymo

Na-

Narnienſi Pontificii ſuggeſtus laudatiſſimo Eccleſiaſta, dicam? Ille, aliquando die veneris Paraſceves, in peccatores qui Chriſti tormenta malis moribus renovant, indignatus, velum quo Crucifixi tegebatur imago accipiens, ipſumque in fruſta diſcindens, partes in ſubjectos Auditores projecit tamquam Tunicæ inconſutilis partitores, diverſi generis peccatores appellans velut iniquæ partitionis authores, unde evenit ut zelo prophetico, ultrices partes in eos qui ejuſdem ſceleris (quod nominabat) reos immiſerit. En (inquit ad ignotum Avarum) veſtis ſacræ portio, quam tua inſatiabilis avaritia à Chriſto avulſit. Cætera omitto hujus generis exempla quæ alterutrius ſortis exitum habuere, ut ſubjiciam ſummariè quid de his Conformationibus præceptiones probatiores ſanxerint.

1. Attendi debent primùm Concionatoris Perſona, Ætas, Temperies, vis ingenii & Corporis, aliæque ſimiles circumſtantiæ quibus accommodare oportet Concionis formam; vehementiores enim illi motus, qui à Configurationibus ſperantur, deſiderant ætatem plenam, temperiem robuſtam, acre ingenium, latera firma, vocem ſonoram, geſtus grandes, pronuntiationem ſublimen, graves ſententias, illuſtria verba, Figuras magnificas. Qui enumeratis dotibus deſtituitur, non magis idoneus eſt ad genus hoc dicendi ſublimius, quàm puer ad arma ponderoſiora vel difficiliores bellorum expeditiones. 1. Ingenium, Corpus & elocutio.

Ætas Concionatoris penſanda eſt, nec enim juniori vel ſeniori convenit eloquentiæ forma, quæ maturum, gravem, & plenum authoritatis virum expoſcit. Quis laudet adoleſcentiorem Eccleſiaſtam, qui Auditores gravioris momenti, filiolorum vel amiciſſimorum familiariore & humiliore nuncupatione compellarit? Quis etiam probet, ſi debilis ſenex ſulphuratis & ardentioribus Figuris incandeſcere velit præter corporis animique vires? Ætati ergo cujuſcumque Oratoris convenire debet Orationis forma. 2. Ætas.

3. Non omnia præſtare poteſt omnis Genius. Alter natus eſt ad docendum, ad delectandum alter, alter ad permovendum factus, Alius demiſſo Generi aptus eſt, mediocri alius à natura deſtinatur; ſublimi alius eſt idoneus. Plures Didaſcalicæ & mediocri formæ conveniunt; Grandiori autem, vehementi & flexanimo, pauciores. Semetipſum Orator ad æquitatis trutinam examinet, ac peritiorum judicio adjutus dignoſcat, cuinam methodo fuerit ex indole magis idoneus: felicior ſi ex permixtione formarum diverſarum, illi obſequatur quam Genio accommodatam compererit: cuicumque tandem ſe ſe dederit, in illa frequentiùs ſe exerceat, ſi velit præcellere. 3. Genius.

4. Auditorum Conditioni accommodetur (ut ſæpè monitum eſt) Concionis forma. Ruſtici & Indocti, qualis eſt plebis ac etiam Auditorum pars numeroſior, movetur rerum novitate; externa & in ſenſus incurrente ſpecie, Imaginibus, Exemplis, vehementibus Increpationibus, utilitatis ſpe, terribilium metu, hypotypoſibus & configurationibus. 4. Auditorum conditio.

Faſtidiunt verò, niſi otientur aut dormitent, ad res exquiſitiores, ſublimiores, magis univerſales, lenes affectus & Figuras delicatiores. Apud Eruditos agendum eſt Concionibus bene cultis, abſolutis, conceptibus exquiſitis, figuris & verbis expolitis; Si quid acriùs & vehementiùs adhibeatur, id fieri debet tempore & occaſione ad id compoſitis. Mediocres & temperata ſorte, mediocritatem in omnibus affectant.

5. Temporis occaſio.

5. Opportunitas captanda eſt, ut ex animo ſuccedat ſignorum corporeorum uſus, de quo mox egimus. Rarus eſt quidem locus in quo fictitiæ illæ rerum aut perſonarum ſpecies valeant apud viros prudentes;at ſi occurrerit, præmitti debent plurima quæ præparationis vices habeant, ac Auditores ſenſim diſponant ad inſolitam & inſperatam commotionis methodum. Quemadmodum ignis prævias & germanas qualitates in ligno deſiderat, ut inflammetur: ita Auditorum animus, ut inardeſcat. Seligendæ igitur ſunt & præmittendæ, res, verba, ſententiæ,Figuræ & affectus cognationem habentes cum grandiori & acriori motu qui ſuſcipitur excitandus. Si ſecus fiat, in gelido & frigido ſinu ignitus ſermo extinguetur.

6. Diverſorum Affectuum natura.

6. Denique ut plurima obſervanda ultimo advertendo complectar, iterum monebo, Affectuum alios eſſe lenes, alios violentos, languidos alios, alios immoderatos & nugatorios. Lenes affectus ſuaviter ſeſe inſinuant, moderata omnia poſtulant & ſecuriùs tractantur. Acres & violenti ſunt quaſi Iracundiæ ſatellites, vehementer & ad ſubita exiliunt, ſed plerumque aut in tumorem efferuntur, aut in languorem degenerant. Remiſſi & languidi Affectus ferventi cacabo comparantur, ſi leviter admoto igne ebulliant, citius ad naturale frigus redeunt. Immoderatæ vero & nugatoriæ commotiones exorbitant ab æquitatis ſemita; ideoque aut reſcindantur, aut temperentur.

7. Adde, quod notatu digniſſimum eſt, eam in uſurpandis Affectibus acrioribus legem eſſe obſervandam; ut, quemadmodum celeriùs adhiberi non debent,ne imparatum Auditorem aggrediantur temerè & inutiliter;ita nec in his diutiùs aut breviùs immorandum eſt. Si enim in vehementi & ſublimi motu longiùs perſeveraverit Orator,fatigabit aures importunis clamoribus; indurabuntur Auditores quaſi ad incudis continuos tinnitus, hiſque aſſueti nullatenus movebuntur; ac ipſe tandem clamoſior Eccleſiaſta viribus exhauſtus rauceſcet ac frigeſcet. Quis igitur ferat Concionatorem, ſi per totam Orationem aſcitis Imaginibus & ſpeciebus Externis, Hypotypoſes ac Proſopœjas exerceat? Imperitè etiam ſtationem ſuam deſerit Orator,cùm ab acrioribus Affectibus, ſtatim declinat ad languidos & molles ſenſus. Uti certè debet ſua victoria, vel ſaltem dum in ſuas partes inclinat, debet urgere ac inſtare in illum ſcopum, quò ipſamet vergit. In hoc peccabit, ſi à ſummo commotionis gradu, ad res eruditas, ſedatas & ſpeculativas quæ attentionem merentur & frigus inducunt, ſtatim deflectat, vel faciat dicendi finem abrumpatque Orationis ardorem, priùs quàm excitati affectus intentum, v. g. morum immutationem perfectè conſummaverit.

C A-

CAPUT III.

De Affectibus Humanis in Specie.

ECCLESIASTÆ multum intereſt (ut dixi) noſſe naturam, cauſas, effectus, & proprietates Affectuum humanorum, nec ſolùm in genere, ſed etiam in ſpecie & in ſingulari. Ratio in promptu eſt, quia cùm Oratoris propoſitum ſit Auditores ſuadere aut diſſuadere, amorem virtutis odiumve vitii, aut alium quempiam motum in ipſis excitare; hunc ſcopum nullatenus aſſequetur, niſi media quibus id fieri queat, ipſorumque Affectuum circumſtantias probè noverit. Adde quod, cùm Deſcriptiones Perſonarum diverſimodè affectarum ſæpiùs occurrant conficiendæ, non poterit Eccleſiaſta ejuſmodi Conformationes præſtare, niſi probè noverit Paſſiones earumque effectus ac remedia, quibus fortè opus eſt ut Perſonæ, his commotæ depingantur. Res liquebit Amoris exemplo. Divorum aliquis v. g. D. Paulus ſit laudandus; ſi inquam Panegyriſta calluerit Amoris Effecta, uberimam præconii ſegetem inde hauriet. Amoris ſcilicet eſt, pro re amata pati omnia, magna præſtare; cætera oblivisci & deſpicere ut eandem ſemper habeat in corde; eique velit adhærere, &c. Quis jam non intelligit, cur de D. Paulo Chriſtus dicat, *Oſtendam illi quantum oporteat eum pro nomine meo pati?* Actor. 9. 16. Paulus verò cur glorietur de vinculis & tribulationibus quibus ejus patientia exercetur? Item cur ipſe Apoſtolus omnia arbitretur ut ſtercora ut Chriſtum lucrifaciat, cupiatque diſſolvi ut ſit cum Chriſto? Hi & ſimiles Amoris effectus amplum dicendi campum oſtendunt, Diviſionum Fontes aperiunt, & Confirmationis ac Confutationis ſupellectilem plurimam ſuppeditant. Æqualis ſpes Oratori affulget à notitia cæterorum Affectuum. His in communi conſideratis quid conveniat, diximus ſupra; Jam quid ſint in ſpecie diſquirimus.

Affectuum ſingularium notitia Eccleſiaſtæ neceſſaria.

ARTICULUS PRIMUS.

De Amore & Odio.

PUNCTUM I.

De Amore.

SECTIO I.

Amoris Nomen, Natura, Differentia.

Nomen Amoris.

AFFECTUM quem Græci ἔρως ἀπὸ τοῦ αἴρειν, hoc eſt à vinciendo dixere, Latini Amorem appellant, hominumque vitio factum eſt ut eadem vox quæ caſtum & ſanctum ardorem explicare ſolùm deberet, pravæ & impuræ cupidini, quam Græci, ἀντερος nuncupant, fuerit conceſſa. Affines ferè motus uterque Amor in appetitu ſuggerit, quamvis rebus plurimis, maximè quantum ad mores & rectum ordinem refert, ſint longè diſſimiles.

Præcipuus eſt inter omnes animi affectus Amor, cæteriſque præeſt veluti Rex inferioribus quibus utitur ad placitum; quoſque, ut ait Bernardus, in ſe omnes traducit, & ex Auguſtini ſenſu virtutum omnium proprietates ipſe ſolus complectitur; Juſtitia enim nihil aliud eſt quàm amor æqui; Prudentia amor veri; Temperantia, amor honeſti; Fortitudo, amor boni ardui, &c. Amor (inquit Plutarchus in Amat.) Virtutum omnium ſemina comprehendit.

In Topicis L. de Divin. nomin. cap. 5.

Definitio Amoris.

Amor definitur ab Ariſtotele, *Quædam appetitus in bonum apprehenſum propenſio, ſive illud ſit verum, ſive cogitatione dumtaxat deſcribatur.* A D. Dionyſio, quidam motus animæ, quo fertur & quodammodo evolat in rem dilectam, non ambulando ſed amando. Idem ait ibidem, Amor, vis quædam eſt, qua animus pulchro & bono adhæreſcit, qua pulchrum & bonum eſt. Ex Auguſtino, *Amor eſt delectatio cordis alicujus ad aliquid, propter aliquid, per deſiderium currens, per gaudium requieſcens.* L. de Spir. & Anim. cap. 45.

Amoris varia genera.

4. Hierotheus apud D.Dionyſium quinque Amorum genera diſtinguit, *Divinum, Angelicum, Intellectualem, Animalem, Naturalem.* Divinus Amor, is eſt qui in Deo & ipſe Deus eſt. *Amat Deus* (ait D. Bernardus ſer. 59. in Cant.) *nec aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt unde amat.* Angelicus Amor propiùs ad Deum accedit, quo Angeli æterno Gloriæ fulgore illuſtrati, Deum ardentiſſimè & firmiſſimè diligunt, deinde res humanas propter Deum. Amor Intellectualis, eſt noſtræ voluntatis cum ratione diligentis in verum bonum propenſio. Animalis, eſt Appetitus ſentientis

tis

tis in rem amatam vehemens impulſio; homini cum brutis eſt communis. Naturalis, eſt rerum quæ intelligentia & ſenſu carent, ad ſui perfectionem decurſus & propenſio. Unde Auguſtinus l. 11. Civit. ait, *Amores corporum, momenta ſunt ponderum, ſive deorſum gravitate, ſive ſurſum levitate nitantur*. Et l. 13. Confeſſ. c. 9. *Pondus meum* (inquit) *amor meus, eo feror quocumque feror*.

D. Thomas 1. 2. q. 24. duplicem Amorem conſtituit, *Concupiſcentiæ* unum, quo quis in bonum quod alicui vult fertur, magis quàm in illum cui vult, ideoque ſe magis quàm rem amatam diligit. *Amicitiæ* alterum dicit, quo magis in illum cui bonum volumus inclinamur, id eſt, qui non propria commoda ſed Amicorum bonum appetit.

Ex Auguſtino Tract. 2. in Epiſt. Joan. duo ſunt Amores, Mundi & Dei: ſi Mundi amor habitet, non eſt quà Dei amor intret: recedat amor mundi ut inhabitet amor Dei; melior accipiat locum.

SECTIO II.

Amoris Incentiva, Ilices & Cauſæ.

MITTO Fabellam qua Plato fingit Amorem natum ex commercio Dii Pori cum Penia, hoc eſt, Affluentiæ ſeu Copiæ cum Inopia & Penuria. Mendacium eſt, niſi fictione ad myſterium traducta, dixeris Amorem ex conjugio Dei prædivitis cum Natura humana paupere progenitum: Ænigma ſolves, aſſerens Charitatem ſeu amorem Divinum, non aliunde ortum vel oriturum quàm è cœleſtibus natalibus & ab ipſomet Deo parente gratiam in cor humanum infundente. *In Convivio.*

Ariſtoteles quindecim Amoris cauſas enumerat, quas ſtrictim proferimus. Prima eſt *Beneficentia*, muneribus enim & beneficiis vix nemo non illigatur. 2. *Societas* rerum omnium, ut habere communem ſortem periculorum, laborum, munerum, &c. 3. *Juſtitia* conciliat amorem in Juſtos & Innocentes. 4. *Probitas* à nullo malè habetur. 5. *Conſenſus* & animorum in pares affectus concordia. 6. Philtrum potentiſſimum eſt Amoris *Amor*, nam, ut ait Seneca Ep. 9. Si vis amari, ama. 7. *Similitudo* vultuum, morum, ſtudiorum; amor enim aut pares invenit aut facit. 8. *Familiaritas* amorem ſenſim ſuggerit. 9. *Reverentia*, ut filius Patrem quem reveretur diligere debet. 10. *Æmulatio*; alter nempe alteri cedere non vult in amoris vicibus. 11. *Procuratio bonorum*. 12. *Benevolentia fidelis*; quæ abſentem etiam miſerum diligit. 13. Aperta mentis ſine fictione declaratio. 14. *Nullus metus*, ut de Theodorico ſcribebat Sidonius, *Timet Timeri*. 15. *Fiducias* eos quippe amamus quibus confidimus. *Variæ Amoris cauſæ, ex Ariſtot.*

Cauſæ & Ilices Amoris ad tria bonorum genera contrahuntur, ad Honeſtum, Jucundum & Utile; ita ut Orator cujus intentum fuerit Auditoris amorem provocare, triplicis iſtius boni propoſitione, aliiſque ſub tribus his capitibus contentis debeat accendere. *Tria Boni genera amorem incendunt.*

Hone-

Quæ ſint virtutes Boni Honeſti. Honeſtas Boni, omnium amorem ſollicitat, hiſque ferè virtutibus conſiſtit. 1. eſt *Probitas*, quæ ſceleratos etiam & deſperatos vix habet pro hoſtibus. 2. *Æquitatis obſervantia* diligitur & laudatur ab omnibus. 3. *Modeſta Pulchritudo* gratiam & benevolentiam captat. 4. *Nobilitas* ac vigor *Animi* æſtimationem & amorem meretur. 5. *Innocens* & ſimplex *Urbanitas*, quæ in alios non eſt moroſior, ſeverior aut curioſior. 6. *Fidelitas* de qua Caſſiodorus l. 2. Epiſt. 40. *Cunctis laudibus pretioſior fides, quam divina diligunt, mortalia venerantur*, &c.

Virtutes, Boni Jucundi. Jucunditas ſi affulgeat in bono, eſt Amoris incentivum potentiſſimum, dum enim facilitatem cum voluptate ſociat, tot ſibi facit amicos, quot ipſam norunt. Hæ autem ſunt quæ jucunditatis ſpeciem induunt. 1. *Amor ipſe* ad amorem quaſi magnes ad ferrum, & ad centrum lapis convolat; ut Trajano Plinius adulabatur inquiens, Habes amicos, quia amicus ipſe es. 2. *Bonorum & malorum communitas*. 3. *Morum ſimilitudo*. 4. *Fiducia*; ut ait Seneca Ep. 3. Tam audacter cum amico loquere, quàm tecum. 5. *Periculorum ſimilitudo*. 6. *Familiaritas* & domeſtica conſuetudo. 7. *Studiorum imitatio*. Ita D. Baſilius & D. Gregorius Athenis convenere ſtudio & amicitia. 8. His adde *Sympathiam*, qua veluti ſecreto ſulphure etiam in ignotos exardeſcimus.

Quid ſit Boni utilitas. Utilitas, plures amoris concupiſcentiæ Ilices prodit, vixque eſt aliquis qui propriis non devinciatur commodis. Utilitatis incitamento famulantur beneficia, aliaque omnia officia quæ fructum aliquem dilecto afferre poſſunt: Tot illa catenis hominem conſtringunt, quot commodis proſequuntur. Plures Utilitatis ſpecies patent ab Amoris Effectibus.

Ex his liquet quantum liceat Eccleſiaſtæ amoris divini faces in Auditorum pectoribus accendere per adductas Amoris Cauſas: ſi enim uſus fuerit triplici bonorum genere, quàm uberrima Encomii ſeges inde aperitur? Quid honeſtium quàm amare Deum, cujus amor cæteris omnibus virtutibus maximè præſtat? *Neſcio* (ait Auguſt. tract. 9. in Epiſt. Joan.) *utrum magnificentiùs nobis amor commendari poſſit, quàm cùm dicitur, Deus amor eſt: Brevis laus eſt & magna laus: Brevis in ſermone, magna in intellectu*, &c. Quid ſanctius Amore divino qui amantes facit Deos? qui enim amat, unus cum Deo ſpiritus efficitur, inquit Apoſtolus. Quid æquo magis conſentaneum, quàm ut Creatura Creatorem, Redemptus Redemptorem, Filius Patrem, &c. diligat? Nobile eſt prorſus & abſolutiſſimum, cùm pulchritudinis tum Bonitatis compendium Deus. Quid ergo quæris in varietate Creaturarum quod in unitate Creatoris occurrit tibi perfectiſſimum? &c. Hoc aut ſimili modo ſi Bonorum omne genus perpendatur, facillimum erit Divinum Amorem ſuadere. De hoc ex profeſſo Cap. IV. & Sect. ſequente. Jam ad ejus Effectus accedamus.

Digitized by Google

SECTIO II.

Divini Amoris Effectus.

1. AMOR dicitur *Dulcis Tyrannus*: hinc ab Orpheo vocatur dulce amarum; & non ſecus ac Tyrannus libertatem hominis innoxiè aucupatur, quotquot poteſt ſuo dominio ſubigens: ac in ſubditos ſævit ut Tyrannus; eos ſcilicet ligat, ſpoliat, cruciat, mactat, &c.

Divini Amoris plures & varii Effectus.

2. *Ligat*. Sic Apoſtolus Actor. 20. Ego (inquit) alligatus Spiritu vado in Jeruſalem. Servus es Domini (ait Auguſt. in Pſ. 99.) libertus es Domini, non te quæras manumitti, ut recedas à domo manumiſſionis tuæ. Ex D. Bernardo in diverſ. ſer. de triplici cohærentia. Triplici fune connecti Deo poſſumus per amorem. Primum vinculum (ſcilicet Honeſti conſideratio) adſtringit fortiter & durè. Secundum (Timor Dei & Gehennæ) fortiùs & duriùs. Tertium (Charitatis) ſuaviter & ſecurè.

3. *Spoliat*, ſic eſt enim Amoris genius, ut liberalis ſit & prodigus. Ita Chriſtum amor nudavit, ita ille ſolitarius ſe pallio ſpoliatum faſſus eſt ex Evangelico præcepto amorem jubente. Qui Deum amat, Apoſtolos imitatus ait, Ecce nos reliquimus omnia.

4. *Vulnerat*. Cur enim Arcu & ſagittis armatus pingitur? Div. Thomas 1. 2. q. 28. art. 2. quærit an Amor ſit Paſſio læſiva amantis. Solvit quæſtionem D. Auguſtinus ſer. 41. de diverſ. *Vulnus amoris* (inquit) *ſalubre eſt* Sponſa Chriſti cantat in Canticis; Vulnerata Charitate ego ſum &c. Idem in hæc verba Pſ. 119. Sagittæ potentis acutæ, ait, Sagittat ut adjuvet, ut faciat amantem. Ita D. Franciſcus Aſſiſias amore ſauciatus, & Cruci confixus fuit.

5. *Mactat*; *Fortis ut mors dilectio*. Cant. 8. Mortem Chriſto Amor intulit. Pari ſorte agitur cum Chriſtianis, de quibus Paulus Coloſſ. 3. ait; Mortui eſtis cum Chriſto, *&c.* Amor (ait Auguſtinus de moribus Eccleſ.) aut mors eſt, aut experientia mortis.

6. *Unit*. Per amorem anima eſt magis in re amata quàm in ipſo Amante. Vivo ego (ajebat Paulus Galat. 2.) jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Ex D. Bernardo Serm. 52. in parvis Serm. Tria ſunt oſcula quibus Deo conjungimur; Pedum, Manuum, & Oris.

7. *Transformat*. Ut Ignis ceram ceræ, argentum auro, aliaque plurima aliis permiſcet vi transformationis, ita & Amor amantem tranſmutat in rei amatæ formam. *Amor* (inquit Auguſtinus) *dabit tibi eſſe quod volueris, cùm dederit velle. Si enim diligis terram, terra es: ſi Cœlum diligis, cœlum es: Si Deum amas, Deus efficeris*.

8. *Operoſus eſt*: Amor operatur ubi eſt; ſi deſinit operari, non eſt; ex Auguſtino & Bernardo, ideoque ſi magnus eſt, magna molietur, & probatio dilectionis exhibitio eſt operis.

9. *Ge-*

9. *Generoſus* eſt & Audax Amor. Quid enim etiam difficillimum non aggreditur aut non ſuperat? omnia quippe vincit amor: quo accenſus D. Paulus ait, *Quis me ſeparabit à Charitate Chriſti?* Eodem zelo arſere Martyres Tyrannorum cruciatus deridentes. *Hoc* (inquit Bernardus in Cant.) *non facit ſtupor, ſed Amor. Senſus non amittitur, ſed ſubmittitur; dolor non deeſt, ſed ſuperatur.*

10. Amor *Liberalis* eſt, immo & Prodigus, unde pingitur ſub forma pueri nondum avaritiæ retinacula ſcientis.

11. *Æquales facit amantes.* Sic Epheſtion habitus eſt pro altero Alexandro: atque ut magis piè res probetur, Deus humiliavit ſemetipſum & habitu inventus eſt ut homo. Unde D. Bernardus, Ita ne (inquit) ſummus omnium imus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignatione plenus, dignitatis neſcius. Valeat ergo Politicorum iſtud axioma Poeticum: *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur, Majeſtas & Amor.*

12. Vigil eſt, & de dilecto cogitat ſemper. Ego dormio (inquit *Sponſa*) ſed cor meum vigilat. Vitalis iſte, vigilque ſopor (ait D. Bernardus Ser. 52. in Cant.) ſenſum interiorem illuminat. Revera dormitio eſt divinorum contemplatio & amor cœleſtium, qui tamen ſenſum non ſapiat, ſed abducat. Accinit Aug. l. 1. contra Julian. c. 9. Dormiat (inquit) caro tua, vigilet fides; dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia.

13. *Amor ſui ipſius obliviſcitur ut amati meminerit.* Auguſt. l. 50. homil. hom. 35. ait, Amandus eſt Deus, ita ut ſi fieri poſſit, nos ipſos obliviſcamus. Ita D. Ambroſius fratrem Satyrum diligebat, ut ille ait lib. de obitu Satyr. Numquam, inquit, totus in me fui, ſed in altero noſtri pars major amborum, *&c.* Ita Matres ad ſe non attendunt ut ſint prolis memores.

14. *Amor Periculorum eſt ſocius*, Quia ſicut verorum amicorum eſt eadem velle & eadem nolle, ita & eadem pati.

15. *Amor amatum cæteris rebus præfert.* Unde Auguſtinus Ser. 5. ex recentioribus arguit contrafacientes, his verbis: Si forte Argentum auro præponis, dementiſſimus judicaris; aurum Deo præponis & nullus reprehendit?

16. *Vita Cordis amor eſt* (ait Auguſt. l. de Subſt. dilect. c. 6.) & idcirco omnino impoſſibile eſt ut ſine amore ſit cor quod vivere cupit.

17. *Ingenioſus eſt Amor:* Ejus mille artes, mille media ſunt quibus exequatur quæcumque voluerit; unde Poeta ait: Ingenii res eſt experientis amor.

18. *Lachrymas fundit*, nam iiſdem oculis quibus amatur fletur, ajebat aliquis. Res conſtat exemplo Magdalenæ Luc. 7. & Pœnitentium, quos amor Divinus ad fletus gemituſque provocat.

SECTIO IV.

Mali Amoris deſcriptio, Effectus & remedia.

I. AMOREM Improbum à vero ſecernit D. Dionyſius l. 4. de divin. Nomin. dum ait eſſe Idolum amoris & lapſum à vero Amore. Antiſthenes apud Theodoretum Orat. 3. Non eſt, inquit, non eſt Deus Amor, ſed naturæ corruptæ vitium, à quo dum vincuntur miſeri homunciones, turpiſſimum animæ morbum, Dei nomine conſecrant. Eam ob rem Maximus Tyrius Orat. 8. cenſet verum amorem à falſo diſtingui oportere, more nummulariorum qui nummum legitimum diſcriminant ab adulterino. His melius ſapiens Idiota l. de Amore divino, ſic de Improbo fatur: *Talis amor eſt laqueus animæ, diſcrimen vitæ, mors ſuavis, blanda percuſſio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, mali natura boni colore depicta, domus tempeſtatis, dulce venenum, malum ſpontaneum, ſapida jugulatio & omnium rerum calamitas*, &c. Amoris improbi Pictura, Effectus & Remedia.

II. Effectus Amoris pravi enumerare quis poſſit, cùm in partus prope innumeros ſe ſe diffundat? Præcipuos & notiores ſummariè recenſemus.

1. *Pingit* in amantis animo rei amatæ Imaginem, ejuſque habitum, vultum, motus, verba, geſtus, cæteraque id genus omnia ræpræſentat.

2. *Simia dicitur Amor iſte*, quia amici imitatur omnia ut ei placeat & ei obſequatur.

3. *Inſomnis eſt*, dum ex vehementiori & diuturniore cogitatione rei amatæ ſpecies amantis animo ſemper obverſatur, illumque ſollicitudinibus variis agitat ac perpetuis & inutilibus curis pungens, prohibet ſomno indulgere.

4. *Audax eſt*, immo temerarius, qui ad omnia etiam vitæ diſcrimina proruit, ut re amata potiatur vel eidem arrideat. Vide quid hoc æſtro ſtimulatus Herodes in Joanne, aliique ſimiles Amaſii, contra jus & fas omne auſi fuerint.

5. Denique ut paucis multa complectar, *ſuimetipſius Amor obliviſcitur*, ut amico ſe totum dedat; *Iraſcitur* & in furorem agitur ſi deſpici vel poſtponi ſuſpicetur. *Querulus eſt* & indignatur adversùs ingratum. *In Lachrymas ſolvitur*, præ nimio affectu, aut doloris, aut indignationis. Deſperat tandem Amor, cùm votis vel non potitur vel privatur.

III. Amoris Remedia non ita facile eſt ſuggerere. Subitò incenditur ignis ille, ſed vix aut ſanè difficillimè extinguitur: quomodo & qua ratione id ſperari queat, ſolent media aſſignari.

1. Amoris inſani deformitas pingatur, infamia, ſervitus, ineptiæ, incommoda, detrimenta, pericula, tormenta, *&c.*

2. Mens aliis & ſeriis occupationibus avocetur. Hinc conſuluntur ſtu-

 dia,

dia, labores, venationes, *&c.* ne mens otioſis affectibus implicetur; nam, ut ait Poeta,

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

3. Abſentia ſeu fuga optimum eſt amoris veſani remedium; ut enim remota materia ignis refrigeſcit, ita cupido, ex amantium ſeparatione vel minuitur vel extinguitur.

4. Amor amore ut clavus clavo pellitur, ex Auguſtino l. 50. homil. ho. 39. Ardeat ergo ſanctus & pius amor, ut pravus & malus pereat. *Anima* (inquit ille) *deſerto Creatore, amans Creaturam ſit adultera.* Deinde ſubjicit: *O anima, ut illius amplexibus digna ſis, dimitte iſta & illi inhære gratis.*

PUNCTUM II.

De Odio.

OPpoſitum eſt Amori Odium, atque ex illius deſcriptione, hujus natura plurimùm illuſtratur. De hoc averſi animi affectu plura tradunt Philoſophi, quæ Oratori Chriſtiano nullatenus utilia ſcitu videntur, quia vix illi per conſcientiam licet Odio indulgere, eam ob rem, ea tantùm hìc leviter attingemus quæ Scholæ ſolent fuſiùs proſequi.

Odii Definitio. 1. Odium definitur *Ira inveterata*, ſeu aptiùs, dicitur *Affectus animi vel Motus, quo ſe avertit ab eo quod malum eſt, aut certè exiſtimatur malum.*

Odii Cauſæ. 2. Cauſæ Odii ſunt duplicis generis, Naturales ſcilicet vel Morales: Naturales. illæ profluunt à Naturæ principiis, hæ oriuntur ab iis rebus quæ in vita Civili odium inter homines commovere ſolent. Cauſæ Naturales Odii, ſunt vel Affectuum occulta & ſecreta contrarietas, quæ *Antipathia* vocatur; vel, Atræ Bilis abundantia, & Melancholicum temperamentum, quibus aliqui efferantur & exaſperantur; vel Genius moroſior & iræ tenacior, quo excandeſcunt plus nimio aliqui, & unde vix poſſunt revocari. Morales. Morales Odii Cauſæ, hæ præcipuæ ſolent enumerari. 1. Conciliatur Odium in aliquem, ex Incommodis & Damnis quæ ille intulit vel inferre voluit, in bonis ſeu Animi, ſeu Corporis, ſeu Fortunæ. 2. Contemptus ſeu deſpectus alterius, in quo attenditur perſonæ lædentis conditio & perſonæ læſæ dignitas. 3. Vitia hominis alicujus, alterum provocant ad vitioſi Odium. V. g. *Libido, Impudentia, Injuſtitia, Superbia, Crudelitas, Avaritia, Ingratitudo, Impietas,* &c.

Odii Remedia. 3. Remedium feliciter Odio ferre, difficilius quàm ejus incentiva ſuggerere: non enim æquè facile eſt iram extinguere ac inflammare; eaque temperie reperiuntur aliqui, à quibus averſi animi affectus vix excutiatur. Ad ejuſmodi autem remiſſionem poſſunt hæc capita percurri atque rationes ab his eductæ adhiberi. 1. Confert ad ſedationem Odii ab ipſomet

irato

irato ſcire Odii cauſas, hoc enim artificio recluſus in corde ignis ſono querulæ vocis refrigeſcet, non ſecus ac cuniculorum ſulphur quod ſuffoſſione evaneſcit. 2. Præſtat videri nonnihil offenſo compati ſi offenſionis cauſæ fuerint veræ, hac enim ratione in offenſi partem dilapſus Orator, viam ſibi parat ad irati conciliationem. 3. Opus eſt induſtria, ut offenſo paulatim & ingenioſè ſuadeantur quæ ad offendentis excuſationem conferre poſſunt. V. g. quod id acciderit, non voluntariè, non conſultò aut data opera, ſed per errorem, ex improviſo, inadvertenter, &c. Benigniùs actio quæ odium excitavit interpretanda eſt & in bonam partem trahenda. 4. Offendentis laudes ex aliis capitibus inſinuandæ ſunt. 5. Commiſeratio de alterius ſtatu, & ejuſdem de facto pœnitentia, &c. delinitionem irati animi moliuntur. 6. Si Odium ita altè hæſerit cordi, ut his vel ſimilibus artibus non poſſit ſedari, aliò evocandus eſt offenſus, v. g. ad negotia ſeria, vel contra, ad ludicra & læta quæ conceptum furorem induſtria diſtractione diſpellant. 7. Aliqui tentant irati animum magnanimitatis & generoſitatis laude, qua illi adulantur. 8. Alii proferunt incommoda & damna tum Animæ tum Corporis quæ ab implacabili Odio proficiſcuntur. 9. Rationes à Dei juſſu & à ſalutis cura ſuggerunt alii; de quibus poſtea nonnihil dicturi ſumus.

4. Effectus Odii varii ſunt & multiplices, quorum præcipui & frequentiores in quos ſæpius exulceratus animus effunditur, ſunt, Calumnia, Invidia, Vindicta, Crudelitas, &c.

ARTICULUS II.

De Deſiderio & Fuga.

EA eſt deſiderii cum Amore, & Fugæ cum Odii affectu cognatio, ut quæ de alterutris dicuntur, de aliis etiam dici queant; Ideoque cùm dixerimus de Amore & Odio plura, quæ Deſiderio & Fugæ ſunt communia, ea inde non repetimus, ſed nonnulla tantùm quæ his ſunt propria, ſubjungimus. Deſiderii deſcriptio.

1. Deſiderium eſt *virtus animi, qua ferimur in Bonum abſens quatenus Bonum*. Ex hac Deſcriptione liquet Deſiderii natura, ſcopus & proprietas. Eſt igitur primigenius Amoris partus, is enim ubi in aliqua re bonitatis ſpeciem advertit, continuò in eandem tendit per Deſiderium, quo ceu alis veliſque utitur, atque ad Amati abſentis conſequutionem adſpirat. Ejus ſcopus idem eſt qui Amoris, ſcilicet Bonum aut ſaltem quod boni ſpeciem præ ſe fert; Proprietas verò, qua ab Amore & Gaudio ſecernitur, in hoc ſtat, quòd Deſiderium ſit quidem de Bono, ſed Abſente.

Pro diverſitate rerum quæ deſiderantur diverſos etiam vultus induit Deſiderium, indeque diverſas appellationes ſortitur: Atque etiam cùm diverſa Deſiderium varias induit formas.

verſa ratione res diverſas appetat, modò intra leges, modò contra vel præter legum ſemitas, hinc iterum fit bonum vel pravum Deſiderium. Pecuniarum enim Deſiderium, dicitur Avaritia; Honoris cupiditas, Ambitio; Voluptatis, Libido; inutilis ſcientia, Curioſitas vocatur.

In accendendo vel reſtringendo Deſiderio, attendi maximè debet Auditorum Genius, Ætas, Conditio & alia ejuſmodi, quæ diverſis incitamentis moventur. Nobiles v. g. ad Gloriam, Laudem & Honorem adſpirant; Mercatores lucris & utilitati ſerviunt; Juvenes cupiditate & fortitudine pulſantur; Senes de rebus domeſticis & privatis commodis tenaciùs ſolliciti ſunt, *&c.* Par eſto ratio de cæteris, quorum natura perpendenda eſt, ut his ſuccendantur Deſiderii affectus, vel ut Oratorio penicillo feliciter depingatur ille qui aliquo Deſiderii æſtu flagraverit, aut debeat flagrare.

Deſiderii incitamenta. 2. Pluribus incendi poteſt facibus Deſiderium, ut mox dixi, ab his autem locis potiſſimè petuntur illius incitamenta. 1. Propoſitio laudis, honoris, dignitatis, *&c.* ardens eſt Deſiderii ſtimulus, præſertim apud Nobiliores. 2. Honeſti ac Decori ratio, urget Probos. 3. *Spes* optati conſequendi, vehementer accendit deſiderantem: neque enim conquieſcet iſte quandiu ſpes affulſerit quæ Deſiderium nutriat, ſed non expleat. *Nunquam improbæ ſpei quod datur ſatis eſt*, ait Seneca lib. 2. cap. 27. de Benefic. 4. Difficultas etiam quæ in conſequutione ejus quod appetitur, aliquando acuit Deſiderium, augetque quo plura impendimenta objecerit appetenti; ita enim homo paratus ferè reperitur, ut nitatur in vetitum.

Remedia. 3. Comprimitur Deſiderii Affectus, penè non aliter quàm Amoris, capita ſolùm annotabo quibus ille compeſci queat. 1. Oſtendatur rei optatæ inſufficientia ut Deſiderium expleat, cùm enim illud ſpe cupiditatis explendæ vivat; moritur aut ſaltem languet, ubi demonſtratur ita ſe non habere. Hoc artificio Sapiens mulier dicitur aliquando extinxiſſe Lullii tunc militis ſed petulantiùs eam inſequentis Deſiderium, oſtenſo ſcilicet putrido ulcere, quod ſub pectore gerebat, quo viſo ille feliciter reſipuit.

2. Proſpiciantur damna & pericula quæ Deſiderii expletionem conſequentur, ut enim ajebat quidam, *Non emo tanti pœnitere*. Ita D. Chryſologus Deſiderium peccandi extinguere ſatagit Serm. 6. *Quando homo* (inquit) *non ſub peccato triſti? quando non ſub morte lugens? quando non ſub Dæmonibus pallens? quando non ſub Idolis tremens? quando non ſub vitiis ſuſpectus? quando non ſub criminibus deſperatus? & ideo homo dabat extrema ſuſpiria, quando tales, tam crudeles dominos ſuſtinebat.*

3. Cohibetur Deſiderium, ſi probetur in ejuſmodi appetitus compreſſione, magnam eſſe felicitatem, laudem, virtutem, præmium, *&c.* 4. Denique vaneſcet Deſiderium, ſi ſpecies Boni, qua incendebatur, diſcuſſa & diſſipata fuerit.

4. Ora-

4. Oratori prodeſt Effecta Deſiderii noſſe; hæc autem notantur. 1. Anxietas, ſeu Inquieta rei concupitæ cogitatio. 2. Vigilia & ſomni abſentia. 3. Frequenter de re deſiderata loqui. 4. Ob eandem ſuſpirare & gemere. 5. Macilentia. 6. Impatientia. 7. Audacia. 8. Vota. Effectus.

5. Diſtinctum Fugæ non aſſigno articulum, quia cùm illa ex iiſdem ferè fontibus oriatur è quibus naſcitur Odium, aut Amor refrigeſcit, eadem etiam capita conſulenda ſunt & adhibenda ut ex iis Fugæ motus excitetur. Fugæ tantum adjicio definitionem, eſt ſcilicet *Deteſtatio Mali futuri, ut Malum eſt*. Fugæ definitio.

ARTICULUS III.

De Gaudio & Triſtitia.

GAUDIUM à Tullio definitur *Opinio præſentis boni*, ſeu eſt affectus animi de bono præſente ut præſens eſt, in illius poſſeſſione ſuaviter conquieſcentis. Gaudii deſcriptio.

1. Artificium in excitando Gaudio, duobus maximè nititur. Primum eſt Orationis genus, quod Argumentis, Figuris ac denique ipſa forma, debet eſſe omnino ad delectationem compoſitum. Alterum eſt ipſamet Orationis materia, quæ pro diverſitate rerum ac etiam Auditorum, diverſimodè etiam Affectus movet. Hi autem recenſentur fontes unde Gaudium exſurgat. 1. Commutatio malæ fortunæ in meliorem. 2. Comparatio propriæ fortunæ cum aliena. 3. Bonum inſperatum. 4. Novitas & Admiratio voluptatem afferunt. 5. Amœnitas, v. g. cùm deſcribuntur & proponuntur, loci, flores, veſtes, *&c.* quæ delectare ſolent. 6. Virtus ac bona Conſcientia, plurimam lætitiam parit; nam, ut ait Scriptura Proverb. 15. 15. *Secura mens quaſi juge convivium*. Contra verò, ubi ſcelus dominatur, nullum ibi gaudium verum ac ſolidum reperiri poteſt, *Non* enim *eſt Pax impiis, dicit Dominus*. Iſai. 48. 22. Incitamenta.

2. Cohibetur lætitia oppoſitis rebus quibus affunditur. 1. Reveletur ejuſdem rei quæ Lætitiam pepererat, vanitas. 2. In memoriam lætantis revocetur caſus variantis fortunæ incertiſſimus. 3. Moneatur plus nimio gaudens, quod *Extrema gaudii luctus occupat*. Proverb. 14. 13. ideoque ſibi metuat, ne mœrore & triſtitia finiat, quod priùs delectavit. Illuc ſpectat quod D. Ambroſius ſcribit Hexaeme. l. 3. c. 11. *Surrexerat ante floribus immixta teneris ſine ſpinis Roſa, & pulcherrimus flos ſine fraude vernabat: poſtea ſpina ſepſit gratiam floris, tanquam ſpeculum præferens vitæ*. Remedia.

3. Effectus Gaudii ſunt, 1. Lachrymæ. 2. Deliquium & ipſa Mors, ut ex Tertulliano de Anima c. 52. *Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur*. 3. Hilaritas, & venuſtas oris ac vultus. 4. Gratu- Effectus.

tulatio. 5. Præteritorum diſcriminum & malorum oblivio; illa enim lætitiæ ſenſu delentur, aut ſaltem cum delectatione narrantur.

Doloris Definitio & Incitamenta.

4. Dolor, ſeu Triſtitia, eſt *Senſus & opinio mali præſentis*. Ex iiſdem ferè cauſis naſcitur quibus fit odium. 1. Excitatur per Oratorem, cùm miſerorum ſtatum luctuoſum pingit ac ob oculos ponit, per Hypotypoſes, Conformationes & ſimiles Figuras quæ ſenſum afficiunt. 2. Cùm exprimuntur, Proborum, ac Conſanguineorum vincula, mortes & funera. 3. Perſonarum Conditio penſatur. 4. Calamitatis indignitas explicatur.

Remedia.

5. Difficile quidem eſt Dolorem lenire, præſertim ſi naturalia tantùm atque à terrenis petita lenimenta adhibeantur; vix enim Triſtitia gravatus animus Philoſophorum Argumentis levatur: Hæc tamen ſolent ab Oratoribus ſuggeri Doloris remedia. 1. Innocentia afflicti, hoc eſt, ſi patiatur iſte non ob ſceleris alicujus perpetrationem, ſed poſtquam egregium aliquod facinus ediderit. 2. Humanæ vitæ ſors eſt, quæ à lachrymis inchoata, per earumdem torrentes diffluit, ac iiſdem ſepulta mergitur. 3. Fortunæ inconſtantia, quam Sapiens quiſque intrepida mente ſuſtinere debet. 4. Exempla virorum illuſtrium, qui ſimiles caſus forti animo experti ſunt. 5. Gloriæ, laudiſque præmium quo apud Sapientiores compenſatur inconcuſſa inter adverſitates conſtantia. 6. Inutilitas lachrymarum ac impatientiæ prudenter adducta, nonnihil minuit dolorem. 7. Aliquando tamen prodeſt triſtitiam lachrymis diluere, videtur enim cor triſtitia quaſi felle & amaritudine delibutum, ſed ſpongiæ inſtar per fletus exprimi & à noxio humore vacuari. 8. Neſcio quo fato fit ut afflictis ſolatium exurgat ex ſimiliter miſerorum ſocietate. 9. Magnum, ne dicam unicum, remedium eſt divino beneplacito conformari.

Effectus.

6. Plures & importuni naſcuntur ex dolore fœtus, ſeu effectus. 1. Hinc enim uberes lachrymæ. 2. Quamquam & magnis doloribus deeſſe dicantur lachrymæ, ſcilicet præ anguſtia ſpiritus, qua valde triſtis ferè obſtupeſcit. 3. Moroſitas, quæ lucem, ſocietatemque odit, & putat propriam triſtitiam aliorum triſtitia increſcere. 4. Queruli perpetuo fiunt aliqui ex dolore. 5. Silent alii & alta mente repoſitum retinent quod dolori cauſam dedit. 6. Furit ſæpius acerbus dolor, & exulceratus mœrore animus efferatur ac in iram ſeu vindictam violentiùs exardeſcit. 7. In deſperationem devolvitur qui triſtitiæ remedium non proſpexit. 8. Aliquando vitæ pertæſus eam ſibi præſcindit. *Multos occidit triſtitia & non eſt utilitas in illa*; inquit Eccleſ. 24.

AR-

ARTICULUS IV.

De Spe & Deſperatione.

Spei Definitio.

1. DE Affectibus qui Appetitum Iraſcibilem, ſeu qui circa res arduas & difficiles verſatur, occupant, nunc res eſt. Horum primus eſt Spes, ejuſque oppoſita Deſperatio. *Spes* igitur, *eſt motus animi in bonum abſens, arduum & difficile, ſed tamen quod labore quæri poſſit.* Omnium quidem hominum animus ſpe flagrare poteſt, ſed maximè Juniorum, ob triplicem (ut ajunt Philoſophi) rationem, qua ſpei objectum ſpectabile eſt; futurum ſcilicet, arduum & poſſibile præſumitur. Quatenus futurum eſt quod ſperatur, ad illud vehementiùs aſpirant juvenes, quo ſibi longiorem vitam pollicentur. Ardui ratio, proritat juniorum incaleſcentem audaciam: & quia ii necdum difficultates inſuperabiles ſunt experti, eam ob rem quodcumque opus poſſibile & infra ſuas vires arbitrantur.

Incitamenta.

2. Spes ſuſcitatur 1. cùm deſcribitur boni deſiderati honeſtas & magnitudo. 2. Cùm media ad boni conſequutionem ſufficientia præſumuntur, qualia ſunt, ingenii ſolertia & experientia, corporis vires, Amicorum, ſeu auxiliantium multitudo. 3. Inde rei facilitas & impedimentorum diminutio Spem accendunt. 4. Propoſitio præmiorum. 5. Atque ſuper omnia favor divinus Spem facit. Contra verò Spes infringitur. 6. Propoſita rei difficultate. 7. Malorum imagine. 8. Moleſtiis quibus Spes ob impatientiam fatigatur.

Effectus. Remedia.

3. Effecta Spei hæc enumerantur. 1. Credulitas, qui enim ſperat omnia in ſui favorem facillimè interpretatur, inde pertinacia, qua vix à propoſito divellitur, inde fallacia, qua dum ſibi levius adulatur qui ſperat, eadem citiùs luditur. 2. Miſerorum levamen, Spes enim eſt quæ calamitoſos omni alia re deſtitutos vix deſerit. 3. Alimentum eſt animarum ſpes, ac maximè Amantium. 4. Sunt quos Spes plurimum delectat, habentque fruitionis loco fruendi poſſibilitatem.

Deſperationis definitio.

4. Deſperatio quæ definitur à Cicerone 4. Tuſcul. num. 9. *Ægritudo ſine ulla rerum meliorum expectatione*; vix Oratori Chriſtiano tractanda occurrit, niſi quatenus ſuccendatur in homine, cùm pravum opus molitur ab eoque diſſuaderi debet, vel quatenus cohibeatur, cùm aliquis de Boni conſequutione diffidit.

Incentiva.

His rationibus creſcet Deſperatio. 1. Si oppoſita Spei mediis capita obſiſtant. 2. Si oſtendatur, nullum tunc adfuturum præſidium, refugium nullum, omnes excuſationis vias tunc præcludendas. 3. Augendæ & amplificandæ ſunt difficultates. 4. Calamitas aut damnum quæ ex ſimili opere ſæpiùs fluxere, Spem animumque extinguunt.

Remedia.

5. Deſperationis remedia ſunt, 1. Aperire facilitatem & media commoda ad rem adipiſcendam. 2. Culpam, fortè deſperationis cauſam, minuere. 3. Huic medetur potiſſimùm, magna in Deo Fi-

Digitized by Google

Fiducia. Sed de his remediis agendi dabitur aliàs occaſio.

Effectus. 6. Periculoſiſſima ſunt Deſperationis Effecta: 1. Qui deſperat mortem quærit, vitæ ſcilicet, quam ærumnoſam proſpicit, impatiens. 2. Aliquando metum omnem deponit, pericula etiam quæcumque contemnit, qui Spe cecidit. 3. Solitudinem quærit ſui furoris conſciam. 4. Incuria & Deſidia ex Deſperatione oriuntur. 5. Denique Crudelitas quæ in obvios ſævit qui animo, ſpeque fractus eſt.

ARTICULUS V.

De Audacia & Metu.

Audaciæ Definitio. ALTERUM par Affectuum Iraſcibilis Appetitus, eſt Audacia & Metus. Utrumque ſcilicet adversùs bonum vel malum futurum, ſed arduum inſurgit. Audacia definitur, *Commotio Appetitus Iraſcibilis ad proſequendum bonum arduum, cum contemptu imminentis mali atque difficultatis*. Ad Spei, immo & Deſperationis rationem accedit motus iſte, qui Audacia dicitur, ſi enim ſibi aduletur de ſuperando malo, vix à Spe ſecernitur, iiſdem etiam incitamentis ſuccenditur. Si verò abſit Spes mali ſuperandi, ad Deſperationem declinat: ſi proprias vires cum difficultatibus non metiatur & ſe majores aggrediatur, Temeritas eſt & Præſumptio. His media incedit Audacia ſeu Confidentia quæ ab utroque extremo recedit.

Incitamenta. 2. Audaciam faciunt & augent, 1. Genius ignea temperie ſuccenſus. 2. Periculi præmeditatio, tela enim prævisa minus feriunt (ait D. Gregorius.) 3. Extenuatio periculi, qua oſtenditur minus quàm appareat. 4. Vincendi media & auxilia. 5. Injuriæ atrocitas acuit offenſi animum. 6. Neceſſitas, aut pereundi aut vincendi. 7. Virtus & Gloria, tum propria quæ inde ſperatur; tum Avorum & Parentum, &c. quibus æquari decet. 8. Aliorum ſeu ſuperiorum, ſeu parium, ſeu inferiorum exempla. 9. Divinum ſubſidium.

Remedia. 3. Deprimitur Audacia, per ea omnia quibus langueſcit Spes, aut naſcitur Metus. 1. Periculorum magnitudine. 2. Imbecillitate virium attenta. 3. Exemplo eorum qui in ſimili propoſito miſeram experti ſunt ſortem. 4. Conſideratione inconſtantis fortunæ quæ aliàs fortaſſe propitia, nunc ſe adverſam exhibebit.

Effectus. 4. Effectus Audaciæ, neminem latent. v. g. 1. Periculorum contemptus, ac eorum jactabunda provocatio. 2. Aviditas belli, ac militaris apparatus, armorum tractatio & aliorum ejuſmodi quæ fremitum ac pugnam redolent. 3. Bellorum ac certaminum frequens meditatio etiam inter ſomnia. 4. Rebus arduis & difficilibus delectari. 5. Felicem exitum in negotiis impeditiſſimis ſibi polliceri.

5. Me-

5. Metus eſt *Perturbatio gravior ex impendentis mali opinione*. Conceſſus eſt à Natura iſte Affectus, ut mala priuſquam evenerint poſſimus declinare. Neque enim quodvis malum, Timoris objectum eſt, ſed malum abſens & imminens, atque etiam grave quod aut mortem, aut dolorem, aut ſimilem noxam inferre poteſt. Oritur autem Metus, 1. Ex Periculi magnitudine & vicinitate. 2. Ex rerum chariſſimarum impendente jactura. 3. Ex Prodigiis & portentis grave aliquid præſagientibus. 4. Ex nocendi vel ulciſcendi poteſtate in Adverſario; quale eſt quod à D. Paulo ſcribitur Hebræor. 10. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. 5. Animus infenſus & vindictæ avidus in adverſa Poteſtate. 6. Injuria gravis accepta offenſum timendum pingit. 7. Æmulatio & honoris contentio, ex alterutro fortiore, Metum in altero creant. 8. Timetur, quem ſcimus ſceleris noſtri conſcium, ne ſcilicet ſecreta revelet. Metus Definitio. Incitamenta.

6. Sedatur Metus, 1. Dum extenuatur periculum, ejuſque vicinitas diſſuadetur. 2. *Deſines timere, ſi ſperare deſieris*, inquit Seneca Ep. 5. cùm enim rei amittendæ metus ejuſdem habendæ cupiditate commenſuretur, hinc minùs timebit pro re eadem, cujus amore minùs flagraverit. 3. Præmeditatio futuri mali mitigat horrorem; animo huic paulatim aſſueſcente. 4. Bona Conſcientia veram ſecuritatem conciliat, ait Chryſoſt. ho. in Ep. ad Rom. 5. Præſidii ſpes, ſive à Deo, ſive ab Amicis potentioribus, Metum videtur depellere. Remedia.

7. Timoris effectus ſunt, 1. Pallor. 2. Horror. 3. Sudor. 4. Vigiliæ & inſomnia. 5. Sollicitudo. 6. Fuga. 7. Ad omnem auram & flatum trepidare. 8. Vocis interclusio & hæſitatio linguæ. 9. Vota & preces ut malum impendens aliò convertatur. 10. Animi defectus ac etiam Deſperatio. Effectus.

ARTICULUS VI.

De Ira.

1 APPETITUS Iraſcibilis affectus eſt proprius iſte, à quo nuncupationem ille traxiſſe videtur, ſcilicet *Ira*. Definitur ab Ariſtotele, *Ulciſcendi ſui cum dolore conjuncta cupiditas, quam opinio contemptus noſtri noſtrorumque parit*. Ex D. Auguſtino Epiſt. 150. *Ira eſt turbulentus appetitus auferendi ea quæ facilitatem actionis impediunt*. Diverſimodè audit iſte Affectus apud diverſos; Aliis improbatur ut viro ſapiente indignus. Aliis laudatur ut omnis virtutis nobile & neceſſarium inſtrumentum. Probatur certè ab omnibus ſi intra rationis limites contineatur: Ira enim eſt, quæ robur inſtillat, mentem exacuit, ſopitum ardorem ſuſcitat, & in tuendo legitimo jure, oviculas in Leones convertit. Ira nominatur *Virtutis inſtrumentum* à D. Gregorio 5. Moral. c. 32. *bonarum Artium magiſtra*, à D. Baſilio: à D. Diadoco, *Præſidium Innocentiæ, & Naturæ telum ap-* Ira Definitio.

pellatur. Ex quibus liquet quàm utilis ſit Ira, modò rationis & prudentiæ moderamine regatur.

Incitamenta. 2. Iræ motus incitatur, 1. A Temperie quæ humore bilioſo & ardentioribus ſpiritibus conſtituitur. 2. A promptiore & acriore Imaginationis vi, quę de Apprehenſis non ſat diu deliberat, ſed citiùs rem ſibi adverſam imminere ſuſpicatur. 3. Ab opinione illatæ injuriæ & contemptus. 4. Cùm Hoſtis calamitati noſtræ non modò non compatitur, ſed de ea etiam gaudet ac lætatur, tunc in ipſum iraſcimur. 5. Iram movet qui repræſentat Perſonæ offenſæ aut contemptæ, dignitatem & offendentis ſeu contemnentis utilitatem. 6. Levis cauſa offenſionis aut contemptus, læſi excitat iram. 7. Si fraudemur ab iis à quibus aliquo juris titulo ſperabamus præſidium. 8. Amicorum ac propinquorum & his ſimilium injuria vel contemptus. 9. Ingratitudo. 10. Detractio, ac ejuſmodi læſiones, tot ſunt Iræ incentiva.

Remedia. 3. Remedia Iræ petuntur ab iiſdem ferè capitibus, quibus Miſericordia vel Clementia provocatur. Præcipua ſunt, 1. Perſonæ conditio, quæque eam comitantur circumſtantiæ. V. g. Pueri, Senes, Mulieres, Parentes, Perſonæ Deo ſacræ, &c. ſolent iratum delinire; ſive enim hæ fuerint offenſionis authores, faciliùs excuſantur; ſive pro injuriarum authore deprecentur, hæ veniam illi citiùs obtinent; ſive denique offenſum emollire vel precibus, vel lachrymis, &c. ſatagant, illarum intuitu iſte vix non miteſcit. 2. Injuria priùs à nobis illata ſi attendatur, vim habet non modicam in delinienda Ira ex prioris læſionis compenſatione. 3. Offendentis demiſſio & ad offenſum humilis deprecatio. 4. Inimicorm Miſeria; nemo enim tam infenſus eſt qui miſero non compatiatur, vel qui velit infelicis calamitati inſultare. 5. Tempori ratio confert ad ſedandam iram. V. g. Dies ſacer &c. 6. Enumerentur damna & incommoda, quæ in ipſum iratum recidunt, ira refrigeſcet. 7. Hujus vitii fœditas oſtendatur. 8. Gloria & virtus quæ ex Iræ compreſſione oriuntur; nam, ut ait Seneca lib. 3. de Ira c. 25. *Proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſam*. 9. *Reſponſio mollis frangit Iram*. Proverb. 151.

Effectus. 4. Effectus Iracundiæ notiſſimi ſunt: vix enim bili accenſus animus, ac præcipiti motu rationem prævertens cohiberi poteſt, quin in plurimos ac deformes partus erumpat. Hi autem præcipui & notiores ſunt, 1. Vultus deformitas, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, micantes oculi, &c. Ita Seneca deſcribit Iratum l. 2. c. 1. de Ira. 2. Mentis impotentia quam etiam pingit Seneca l. 1. c. 5. de Ira. 3. Iram ferè ſemper comitatur ulciſcendi deſiderium. 4. Terrores & minæ ſunt Irati animi aſſeclæ. 5. Eouſque devolvitur Iratus, ut in furorem rapiatur ſæpe, aliquando in Deſperationem. 6. Ferociens animus prorumpit in contumelias & imprecationes, tamquam Iræ exulcerantis ſolatium.

Uſus & Praxis eorum, quæ dicta ſunt de Affectibus Humanis. Hęc ſunt, quæ de Affectibus Humanis, prout ab Oratore non ſacro tractari ſolent, compendioſè recenſui ex celeberrimo hujus Artis præceptore. Mox daturus ſum quæ in hunc finem ſunt Oratori Chriſtiano & Eccleſiaſtæ

ſtæ Apoſtolico maximè propria. Interea quæret aliquis, quomodo in uſum ſacrum poſſint converti, quæ de Commotionibus appetitus retulimus? Plurimum ſanè proficiet cuicumque Oratori, his erudiri: tum ut eoſdem Affectus poſſit in Auditoribus excitare vel ſedare, ſi propoſitum ita deſideret, tum ut hominem ſimili motu agitatum depingat unde Timorem incutiat de pari ſorte: tum etiam ut ab iiſdem Affectibus præſertim inordinatis deterreat quemcumque per enumerationem peſſimorum effectorum quæ à peſſimo fonte ſcaturiunt. V. g. agatur de ſuſcitanda ſpe, pro facinore magni momenti ſuſcipiendo, qualis eſt Animæ ſalus; percurratur claſſis incitamentorum quæ in hunc finem valent, ſeligantur quæ in iis viſa fuerint ad rem magis appoſita, & his indigenti ſuggerantur. Quidni enim ad ſalutis Spem aſſurget ille, cui per Oratoris induſtriam, patebit 1. Dignitas hujus operis, quod cæteris omnibus rebus præcellit? &c. 2. Quàm facile ſit illud perficere, cùm media ſufficentia Deus ſuppeditet, totque habeamus coadjutores quot colimus Sanctos, &c. 3. Nulla ſunt impedimenta, quæ tantis ſubſidiis fretus homo non facilè ſuperet. 4. Quanta præmia ex ſalutis perfectione proveniunt. 5. Contra verò quot & quanta mala formidare debent qui in ſalutis negotio torpent. Hæ (inquam) aut ſimilia ſi verſentur ab induſtrio Oratore, comperiet ab ejuſmodi fontibus plurima fluere Argumenta quibus Spes accendatur. Immo poteſt ex his Partitiones Concionis facere. V.g. de ſalutis negotio, dicet. 1. Nihil eſt dignius. 2. Nihil eſt utilius. 3. Nihil eſt Facilius. His iiſdem mediis quibus Spes erigitur, fit Deſperationis remedium, quibus poterunt addi quæ in hujus defectus medelam afferuntur.

Valet ad Commotionem faciendam vel ſedandam.

Alter uſus hujus Tractatus confert ad Deſcriptiones texendas, non enim poterit Orator pingere v. g. Amantem, odio incenſum, vehementer ſperantem, Iratum, &c. niſi probè noverit horum Affectuum naturam & Effectus. Hos ſi optimè callueri, inde tot hauriet Argumenta, quibus hominem ſimilibus motibus Affectum pinget ac coloribus genuinis adumbratum exhibebit. V. g. ex mox adductis Iracundiæ effectibus demonſtrabit quo habitu mentis & ſpecie corporis conſtet, qui Iracundiæ facibus fuerit ſuccenſus. Par eſto judicium de cæteris affectibus, quorum notitia omnino valet ad finem prænotatum, hoc eſt, vel ut ejuſmodi appetitus commoveantur, vel ut cohibeantur; vel etiam, ut qui hos patiuntur per eorumdem effecta depingantur; quæ omnia Oratori planè conveniunt.

Affectuum notitia, valet ad Deſcriptiones.

Denique ut feliciter ſuccedat quidquid de Affectibus dictum eſt ac etiam ſupereſt dicendum, maximè in Concluſionibus, ſeu Moralitatibus, ubi Commotiones urgeri ſolent, adſciſcendus eſt Amplificationum & Figurarum idonearum uſus: his enim dilatatæ vel expolitæ rationes ad Affectus tractandos compoſitæ, totis viribus eoſdem invadent, eòque pellicient animos quò induſtrii Eccleſiaſtæ pertrahendos ſuſceperint.

Amplificationes & Figuræ ſunt adhibendæ.

CAPUT IV.

Ars Tractandi Affectus Humanos, quatenus ad Eccleſiaſtam ſpectat, ac de Locis Theologicis, quibus illi vel incitari vel comprimi poſſunt.

PRÆMONITUM.

Oratoris ſacri & Prophani ſcopus differt.

DE Affectibus Humanis mox egimus, ſed ferè Philoſophorum more, qui non aliud in iis ſpectant quàm quod à Natura inditum eſt, vel ab Arte poteſt iiſdem adjici ad civiles Cauſas: At cum Oratori ſacro longè ſanctior altiorve proponatur finis, ſcilicet eorumdem Affectuum regimen ad Dei gloriam Hominiſque ſalutem ordinare, diverſa etiam ratione debet ille Affectus tractare, diverſaque adhibere incitamenta quibus hos urgeat vel coerceat. Quamquam non diffitear Eccleſiaſtæ Artificium, quo motus Animi moderari ſtudet, in pluribus convenire cum ea methodo quæ prophanis Oratoribus communis eſt: Ideo de prudentia illius erit, horum Artem ſcrutari, atque ab iiſdem mutuari quæcumque miniſterio Prædicationis idonea & accommodanda cenſuerit. Prælibato igitur Tractatui hunc annecto, quo Eccleſiaſtam breviter edoceam quinam Affectus incendendi ſunt, quinam cohibendi, ac etiam eidem aperiam Fontes ſacros, quibus alterutrum præſtare poſſit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Amore & Odio ab Eloquentia Chriſtiana Tractandis.

PUNCTUM PRIMUM.

De Amore.

DESCRIPTIONI Amoris ſuperiùs à Philoſopho traditæ inhæreo, nec aliud eſſe arbitror quàm *Appetitus in Bonum apprehenſum pro-*

Digitized by Google

propenſionem, ſive illud ſit verum, ſive Boni tantùm ſpeciem præ ſe tulerit. At cùm ille Affectus ſit omnium latiſſimus & circa quæmcumque bonitatis vultum induentia verſetur, ac etiam nunc intra rectitudinis Leges, nunc præter, aut contra ejuſdem ſemitas exorbitet, inde multiplex admodum Amoris Affectus, varia ſuſcipit nomina, contrarias etiam ſortes boni vel mali Appetitus experitur. Ex Auguſtino, Amores duo partiuntur Mundi dominium, alterque adverſus alterum perpetuis odiis ita inſurgit, ut æmuli extinctionem continuò moliatur. Ii ſunt (ait ille) Amor Dei, & Amor ſui; Civitatem extruxere ſibi ambo, Hieruſalem ædificavit prior, qui ſacer eſt; Babylonem alter, qui prophanus dicitur, conſtituit; ſuos uterque habet Aſſeclas in mutua bella armatos. En Auguſtini verba lib. 14. Civit. cap. 28. *Fecerunt Civitates duas Amores duo: Civitatem Jeruſalem Amor Dei, uſque ad Contemptum ſui; & Civitatem Babylonem Amor ſui uſque ad Contemptum Dei.* Idem ſcripſerat lib. 1. ejuſd. Civit. *Civitas Dei incipit & conſtruitur ex Amore Dei & creſcit uſque ad odium ſui ipſius: Civitas verò Diaboli, incipit ab Amore ſui, & creſcit uſque ad odium Dei.* Sacro Amori nomen dedere omnes Affectus qui rectitudini ac voluntati Divinæ conformes, virtutis appellatione deſignantur & proborum corda ſuccendunt: Prophano, vitia inſerviunt, cui etiam militant quotquot pravis cupiditatibus obſequuntur. De utroque nonnulla huc congerimus quæ Oratori Chriſtiano prodeſſe poſſint ad ſuaſionem vel diſſuaſionem, excitationem vel compreſſionem, Amplificationem vel deſcriptionem.

Amores duo ſibi contrarii Mundum partiuntur.

SECTIO PRIMA.

De Amore Divino.

AFFECTUS iſte cui Divini appellationem inſcribo, iſtud ſibi nomen ideo fecit, quòd à Dei gratia præcipuè ortus, ad Dei nutum ſeſe per omnia conformet, atque nihil ſpectet aliud quàm ipſius ſupremi Parentis gloriæ famulari. Circa triplex objectum maximè verſatur, Deum ſcilicet, Homines ſeu Proximum, & Seipſum; hoc eſt, Chriſtianus poteſt & debet diligere Deum, Proximum & ſelpſum: hìc examinamus quid unicuique horum debetur ex Amoris legitimi officio.

Amoris Divini triplex objectum.

§. 1.

§. 1.

Amor Hominis in Deum.

1. Amoris excellentia. A*Moris Divini Incitamenta.*

1. Dignitas & præcellentia Charitatis, quæ ita cæteris omnibus virtutibus moralibus ac Theologicis præſtantior eſt, ut harum omnium forma ſit & perfectio. Quodcumque opus eximium perfeceris, ſi tamen Charitatem non habueris, pro nihilo cenſeberis. 1. Cor. 13. 1. *Si Charitatem non habuero nihil ſum.* Nos in Deum transformat. 1. Joan. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet & Deus in eo.* D. Aug. Tr. 2. in 1. Ep. Joan. [Talis quiſque eſt, qualis eſt ejus dilectio; terram diligis, terra eris: Cœlum diligis, Cœlum eris: Deum diligis, Deus eris.] Et Tract. 7. in Joan. præfata verba explicans ait. [Neſcio utrum magnificentius nobis Charitas commendari poſſit, quàm cùm dicitur: Deus Charitas eſt. Brevis Laus & magna Laus; brevis in ſermone, & magna in intellectu.]

2. Utilitas. 2. Utilitas hujus Affectus, qui ab omnibus malis nos expedit & bona omnia in nos refundit. De ſancta dilectione dicendum eſt quod de Sapientia aſſeritur Sap. 7. 11.

3. Facilitas. 3. Facilitas in eodem Affectu præſtando. D. Auguſt. Ser. 69. de Temp. [Reliquis operibus bonis interdum poteſt aliquis aliquam excuſationem prætendere; in habenda verò dilectione, nullus ſe poterit excuſare. Poteſt mihi dicere aliquis, Non poſſum jejunare; numquid poteſt dicere, Non poſſum amare? poteſt dicere: Propter infirmitatem corporis mei non poſſum à carnibus & vino abſtinere; numquid poteſt dicere, Non poſſum diligere? *&c.*] Hugo Victorinus in Pſ. 18. [Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus, non eſt qui ſe poſſit excuſare, quin eum diligere poſſit.] Iſtud ergo amoris officium reddi poteſt ab omnibus, cujuſcumque ætatis, ſexus, & conditionis.

4. Impulſus Naturæ. 4. Naturæ inſtinctu homo provocatur ad Deum amandum. D. Bernardus Tract. de dilig. Deo. [Inexcuſabilis eſt etiam infidelis, ſi non diligat Dominum Deum ſuum: clamat namque intus ei innata & non ignota ratio Juſtitiæ, qua ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat.] Omnes Creaturæ in hunc finem conſpirant, ait Auguſtinus l. 10. Confeſſ. c. 6. [Ubique mihi dicunt ut amem te, nec ceſſant dicere omnibus.] Creaturæ ſunt tot ſcintillæ ſeu Amoris jacula quibus cor humanum inflammari debet. D. Bonav. 2. P. Stimul. c. 2. [O cor! quàm lapideum! non ardes amore, cùm lapis igne liquefiat.]

5. Fabrica & ſitus Cordis. 5. Cor humanum à Deo fabricatum eſt ut Authorem amet. Tertul. adverſ. Marc. l. 4. c. 26. Deus (inquit) Creatori diligendo ædificaverat hominem. Idem l. de Am. c. 15. ait, [Cor eſſe principale in anima & certo in

to in corporis receſſu conſecratum.] Ideo fortaſſe ea Figura formatum eſt, qua pyramide deorſum tendente ſuprema & latior pars ſurſum vergit; ut oſtendatur ex ipſa cordis fabrica, illud debere tantùm tenui Puncto mundum attingere, Deo autem omninò patere, ac verſus ipſum perpetuò ſpirare.

6. Satietas quæ deſideria noſtra explet, nos ad amandum Deum invitat, ipſe enim ſolus eſt qui cordis appetitum ſatiare poſſit. Pſ. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* [Feciſti nos Domine ad te (ait Auguſt.) & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.] 6. Satietas Appetitus.

7. Bonitas Dei Infinita; cùm ex D. Dionyſio. de div. nom. Bonum & Pulchrum ſint omnibus deſiderabilia & amabilia, ille potiori ratione diligi debet qui his præcellit, at in Deo hæc ſunt in ſupremo gradu, cùm in ſe contineat omnes appetitionis illices. Igitur, ut ait Tertullianus adverſ. Herm. 11. [Deum ſummum bonum credi neceſſe eſt.] In eundem ſenſum ſic D. Bernardus fatur Serm. 24. de Paſſ. [Quid quæris quod in illo non invenias? ſi ægrotus es, medicus eſt: ſi exulas, dux eſt: ſi impugnaris, pugil eſt: ſi ſitis, potus: ſi alges, veſtimentum eſt: ſi triſtaris, gaudium eſt: ſi obtenebraris, lux eſt: ſi orphanus es, Pater eſt.] [Quid per multa vagaris homuncio, (inquit Auguſtinus) quærendo bona animæ tuæ, quærendo & non inveniendo? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona & ſufficit.] 7. Bonitas Infinita.

8. Dei præceptum. Mira profectò res eſt iſta; plus nimio ſufficeret homini Deum revereri, & ſua illi obſequia, tamquam ſervum Domino conſecrare; at præter ſpem, Deus non modò conceſſit homini ſervitutis officia præſtare, ſed in Amoris ſocietatem accedere permiſit; nec iſtud ſolùm, ſed amandi præceptum ſtatuit, Amanti præmium ſpopondit, Amorem neganti pœnas decrevit. Auguſtinum audi l. 5. Confeſſ. cap. 5. [Quid tibi ſum ego Domine, ut amari te jubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parvane ipſa eſt miſeria, ſi te non amem?] *Hoc* (igitur) *eſt maximum & primum mandatum.* Matth. 22. 38. Maximum quidem. 1. Quia circa objectum maximum verſatur, nempe Deum. 2. Quia à ſupremo omnium Legiſlatore ſtatuitur. 3. Quia maximam utilitatem obſervantibus confert. 4. Quia omnes omnino homines obligat. 5. Maximum eſt denique iſtud dilectionis præceptum, quod cætera legis ſtatuta complectitur. Roman. 13. 10. *Plenitudo legis eſt Dilectio.* 8. Præceptum Dei.

9. Similitudo. Non mediocre eſt iſtud Amoris Divini incitamentum, quod Deus homini indidit, dum ipſum ad ſui Imaginem & ſimilitudinem finxit Geneſ. 1. 26. In hunc ſenſum accommodari poteſt quod Tertullianus ſcribit l. de Pœnit. c. 4. [Obſequii ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.] & l. de Fug. in perſec. c. 2. idem ad illud Chriſti ad intuitum imaginis numiſmati impreſſæ, dicentis, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo,* ſic ait: [Quomodo reddam quæ ſunt Dei Deo? 9. Similitudo cum Deo.

Deo? Utique proinde imaginem & monetam ipſius, inſcriptam nomine ejus, id eſt, hominem Chriſtianum: utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo ſolvam: benè obſervavi præceptum, Cæſari reddens quæ ſunt Cæſaris; Deo verò, quæ ſunt Dei denegans?] Hinc quippe inflammatur hominis amor, ſi in ſe agnoſcat Dei Imaginem & ſimilitudinem quibus præ cæteris Creaturis inſignitur. Iterum ex Tertulliano l. de Reſurr. Car. 6. [Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum; manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, providentia & ipſa imprimis affectione quæ lineamenta ductabat.] Item. [Satis beatus; etſi ſolummodò contactus; toties honoratur quoties manu Dei tangitur; dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur.] Id. l.2. adv. Marc. c.4. [Dei Imaginem quoque Bonitas & quidem operantior operata eſt; non imperiali verbo, ſed familiari manu; etiam verbo blandiente præmiſſo, Faciamus hominem ad Imaginem & Similitudinem noſtram.]

10. Compenſatio Amoris Divini.

10. Compenſatio Amoris à Deo prius exhibiti. [Monſtrabo tibi (ait Seneca Epiſt. 9.) Amatorium ſine medicamento, ſine ullius Veneficæ carmine, *Si vis Amari, Ama*. Aliis verbis tritum proverbium ſcripſit Auguſtinus, *Magnes Amoris Amor*. Idem Enchirid. c. 28. [Solus Amor eſt ex omnibus animi motibus, ſenſibus atque affectibus, in quo poteſt Creatura, etſi non ex æquo, reſpondere Authori, vel ipſi mutuam rependere vicem.] Id. l. de Catechiſ. Rud. c. 4. [Si amare pigeat, ſaltem redamare non pigeat; nimis durus eſt animus, qui dilectionem, ſi nolebat impendere, nolit rependere.

11. Gratitudo in Deum.

11. Gratitudo; *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſ. 115. 12. ajebat Pſaltes Regius. Et certè tot & tanta ſunt Beneficia in nos à Deo collata, ut ſi pro his non poſſimus æqualia reddere, illud ſaltem ex infinita beneficentia liqueat, quod inde maximo gratitudinis vinculo teneamus Benefactorem diligere. Enumerentur Beneficia, tum Naturæ, tum Gratiæ, tum Gloriæ quibus ille nos ſibi devinxit; Naturæ quidem, qualia ſunt dona quæ ad Animam, Corpus & Fortunam ſpectant; Gratiæ verò, cujuſmodi ſunt omnia quæ Redemptionis opus ſapiunt; ac denique Gloriæ præmia quæ Deus præparavit diligentibus ſe. Hæc (inquam) ſi ponderentur, tantæ virtutis erunt, ut vel amoris flammam ex ipſo ſilice extorqueant. Ad propoſitum ſic fatur Emiſſenus hom. 1. de Symb. [Intellige (inquit) illius eſſe totum, cujus cœlo tegeris, cujus terræ gremio ſuſtineris, cujus aere paſceris, & vitalis auræ participatione vegetaris: cujus luce ac famulo ſole perfrueris; cujus tibi dies ad jucunditatem, nox obſequitur ad quietem; Qui poſt tanta, ſeipſum tibi dedit, quando tam caro pretio te redemit; Qui talia procuravit ſervo, qualia parabit, victa peccati labe jam libero? Qui tanta jacenti contulit, quanta conferet reſurgenti? Heu quantis titulis homo tenetur Deum diligere qui tanta pro homine præſtitit? Deo tanto magis homo debitor fuit; quanto pro illo Deus & indigna ſuſcepit.] Hæc ſunt verba D. Gregor.

Digitized by Google

gor. l. 28. Moral. c. 21. Adde quod dicitur Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Auguſtinus verò, libro citato de catechiſ. Rud. c. 4. ait: [Maximè propterea Chriſtus advenit, ut cognoſceret homo quantum eum diligat Deus, & ideo cognoſceret, ut in amorem ejus à quo priùs dilectus eſt inardeſceret.]

12. Huc conſpirant omnia cùm Scripturæ ſacræ, tum SS. Doctorum teſtimonia, ut ſcilicet nos ad amorem Deo priùs nos amanti exhibendum invitent, ſed parco pluribus; moneo ſolùm Eccleſiaſtam novitium, quòd ſi hos vel ſimiles fontes ſcrutari voluerit, infinita propemodum argumenta inde formabit, quibus Affectum Amoris Divini apud Auditores excitet. 12. Teſtimonia Scripturæ & SS. Patrum.

Modus quo par eſt Deum diligere.

D. Bernardus tract. de Dilig. Deo, ait: [Modus diligendi Deum, eſt diligere ſine modo.] Idem, Serm. in Cant. eandem ſententiam pluribus explicat, dum ſcribit: [In Chriſti dilectione modus Amoris nullus eſſe debet; ſine modo te dilexit, ſine modo eum diligere debes; modum dilectionis expreſſit, te diligendo, pro te moriendo; tu quantum eum diligere debes, non potes; dilige ergo eum ex tota mente, ex omni anima, ex omnibus viribus tuis; hoc tantum quærit Deus, ultra non quærit.] Proprietatem Amoris noſtri erga Deum.

Vides ex D. Bernardi ſenſu non poſſe deſignari modum, quo Deus ab homine diligi debeat; verùm etſi iſtud fieri non poſſit ex æquo, poſſunt tamen aliquæ notari proprietates Amoris ab Hominibus Deo exhibendi, quæ in Amante ſincero deſiderantur.

1. Integritas ſine diviſione. D. Auguſt. l. 2. de Doct. Chriſt. cap. 22. [Dilectio Dei nullum à ſe vinculum extra ſe duci patitur, cujus derivatione minuatur.] Et certè tribus potiſſimùm titulis unicè amari poſcit ab homine, quia ejus eſt, 1. Unicus Deus. 2. Unicus Redemptor. 3. Unicus ſponſus. Unicus eſt Deus: Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus tuus unus eſt.* Idem ſuadet fides ac ratio ipſa quæ unitatem Dei adſtruit. Unde Tertullianus adverſ. Marcion. c. 3. [Porro ſummum magnum, unicum ſit neceſſe eſt; non aliter Deus, niſi ſummum magnum.] D. Gregorius in l. 1. Reg. c. 7. rationem addit. [Quia Deus totum hominem condidit, habere eum communem cum adverſario non dignatur.] Apage ergo Novercæ ſenſum, quæ ingenioſam quidem, ſed cruentam & ſpecie injuſtam Salomonis de pueri controverſi diviſione ſententiam probabat inquiens, *Dividatur.* 3. Reg. 3. 26. Non ita Deus de corde hominis ſentit, integrum vult, diviſum reprobat. [Non poteſt (inquit D. Cyprian. l. de Idol. van.) Dei ſublimitas habere conſortem, cùm ſola omnem retineat poteſtatem.] 2. Unicus eſt Redemptor qui unicè vult diligi. D. Anſelmus l. cur Deus Homo, ſic fatur: [Qui creavit te, ipſe redemit te; ne Amorem tuum divideres, partem Creatori, & partem tribuens Redemptori.] Idem l. de Menſur. c. 54. [Sic totum cor noſtrum tuo debemus Amori; ut quidquid de eo alteri damus tibi ſubſtrahamus.] Heu quantum ſcelus admit- 1. Integritas ſine Diviſione.

 tit,

tit, ille qui ſe totum negat Chriſto, qui ſe totum pro homine impendit! furtum eſt, immo ſacrilegium, quod vel minimam Cordis partem quæ ſanguine Chriſti conſtitit, ſurripit, ut alteri concedat. 3. Sponſus eſt unicus animæ, quam ſibi uni deſpondit, ut ſcribit Apoſtol. 2. Cor. 11. 2. *Teneo meum Chriſtum, in nomine ſponſi*, ajebat Tertul. 4. adv. Marc. c. 11. [Deus, inquit D. Bernardus Ser. 83. in Cantic. timeri exigit ut Dominus, honorari ut Pater, ut Sponſus Amari.] Hinc collige Amoris impendendi integritatem.

2. Ardor ſine tepiditate.

2. Ardor ſine tepiditate, altera eſt Amoris Deo debiti proprietas: cùm etenim dilectio debeat (quantum fieri poteſt) rei diligendæ commenſurari; poterimus Affectus noſtri ardorem à Deo ipſo nos priùs amante conjicere. Eſt enim ab omnibus receptum iſtud Axioma, quod *primum in unoquoque genere, ſit menſura ſeu regula cæterorum*. Quanto ergo ardore Deus nos dilexerit jam intellige ex tribus, quibus ille ſuum erga nos affectum prodidit. 1. Orbis Imperium, cæteraque dominii hæreditarii bona externa dimiſit: 2. Patrem ipſum Filius, Filium Pater dereliquiſſe viſus eſt. 3. Vitam denique propriam profudit Chriſtus ut homines lucraretur. Erat certè ille Dominus omnium, *&c.* At, ut ait D. Paulus Philip. 2. 7. *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, &c. & 2. Cor. 8. 9. *Propter nos egenus factus eſt, cùm dives eſſet*, &c. Vitam ejus expende & comperies non habere ubi reclinet caput ſuum. Sed altiùs repete Amoris ardorem: vide quid erga filium Pater, quid erga Patrem Filius egerit; audi Evangeliſtam, Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. D. Anſel. l. 2. cur Deus homo, Joanni accinit his verbis. [Quid miſericordius intelligi valet, quàm quod peccatori æternis pœnis deputato, & unde ſe redimeret non habenti, Deus Pater dixit, Accipe unigenitum meum & da pro te, & ipſe Filius, Tolle me & redime te?] De Filio ait Auguſtinus: [Unicus erat in ſinu Patris, noluit remanere unicus, venit ut ſibi quæreret fratres.] Concors eſt D. Leo Ser. 2. de Paſſ. dum ait: [Pulverem abjectionis noſtræ, corpus fecit gloriæ ſuæ.] Denique contumelias & cruciatus ac mortem ipſam perpeſſus, probavit quòd in Finem dilexerit nos; unde D. Gregor. Nazianz. Orat. in Paſcha, ſcribit: [Seipſum dedit pretium pro nobis, ac culpæ noſtræ ſuccidaneum.] Idem ſentit D. Bernardus Ser. 30. in Cant. [Totus (inquit) mihi datus eſt, & in meos uſus expenſus.] Abbas Guerr. Ser. 1. Pentec. addit, [Deum (ſi fas eſt dicere) prodigum ſui: an non prodigum ſui, qui non ſolùm ſua, ſed & ſemetipſum impendit, præ deſiderio hominis?] Ex his metire Amoris tui ardorem quem Deo in compenſationem debes, ſi enim ipſum ardenter diligis, renuntia Bonis, Parentibus & tibimetipſi, *&c.*

3. Perpetuitas ſine ceſſatione.

3. Perpetuitas ſine ceſſatione, tertia eſt Amoris noſtri erga Deum proprietas; quæ in hoc ſtat quòd homo teneatur Deum continuè diligere; non quidem quòd id actu perpetuo id præſtet, hoc enim vires humanas (quamdiu in hac vita degit homo) ſuperat; ſed vel quantum poteſt teneatur

tur in dilectionis exercitio immorari, vel ſaltem nullum actum huic contrarium exercere debet. Eò ſpectat Apoſtoli monitum, 1. Cor. 16. 14. *Omnia veſtra in Charitate fiant.* Si percontaris quomodo iſtud præſtare queas, exemplum ſume ab igne domeſtico quo hìc utimur. Cùm enim non ſit Asbeſtos ſeu inextinguibilis, indiget tribus ut perpetuò ardeat. 1. Expelli debent è materia qualitates contrariæ quæ ignitionem præpedirent. 2. Materia idoneæ debet ſuggeri qua nutriatur. 3. Deinde flabellis excitandus eſt ignis, ut creſcat. Pari artificio exculta charitas in te perpetuò ardebit. 1. Expelle peccata, cæteraque ejuſmodi, quæ huic adverſantur. *Qui diligitis Dominum, odite malum*, ait Pſaltes Regius Pſ. 96. Deinde ſubjiciatur Amoris pabulum, nam, ut inquit Hug. Card. in c. 1. Epiſt. ad Theſſ. [Refrigeſcit Charitas, niſi nutriatur iſte ignis in altari cordis.] Vide quid de ſacro igne jubeat Deus Levit. 6. quem locum ſic explicat D. Gregorius l. 21. Moral. 7. [Altare Dei cor noſtrum eſt, in quo jubemur igne ſemper ardere; quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum Charitatis flammam indeſinenter aſcendere, cui per ſingulos dies Sacerdos ligna ſubjiciat, ne extinguatur.] Pabulum iſtud non aliud eſt, quàm repetita meditatio rationum quibus Amor ſuccendi poteſt. Denique flabello indiget ignis iſte divinus, hoc eſt, ſæpiùs exerceri debet Amoris actus, ut ex frequenter repetitis actibus, ac potiſſimùm ex conceſſo Gratiæ beneficio, fiat Amandi habitus, qui beatorum dilectionem nuſquam defecturam aliquatenus æmuletur.

Sileo plura quæ de proprietatibus divini Amoris poſſent huc congeri, has quiſque diligens exquiſitor poterit ex Libris qui de iiſdem ex profeſſo agunt ediſcere, aliquas tantùm capitatim & ſummariè perſtringo ac præfatis adjicio, ut de iis ſaltem moneatur Novitius; non enim meum propoſitum eſt hìc Promptuarium conſtituere integrum, ſed Promptuarii ſolùm capita percurrere ac indicare, quæ conſulere poſſit Eccleſiaſtes, ad tractandos Chriſtianorum Affectus, eo more ac illa methodo quæ Oratorem ſacrum decent.

4. Proprietatis quartæ, quam in Amore divino deſideramus, locum obtinebit comparatio quam inſtituere poſſumus cum divino erga nos Affectu. Nam, ut ait Tertullianus l. 2. adv. Marc. cap. 27. [Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet; Deus puſillus inventus eſt ut homo maximus fieret.] Item D. Auguſt. l. de ſpirit. & Anim. cap. 16. [Amat Deus ut ametur, & cùm amat, nihil aliud vult quàm amari.] Tres ſunt Amoris Divini Conditiones, Æternitas, Immenſitas, Infinitas: His tuum erga Deum Amorem compone, ſit Æternus, Immenſus, Infinitus; Imitaberis Æternitatem, ſi Deum ſemper diligas; Immenſitatem, ſi ubique & in omni loco; Infinitatem denique ſi in omnibus operibus te amantem præſtiteris. Tres iſti fontes, uberrimam de Amore ſegetem aperiunt. 4. Amoris Divini Æternitas, Infinitas.

5. Non hìc repeto tres Amoris ſacri Dotes de quibus actum eſt in fine 5. Teneritudo, Præpoſitio, Operatio.

tertii libri: erant illæ Teneritudo, Præferentia, Operatio, ſeu Amor Tener & Affectivus, Amor Præcipiuus ſeu Appretiativus, Amor Operativus ſeu Effectivus. Conſule pag. 171. & ſeq. ubi de pluribus Amoris effectibus diſſeritur.

Signa Charitatis.

Signa & Indicia Divini Amoris.

1. Peccati Odium.

1. Peccati Odium: cùm enim, ut Tertullianus l. de Idol. 1. ait, [univerſa delicta adverſus Deum ſapiant:] nemo verè diligit Deum, qui ſimul non oderit peccatum, quia iſtud eſt, 1. Dei hoſtis infenſiſſimus. 2. Divinarum Legum effractor. 3. Chriſti unigeniti crucifixor. [Ah! inquit Auguſtinus in Joan. magis eligendum eſt Deo dilecto mori, quàm offenſo vivere.]

2. Mundi Odium.

2. Mundi Odium, 1. Quia, ut ait Joan. 1. Ep. 5. *Totus in maligno poſitus eſt*. Ex D. Antonio Paduano, Terra eſt Avaritia, Aqua eſt Luxuria, Aer Inconſtantia, Ignis eſt ſuperbia. 2. Quia Deo eſt exoſus, & ex D. Jacobo 4. 4. *Amicicia hujus Mundi, inimica eſt Dei*. 3. Quia, ubique & per omnia hominum inſidiatur ſaluti.

3. Noſtri Odium.

3. Noſtri Odium, [Amandus eſt Deus pro Amore ejus (ait Aug. Ser. 54. De Verb. D.) ita ut ſi fieri poteſt nos ipſos obliviſcamur.] Rationes in promptu ſunt 1. Quia id Chriſtus ſuaſit. Luc. 9. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. Unde Tertul. l. de Idol. c. 24. [Hæc eſt lex propria Chriſtianorum, ut renuntient ſibi.] 2. Quia ex Matth. 10. 36. *Inimici hominis, Domeſtici ejus*. Nec eſt aliquid à quo ſibi magis cavere debeat, quàm à ſeipſo & à ſuis Concupiſcentiis. Ideoque dicitur Joan. 12. *Qui amat Animam ſuam perdet eam; & qui odit Animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Denique Odii in proprium corpus, ipſe Chriſtus ac omnes Sancti exemplum nobis reliquere, ut eorum inſtemus veſtigiis. D. Aug. in Pſ. 121. [Tunc, inquit, fortis eſt ut mors dilectio; quia ipſa Charitas occidit quod fuimus, ut ſimus quod non eramus.]

4. Mandatorum obſervatio.

4. Mandatorum obſervatio. Ita fatur Chriſtus Joan. 14. 24. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit... Et; Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*. Rationes hujus obſervationis hæ occurrunt, quia qui verè Deum amat, reveretur dilecti Legiſlatoris, 1. Bonitatem. 2. Sapientiam. 3. Poteſtatem. Bonum novit alias non condere Leges quàm optimas; Sapientem, æquiſſimas; Omnipotentem, ſupremas & obſequio dignas ſanctiones conſtituiſſe agnoſcit.

5. Amato compati.

5. Commodis vel Incommodis Amati communicare, quia ſcilicet Amicorum omnia ſunt communia, eorumque alter in ſeipſum transfert quodcumque ſeu boni ſeu mali alter experitur. Vide quæ dicta ſunt prænotato loco, pag. 171.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Amore erga Proximum.

ALTER eſt iſte Amoris Sancti rivulus, qui ab eodem fonte quo Deum diligimus proficiſcitur in Proximi dilectionem: neque enim divelli poſſunt Amores ambo, qui non geminum ſed unicum ſtatuunt Affectum, quo Deum primò, deinde proximum, ſed utrumq; individuo nexu complectimur. *Hoc mandatum habemus à Deo* (inquit D. Joan. Ep. 4. 21.) *ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*. De hoc Affectu tria nunc expendimus, primò rationes ſeu incitamenta quibus ad dilectionem proximi provocamur; 2. Modum dilectionis; 3. Effectus quibus ille amor proditur.

Rationes ob quas Proximũ diligere debemus.

Incitamenta ad Dilectionem proximi.

1. Præceptum Dei quod in utroque Teſtamento pluries ſancitur. Unde Tertull. l. 5. adv. Marc. c. 14. [Merito itaque totam Creatoris diſciplinam, principali præcepto ejus concluſit; Diliges proximum tamquam te.] Hoc præceptum dixit lib. de Orat. *Breviarium totius Evangelii* D. Bernardus opuſc. de Charit. c. 2. [Eſt ſacræ Scripturæ compendium, Præceptorum Dei conſummatio.] Auguſt. in Pſ. 149. Quid quid ſalubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel qualibet pagina divina ſculpitur, non habet finem niſi Charitatem. *Si quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ait Apoſtolus Rom. 13. 9. D. Ambroſius legit *Conſummatur*. D. Hieronymus, *Recapitulatur*.

1. Præceptum Dei.

2. Dilectio Proximi eſt Character Diſciplinæ Chriſtianæ. Joan. 13. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. D. Aug. Tr. 5. in 1. Epiſt. Joan. [Dilectio ſola diſcernit inter Filios Dei & filios Diaboli: ſignent ſe omnes ſigno Crucis, reſpondeant Amen; cantent Alleluya; Baptizentur, intrent Eccleſias, faciant parietes Baſilicarum: non diſcernuntur Filii Dei à filiis Diaboli, niſi Charitate.] Cyrill. Alex. in cap. 15. Joan. [Facies & Imago Chriſti nobis inſculpta, qua ſui eſſe cognoſcimur, Charitatis gloria eſt.] Inſignia Chriſti, ait D. Thomas, ſunt Inſignia Charitatis. Theophil. in Joan. ait: A concordia Diſcipulorum, ego Doctor comprobor.

2. Dilectio eſt Character Chriſtianæ Religionis.

3. Amoris Divini Teſſera eſt Amor proximi, ita ut ab iſto ille debeat æſtimari. D. Laurent. Juſtinian. in Faſcic. Am. c. 1. [Stateram quamdam ſpiritalem Divini Amoris, proximi voluit eſſe dilectionem.]

3. Eſt Teſſera Divini Amoris.

4. Diligendus eſt proximus ob Naturæ ſimilitudinem, quia Homo eſt. D. Aug. Conc. 8. in Pſ. 118. [Omnis quippe homo eſt homini proximus; nec ulla eſt cogitanda longinquitas generis, ubi eſt natura communis.] D. Ambroſius l. 3. Offic. 3. [Hæc utique lex Naturæ eſt, quæ nos ad omnem ſtringit humanitatem.] Commune effatum eſt, ſimile diligere ſibi ſimile.

4. Similitudo.

5. Fra-

5. Fraternitas.

5. Fraternitatis titulo, quia eundem habemus Patrem Chriſtum qui nos omnes genuit verbo veritatis. Non profero Scripturæ teſtimonia, quæ ſingulis ferè paginis ea de re occurrunt. Tertullianus Apolog. c. 39. [Sed & quod Fratrum appellatione cenſemur, non aliàs opinor infamant, quàm quòd apud ipſos, omne ſanguinis nomen, de affectione ſimulatum eſt .... Fratres autem veſtri ſumus, jure Naturæ matris unius; etſi vos *parum Homines, quia mali Fratres*.] Inſipienter reſpondit Cain Geneſ.4. *Numquid cuſtos Fratris mei ſum?* Sed jure à D. Ambroſio corripitur l. 2. de Abel & Cain c. 9. [Quomodo Germanitatis ſervaret officium, qui neceſſitudinis non agnovit affectum? Recuſat fraternæ munus cuſtodiæ, quaſi exſors naturæ.]

6. Quia homines ſunt unius Capitis & Corporis membra.

6. Sumus omnes unius Capitis Chriſti & unius Corporis Eccleſiæ Membra. 1. Cor. 12. Unde Chryſoſtomus hom. 14. in Joan. [Nemo (ait) privatam quærat utilitatem ſed & Proximi; Corpus namque unum ſumus, invicem partes & membra; in proximo non quærendum eſt ſitne amicus, ſitne conſanguineus, ſitne cognatus, an vicinus, ſed quod membrum ejuſdem corporis & meum membrum, hæc eſt ſumma amicitia, &c.] D. Baſilius Epiſt. 68. [Conſideremus (inquit) amorem, quem ſibi mutuò membra impendunt, ſe defendunt, ſe adjuvant, & dolent omnia membra invicem malum alicujus membri.] Hoc Religionis vinculum appellat Tertullianus, *Naturificatæ jam Spiritalis conditionis Germanitatem*. L. adv. Valent. c. 29. & l. 2. de Cult. Fœm. c. 1. ait: *Sancitum jure conſervitii & Fraternitatis*. Idem Apolog. c. 34. *Corpus ſumus de conſcientia Religionis & diſciplinæ unitate & Spei Fœdere*.

7. Homo eſt Dei Imago.

7. Homo Imaginem Dei in altero homine diligere debet. Hugo Cardin. in c. 22. Matth. [Sicut Rex in Imagine ſua honoratur, ſic Deus in Homine diligitur.] D. Chryſoſt. hom. 24. in Matth. [Sicut in Imagine ſua Rex honoratur vel contemnitur; ſic Deus in Homine vel diligitur vel oditur.]

8. Homines iiſdem Myſteriis fruuntur.

8. Magnam vim ad conciliandum Amorem mutuum habere debet illa ratio, qua perpenditur, quòd omnes Chriſtiani iiſdem Miſteriis initientur ac iiſdem Sacramentis reficiantur, maximè in Euchariſtia. In hunc ſenſum ſcripſit Auguſt. tract. 20. in Joan. [Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in iis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur, &c.] Cui concinit D. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. [Sanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti, talia peccemus; cùm Lupi ſiamus Agnum comedentes, cùm tamquam oves paſti more Leonum diripiamus?]

9. Votum Chriſti de Hominum concordia.

9. His adde quod Chriſtus oravit Joan. 17. *Pater ſancte, ſerva eos, ut ſint unum, ſicut & Nos unum ſumus*. Quod ſic explicat D. Cyrill. Alexand. [Charitatis, Pacis, & Concordiæ vinculum petit, quod ad tantam ſpiritualem Credentes unionem perducat, ut Natu-

ralis

ralis conſubſtantialiſque in Patre & Filio atque Spiritu-Sancto, unionis ſimilitudinem imitetur.

10. Plures poſſent enumerari rationes quibus Amoris mutui inter homines nexus ſanciatur; facilè quiſque ejuſmodi Argumenta apud Authores qui hocce negotium ex profeſſo tractant comperiet; poſtremum ſubjicio Catenæ Amatoriæ annulum, Spem ſcilicet ejuſdem Beatitudinis aliquando conſequendæ. Verſentur ergo præfata Amoris Incitamenta, dilatentur & expoliantur, fallor, niſi Amorem excutiant à corde etiam lapideo. 10. Homines eandem ſperant Beatitudinem.

Modus quo diligendus eſt Proximus. Modus Dilectionis Fraternæ.

Non immorabor diu in præſcribenda ratione qua proximum diligere debemus, vix enim iſtud eſt noſtri inſtituti. Hoc ſolum monebo quod Amor ſuum ſervare debet ordinem. Ita Sponſa Cant. 2. ait, *Ordinavit in me Charitatem.* Hoc eſt, modum præſtituit quo Charitatis officia perſolvere debeamus: Quis ille ſit ordo ſervandus inter Proximos diligendos, docent fusè Theologi Morales, quorum eſt explicare, quis è Parentibus, Affinibus, aut Benefactoribus, &c. ſit in Amoris officio præponendus.

Chriſtus Perſonarum Divinarum unitatem in exemplum unitatis fraternæ propoſuit, *Ut ſint unum, ſicut & Nos unum ſumus.* Joan. 17. Quæ verba ſic expendit Tertullianus de Trinit. c. 22. [Intelligant Hæretici, quòd non dicit *Unus*, ſed *Unum*; unum enim neutraliter poſitum, *Societatis Concordiam*, non *unitatem Perſonæ* ſonat.] Ubi vides Trinitatis unitatem (quæ perfectiſſima eſt, ita ut diviſionem non patiatur) non hìc præſtitui, quaſi ex omni parte adæquandam, iſtud enim eſt extra fidem, ſed proponi tamquam abſolutiſſimum concordiæ mutuæ exemplar, hominibus, fraterna ſocietate (quantum par eſt Creaturis) imitandum. 1. Perſonarum SS. Trinitatis unitatem imitetur.

At, inquies, quomodo unitatem divinam imitari poterunt homines, ut verum ſit quod dicitur, *Sint unum ſicut & Nos unum ſumus?* Nodus iſte Gordianus eſt, quem Interpretes ſolvere aut diſcindere nituntur. Hos adeat, qui aliam quàm Oratoris ſolutionem exquiſierit, eam profero quæ alia meditanti obverſatur. Si de ſtatu Religioſo res ſit hæc poterit illi ſolutio accommodari. In Deo ſcilicet eſt 1. *Unitas ſine confuſione* quia in eadem Eſſentia diſtinctæ ſubſiſtunt Perſonæ 2. *Prioritas ſine inæqualitate*, eſt enim Originis, non verò Naturæ. 3. *Pluralitas ſine diviſione*, diſtinguuntur enim non dividuntur Perſonæ. Ita in Religione Imago unitatis Divinæ elucet. 1. *Eſt unitas*, quia una Regula, una Profeſſio, unus ſcopus, &c. *Sed ſine confuſione* quia ibi optimus ordo. 2. *Eſt Prioritas*, quia ibi præſunt Superiores, & præcedunt ſeniores; ſed *Inæqualitas exulat*, quia ex ſenſu Chriſti Luc. 22. 27. *Qui major eſt in vobis fiat ſicut minor; & qui prædeceſſor eſt ſicut miniſtrator*. In his etiam præceſſio quæ ſtat prioritate Quomodo unitas Trinitatis imitanda.

pro-

profeſſionis, Prioritatem Originis aliquo modo repræſentat. 3. *Pluralitas* eſt inter Religioſos, ſed quæ hos individuis & perſonarum propriis dotibus tantùm diſtinguat, nulla verò re quæ ad communitatem ſpectet differentes conſtituat. Si de cæteris Chriſtianis agatur, poterit his adaptari triplex Concordia, quam in Trinitate veneramur; 1. *Concordia cordis*. 2. *Concordia oris*. 3. *Concordia operis*. Idem ſentiunt, idem loquuntur, idem operantur. Ita Chriſtiani triplici hac ratione Amorem mutuum ſpirent. 1. Corde, nec oderint. 2. Ore, nec detrahant. 3. Opere, nec noceant. Vel tres Perſonæ ſunt unum, quia in his *Idem eſt intellectus*, *eadem voluntas*, *eadem ſubſtantia*, ita inter Chriſtianos debet eſſe eadem *Fides*, eadem *Charitas*, eadem *Spes*.

Amor noſtri eſt menſura Fraterni.

2. Alter Modus eſt, ut diligamus Proximum ſicut Noſmetipſos. Iſtud enim eſt Præceptum quod à Chriſto ſtatuitur Matth. 22. 39. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Vide jam quid boni tibi deſideraveris: optas & procuras quæcumque ſpectant ad Bona, tum Animi, tum Corporis, tum Fortunæ, eadem Proximo velis. De commodo proprio gaudes, de incommodo triſtaris: tibi denique nullum irrogari malum cupis, immo quantum potes, omne detrimentum amoliris; *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*; contra verò fratribus exhibe quod tibi exhiberi deſideras. Hæc ab Auguſtino diſce l. de vera Relig. c. 46. [Ea eſt enim regula dilectionis, ut quæ homo vult ſibi bona provenire, & proximo velit; & quæ accidere mala non vult & illi nolit.] [Ex te, igitur, ò Homo! ò Chriſtiane! Fratrem tuum, non carnis, non ſanguinis; ſed Naturæ, ſed communionis, ſed Gratiæ lege diſce diligere; inquit B. Laurent. Juſtinian. Tr. de Diſcipl. Monaſt.]

Tres conditiones Dilectionis Fraternæ.

3. Tertius iſte modus, tres Dilectionis fraternæ conditiones complectitur: oportet enim diligere Proximum, 1. *Verè ſine fictione*. 2. *Integrè*, *ſine exceptione*. 3. *Sanctè*, *ſine imperfectione*. Veritatem dilectionis docet Joannes 1. Epiſt. c. 3. *Filioli* (inquit) *non diligamus verbo*, *neque lingua*, *ſed opere & veritate*. D. Paulus Rom. 12. 9. *Dilectio* (ſit) *ſine ſimulatione*. Germana dilectio ſit in nobis non ficta, ſed ſincera; fraternam ſalutem quærens, nullum emolumentum expectans. 3. Integritas dilectionis in hoc ſtat, quod neminem excipiat, omnes enim homines cujuſcumque gradus complectitur diligendi præceptum. Illud notat D. Ambroſ. in Pſ. 118. *Latum mandatum tuum nimis*. D. Leo ſer. 1. de jejun. ſic ait: [Proximi nomine non tantùm intelligendi, qui nobis amicitia aut propinquitate junguntur; ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt; ſive illi hoſtes ſint, ſive ſocii, ſive liberi, ſive ſervi. Unus enim nos conditor finxit: unus nos Creator animavit; eodem cuncti cœlo & aere, iiſdem utimur diebus.] Sanctè diligere debemus, quia, ut ait D. Bernardus ſer. 50. in Cantic. [eſt Affectus, quem caro gignit, & eſt quem ratio regit, & eſt quem con-

condit ſapientia] Dilectio proximi debet à Deo oriri, per Deum regi, & in Deum dirigi.

Signa Charitatis Fraternæ.

[Numquam eſt Dei Amor otioſus (inquit D. Gregorius, hom. 30. in Evang. operatur enim magna ſi eſt, ſi verò operari renuit, amor non eſt] *Non poteſt* (inquit Auguſt. in Pſalm. 121.) *vacare Amor in anima amantis*. Hinc diſce quòd Amor naturam ignis actuoſi æmulatus, non poteſt con- 1 tineri, quin ſe aliquo ſigno vel effectu prodat. Siquidem, ut ajebat D. Gregor. hom. 35. in Evang. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*.

Triplici actu probatur Amor in Proximo, 1. *Corde*. 2. *Ore*. 3. *Opere*. Cordis Amor, eſt propenſio quædam animi, ejuſque complacentia in bonum illius quem diligimus. Cujus duo ſunt potiſſimùm effectus; ſcilicet Gaudere de bono ſeu commodo rei Amatæ & triſtari de ejus malo. Si vera ſit tua Proximi dilectio, his effectis illam probabis [Interroga cor tuum (ait Aug. in Pſ. 91.) vide utrum habeat Charitatem.] Linguæ amor duobus etiam effectis probatur, ſcilicet Afflictionum ſolatio, & Ignorantium eruditione. Operis vero dilectio ſeu Amor effectivus, Beneficentia & Eleemoſynæ largitione divulgatur.

Triplex Amoris Fraterni Signum.

Hæc & ſimilia Fraterni Amoris Argumenta nunc forent explicanda, ſed ne ab inſtituto noſtro, quod eſt Incitamenta & rationes quibus pulſentur Affectus præſcribere, nonnihil recedere videamur, fuſiorem de his Tractatum qui Promptuarium ſapit & ad Deliberativum genus ſpectat in alteram partem remittimus lib. 3. aliqua ſolùm capitatim & ſummariè hìc delibare ſatis fuit.

SECTIO II.

Amor Suiipſius.

QUOD Deum & proximum teneamus diligere, ſatis viſum eſt ſuperiùs, at Nos etiam inter diligenda recenſere debemus, quando quidem boni ratio in nobis elucet, Chriſtuſque Noſtri Amorem doceat eſſe menſuram dilectionis erga proximum exhibendæ. Sed hìc magna cautione opus eſt, ne à legitimo ad illegitimum delabamur affectum; nam, ut ait D. Bernardus ſerm. 50. in Cant. [Eſt Affectus, quem caro gignit, & eſt quem ratio regit, & eſt quem condit ſapientia.] Qui à carne ſuggeritur Amor, ille pravus eſt & pluribus malis infamis, qui verò ratione regitur & ſapientia conditur, ille optimus eſt; de utroque nonnulla attingimus.

De Amore Suiipſius legitimo.

R*ationes quibus ad Noſtri Amorem incitamur.*

1. Prima ex Chriſti præcepto deſumitur, quod licèt non diſertiſſi-

Rationes cur noſmetipſos benè amamus. 1. Præceptum Chriſti.

Qq

Digitized by Google

tiſſimis verbis, Amorem noſtri jubeat, ſufficienter innuit, dum ait: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Matth. 22. unde Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. ait, [Non eſt hìc dilectio tui prætermiſſa, dicitur enim ut diligas proximum tuum ſicut teipſum.]

2. Naturæ impulſus. 2. Naturæ inſtinctu ſollicitamur ut bonum nobis velimus. Ideo forſan affectus iſte domeſticum apud nos & eloquentiſſimum nactus patronum, non indiguit mandato, quo præciperetur aut ſuaderetur.

3. Similitudo Dei. 3. Similitudo & Imago Dei quæ in nobis ſplendet, nos etiam ad Noſtri amorem invitat. Clemens Alexand. adhort. ad Gent. [Eſt Dei Imago ejus Verbum Filius, verbi autem Imago eſt Homo] Atqui ex D. Thoma 1. p. q. 43. a. 5. Pater generat Verbum, non qualecumque, ſed ſpirans amorem, &c. Ita Imago divina quam in te agnoſcis, amorem in te ſpirare debet erga Deum tui Archetypum. D. Hilarius can. 23. in Matth. [Numiſma Cæſaris (inquit) in auro eſt, in quo eſt ejus Imago depicta: Dei autem Numiſma, Homo eſt, in quo eſt Dei Imago figurata.] Audi ergo Chriſtum ſciſcitantem, Matth. 22. *Cujus eſt Imago?* Paſchaſ. l. 10. in Matth. [Ipſe Chriſtus in illis hominibus, nihil magis quàm ſuam quærebat Imaginem.] O quàm timenda eſt quæſtio hæc (ait D. Bonav. ſer. 4. in Dom. 22. poſt Pentec.) quoniam in Judicio diligenter examinatur anima cujus Imaginem habeat, Dei, an Diaboli.

4. Dei opus. 4. Incitamentum eſt ad Noſtri amorem, quòd ſimus Dei opus. Greg. Nyſſ. Orat. Catech. c. 8. Hominem dicit [Pulchrum ac præclarum Dei opus, factumque ad ea, quæ ſunt pulcherrima atque optima.] Attende cum Tertulliano l. de Reſurr. car. c. 5. quòd Deus hominem cæteris Creaturis prætulerit ex ipſo formationis modo: Sic ille fatur [Magnæ ſine dubio differentiæ ratio, pro conditione ſcilicet rerum. Minora enim quæ fiebant, eo cui fiebant, ſiquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta ſunt: Meritò igitur ut Famula, juſſu & imperio & ſola vocali poteſtate proceſſerant: contra Homo, ut Dominus eorum, in hoc ab ipſo Deo extructus eſt, ut Dominus eſſe poſſet dum fit à Domino.]

5. Hominis dignitas. 5. Hinc novus dilectionis propriæ exurgit illex, nimirum ab Hominis dignitate. Ariſtot. l. 6. Ethic. c. 7. [Homo (inquit) eſt rerum quæ in mundo ſunt, una omnium præſtantiſſima.] Plato vocat, *Divinum Miraculum* 1. de leg. & in Timæo, *Animal Diviniſſimum*. Triſmeg. in Aſclep. *Animal honorandum & adorandum, hoc enim tranſit in naturam Dei, quaſi ſit ipſe Deus*. Sed his verius ait Pſaltes. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis*. Pſ. 8. D. Aug. l. 10. Civit. c. 12. [Omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum eſt Homo] Quidni igitur Homo ſeipſum diligat, cùm tantæ ſit nobilitatis quæ Creaturas omnes ſuperet?

6 Dei exemplum. 6. Attende quid Deus pro Homine fecerit, & videbis, quàm ipſe merearis à te diligi. Cœlum, Terram, cætera Elementa, Animalia, Angelos ipſos videtur Deus creaſſe propter hominem, de his enim dicitur Hebræor. 1. 14. *Omnes ſunt Adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi, propter*

pter eos qui hæreditatem capient Salutis. Omnes etiam Perfectiones ſuas impendit Deus, ut Homini (abſit à verbo blaſphemia) quaſi obſequantur; Poteſtate Hominem tuetur, Sapientia regit, Miſericordia levat, &c. [Tibi ergo Rex (inquit Chryſol. ſer. 23.) Tibi Sacerdos, Tibi Paſtor, Tibi Agnus, Tibi totum factus eſt, qui fecerat totum.] Alteram hæc verba indicant rationem quæ notet quanti Deus Hominem æſtimaverit; ſed quid ad rem dici poteſt aptius, quàm quod dicitur Joan. 13. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret?* Chryſoſt. homil. 26. in Joan. ita explicat, [Vox *Sic Deus dilexit Mundum*; immenſam Amoris ſignificat excellentiam.] Addo Euſeb. Emiſſ. hom. 20. de Sym. ſic loquutum, [Tam pretioſo munere ipſa Redemptio agitur, ut Homo Deum valere videatur.

Modus quo Homo ſe ipſum diligere debet.

Periculi plena eſt iſtius Quæſtionis ſolutio, quandoquidem in ſcelus facillimè prorumpit, qui ſe ipſum diligere præſumit. En quid hac de re ſenſerit Chriſtus Joan. 12. *Qui amat Animam ſuam perdet eam, & qui odit Animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Quæ ſic expenduntur à D. Auguſt. tract. 51. in Joan. [Magna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in vitam ſuam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si malè amaveris, tunc odiſti; ſi bene oderis, tunc amaſti; felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.] At quomodo id fieri debeat, accipe.

1. Suſpiciosus ſemper eſſe debet de carne affectus; periculum enim eſt, ne adverſus Deum inſurgat, & animam ad fœdas cupiditates deprimens, eidem defectionis impiæ ac iniquæ abjectionis ſcelus inurat. *Amor* (inquit Hugo Card. in c. 21. Prov.) *pondus animæ eſt, & ſi ponderat ſurſum, bonus eſt; ſi verò deorſum, malus*. Ergo ſi dubium fortè oboriatur, utri partium favere debeas, carni an ſpiritui ſeu rationi, poſteriori ſuffragare, priori ſemper adverſatus. D. Gregor. hom. 37. in Evang. ſic rem ſolvit. [Tunc enim (ait) bene noſtram animam odimus, cum ejus carnalibus deſideriis non acquieſcimus; cùm ejus appetitum frangimus, voluptatibus reluctamur; quæ enim contempta ad melius ducimus, quaſi per odium amamus.] *1. Suſpectus ſit Amor noſtri.*

2. Edomanda eſt caro & omnis appetitus qui carnem plus nimio ſapit cohibendus, immo nec audiendus, ſi quid contra Deum ſugeſſerit; nam, ut ait D. Chryſoſt. hom. 26. in Matth. [quos odio habemus, neque videre, neque eorum vocem audire æquo animo patimur; ita & anima ſi quid præter Dei voluntatem nobis imperat rejicienda eſt.] Ita nihilominus carni adverſemur, ut rationi, diſcretioni, prudentiorum conſilio, ac maximè Dei legibus conformetur odium, quod in carnem noſtram exercere ſuademur. *Cohibendus eſt.*

3. Spiritualia diligere debemus. 1. Quia terrenis & corporeis nobiliora ſunt; ideoque Paulus, Philipp. 3. 8. ea omnia detrimentum fecit & arbi- *3. Amore rerum ſpiritualium reprimendus.*

Qq 2 tratus

tratus eſt ut ſtercora. 2. Quia nobis à Deo ubique in Scripturis commendantur. 3. Quia ſuavia ſunt & ſolidam dulcedinem guſtantibus conferunt, in quo temporalibus bonis præſtant, nam, ut ait D. Greg. hom. 36. in Evang. [Delectationes Sæculi hujus, cùm non habentur excitant appetitum; habitæ verò nauſeam generant; at Spirituales, habitæ æſtimantur & excitant adhuc majorem ſitim ſui.] 4. Satiant animam, ex D. Bernardo in illud *Ecce nos Reliquimus omnia*, [Anima rationalis cæteris omnibus rebus, quæ ſcilicet non ſunt Deus occupari poteſt, repleri non poteſt.] Hujus rationem affert in Tract. de dilig. Deo. [Quia res aliæ præter Deum non ſunt naturales cibi Animæ: ut ſi quis crederet ſatiari ſe poſſe vento, ſtultus eſſet; inflari enim poteſt, ſatiari non poteſt. Satiamur illo cibo, de quo Chriſtus ait, Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*.] Idem ſentit Auguſt. dum in Soliloq. c. 3. ait, [Anima noſtra facta eſt capax Majeſtatis tuæ, ut à te ſolo, & à nullo alio impleri poſſit.] 6. Quia præmiis æternis compenſatur amor qui pro rebus ſpiritualibus ſuccenditur.

4. Amore ſalutis noſtræ excitandus.

4. Salus Animæ noſtræ, Amoris erga Noſmetipſos præcipuus effectus eſt. Titulum immo volumen integrum, niſi plura, deſideraret propoſitum iſtud, ſed noſter, inquam, non eſt iſte ſcopus Collectiones huc congerere, ſed ea tantùm deſignare capita quibus ejuſmodi Affectus proritetur de ſalutis cura, hæc occurrunt breviter deguſtanda. Triplicis boni ſpeciem præ ſe fert iſtud Salutis negotium, Honeſti, Utilis, & Facilis rationem complectitur. Vel 1. Nihil eſt Dignius, at nihil æſtimatur vilius. 2. Nihil eſt Utilius, at nihil tractatur negligentius. 3. Nihil eſt Facilius, at nihil obtinetur rarius. Dignitatem ſalutis repete ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt de Animæ Nobilitate, quæ penſanda eſt ex Dei commendatione, Creatione, Redemptione, &c. At heu quàm videtur Anima vileſcere aliquibus qui ejus ſalutem cæteris omnibus poſtponunt! Utilitas ſalutis æſtimanda eſt; tum ex Bono æterno quod inde comparatur; tum ex Malo infinito, quod inde præcavetur; tum ex Sapientiorum, ac ipſius Chriſti judicio, qui ſalutem propriæ vitæ anteponendam docuere. Facilitas denique in ſalutis negotio conſtare debet, ex eo quod Deus promittat ſubſidia, dein præmia, ac nulla obeſſe poſſunt impedimenta quæ non facilè poſſint ſuperari. Quid ergo deſpondes animo, Chriſtiane, dum de ſalute agitur? quid hæres ad difficultates quæ nullæ ſunt niſi in ſpecie? &c. Exere vires, attende ad intuentem te Deum: ſed quid ajo intuentem? adjuvantem volui dicere; nec juvantem modò, ſed præmia, coronas, &c. ſpondentem, mox daturum, &c.

S E-

SECTIO PRIMA.

De Amore Improbo.

MULTIS nominibus infamis eſt iſte affectus, cui Nequitia titulum improbi inſcripſit; atque iterum eò perniciofior eſt, quò in infinitos paris iniquitatis fœtus diffunditur. Vipeream progeniem duobus capitibus Amoris pravi partubus hic exhibeo, ut inde habeat Orator quod inſequi poſſit, atque ab Auditorum cordibus diſpellere. Primus eſt Amor Proprius, ſeu Sui ipſius. Alter eſt Amor Mundi ſeu Terrenus.

§. 1.

De Amore ſui Pravo.

R*Ationes ob quas odio eſt habendus Amor proprius.*

1. Infinitorum malorum eſt origo. Enumerantur ab Aug. lib. 22. Civit. c. 22. [Mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, atque immunditiæ, quas turpe eſt dicere.] [Tolle propriam voluntatem, ait alicubi D. Bernardus, & ſuſtuliſti Infernum;] quaſi diceret mellifluus Doctor, quòd Amor Noſtri pravus ſuggerit igni æterno pabulum, hic verò ſit illius deſtinatum ſupplicium. *1. Eſt plurimorum malorum ſeminarium.*

2. Amor Proprius excæcat mentem, quia ſcilicet cùm mens humana eò abducatur ut plurimùm quò per ſenſum carneum pellicitur, nempe ob utriuſque vicinitatem & (ut ita dicam) corradicationem, quæ hujus ad illam defectus & contagia tranſmittit; hinc etiam ejuſdem caligines quæ carnis ſunt propriæ, fiunt menti communes, quibus intellectus obtenebratur. Huc fortaſſe ſpectat illud Pſ. 57. 9. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* *2. Excæcat mentem.*

3. Idololatræ ſcelus imitatur Amor iſte nequam; ratio eſt quia cùm Deus ſit omnium rerum finis ultimus, in quem creata ſingula tendere penitus debent; hanc Deo gloriam ſurripere tentat Amor proprius, qui hominem Dei loco ſubſtituit, ac Creaturæ honorem conferre nititur, qui ſoli debetur Creatori. Unde ab Auguſtino dictum eſt ſupra, quòd Amor ille noſtri veſanus eò audaciæ progrederetur, ut contemptum Dei conaretur aſtruere. Idololatriam dixi ſcelus iſtud cum Tertulliano lib. de Idol. c. 1 *Principale crimen generis humani* (ait) *ſummus ſæculi reatus, tota cauſa* *3. Eſt idololatria.*

ſa Judicit, *Idololatria*. Deinde. *Sine dubio Idololatriam admittit*, *quicumque delinquit*; *id enim facit quod ad Idolorum mancipes pertinet*.

4. Eſt turpis. 4. Deformis eſt omnino Amor proprius, qui nonniſi de rebus infimi ordinis ac ſordidioris ſtatus; qualia ſunt terrena, corporea, &c. cogitat; ac eandem vilitatem ipſis etiam pravis Amatoribus inducit. De his Oſee 9. 10. *Facti ſunt abominabiles*, *ſicut ea quæ dilexerunt*.

5. Cruciat. 5. Torquet ac vehementer cruciat iſte affectus pravus. Neſcio an ſit aliquod ſupplicium majus quo peccator affici queat, quàm ut perverſis Amoris proprii cupiditatibus cruciandus permittatur. Unde Apoſtolus Irati Numinis ultrices pœnas adverſus impios decernentis, ait Rom. 1.24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, &c. Deinde, *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*, &c. [Ita ſit juſto Judicio, inquit Auguſtinus, ut omnis inordinatus appetitus ſupplicium ſibi ſit & pœna.]

6 Prohibetur à Deo. 6. Denique Odio habendus eſt iſte amor noſtri pravus ex ipſo Dei præcepto, quo jubemur domeſticum hoſtem perdere ne perdamus. Joan. 12. *Qui amat animam ſuam perdet eam*, *& qui odit animam ſuam in hoc mundo*, *in vitam æternam cuſtodit eam*. Atque in eundem ſenſum multoties ſuademur, veterem hominem, carnem noſtram, concupiſcentias noſtras, &c. mortificare, crucifigere, extinguere.

Ex his collige, quòd Amor Proprius ſit tribus maximè capitibus reprobandus. 1. Ob Impietatem, quia Dei hoſtis eſt, & Deum ipſum, ipſius gloriam, leges, Regnum & ſubditos perdere ſatagit. 2. Ob Indignitatem, quia Hominem ad majora natum, ad vilia deprimit, & terrenis, luteis, ac ſordidiſſimis rebus mancipat. 3. Ob damna & incommoda, quia perverſè amantem torquet, concupiſcentiæ deſideriis, conſcientiæ ſtimulis, rerum obtinendarum difficultatibus, poſſeſſarum curis, ac tandem Juſtitiæ Divinæ ſuppliciis addicit.

Remedia Pravi Amoris. Ex his iterum intellige, Remedium quibus Amori proprio medearis: Efficaciſſimum enim erit medicamentum, ſi malæ Cupiditatis conditiones mox enumeratæ ponderentur. Deinde conſulatur Sectio 3 proximè ſuperior, ibi habetur forma dilectionis legitimæ quam nobis exhibere poſſumus; ſcilicet, 1. à Deo debet oriri ejuſmodi propria dilectio, hoc eſt, quatenus eam Deus præcepit & rationes appetitum moventes indidit nobis. Secundum Deum debet dirigi, id eſt, non contra Dei placita, ſed juxta ipſius leges. 3. in Deum ut finem debet ordinari, & ad illius gloriam ſpectare. Unde etiam rejiciendus Amor noſtri pravus, quia non habet 1. Deum pro principio; 2. Deum pro Regula. 3. Deum pro fine.

De

§. 2.

De Amore Mundano.

R*Ationes quibus Amor Mundanus extinguitur.*

Odium Amoris Mundani excitandum. 1. Quia prohibetur à Deo.

1. Amor mundanus prohibetur à Deo. 1. Epiſt. Joan. 2. *Nolite diligere Mundum, neque ea quæ ſunt in Mundo.* Tertull. l. 4. adv. Marc. c. 39. [Succingere debemus lumbos, id eſt, expediti eſſe ab impedimentis laciniofæ vitæ & implicitæ.]

2. Quia divinum Amorem impedit.

2. Amor Mundi Amorem Divinum impedit. *Nemo quippe poteſt duobus Dominis ſervire,* &c. Et, *Amicitia hujus Mundi inimica eſt Dei.* D. Auguſt. tract. 2. in 1. Joan. [Duo ſunt Amores, Mundi & Dei; ſi Mundi amor habitet, non eſt quò intret Amor Dei. Melior accipiat locum; amabas mundum, noli amare mundum; cùm exhauſeris cor tuum Amore terreno, hauries Amorem Divinum, & incipiet habitare Charitas, *&c.*] Idem lib. 50. homil. hom. 37. [Eſt Amor utilis & Amor noxius; Amor Amore impeditur; Amor noxius ſecedat, & Amor utilis ſuccedat; ſed quia homines nolunt illum recedere, ideo non poteſt alius introire, *&c.*]

3. Eſt ſuorum Proditor.

3. Amor Mundi eſt ſui Amatorum proditor, ille enim non ſecus ac perfidus diſcipulus, ait: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Matth. 26. Hoc ſcilicet ſignum dat ſuis ſatellitibus, nempe cupiditatibus improbis, ut eum apprehendant & torqueant, quem majore gratia fuerit in ſpecie proſequutus. Unde à Tertulliano res mundanæ appellantur, *Rerum fallaciæ, ſæculi retia.* In Scorp. c. 6. Ambroſius lib. de bono mort. c. 5. Mundum his coloribus pingit. [Eſt laqueus in auro (inquit) viſcum in argento, nexus in prædio, clavus in amore: Clavi ſunt omnes paſſiones, quæ veru quodam animam noſtram penetrant, & infigunt corpori, viſceribuſque ejus annectunt.]

4. Multorum naufragio eſt infamis.

4. Periculoſiſſimus igitur eſt Mundus & naufragiis famoſus. *Qui amat periculum* (inquit Eccleſ. c. 3. 27. *in illo peribit.* D. Auguſt. ad propoſitum noſtrum ſcribit, [Ama ſæculum & abſorbebit te, amatores vorare novit, non portare.] [Utinam (inquit Tertullianus lib. de ſpectac. c. 15.) ne in ſæculo quidem ſimul cum illis moraremur; ſed tamen in ſæcularibus ſeparamus, quia ſæculum Dei eſt; ſæcularia autem ſunt Diaboli.]

5. Eſt Inconſtans, & deformis.

5. Inconſtans eſt & vento ac rota mobilior Mundus, numquam enim in eodem ſtatu permanet; alter mane, ſero alter: & quem priùs ad ſupremum fortunæ apicem evexerat, mox ad infimos & pudendos gradus deprimit.

6. Plurium damnorum eſt Author.

6. Prætereo Anxietates, Curas, Vigilias, Dolores, aliaque ſimilia quibus Amatores ſuos vexare ſolet Mundus, hæc enim abundè in locis Communibus hac de re collectis, ac in SS. Patrum libris explicantur; ſat

Digitized by Google

ſat mihi eſt, indicaſſe præcipua capita, quibus Orator poſſit diſſuadere Mundi Amorem; Quis enim diligat fortunæ ſtatum, quem noverit non poſſe, 1. Comparari niſi cum maximis laboribus. 2. Conſervari, niſi cum maximis anxietudinibus, inſidiis & periculis, *&c.* 3. Amitti ſine doloribus maximis? Ille Affectus amantem 1. deprimit. 2. Prodit. 3. Cruciat: habet 1. Deum hoſtem. 2. Homines æmulos. 3. Dæmones Tyrannos, *&c.* Paragraphum claudam Tertulliani ſententia, qui lib. 2. ad uxor. c. 6. ſic ait: ***Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata, alterandæ ſaluti à Malo immiſſa.*** Et L. ad Mart. c. 2. ***Negotiatio eſt*** (inquit) ***aliquid amittere, ut majora lucreris.***

PUNCTUM II.

De odio bono & malo.

Odium legitimum. DE Odii Natura, Cauſis, Incitamentis, remediis & Effectibus in genere dictum eſt in præcedenti capite, quantùm Eccleſiaſtę ſufficere viſum fuit. Quod verò ad ſpeciale propoſitum nunc ſupereſſet expendendum, vel ex præfatis, vel ex alibi tractandis facile eſt exquiſitu. Illud igitur compendioſè tantùm annotabo.

Duplici ratione ſpectari poteſt iſte Odii affectus, ſicut & quilibet alter animæ motus, qui Bonitatis ſcilicet aut pravitatis vultum induit, prout Odium Malum. rectitudini debitæ conformatur, vel ab eadem declinat; Odium aliud eſt Bonum & ſuadendum, aliud Malum & diſſuadendum. Odium legitimum adverſus triplex objectum inſurgit, ***Mundum***, ***Peccatum***, & ***Noſmetipſos***. Quomodo Mundum ac Noſmetipſos Odio habere debeamus, mox dictum eſt, cùm utrumque Amorem ſuperiori ſectione improbavimus. De Odio Peccati dicetur, cùm res erit de Fuga, artic. ſeq. ſect. 2. Odium vero Nequam, circa triplex objectum verſari poſſe, aut dicitur aut fingitur; nempe ***Deum***, ***Noſmetipſos***, & ***Proximum***. Deum nemo poteſt (ni fallor) Odio habere niſi fuerit perditiſſimæ mentis, quales ſunt Dæmones, Damnati, & fortè deſperati. Quis enim ſummum & unicum bonum odiſſe queat, niſi ſub falſiſſima mali ſpecie quæ illi perperam attribuitur? ſic Impii & ſceleſtiſſimi dicuntur Odio habere Deum, quatenus norunt Juſtum iniquitatis vindicem futurum, & virtutis quæ nequitiæ adverſatur præceptorem. Ita in hunc ſenſum explicatur quod dicitur Pſ. 13. 1. *Dixit Inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* At ſi fortaſſe Chriſtianus aliquis frigeret ad Deum & Divina, poſſet ille ſuccendi per rationes ſuperiùs ad utrumque affectum excitandum adductas, hoc eodem cap. art. 1. ſect. 1. Ideoque maxima cura enitendum eſt ut extinguatur per oppoſiti motus argumenta. Neſcio etiam an reperiatur aliquis ita ſui inimicus, ut ſemetipſum Odiſſe dicatur, cùm liqueat omnes plus nimio ſui amantes eſſe, & neminem ſibi poſſe velle malum quatenus

malum

malum eſt, aut mali ſpeciem præſefert. Verum quidem ſit, quòd plures boni aut mali ſpecie deludantur, eam ob rem Peccatores mendaci bonitatis opinione decepti ad pejora ruunt. Ex Scripturæ teſtimonio Pſ. 10. 6. *Qui diligit iniquitatem Odit Animam ſuam.* Supereſt ergo ut Odium exerceatur aut circa peccatum, jure quidem & merito; aut circa proximum, ſed injuſtè ſemper & contra Dei leges, ac ſalutis bonum, quocumque juſtitiæ colore prætexetur. Odium Peccati ſuccendere debet Orator ſacer, qua ratione id efficiet oſtendetur ſequente Artic. Sect. de Fuga; & Parte, 2. l. 3. Odium verò Proximi totis viribus extinguere ſatagat Eccleſiaſtes: quomodo illud aſſequentur, liquidum fiet poſtea art. 5. de Ira. Atque etiam 2. Part. l. 3. ubi de Suaſionis artificio.

ARTICULUS II.

De Deſiderio & Fuga.

SECTIO PRIMA.

De Deſiderio bono & malo.

DESIDERIUM ex Greg. Nyſſeno l. de Reſurr. & Anima, eſt *Appetitus boni futuri nondum obtenti*, vel, eſt Appetitus fruendæ voluptatis, qui cùm poſſit eſſe modò bonus, modò malus, conſtituit deſideriorum duas claſſes, prior legitima deſideria, poſterior illicita complectitur. Utraque cum ſuis etiam ſpeciebus hic breviter exhibeo.

I. Deſiderium legitimum eſt quod in bonum futurum fertur, atque tria potiſſimùm concupiſcit, quæ ſe invicem conſequuntur; nimirum, ſalutis opus, virtutum praxim, & beatitudinis æternæ præmium. De ſalute, quanti ſit facienda, mox ſupra diximus, cùm de Amore Noſtri legitimo ageretur Sect. 3. Art. 1. hujus capitis: ubi etiam notavimus incitamenta quæ Amorem rerum ſpiritualium ſuadere poſſint. De virtutum ſeu bonorum operum Deſiderio, alterius eſt inſtituti Locos Communes aperire unde poſſit excitari, aliquas tantùm rationes in hunc finem deguſtandas profero. Appetitus igitur ille his aut ſimilibus commodis à virtutum praxi profluentibus poterit ſuccendi. 1. Pacem conciliat homini virtuoſo, cujus Conſcientia Paradiſi tranquillitatem imitatur. 2. Deum hoſpitem invitat, pacificum enim locum ille ſeligit. 3. Angelos ſpectatores & fortaſſe æmulos ad admirationem provocat: ſtupent enim illi ac mirantur, dum virtuoſum cum vitiis decertantem, ac de his triumphantem intuentur; immo ſi aliquid nobis invidere poſſent, illud eſſet virtutis exercitium, quod illi, carentes carne & occaſionibus, præſtare nequeunt, indeque Deo novum Amoris ſpecimen exhibere. 4. Virtus

Deſiderium legitimum circa tria verſatur.

Rationes quibus virtutis Deſiderium incendatur.

Deo ſimiles nos efficit, Imago enim Dei dicitur homini impreſſa ex Dotibus Naturæ, Similitudo verò, Gratiæ & virtutis Donum eſt ac opus. 5. Præmium conſequitur virtutum praxim, hominibus quidem virtuoſum remunerantibus ex ipſa glorioſi nominis fama, ſed Deò liberaliùs & nobiliùs compenſante, tum in hac vita plurimis Benedictionibus, tum in altera æternis deliciis. 6. Ne quis deſpondeat animo, ſi virtutis exercitium difficultates aliquas præ ſe ferat, quibus terrentur formidoloſiores; hæ enim gratiarum ſubſidio facillimè ſuperantur, & ſanè ſi ſuperſit aliquid quod moleſtiam creet, ferendum eſt, quia cœlo compenſabitur. *Delectet mentem* (inquit D. Greg. hom. 37. in Evang.) *magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum*. 7. His adde Chriſti & Sanctorum exempla, quibus ad Pietatis opera efficaciſſimè provocamur. Virtutis ergo Exercitium, commendatur 1. *Honeſtate*. 2. *Utilitate*. 3. *Facilitate*. Hujus praxim Deus 1. Præcipit *Verbo*. 2. Suadet *Exemplo*. 3. Firmat *Præmio*. Quod de Beatitudinis Deſiderio foret hìc dicendum, videtur commodius in Art. 4. de Spe remittendum.

Rationes contra Deſideria Carnis & Voluptatum.

II. Concupiſcentia in genere, eſt ipſe Appetitus ſentiens, quatenus ad prava deſideria & in affectus carnis inclinatur; domeſtici diſſidii, & continuæ intra nos diſſentionis fomes eſt ac ſeminarium. Tot experitur pravitatis vindices ac punitores quot ea de re Doctores ſacri ſcripſerunt. Ex his pauca decerpimus unde ipſius Odium ſuaderi poſſit. 1. Concupiſcentia dicitur ſparſim Peccatum, non quòd ipſa peccatum ſit in Baptizatis, quia involuntaria eſt, & in ipſis etiam juſtis poſt baptiſmum relinquitur; ſed quia à peccato, nempe Originali, nata, peccatorum omnium parens eſt. Ab illa, homo dicitur Terrenus, primus Adam, corruptus, malus, *&c.* [Vitium enim (inquit Auguſtinus tract. de 7. Vitiis) eſt corruptio naturalis affectus præter ordinem & extra menſuram; hoc verò, cùm per conſenſum recipitur peccatum eſt; ſentire autem ſolùm ſine conſenſu, *pœna eſt*, *non culpa*.] 2. Hominem in tot beſtiarum formas transmutat Concupiſcentia, quot ſunt appetitus ſentientis motus, Brutis ac hominibus communes; de Irato facit Leonem, de fraudulento Vulpem, de Voluptuario Suem, *&c.* unde dicitur Pſ. 48. 13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt Jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Heu! non te pudet Imagini Dei qua inſigniris & præſtas, deformem Brutorum inſipientium ſpeciem ſuperinducere? 3. Ne excuſationem prætexas ex neceſſitate, quaſi Concupiſcentiæ nequeas reſiſtere; falſa eſt enim adductæ excuſationis ratio. Ita Deus monet Geneſ. 4. *Sub te erit Appetitus tuus & tu dominaberis illius*. Tibi ergo imputa ſi te Appetitus ille ſubigat, hujus enim potes ratione & gratia ſemper adjuvante illicitos motus edomare. Nec etiam favere credas quod à Paulo dicitur Roman. 7. *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio*. num. 15. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*. num. 23.

num. 23. Hæc enim verba & his ſimilia importunam Concupiſcentiæ ſuggeſtionem indicant, non verò libertatis ſubactionem; quæ quidem ab hoſpite nequam tentatur nolens, ſed non ſuperatur niſi volens. 4. Inſta ergo, & ſi ſapueris, toto conatu comprime carnalem Appetitum, tot malorum fomitem. Ita Paulus docet Epiſt. ad Titum c. 2. num. 12. *Abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & juſtè & piè vivamus, &c.* Hinc diſce triplicem Chriſtiani ſtatus perfectionem, *Pietatem, Juſtitiam & Sobrietatem*; *Eſto Pius erga Deum, Juſtus erga proximum, Sobrius erga teipſum*. 5. Quàm felix ille qui didicit Cupiditatem frænare! *Unuſquiſque* (ait Jacobus cap. 1.) *tentatur, à Concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. Et cap. 4. *Unde bella & lites in vobis? nonne ex Concupiſcentiis veſtris?* Veriſſimum certe iſtud monitum comperimus, ſed inde ſtimulamur ut extinctione hoſtis multiplicis pacem nobis conciliemus. *Non ergo* (ait Paulus Rom. 6. 12.) *regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Ubi hæc advertit Auguſtinus Conc. 27. in Pſal. 118. [Non dixit Paulus, non ſit, ſed ne regnet. Ineſt peccatum cùm delectaris; regnat, ſi conſenſeris.] Quòd ſi ex Cupiditatis comprimendæ ſtudio velis Concionem inſtituere, poteris præfatas rationes aliaſque ab Authoribus adductas tribus capitibus colligere, ut dicas: Qui cupiditatem moderari & frænare didicit, ille eſt 1. *Chriſtianus*. 2. *Angelus*. 3. *Deus*. Chriſtianus, qui lege Chriſti legem Carnis domat. Angelus, qui in carne non ſecundùm carnem ambulans, Angelorum vitam imitatur. Deus, cujus Imago in hoc ſtat, ſecundùm Interpretes, quòd Homo ſit factus ut *præſit* Beſtiis, *&c.* ideſt Concupiſcentiis. Contra verò qui Appetitui ſervit, devolvitur 1. *Ad Impietatem Pagani*. 2. *Ad Vilitatem Bruti*. 3. *Ad Malitiam Dæmonis*; niſi (ut ait) Chryſoſtomus fiat his deterior. Conſulantur quæ dicta ſunt ſuperiùs de Amore Improbo.

III. Avaritia, pravus eſt pravæ parentis, ideſt Concupiſcentiæ, fœtus, immoderato affectu terrena deſiderat, iiſque præter Dei ac rationis leges addicitur. His aut ſimilibus rationibus poteſt comprimi. I. à Scriptura dicitur Mammona iniquitatis, Matth. 6. 24. & Luc. 16. 9. 11. 13. Item Epheſ. 5. 5. *Avarus, quod eſt Idolorum ſervitus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. Cur autem Idololatræ ſcelere infamatur Avarus? ob eam fortè rationem, quia huic peſſimæ cupiditati immolat tres victimas, quas Deo ſurripit, ſcilicet *Naturæ Dotes*, *Gratiæ Dona*, *Gloriæ præmia*. Sacerdos igitur execrandi ſacrificii eſt ipſe Avarus; Idolum, Divitiæ ſunt vel Divitiarum iniquus dominus Dæmon; Cor avari videtur Altaris vices ſubire, ibi viduæ, ibi pupilli, pauperes ibi, *&c.* jugulantur ut Idolo fiat ſatis. Aliunde, à D. Paulo 1. Timot. 6. 10. dicitur, *Radix omnium malorum Cupiditas*, fortaſſe ob tres cauſas quæ à ſimilitudine quam cum radice habet ille Affectus: Radix enim occulitur terra, ipſi profundiùs inhæret, ac humorem ſugit ex quo rami ſuccreſcunt.

Rationes contra Divitiarum cupidos.

ſcunt. Ita Cupiditas, 1. *Occultatur*, hanc enim nemo fatetur, cùm de cæteris vitiis fortaſſe glorietur. 2. *Tenaciùs cordi adhæret*, cùmque alia vitia ceſſent, aut tempore, ut Libido, aut ſatietate, ut Gula, *&c.* Cupiditas numquam dicit ſatis & in ſenioribus ſemimortuis vividior eſt. 3. *Omnibus vitiis pabulum* alit occaſionem ſuggerit Cupiditas, quique illa incenſus eſt, ad omne flagitium perpetrandum præparatur: fraudes, perjuria, homicidia, ſacrilegia, & quodcumque aliud ſcelus admittere cupit qui Cupiditatis affectum admiſit. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli & in deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*, ait Paulus loco citato. Plura Scripturæ S. teſtimonia non profero. quia occurrunt minùs diligenti, rationes tantùm delibo quibus Avaritia expugnetur. II. Deprimit animam. Habet hoc commune cum cæteris Affectibus vilioribus Cupiditas, ut Amantem in res indignas Amoris efficacia tranformet, unuſquiſque enim fit illud quod amat. III. Inconſtantes Divitiæ, quæ invitis elabuntur, probos deſerunt, Impiorum ſunt ferè portio; ſed perpetuo & frequentiſſimo fluxu ab illis ad hos, & ab his ad illos deſiliunt; quid tu conſtantiſſimo ſed inſipientiſſimo ſectaris affectu? IV. Torquent, niſi id propria experientia didiceris, Divitiæ, ſeu deſideratæ, ſeu poſſeſſæ, ſeu deperditæ. Num vidiſti Avarum, 1. quantis curis ac laboribus divitias corrogare ſatagat? 2. Quantis timoribus invigilet, ne corrogatas amittat? 3. Quantis denique doloribus ac lachrymis deperditas & raptas defleat? Ergone tantis Cruciatibus te permittere non formidabis, imò deſiderabis? V. Ex Avaritia Cor excæcatur & induratur, quia cùm fiat quiſque quodcumque amat & Amoris efficacia tranſmutetur in eadem quæ diligit, ac iiſdem teneatur illigatus; ne mireris ſi Avarus Cordis cæcitatem duritiemque ſugat ex terrenis quæ vehementiùs diligit. Ea eſt enim Cupiditatis virtus, ut Cor Avari transferat & tranſformet in Theſauri ſtuporem. VI. An fortaſſe putas Avarum de Salute & de Beatitudine eſſe ſollicitum? Nequaquam, ſed tot catenis quot cupiditatis vinculis conſtrictus; totidem ponderibus depreſſus, totidemque oppoſitis affectibus diſtractus, à Terra ne modico quidem ſpatio ſolvere poteſt ut verſus cœlum enaviget; nec de æternis bonis vel minimum cogitabit, qui Temporalibus curis implexus immergitur. Heu quàm damnoſum, ſed frequentiſſimum, ſed pernicioſiſſimum impedimentum! VII. Avarum fortaſſe putas, poſſe precibus conſequi cœlum, quod operibus adipiſci non curat? Falleris. Cedo enim quòd de precibus aliquando cogitet (quamquam & iſtud quoque diffitear:) At eſto id per infinitas occupationum diſtractiones præſtare queat: Exauditionis ſibi viam ille præcluſit, plurimis rebus, ſed maximè crudeli ad pauperes levandos duritie. Job. 27. *Numquid audiet Deus clamorem illius, cùm venerit ſuper eum anguſtia?* Hunc profecto non audiet Chriſtus rogantem, qui Chriſtum in paupere rogante non audiit.

Plu-

Pluribus non inſector Divitiarum Cupiditatem, habes enim ex Locis Communibus Theologicis, Argumenta infinita quibus veſanum hunc Affectum impugnes: præfatis tantùm addo Partitiones quibus Concionem in hoc propoſitum poſſis inſtituere. Notavi ſuperiùs quòd *Avaritia tres victimas Diabolo immolat*, 1. *Naturam*. 2. *Gratiam*. 3. *& Gloriam:* immutato nonnihil ſenſu dicere poteris, quòd his tribus ſit admodum injurioſus. 1. *Naturam offendit*, quia hujus Dignitatem ad terrenarum vilitatem deprimit. 2. *Gratiam lædit*, quia ejus myſteria prophanat, ut cupiditatem expleat; Vide quid fecerit Judas, quid Simon, quid faciant Avari Myſteriorum diſpenſatores. 3. *In Gloriam delinquit*, quia ejus Divitias contemnit, ac comparatione cum his ſordibus facta, illam his poſtponit. Dixi etiam quòd tribus damnis afficiantur *Avari; Cruciantur* in Divitiarum, 1. *Aquiſitione*. 2. *Poſſeſſione*. 3. *Amiſſione*. Adjice, quòd Avaritia *Noceat* 1. *Avaro*. 2 *Proximo*. 3. *Mundo*, ſeu Reipublicæ cujus bona communia in privati hominis commodum ſingulare transfert. Item, *Avaritia*, præcipuas *Dei* Perfectiones *offendit*, 1. *Poteſtatem*, cujus donis abutitur. 2. *Juſtitiam*, cujus ſapientiſſimum ordinem invertit. 3. *Bonitatem*, cujus largitiones improbare videtur, dum iiſdem modum ponere attentat; Item, 1. *Homini nocet*. 2. *Deo diſplicet*. 3. *Diabolo placet*, quia divitiis irretitos homines ſuæ perditionis ſocios facillimè reddit. Item Partitio poteſt inſtrui ex Cauſis ſeu occaſionibus quæ Avaritiæ obſequuntur. Tres Parentes Avaritiæ natalibus obſtetricantur. 1. *Error*, ſeu falſa opinio de rebus terrenis. 2. *Ambitio*, quæ propriam cupidi vel ejus filiorum elevationem molitur. 3. *Metus*, ſeu Formido, quæ injurioſa Providentiæ divinæ diffidentia, timet ne in neceſſariis aliquid ipſi deſit. Item, Avarus *Hydropi* plurimùm ſimilis eſt; ut enim in iſto, ita in illo ſunt, 1. *Tumor*, quia extraneis alimentis inflatur potiùs quàm nutritur. 2. *Sitis*, quia nuſquam ſatiatur cupiditas, vel potus, vel divitiarum. 3. *Frigus*, quia in Hydrope calor naturalis, in Avaro Charitas extinguitur. Remedia ſunt, 1. *Mortis incertitudo: Facile enim* (ait D. Hieronymus) *contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe moriturum*. Et Luc. 12. dicitur, *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te*, &c. 2. *Judicii ſeveritas*, quæ coget avaros rationem reddere de rebus poſſeſſis. *Væ vobis qui opulenti eſtis*, &c. Amos 6. 3. *Inferni acerbitas*, quæ Avarum cruciatum in tormentis ne quidem una aquæ gutta recreat. Heu! miſer ille qui dum eſſet in divitiis non viderat, *vidit*, hoc eſt advertit, dum eſſet in Tormentis. Hæc inquam & ſimilia ſi ſeriò conſiderentur, Avaritiæ deſiderium refrigeſcent.

Concionum Partitiones contra Avaritiam.

IV. Ambitio concupiſcere poteſt aut divina, quales ſunt Prælaturæ, aut Civilia & ſæcularia, quales ſunt Honores, Dignitates, *&c.* Utramque extinguere nitimur.

Rationes contra cupidiores Prælaturarum.

Ambitio de rebus ſacris, poteſt impugnari ſequentibus rationibus. 1. Cur contra monitum Apoſtolicum, non vocatus, honorem tibi aſſumis?

Digitized by Google

mis? Hebr. 5. Præſumptio eſt & temeritas, te his dignum cenſere, & ejuſmodi Prælaturas, quibus fortaſſe es minùs idoneus, invadere. 2. Patrum omnium calculo improbatur hæc Cupiditas, quæ onus Angelicis humeris formidandum, tuo collo imponit. 3. Heu quot & quantis peccatis & periculis obnoxius eſt iſte appetitus! ſcelera omnia patrare paratus eſt qui ſuperbiæ faſtu æſtuat. 4. Quis neſcit quot hæreſes, ſchiſmata, & ſimiles ab Eccleſia defectiones peperit flagrans Dignitatum Eccleſiaſticarum deſiderium? 5. Mirabile eſt (inquit D. Chryſoſtomus Hom. 34. in Epiſt. ad Hebr.) ſi ſalventur multi Prælatorum, non verò ſi plures damnentur. Notiſſimum eſt quod de Pontificibus quibuſdam ſcribitur, qui morti proximi maluiſſent infimum inter Capuccinos gradum occupaſſe, quàm ſupremos Eccleſiæ apices. Heu! inquiebat aliquis poſt mortem ad modicum temporis redux, ſi non fuiſſem de numero Prælatorum, non eſſem de numero Damnatorum. 6. Quid ad hæc audita ſentis, Prælaturarum avide? Bonum Opus (inquis) deſidero. Verum ſit, quod ab Apoſtolo dictum eſt; ſed tunc dictum ſcito, cùm capite, & ſanguine venibant Inſulæ: an tu eodem pretio eas vis emere? tunc dictum ſcito, cùm conſtabant, non precibus, pecuniis, cognationibus, favoribus, emendicationibus, *&c.* ſed vel Spiritus ſancti deſignatione, vel populorum ſuffragiis nolentes etiam ac fugientes cogentibus ad Antiſtitum gradus. Verum (inquam) eſto; iſtud eſſe optimum de ſe opus, vix enim aliquid majus in terris novi, ſed non propterea minùs periculoſum, immo præcipitio vicinius, quò altius. 7. Quæris fortaſſe unde tantum in Prælaturis gerendis diſcrimen? Pauli Oraculum excipe Hebræ. 13. 17. *Ipſi* (Prælati, Superiores, *&c.*) *pervigilant, quaſi rationem pro animabus* commiſſis *reddituri*. Non expaveſcis ad ejuſmodi tonitru? pro anima propria rationem reddere non poteris, unum pro mille, & ambis curam Animarum Chriſti ſanguine redemptarum, pro quibus (nulla excepta) rationem reddere teneberis ad extremum uſque quadrantem, eritque anima tua pro anima illius qui tua negligentia perierit: quique privatus ſalvari poteras, quique pro temetipſo aliunde feciſti fortaſſe Deo ſatis, Prælatus verò pro Grege tibi commiſſo non ſatis feciſti, nec omnem ſollicitudinem impendiſti, ne quid ejus periret; num ſalvaberis? 8. Taceo quòd ad Eccleſiæ faſtigium evectus plures experieris adverſarios; ſeu ex iis qui tuam tibi invidebunt dignitatem, quique cùm te amaſſent parem, oderunt Superiorem; ſeu ex iis quos ex officio reprehendere debebis. Taceo etiam quòd defectus qui in privato latebant, obſervabuntur in Prælato, de quo illud ſymbolum Soli ecclypſim patienti adſcriptum dici poteſt: *Spectatores non habet niſi cùm deficit*. Non advertunt quippe homines quot & quanta beneficia quotidie in ipſos conferat, defectui tantùm addicuntur, ut notent. Ita ſe res habet in Prælato etiam actuoſiſſimo, &c. Mitto iſta & ejuſmodi plurima quę Dignitatis ſacræ deſiderium extinguere poſſent ſi ponderarentur. 9. Ultimam adjicio rationem quæ ab exemplo ſanctiorum & ſapientiorum petitur, hi ſcilicet toto conatu

natu Eccleſiaſticos Apices fugere; hos imitare, nempe Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Martinum, Gregorium, Malachiam, qui nulli rei pepercere ut Prælaturas declinarent. Ad Concionis Partitiones poteris dicere. Prælatura, 1. *Nihil eſt Dignius.* 2. *Nihil Difficilius.* 3. *Nihil periculoſius.* Item, qui Præfecturas ſacras ambit, *Peccat* 1. *Contra Dei ſapientiam*, cujus eſt vocare idoneos miniſtros. 2. *Contra Dei Majeſtatem*, cujus Altitudinem inſtar Luciferi conatur uſurpare. 3. *Contra Dei Sanctitatem*, quæ ab indignis miniſtris apud prophanos ſcandalum patitur, nam, ut ait Salvianus, [Æſtimatur Chriſtus ab iis à quibus colitur.] Ejuſmodi deſiderium oritur à tribus perverſiſſimis parentibus, 1. *A Superbia*, cui famulantur præſumptio, inſipientia, &c. 2. *A Cupiditate*, augendæ rei familiaris, pecuniarum, &c. Sunt enim, qui (ut ait D. Ildephonſus ſer. 1. de Aſſump.) *ſuis muneribus prophetant*. Quibus etiam exprobari poſſit quod Tertullianus l. 1. ad Nat. cap. 10. *Venditis totam Divinitatem*. 3. *Ab Acedia*, quæ ſibi de otioſa vita adulatur, hæcque cauſa aſſignatur à D. Bernardo, cur Lucifer concupierit ſuper Aſtra conſcendere, nimirum ut requieſceret. Concionum Partiones.

Cupiditas honorum ſeu cujuſcumque ſublimitatis deſiderium, tribus rationibus præcipuis vituperari poteſt, ut ejus Affectus ſedetur. Ambitioſus ſcilicet, eſt 1. *Cæcus*. 2. *Injuſtus*. 3. *Impius*. *Cæcitate laborat*; quia ſeipſum eaque omnia quæ utilitatem probat ignorat. Unde D. Bernardus Epiſt. 237. *Honor Abſorbuit intellectum*. Albertus Mag. ſer. in Dom. 3. Advent. ait; [Humilitas eſt oculus animæ, per quem conditionem ſuam veriſſimè recognoſcit; excæcatur ergo ſuperbus, ut ignoret quid ſit reſpectu Dei, reſpectu proximi, ac etiam ſui; *Ignorat Deum ſuperiorem, Proximum æqualem, Seipſum nihil*. Heu! Humiliatio tua in medio tui. 6. Michææ. 2. Injuſtitiæ reus eſt Ambitioſus; Quot ille ſcelera perpetrat ut ſuperbiæ faciat ſatis? aliorum bona rapit, famam lædit, vitam denique tollit. Exemplis iſta plus nimio conſtat. 3. *Impius eſt* denique *Ambitioſus*, quia Dei Attributa perperam æmulatus, vult omnibus præeſſe, nulli verò ſubjici. Deinde, ut ait Theophylactus in Luc. 18. *Eſt ſuperbia Dei contemptus; quoties enim non Deo, ſed ſibi adſcribit bona quæ facit, quid eſt aliud quàm Dei negatio?* 4. *Initium eſt omnis peccati ſuperbia*. Eccleſ. 10. 15. Hinc D. Bernardus ſer. 6. in Pſ. Qui habitat. [Ambitio (inquit) Mater Hypocryſis, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, vitiorumque origo.] 5. *Cruciat ſuperbos*. [O ambitio! ambientium crux (ait D. Bernard. l. 3. de Conſ.) quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbiùs cruciat, nihil moleſtiùs inquietat, nihil tamen apud mortales crebriùs negotiis ejus.] 6. Servitus eſt dignitas quæ deſideratur. Ita faſſus eſt Antigonus filio de imperio ſibi incautiùs adulanti, *An ignoras* (inquit) *ò Fili, Regnum noſtrum non eſſe aliud quàm ſplendidam ſervitutem?* 7. *Odit ſuperbos Deus*, unde Sap. 6. dicitur, *Horrende & citò apparebit vobis, quoniam judicium* Rationes contra Cupidiores Honorum Sæculatium.

dictum duriſſimum fiet his qui præſunt, Potentes potenter tormenta patientur. Fruſtra de impunitate gloriaris, qui enim Angelis non pepercit, ne tibi parciturum credas. 8. *Superbia vix eſt durabilis*. *Nemo* (inquit Auguſtinus) *inſanabilior eo qui ſibi ſanus videtur*. Alibi ſuperbos pingit, *quaſi multa febre phreneticos inſanientes in medicum*. 9. Addo frequentem & miſeram ſuperborum ruinam, debere Ambitioni eſſe remedium. *Aſcendunt* (inquit Pſaltes Pſ. 186.) *uſque ad Cœlos & deſcendunt uſque ad Abyſſos*. Ad quod propoſitum ſcribit Hugo Vict. in Reg. S. Auguſt. c. 2. [Omnis ſuperbus, tanto in imo eſt, quanto in altum ſe erigit; tanto profundius labitur, quanto excelſius elevatur ut ſtatera.] Petrus Bleſens. Ep. 31. in eundem ſenſum ait, *Multorum dominatio eſt eorum damnatio*; *Quot enim paupertas ad Cœlum promovet, tot cum dignitatibus ſuis Infernus abſorbet*. 10. Efficaciſſimum ad ſuperbiam remedium eſt Humilitatis ponderare virtutem. De hac tantùm hic dicam cum D. Bernardo ſer. 4. in vigil. Nativ. Humilitate Regnum Cœlorum emitur: Humilitas ergo iter eſt, quod ducit ad Cœlum. Ad Concionum Partitionem proderit notare triplicem Superbiæ ſpeciem. 1. *Alia eſt Cordis* quæ de ſe nimium ſapit & altiora deſiderat. 2. *Alia Oris*, quæ verbis gloriatur & famàm ſibi conatur comparare etiam cum cæterorum diſpendio. 3. *Alia eſt Operis*, quæ molitur altiùs conſcendere cæteroſque infra ſe deprimere. Triplex eſt ejus effectus, ut ſupra indicavi. 1. *Cæcitas*. 2. *Injuſtitia*. 3. *Impietas*. Poſſunt etiam hæc cenſeri Ambitionis cauſæ. Vel, Ambitio, eſt 1. *Odioſa & abominabilis Deo*. 2. *Grata & amabilis Diabolo*. 3. *Noxia & injurioſa Ambitioſo*. Comprimitur etiam hæc Cupiditas, ſi attendamus 1. *Deum*. 2. *Proximum*. 3. *Noſmetipſos*. A Deo pendemus omnino, quidquid habemus ab illo precario accepimus. Proximum agnoſcere debemus æqualem & fortè ſuperiorem in natura, gratia & gloria. 3. Nihilum noſtri tot etiam capitibus explicatum franget Ambientis tumorem. Item ſuperbia, 1. *Expulſa eſt à cœlo*, vindicantibus Angelis. 2. *Victa eſt in terra*, triumphante Chriſto. 3. *Punietur in Inferno*, flammis æternis ulciſcentibus. Item, 1. *Superiorum* parit tumorem. 2. *Parium* Invidiam. 3. *Inferiorum* oppreſſionem.

Concionum Partitiones.

PUNCTUM II.

De Fuga Peccati ac Occaſionum peccandi.

FUGA eſt, ut diximus, Appetitus Concupiſcibilis motus, quo malum abſens vel mali futuri ſpeciem averſamur & deteſtamur. Multam habet cum Odio affinitatem, ideoque eadem quæ odimus propter ſimiles ferè rationes fugimus. Affectus autem ille, quatenus Eccleſiaſtæ intereſt, ad duo capita maximè ſpectat; Peccatum ſcilicet, ac peccati occaſiones tollere. Iſtud eſſe debet Oratoris ſacri præcipuum intentum,

ratio-

Digitized by Google

rationes invenire ac ſuggerere quibus hæc duo ſuadentur. Quomodo id efficere poterit, nunc explicamus.

§. I.

De Fuga Peccati, & quibus rationibus ſuadeatur.

PRimum occupare locum debet ratio quæ Odii & Fugę incentivum eſt præcipuum. Hæc eſt *Peccati Malitia*. Eſt enim (ait Auguſtinus) *dictum, factum, vel concupitum contra legem* Dei, qui ſummè bonus eſt. Vel, ut ſcribit D. Bernardus ſer. 24. in Cant. eſt Animæ curvitas, ſicut contra, ſanctitas morum, eſt rectitudo. Eam ob rem peccatum dicitur intrinſecè malum, ideoque ſummè deteſtandum. 2. *Nihil eſt*, nullamque in ſe Entitatis poſitivæ bonitatem etiam Phyſicam (ut ajunt) complectitur, cùm nihil ſit aliud (inquit Auguſtinus) quàm privatio boni; nec habeat cauſam efficientem, ſed tantùm deficientem. 3. *Eſt Receſſus à Deo*; an non iſtud maximè fugiendum eſt, quod Animam privat Deo, eamque ab ipſo divellit & inſtar prodigi ad remotiſſimas regiones tranſmiſſam agere, ac porcorum ſiliquis veſci cogit? 4. *Turpius nihil eſt* peccato. Heu! quæ vilitas quæ Brutis ferocioribus ac vilioribus abjectiorem facit peccatorem! Heu! quæ miſeria; ſed eò major quò non ſentitur, immo diligitur. 4. *Mors eſt Animæ*, quæque aliunde moriendi erat neſcia, quia extingui non poteſt niſi à Deo ſolo, illa per peccatum mortem patitur, in eo ſitam quòd Deum Animæ vitam à peccatore expellat, deinde peccatrici decorem, hoc eſt, Gratiæ pulchritudinem detrahit; tum fœtorem cadaver putrido graviorem inducit, ac denique eandem ſepulchro æterno conditam, viventibus, id eſt, Angelis & Juſtis odium facit. 5. *Malorum ſeminarium*, vixque enumerari poſſunt mala quæ ab uno peccato, ceu ab infœlici parente, ſuccreſcunt. 6. *Servitus eſt infamis*, vel ſi malueris, Tyrannis eſt, quæ peccatorem eodem ferè modo quo victores victos ſæviſſimè tractat. Hunc enim, 1. *Spoliat*. 2. *Vincit*. 3. *Cruciat*, 4. *Trucidat*, &c. Spoliati figuram agnoſce in viatore per Latrones in valle Jericho denudatum & ſauciatum. Ligati ſymbolum, vide Auguſtinum ſic de ſe fatentem l. 8. Confeſſ. cap. 5. [Suſpirabam (inquit) ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate, &c.] Cruciatum & laborum imaginem habes in Iſraelitis, ſub dura ſervitute Pharaonis gementibus. Trucidati exempla tot habes quot ſcelerum jaculo perimuntur. 7. Audaciam peccati non miraris, quæ Deum provocare non formidat? Vocatur à Patribus *Nihil rebelle*, ſed quid imprudentius, quid inſolentius peccatore, qui (ut ait Job 15. 25.) *tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt*? Ejuſdem Prophetæ cap. 40. 4. verbis utar, ut rebellem ſacrilegum increpem, *Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas*. 8. *Gravitas peccati* te fortaſſe latet, hanc ex mini-

Rationes quibus ſuadetur Fuga peccati.

mis circumſtantiis pende, & perſpicies infinitam. *Ex parte Dei*, quis eſt ille qui læditur? Creator, Redemptor, Pater, Sponſus, Amicus, &c. *Ex parte Peccatoris*, vides homuncionem, vermem ingratum, &c. Deo ſummo injurioſum. *Ex parte cauſæ offenſionis*, quæ inquam offenſæ occaſio? an bonitas, an miſericordia Dei? &c. Immo amorem ſuadere debuerant illa. An res magni momenti culpæ ratio fuit? nullatenus, ſed re nullius ponderis, obulum, nihilum, &c. hæc quibus nihil minus excogitari poteſt graviſſimi delicti anſa & occaſio fuere. O Sacrilega Cupiditas! 9. *Deum omnino lædit* Peccatum, ejuſque Attributa celebriora violat. *Poteſtatem*, cujus efficaciam & virtutem fugit Nihilum rebelle; *Sapientiam*, cujus ordinem invertit, finem creatum pro increato ſubſtituens; *Juſtitiam*, cujus præmia & pœnas ridet; *Bonitatem*, cui bellum indicit; *Scientiam*, cui hoſtem infenſiſſimum ſcilicet crimen perpetuò objicit; *Eſſentiam*, quam extirparet ſi poſſet; *Immenſitatem*, quam ubique præſentem coinquinare nititur, &c. Quid plura? Memorare facinoris horrendi, quod adverſus Chriſtum Deum-hominem perpetravit peccatum, &c. 10. *Remedium* peccato expiando adhibitum, iſtius fortaſſe gravitatem pinget. Perpende igitur exinanitum Deum, laborantem, deriſum, afflictum, crucifixum, &c. Quale debitum, quod non potuit niſi Deo ipſo tot exinanitionibus ac tormentis exolvente expiari.

2. Non immoror in recenſendis damnis innumeris quæ à peccato, ceu à pernicioſiſſimè fertili ſtirpe procreantur. Eorum plurima ex præfatis obviam fiunt, at paucis comprehenſa exhibeo. *Triplicem vitam* hoſtis ille à peccatoribus rapit, *Naturæ*, *Gratiæ*, *Gloriæ*: prioris annos & dies reſcindit, alterius dona diripit, poſterioris aditum præcludit. Opera humana triplicis mali labe inficit, alia quippe ſunt *Mortificata*, ſcilicet bona per peccatum ſequens extincta; alia *Mortua*, in peccati ſtatu peracta; alia *Mortifera*, quæ ſceleris virus ebibunt.. 12. Ah quantæ pœnæ in peccatum ſunt decretæ ac inflictæ! *Cœlum* vaſtavit; *Terram* ſubmerſit; *Infernum* accendit. Quot Metamorphoſes operatur peccatum! Hominem tranſmutat in *Brutum*, *Lapidem*, *Dæmonem*, immò his pejorem facit; Peccator enim ſuperat Brutum vilitate & ſtupore; Lapidem duritie & cæcitate; Dæmonem malitia & ingratitudine. *Quid ergo gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Pſ. 51. 3. Ex præmiſſis & ſimilibus facile eſt Partitiones Concionum formare, atque iiſdem rationibus peccati fugam ſuadere.

Concionum Partitiones.

§. II.

§. II.

De Fuga Occaſionum Peccati.

OCcaſiones peccatorum declinandas eſſe, argumenta demonſtrant, quæ ſumuntur ex motivis trium Virtutum, 1. Juſtitiæ; 2. Prudentiæ; 3. Fortitudinis. Juſtà eſt occaſionis Fuga, Prudens, & Fortis. Juſtum eſt parere Deo jubenti & conſulenti Fugam. Prudentis eſt, periculum non ſubire abſque neceſſitate, immo de prudentia illius eſt declinare & anſam pereundi reſcindere. Fortitudo non minor eſt in Fugæ artificio, quàm in certaminis congreſſu. 1. Audi quid de hoc ſenſerit Scriptura. *Qui amat periculum peribit in illo.* Eccleſ. 3. *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea nec tranſeas per eam, declina & deſere eam.* Proverb. 4. 14. Eundem ſenſum, eadem conſilia ſpirant omnes paginæ Spiritu ſancto ſpirante exſcriptæ; occaſiones ſcilicet fugere docent, ſuadent, jubent. 2. Sapientiſſimorum conſiliariorum monita, ſi ſapias excipe & exequere, paucos tantùm memoro; cæteros adire facillimum eſt. Chryſoſtomus hom. 15. ad Pop. Antioch. & te Brutis dementiorem vocat, niſi periculum evites. At certè meritò; [Avicula namque (ait ille) ſemel capta laqueo mox elapſa, & cervus in rete decidens & effugiens iiſdem iterum difficilè capiuntur; nam cuique ſit experientia cautelæ magiſtra; Nos ſæpe iiſdem capiti in eadem cadimus: ſæpiùs quippe mulierem conſpicati gravia paſſi ſumus, & tamen eodem vis curato vulnere rurſum in eadem labimur.] Quid ſapientiùs, quid veriùs dici queat, non video. Hieronymum conſule: paucis dicet Epiſt. 47. [Quis juxta viperam ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat.] Non aliter Baſilius in Reg. brevior. non ſegniùs ſenſere omnes ſancti Doctores: an alicujus conſilium habere poteris quod his anteferas? corrupti non ſunt Judices illi, ſententiam ferunt & communi ſenſu & propria experientia firmatam: tua res agitur, quid moraris obſequi? quid non fugis ut non pereas? 3. Rationibus fortaſſe ſuaderi vis? eſto, rationes excipe. Noſti, opinor, quantùm damni fueris paſſus ex Protoparentis caſu, fomitem peccati apud te Appetitum malorum miſerrimè fœcundum experiris, &c. Cur per occaſiones quas non fugis, oleum, ſtuppam, ſulphureaſque materias igni avidiſſimo ſuggeris? an non putas te citiùs & incautiùs arſurum, qui te totum piceum, & igniarium ſcintillis perpetuò committis? &c. Falleris. At dem aliquid (diffiteor tamen) quod ſperes ob conſtantis animi propoſitum, te nullatenus vicinis igniculis incendendum: num metuere tibi & ſociis non debes à Dæmonis artificio, quo ille in tui perniciem ſemper vigil uſurus eſt, ex occaſione quam non metuis, ſed quam ille adhibebit ut perdat? *Halitus ejus prunas ardere facit* (ait Job cap. 41.) faber eſt

ſufflans iniquè prunas, inquit Iſaias cap. 54. Symbolica ſunt iſta, ſed ſub cortice celant veriſſimum monitum, ut tibi plurimum ab occaſionibus metuas. 4. Exemplis fortaſſe ſapies; Num tu fortior Samſone? ſanctior Davide? ſapientior Salomone? &c. Sed hi omnes occaſionibus periere: num & tu his longè minor ſimilibus periculis non naufragaberis? &c. Imitare Sanctos qui ut ſibi conſulerent ab occaſionibus ſtatim declinarunt. Vide quid Joannes Baptiſta in teneris annis, quid Antonius, quid Arſenius, &c. Et hos ſapienter fugientes ſequere; ſapies, &c.

ARTICULUS III.

De Gaudio & Dolore.

SECTIO PRIMA.

De Gaudio Bono & Malo.

EA eſt Humanæ Naturæ corruptio, ut periculum ſit ne res etiam optimas in pejus vertat; ac maximè ſi ſenſibus vel minimum arrideant. Pro exemplo ſit gaudium quod modò verſatur; *Eſt Affectus quidam animi ex imaginatione Boni præſentis, vel quaſi præſentis proveniens*, unde delectatio quædam & tranquillitas accidit animo, cùm Bonum cupitum poſſidere cogitat. Quandiu certe intra rationis Legiſque terminos continetur, laudabilis eſt & legitimus, at quia dum ſentienti appetitui adulatur, in Concupiſcentiæ motus inordinatos facillimè devolvitur; hinc Gaudii corruptela & nequitia: hinc etiam Orator qui illum ſuadendum ſuſcipit, periclitatur, ne ultra quàm intendit, Gaudii immoderati ſuaſor fiat. Ne tamen ſileam, quod Eccleſiaſtam latere non debet, de utraque Gaudii ſpecie breviter agam.

Gaudii boni Definitio. 1. Gaudium ſeu lætitia bona definietur, ſi præcedenti deſcriptioni addideris, quòd Bonum, unde lætitia oritur, ſit de Deo, aut ad Deum legitimè ſpectet. Ejuſmodi eſt Gaudium, quod experimur ex bona Conſcientia, ex bonis operibus, ex felici ſucceſſu negotii alicujus, quod Dei gloriam Hominumque ſalutem promoverit, &c. His autem rationibus ſuaderi poterit Gaudium bonum. *Rationes quæ illud ſuadeant.* 1. ex Scriptura. D. Paulus Philip. 4. 4. ait: *Gaudete in Domino ſemper; iterum dico gaudete*. Adverte quòd ſuadeat lætitiam non quamcumque, nec ex quacumque ratione, ſed in *Domino*. Idem ſentit Pſaltes regius, ſic loquutus Pſ. 31. *Lætamini in Domino & exultate juſti*. 2. *Hilarem datorem diligit Deus*. 2. Cor. 9. 7. ideo Gaudium Hilaritatis cauſa ſeu effectus, Deo placet, quia oſtendit hominem, prom-

pto

pto & alacri animo præſtare quæcumque præſtat. 3. Proximi ædificantur ex ejuſmodi Animo ac fronte hilari, ſuſpicantur bene cùm ipſo agi qui Deo ſerviens tranquillam experitur conſcientiam. 4. Ea præparatio animi quæ hilaris eſt, diſponit hominem ad opus bonum ejuſque executionem. 5. Præmium eſt ac fructus bonæ Conſcientiæ. *Secura mens quaſi juge convivium*, ait Salomon Proverb. 15. Ah quàm oppoſitam, quàm triſtem ſentiunt, qui cupiditati pravæ obſequuntur! 6. Quæres fortaſſe, quomodo poterit iſte Gaudii affectus excitari? Plura ſunt quæ ad id conferunt. V. g. ſi explicentur Dei Bonitas, Charitas, Miſericordia, & Beneficia innumera nobis à Deo collata, Spes futuræ Beatitudinis, Scriptura Sacra, &c. Si hæc inquam ſeria meditatione penſentur, ſi prudenter ac ingenioſè explicata proponantur, Auditoribus Gaudium creabunt. His igitur, aut præfatis ſimilibus incitamentis, Orator poterit ſuadere Lætitiam bonam, vel à Laude quam meretur, vel ab utilitate quam affert: vel denique à rationibus mox allatis: quis enim tam dejecto fuerit animo, qui attentè cogitans benevolentiam, qua Deus Homines proſequitur, non ſtatim in alacritatem ſanctam exiliat? [Ipſa ſpes (inquit Aug.) nos gaudere facit inter dolores.]

2. Gaudium mundi cavendum eſt, 1. quia maledictione Dei percutitur. Luc. 6. [Væ vobis divitibus qui habetis hìc conſolationem veſtram,] &c. Unde ſapienter ajebat David Pſal. 76. 4. *Renuit conſolari anima mea.* (ſcilicet mundano gaudio, quod triſtitiam Juſtis creat *Memor fui Dei & conſolatus ſum, &c.* 2. Breviſſimum eſt. Job 20. Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti. Et Proverb. 14. Riſus dolore miſcebitur & extrema Gaudii luctus occupabit. Heu itane parum prudens es, ut re tam caduca, tam brevi, tam fallaci decipiaris? 3. Cæterùm fatuus eſt vel fatuo ſimilis, qui mundanum gaudium ſectatur, unde enim tanta lætitiæ cauſa? An ex divitiis? ex ſupra dictis patet nihil niſi anxietates & cruciatus ſpirare. An ex honoribus? ex præfatis par ſit judicium. An denique ex Deliciis corporis? At, eſto non metuas Ignem æternum, quo voluptuarii abſumentur; te ſapientem ſolùm volo, ut deſinas blandiri carni, quam præſagire debes brevi à vermibus depaſcendam. Rationes quibus diſſuadetur Gaudium malum.

3. Delectationes Corporis ad Gaudium ſpectant, quia lætitiam inducunt de re præſenti quæ bona æſtimatur. De hoc Gaudio malo plura dibavimus ſuperiùs cùm de Amore Noſtri ageretur; hæc tantùm ſuggero ut improbetur. 1. Ubique in Scriptura ſacra pingitur. Roman. 8. 7. dicitur adverſari Spiritui. Galat. 5. 17. perpetuus & periculoſiſſimus hoſtis. 2. Cor. 12. 7. & 1. Cor. 16. 50. à Regno Dei aſſeritur alienum. 2. Jubemur carnem mortificare. Rom. 8. 13. & Coloſſ. 3. 5. Quid plura deſideras ut Domeſticum hoſtem odio habeas, vel ſaltem ipſum formides? 3. Temetipſum ſiſto, quiſquis es ratione præditus, hoc privilegio Brutis dignior es; at ſi carni ſervieris, illa rationi tuæ dominabitur, ipſiuſque operationes præpediet. 4. Auguſtinum conſule l. 5. Civit. Rationes quibus Delectationes corporeæ impugnantur.

cap.

cap. 20. Horrebis picturam voluptatis, quam ex Epicureorum errore refert: Voluptatis, inquam, regio ſolio inſidentis & Reginæ imperio uſurpato, in virtutes, egregiaque opera ſævientis. An non metuis (inquit Philo Judæus l. de Gigant.) voluptates ferocientes, quæ perſæpe canum more abblandiuntur, ſed repente mutatæ morſum infigunt inſanabilem? 5. Quid inſequeris delicias tam citò ſequacem dimittentes? Ah! inquit Boetius l. de Conſol. metro 7. *Habet hoc voluptas omnis, ſtimulis agit fruentes, Apiumque par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta morſu*. 6. Nihil eſt quod carnales terrere magis debeat, quàm illud quod dicitur Apoc. 18. *Quantùm fuit in delitiis, tantùm date ei tormentum ac luctum:* Heu quæ ſententia! [Momentaneum eſt (inquit D. Greg.) quod delectat, æternum eſt quod cruciat.] Hæc de Delectationibus Corporis in genere; nunc ad ſpecies impugnandas progredimur.

4. Unum & multiplicem hoſtem, intus & extus inſidiantem inſequimur, is eſt Gula & Luxuria, quæ ambæ in unius hominis perniciem, licèt nonnihil diverſa ratione, perpetuò conſpirant. Primam aggredior, ſcilicet Gulam, à cujus expugnatione inchoare debet ſalutis opus, qui ejus cupidus eſt, ideoque quæ huic adverſantur amoliri deſiderat. Ita cenſet D. Greg. l. 5. Moral. c. 13. [Neque enim (ait) ad conflictum ſpiritualis Agonis aſſurgitur, ſi non priùs intra noſmetipſos hoſtis poſitus, Gulæ videlicet appetitus edometur. Deinde addit. In caſſum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra ejus mœnia civis inſidians habetur.]

Quid ſit & quotuplex Gulæ Cupiditas.

Quæres in quo ſtet hoc Gulæ vitium? Notius eſt quàm ut explicatione indigeat. Dicam tamen in eo conſiſtere, quòd quis Ventris ac Palati delitiis præter rationis leges indulgeat. Quinque autem modis poteſt in hoc delinquere: primò, ſi horam comedendi præveniat ut de Jonatha legitur 1. Reg. 14. Secundò, ſi delicatiores cibi avidiùs exquirantur, in his enim debet etiam eſſe modus. Exemplum habes de Divite epulone Lucæ 17. Item Tertullianus acerrimè in ejuſmodi intemperantiam invehitur. Tertiò, quando quis menſuram cibi excedit, in quo deliquiſſe Sodoma dicitur Ezech. 16. nimirum in ſaturitate panis. Quartò, quando quis frequentiùs comedit. Videtur autem ſuillus iſte appetitus immoderatus, porcorum enim eſt, non niſi de ventre cogitare. Quintò, cùm quis ardentiùs & avidiùs comedit. Ille arguitur his verbis Eccleſ. 38. Noli avidus eſſe in omni epulatione, neque effundas te ſuper omnem eſcam.

Rationes quibus impugnatur Gulæ vitium.

Rationes quibus impugnatur Gulæ vitium, hæ ſunt potiſſimùm. 1. Vitium iſtud eſt inſatiabile; huic quippe vix ſufficiunt Elementa & quæ iiſdem continentur Animalia, plantæ, condimenta, &c. Ergone, Natura, Ars, & omnis induſtria non alium finem ſpectare debent; quàm ut ventri ac palato Humuncionis per omnia obſequantur? 2. Si

te rerum ſpiritualium æſtimatio, vel minimùm pungat, fuge Gulam, quæ ad illas prorſus hebetem & inhabilem efficiet: ne mihi credas, Guloſos intuere, & perſpicies nihil de Deo ac divinis ſapere. 3. Quereris fortaſſe, quòd carnis ſtimulis torquearis? occaſionem domeſtico adverſario ſuggeris, dum cupiditatis igni materiam, picem, oleum, ſtuppaſque ſuppeditas:. venter enim ſatur ſtatim deſpumat in libidinem. Noſti Proverbium, Sine Baccho *& Cerere friget Venus*. Heu utinam non fueris expertus! 4. Unum credis in Gulæ vitio latere hoſtem, plurimos in unico comperies, pernicioſa quippe parens iſta in multiplices nec mitiores fœtus, quos Theologi Gulæ filias appellant, effunditur: Libros conſule, hinc diſces, quot ex uno ſcelere nequitiæ proveniant. 5. Miror quòd in temetipſum enſem ſtringas: novi quippe quantum de ſalute corporis ſis ſollicitus, ipſemet verò contra ipſum corpus tuum decertes Gulæ armis? Non audiſti, quod publico verſatur adagio, plures perire Gula quàm Gladio? an non potiùs tua experientia didiciſti quantum infirmitatis intulerint tibi lautiores & redundantes Epulæ? Nec mirum eſt (inquit Seneca) cur tam ſubitò moriamur, mortibus vivimus, eſt enim venter hominis ſepulchrum multorum animantium mortuorum. 6. De Dignitate Hominis altiùs ſape, noli degenere vivendi ratione ad Belluarum vilitatem dejici, harum enim appetitus cùm nobiliorem finem minimè noverit, excuſatur; ſed tu, qui Dei es Imago & ſignaculum, qui ad Angelorum ſocietatem aſpiras; cur non aliquatenus per Temperantiæ leges ad propoſitum ſcopum elevaris? cur contrà, ad oppoſitam Belluinæ conditionis abjectionem deprimeris, ſciens & volens? 7. Alteram profero rationem qua Gulæ Immoderationem diſſuadeam. Illa triplici Argumento Gulam proſternit. *Diſplicet Deo, Diabolo placet, Homini nocet.* Primò, diſplicentia Dei arguitur ex hoc quòd ventri ut Deo Guloſus obſequatur ac litet. *Quorum Deus venter eſt* (inquit Apoſtolus Philipp. 3.) *& Gloria eorum in confuſione*. Hinc certè liquet, quòd Deo plurimum diſplicere debeat vitium, quod ſacrificium ſoli Deo debitum ad ſe transferre conatur ex Tertulliani ſenſu: Myſtam impium, ideſt Guloſum, ille ſuo more acerrimè inſequitur; At quanti Deus faciat ejuſmodi offenſam, diſce ex pluribus prohibitionibus, quibus vitium iſtud vetat; diſce ex pœnis, quas ille de Epulonibus ſumpſit. Heu quot ſunt, de quibus dici poſſit iſtud Pſ. 77. 30. *Adhuc Eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*. Diabolo parat locum Guloſus, hic enim porci vitam agens alterum illicit, prout ſcribitur Matth. 8. & à D. Gregorio dicitur. [Niſi quis more porci vixerit, Diabolus in eo poteſtatem non habet.] Denique ſibi noxius eſt Guloſus, qui bona Fortunæ, Corporis & Animæ, naturalia & ſupernaturalia diſſipat. 8. Ultimum Argumentum in Guloſos torqueo, in hoc poſitum, quòd ſapientes quotcumque extitere, ſtuduerint Gulæ appetitum moderari; num & tu ſapientium imitator velis fieri? Vide quid Chriſtus, quid Joannes, quid Paulus, quid denique San-

Sanctorum potiores, egerint circa Ciborum parſimoniam: idem præſta: Chriſtus quidem ad Exemplum, Joannes ad cautionem, cæteri ad remedium carni bellum indixere. O quot rationes, te ad imminentis hoſtis compreſſionem invitant!

Remedia contra Gulam.

Remedia Gulæ, poterunt aſſignari, 1. Ea omnia detrimenta quæ ſuperiùs enumerantur. 2. Occupatio mentis vel corporis, quæ cogitationem aliò avocet. 3. Fuga eorum quæ Gulæ occaſionem miniſtrant, qualia ſunt maximè Convivia potatorum. Proverb. 23. Quartò, memoria mortis, cur enim ait D. Bernardus, *carnem tuam pretioſis rebus adornas & impinguas, quam poſt paucos dies vermes devoraturi ſunt in ſepulchro?* 5. Ah! conſidera, quot pauperes eſuriunt, pereuntque fame, tu verò delicatioribus cibis abundas: nonne hi ſunt fratres tui, eodem parente, ſcilicet Deo, ſati, iiſdem myſteriis imbuti, eandem ſperantes Beatitudinem? *&c.* Felices ſe crederent, ſi micis quas è menſa deciduas ipſi canes deſpiciunt, veſcerentur. Heu non te pudet fratrum tuorum, aliquando fortè Judicum, eſſe nunc tam incurioſum? *&c.* Epulonis divitis memorare, & de pari ſorte tibi cave, *&c.*

Concionum Partitiones.

Partitiones Concionum de Gulæ improbatione poterunt hæ aut ſimiles formari: Prima ſimplicior, ſed fortaſſe utilior, 1. *Quid* ſit Gulæ vitium & quotuplex. 2. *Quinam ejus effectus* & damna. 3. *Quæ ejus remedia*. Secunda, mox allata, 1. *Deo diſplicet*. 2. *Dæmoni placet*. 3. *Guloſo nocet*. Tertia, *Gula eſt Idolum* cui tres victimæ *immolantur*, 1. *Elementa* ac eorum Animalia, proprietates, *&c.* *Tempus* quod ſaporibus condiendis abſumitur. 3. *Homines*, quorum opera, ſanitas, ſalus, *&c.* Guloſo impenduntur. Quarta; improbatur Gula, 1. *Scripturis*. 2. *Patribus*. 3. *Argumentis*. Quinta; *Nihil eſt* 1. *Indignius* Homine, quem ad Brutorum vilitatem dejicit. 2. *Nihil difficilius* Gula, quæ vix ſatiari poteſt. 3. *Nihil damnoſius*, quia fortunam, corpus & Animam conſumit, *&c.*

Rationes contra Luxuriam.

V. Nunc adverſus hoſtem pugnamus, qui ſævit eò duriùs, quò ferè occultiùs latet, habetque intra nos copias, quæ illius partes agunt in noſmetipſos. Vix appellare audeo, cùm Apoſtolus Epheſ. 5. nominari prohibeat: Dicam tamen; *Luxuria eſt quæ corporis illicitas voluptates accendit & colit:* hanc totis viribus Eccleſiaſta debet expugnare, adhibita tamen ea prudentia, quæ nec caſtiſſimas Auditorum mentes, vel puriſſimum Prædicationis miniſterium liberiore verbo, aut ſententia minus caſtigata offendat: ita quippe hujus vitii turpitudinem pingat, ut terrorem ac horrorem illius apud omnes excitet, nullatenus verò delicatioribus nauſeam vel affectum proliciat.

1. Odium Dei.

Prima ratio qua impugnatur Libidinis affectus, petitur ab Odio quo Deus illum proſequitur, quia cùm Deus ſumma ſit puritas, illud plane deteſtatur quod impurum eſt. *Non permanebit Spiritus meus in Homine in æternum* (inquit Geneſ. 6. 3. *quia caro eſt*.

2. Supplicia.

. 2. Conjice Odii magnitudinem, ex pœna qua mulctati ſunt primi Lu-

Digitized by Google

Luxuriæ operari, ſcilicet Diluvio univerſali. Geneſ. 7. & Incendio ſulphureo, quo periere Sodomitæ. Ibid. cap. 19. Innumera ſunt divinæ in Impudicos ultionis exempla: nonne formidas, ne pares in te irati Numinis ac vindicantis pœnas provoces & accerſas?

3. Templi Dei Prophanatio.

3. Juſta prorſus cauſa in immundos iraſcitur Deus, tranſgrediuntur quidem ejus prohibitionem, ſed quod aliquid majus ſonat, violant ac conſtuprant corpus quod Deus ſibi in Templum delegerat: *Neſcitis* (inquit Paulus 1. Cor. 3.) *quia Templum Dei eſtis, & Spiritus S. habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, deſtruet illum Deus*, &c. Unde Gloſſa ſubjicit, *Templum Dei violat, qui corpus fornicationi parat*. Similia loquitur Apoſtolus 1. Cor. 6.

4. Angelis fœtet.

4. Angelis fœtet iſtud peccatum, nec ferre poſſunt tetrum odorem qui exhalat ab impudico; eundem horrent Juſti. Ergone aliquid impurum adſtante puro Spiritu qui tui curam gerit poteris admittere? Audi quid D. Bernardus de hoc ſentiat, [In quovis (inquit) diverſorio, in quovis angulo reverentiam exhibe Angelo tuo, nec audeas illo præſente, quod non auderes me vidente.]

5. Diabolo placet.

5. Diabolo placet immunditia, Job 40. *Sub umbra dormit in ſecreto calami* (inquit) *in locis humentibus:* Id eſt, in luxurioſis hominibus quieſcit; nam (ut ait Gloſſa) cùm Dæmones de omni peccato gaudeant, præcipuè tamen de fornicatione, quia ibi corpus & anima maculatur.

6. Damna.

6. Luxuriæ damna quis recenſere poſſit? obſcurat Intellectum, enervat corpus ac debilitat, morbos inducit, fortunæ bona diſſipat: ſed (quod his majus eſt) Gratiæ dona diſperdit, & à Gloriæ aditu excludit libidinoſos. *Neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque Adulteri, neque molles*, &c. *Regnum Dei poſſidebunt*. 1. Cor. 6. 10. Heu quàm formidanda ſententia!

7. Difficile curatu.

7. Adde, quòd vitium illud ſit curatu difficillimum, ex quo enim diutiùs apud aliquem inveteratum eſt, vix ſanari poteſt. Cætera ſileo Argumenta quibus iſtud vitium impugnari debet, hæc deguſtavi leviter; ſed ſi verſentur & diſcutiantur, plurimas rationes fundent, quibus in Odium vocetur.

Luxuriæ fomites.

Quæres quæ ſint hujus vitii Cauſæ? Sex recenſeri ſolent. 1. Otium. 2. Nimius potus & Cibus, ac præcipuè Ebrietas. 3. Converſatio & familiaritas frequentior ac liberior cum mulieribus, præſertim ſi minus modeſtæ ſint & pudicæ. 4. Viſus attentior, & colloquia, & cantilenæ quæ in mollitiem declinant. 5. Tactus & oſcula mulierum incitamenta ſunt præſagia perituræ caſtitatis. 6. Huc ſpectant lectiones librorum impudicorum, Tabellarum obſcœnarum & ſpectaculorum mimicorum aſpectus, his inquam mors per feneſtras ſubit, animaque per oculos diripitur.

Luxuriæ Remedia.

Remedia quibus hoc vitium comprimi poteſt, hæc enumerantur,

quæ ferè nihil aliud ſunt, quàm præfatarum Cauſarum amotio. 1. Fugiatur otium per occupationem. 2. Abſtineat Libidinoſus à lautioribus conviviis, ac maximè ab Ebrietate in qua eſt luxuria. 3. Reſcindantur conſortia cum mulieribus, & ſimiles occaſiones, quæ impugnare ſolent pudicitiam. 4. Conſideratio mortis. Nihil adeo valet ad domanda carnis deſideria, ſicut cogitare qualis ſit futura poſt mortem, ait D. Gregorius. 5. Meditatio pœnarum cùm temporalium, tum æternarum quibus impudicos Deus pluries mulctavit. 6. Lectio librorum qui ejuſmodi ſcelus exagitant. Cavendum tamen eſt ne diutiùs in his aut legendis aut meditandis mora fiat, quæ impuras ſpecies in Phantaſia ſuſcitent vel renovent; Unde conſultius eſt mentem & attentionem citiſſimè avocare & aliis rebus addicere. 7. Precibus & lachrymis petenda eſt obſcœnæ tempeſtatis ſedatio. 8. Si denique non placuerit Deo importunum ſtimulum retundere; cum omni humilitate ac patientia accipienda eſt moleſta exercitatio, in pœnam præteritorum fortè peccatorum, vel in infirmitatis experientiam, vel denique in voluntatis Divinæ executionem, quæ quidem mala non probat ſed permittit, ut inde proveniant bona. Dicat cum Fratribus Joſeph, *Meritò hæc patimur, quia peccavimus*. Geneſ. 42. 21. vel cum Iſaia, cap. 38. 14. *Domine, vim patior, reſponde pro me.*

Concionum Partitiones. Concionum Partitiones hac de re poſſunt hæ formari. 1. *Quid ſit luxuria*, quæ ejus ſpecies, & qui effectus? 2. *Quæ Cauſæ*, ſeu occaſiones. 3. *Quæ ſint ejus Remedia*? Vel communi diviſione dicatur, Luxuria, 1. *Fœtet Deo* & Angelis ejus. 2. *Diabolo* & ejus ſequacibus *placet*; 3. *Libidinoſo* per omnia *nocet*. Vel tribus rebus perpetratur, 1. *Corde*. 2. *Ore*. 3. *Opere*. Ideſt obſcœnis cogitationibus, verbis & operibus. Vel, 1. *Frangit fidem*, ſcilicet inter conjuges. 2. *Violat Juſtitiam*, ex ſuppoſititia prole & pluribus aliis damnis. 3. *Charitatem extinguit*, dum alterius fortaſſe mors inde cauſatur. Vel, 1. *Nihil vilius*, quàm ſervitus ſub libidinis jugo. 2. *Nihil difficilius*, quia non niſi magnis anxietatibus, impenſis, &c. ſervitur illi affectui, cui numquam ſatis. 3. *Nihil damnoſius*. Vel, 1. *Corde concipitur*; 2. *Viſu nutritur* vel etiam ſuſcipitur. 3. *Opere conſummatur*. Vel tres ſunt ad luxuriam gradus 1. *Suggeſtio*. 2. *Delectatio* ſeu approbatio. 3. *Conſenſus*. Ita variæ poſſunt inveniri diviſiones ab innumeris fontibus, qui ad hoc peccatum ſpectant, veluti à Cauſis, ab effectis, à remediis, &c.

SECTIO II.

De Triſtitia Bona & Mala.

DUPLICIS generis eſſe poteſt Triſtitia ſeu *dolor*, *quo contriſtamur de malo præſenti, vel quod præſens eſſe reputamus*: eſt enim Bonus aut Malus ſicut cæteri affectus. Triſtitia legitima eſt qua dolemus de

Deo

Deo offenſo, ſitque Pœnitentia; vel de proximi malo, ſitque commiſeratio. Illegitima autem quæ de proximi bono, dicitur Invidia & æmulatio. Horum Affectuum proprietates brevi decurrimus.

§. I.

De Pœnitentia.

AFFECTUS iſte qui Pœnitentia dicitur, dolor eſt de Deo ſummè dilecto, ſed per peccatum offenſo: Urgeri debet ab Eccleſiaſta; cujus ſtudium ac Zelus in hoc maximè enitantur, ut Auditores ad ejuſmodi Triſtitiam laudandam incitentur. Hoc præſtitit Chriſtus, hoc Joan. Baptiſta, hoc ſanctiores & celebriores Concionatorum habuere in votis, ut repetitis hortationibus Pœnitentiam ſuaderent: O ſi tale propoſitum hodiernos Prædicatores ſuccenderet! non aliud certè ſuggeſtus ſonarent quàm pœnitentiam & morum correctionem. Nolim tamen videri probare crudas & inconditas vociferationes, quæ imprudenter & importunè Pœnitentiam inclamarent; id ſanè aliquando feliciter ceſſit aliquibus, qui Spiritu divino afflati ſimilibus increpationibus homines ad lachrymas & morum emendationem pellexere: hæc inquam methodus, ſi à Deo Prædicatorum magiſtro inſpiretur, admirationem meretur, ſed trahi non debet in exemplum; cumque ſit ſupra Regulas, illam reveremur non docemus. At ubi res eſt de ſuaſionis methodo, quæ rationem gratia adjutam ſequitur ducem, illa vix probaretur aut ſuccederet, niſi Zelum & fervoris diſpenſationem moderaretur prudentia & induſtria, quæ à faſtidio ſemper cavet. Utinam igitur frequentiſſimè Conciones inſtituerentur de Pœnitentia, vel ſaltem de iis rebus quæ dolorem de peccatis movere poſſent; feliciorem profectò ſortirentur eventum ſermones, qui ſæpè ſæpiùs miſerè vaneſcunt, quia inutilibus & deridendis, niſi deflendis rebus, diſtrahuntur & diſperduntur. Ad propoſitum redeamus. Pœnitentiæ affectus ſæpe excitandus.

Pœnitentiæ natura, Partes & Proprietates explicentur atque iterum plebi repetantur & verbis etiam idoneis pingantur. Mirum dictu, quod nihilominus frequentiſſimum eſt, & experientia didici, quod numeroſior pars Auditorii vix intelligat quid dicatur, cùm Pœnitentia, Contritio & his ſimiles actus ad ſalutem neceſſarii, verbis politioribus appellantur; Concionator tamen leviter percurrit, quaſi hæc forent Sole notiora, quibus cæcutiunt plures: quod ſi res ita ſit, quid proderunt quæcumque ille dixerit de Contritione, cujus nomen aut ſaltem res per nomen ſignificata ignoratur? Conſulerem igitur, ut Concionator, induſtriè & prudenter uteretur verbis propriis, quibus explicaret quæ ad pœnitentiæ partes attinent, repeteretque idemtidem (præſertim apud rudiores) deinde ad cætera progrederetur. Quid tractandum eſt cum de pœnitentia agitur.

Incitamenta pro Pœnitentia poterunt duci à ſequentibus Locis. 1. Ab Odio peccati, de quo actum eſt ſupra. 2. A timore pœnæ. Verum quidem eſt quòd timor ſervilis, ſeu qui pœnas tantùm formidat, non ſufficiat ad Pœnitentiam, niſi Charitatis ardorem admixtum habuerit; ſed nec ille inutiliter movetur, cùm ſit initium quoddam ſapientiæ, timere; præſtabit igitur peccatorem urgere omnibus rationibus quæ metum incutere poſſint; quales ſunt pœnæ, cùm temporales, tum æternæ, quibus Deus iniquos plectere ſolet; ab his & ſimilibus incitamentis territus peccator, dabit Filiali Timori locum, deinde Pœnitentiæ. 3. Spes excitabitur de venia obtinenda, atque in hoc adhibenda ſunt Argumenta, quæ Fiduciam creent. Ejuſmodi ſunt; Amor Dei in Homines, ejuſque effectus, de quibus ſuperiùs dictum ſuit: conſequetur enim ex immenſa ejus Benevolentia innumeris ſignis prodita, ut Deus nolit tantum laborem fieri caſſum & inutilem, ſed velit proficere ad hominum ſalutem, quam tantopere concupierit. 4. Huc juvabit addere ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ Miſericordiam Divinam ad condonanda delicta propenſiſſimam docent. 5. Subjiciantur Exempla celebrium Peccatorum quibus Deus gratiam fecit, ut ſunt David, Manaſſes, D. Petrus, D. Magdalena, Publicanus, Latro & his ſimiles; quorum crimina per comparationem diſcuſſa, ſpem veniæ facient in quocumque Peccatore. Caveat tamen Concionator, ne Miſericordiæ Dei tanta concedat, ut detrahere videatur Juſtitiæ; ſtateræ libramentum ex utriuſque Attributi parte ſtare debet æquum; ſed maximè attendere oportet Auditorum temperiem. Durioribus quidem opus eſt Juſtitiæ flagellis, ut emolliantur: Meticuloſis verò præſtat, pavorem minuere per Miſericordiæ Benevolentiam.

Concionum, partitiones. Concionum Partitiones hæ poſſunt efformari. Prima quidem ſimplicior, v. g. 1. *Quid ſit* Pœnitentia. 2. *Quot partibus conſtet*. 3. *Quibus Incitamentis ſuadeatur*. Vel, ſuadebitur à contrario, quia cùm peccatores credant eſſe difficilem, indecoram, & minus proficuam, oſtendatur in ea, 1. *Facilitas*, cùm modico verbulo comparetur Animæ ſalus, &c. Explicetur, quomodo pudor confitenti non debeat videri oneroſior, quia conſcientia detegitur ſacerdoti ſilenti, compatienti, & fortaſſe graviores lapſus paſſo. 2. *Decor*, qui à Pœnitentia oritur in Anima coram Deo & Hominibus, *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus* (inquit Pſaltes, Pſ. 95. 6.) dealbatur ſcilicet Anima Pœnitens, & ex Dæmone fit Angelus. 3. *Utilitas*, quæ abundè patet vel minimùm attendenti. Deinde penſari poſſunt *Metamorphoſes*, quæ *per Pœnitentiam ſunt*, 1. Brutum fuerat per dejectionem peccati, ſed per Pœnitentiam eidem reſtituitur Hominis Forma. 2. Ex Dæmone fit Angelus. 3. Nec hoc ſolùm, ſed ab Angelo, ad Dei ipſius ſimilitudinem aſſurgit. Vel, Pœnitentiam ſuadere debent, 1. *Dei Præceptum*. 2. *Sanctorum Exempla* & hortamenta. 3. *Commoda noſtra*. Vel, Pœnitentia debet eſſe, 1. *Prompta*, *ſine*

mora.

mora. 2. *Integra, ſine dimidiatione*. 3. *Conſtans, ſine reditu*. Item ex Tertulliano l. de Pœnit. c. 6. ſi ergo qui venditant, prius nummum quo paciſcuntur examinant, *ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter:* Etiam Dominum credimus, probationem priùs inire, tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum, *&c.* Inde triplex Pœnitentiæ defectus notatur, 1. Defectus *integritatis* cujus ſymbolum eſt Monetæ circumciſio. 2. Defectus *ſatisfactionis*, ob remiſſionem molliorem, ſignificatur per abraſionem monetæ. 3. Defectus *ſinceritatis*, qui adulterii fictè ſuppoſito fœtu indicatur, Gallicè diceretur, 1. *Penitence roignee, ou imparfaite*. 2. *Adoucie, ou relachee*. 3. *Feinte, ou Hypocrite*, &c.

§. 2.

De Commiſeratione.

COmmiſeratio ſeu Miſericordia, eſt motus animi, ſeu *dolor quidam ſuſceptus ex cogitatione mali alterius injuria laborantis, & quo ſe vel ſuos affici poſſe videt, qui miſeretur*. Vel eſt triſtitia ex opinione mali quod affert dolorem vel necem alicui, quem indignum tali calamitate judicamus. Non mediocris induſtriæ eſt hunc affectum in Auditoribus excitare, ut afflictorum, pauperum, miſerorum, *&c.* calamitatibus commoveantur, iiſque ſubſidium ferant. Ad hunc ſcopum uſurpari poſſunt quæcumque dicta ſunt ſuperiùs de Fraterna Dilectione, quæ proximi malis compati ſuadent. His aliquas alias rationes adjicimus.

Incitamenta ad Commiſerationem.

I. A Perſona Miſera: eſt fortaſſe Amicus, Propinquus, Affinis, Benefactor, *&c.* Senex, Juvenis, Mulier, Puella, *&c.* 2. A ſtatu præſenti, à Corporis Doloribus, Animi Afflictione, Inopia, Exilio, ſimilibuſque calamitatibus. 3. A cauſa ſeu occaſione malorum, ut quod acciderint fortuna, Divina Providentia, non ex Afflicti culpa, *&c.* 4. Valent ad hunc affectum concitandum, Figuræ Grandiores, Conformationes, Hypotypoſes, Imaginum & ſpecierum ſenſibilium uſus. Motus iſte maximè valere debet in Concione de Paſſione Chriſti, vel Compaſſione B. Virginis condolentis: in priore enim caſu, ſcilicet Chriſti Paſſione, poſſunt expendi tres ejus Cauſæ à quibus Afflicti Dolor amplificabitur. 1. Severa Patris Juſtitia, quæ vult ad rigorem pro offenſa infinita ſibi fieri ſatis. 2. Amor Chriſti immenſus deſiderantis ſolvere uſque ad noviſſimum quadrantem. 3. Crudelitas Judæorum, quæ quantùm potuit in Chriſtum deſævriit. Hoc etiam affectu incitantur Chriſtiani ad erogandas Eleemoſynas, quibus Miſerorum calamitas ſublevetur. Sed de hoc propoſito in 2. Parte agetur, l. 3.

Rationes Commiſerationem ſuadentes.

Partic. Conc.

Digitized by Google

§. 3.

De Invidia, Æmulatione, Contemptu, Indignatione & Acedio.

Quid ſit Invidentia. 1. INvidia, ſeu Invidentia, *eſt Dolor quidam animi de proſpera alicujus æqualis ſorte, qua putamus noſtram deprimi dignitatem*. Hac definitione tria continentur, 1. *Sors*, ut ſunt Divitiæ, Dignitates, favor Principis, aut Populi, & ſimilia bona quæ laudem merentur; eam ob rem ſuſpicare, te nihil habere magni, ſi careas invidis; Virtutis enim & laudis comes eſt Invidia. 2. *Æqualitas ſortis* notatur aut ſors prope æqualis, ſolet enim Invidia pares adurere, ſic figulus figulo invidere dicitur. De quo Cicero 2. de Orat. n. 209. *Invident autem homines maximè paribus aut inferioribus, cùm ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent evolaſſe; ſed etiam ſuperioribus invidetur, ſæpe vehementer & eò magis, ſi intolerantiùs ſe jactant, & æquabilitatem communis juris, præſtantia dignitatis aut fortunæ ſuæ tranſeunt*. 3. Definitioni præfatæ additum eſt quòd putemus ex alterius dignitate noſtram minus, quia hæc eſt præcipua Invidentiæ cauſa, niſi enim gloriæ noſtræ aliquid detrahi crederemus, vix alterius fortunæ invideremus. Quomodo tractari debeat, en quid ſenſerit Tullius loco citato. *Haud ſciam* (inquit) *an acerrimus longè ſit omnium motus Invidiæ, nec minus virium opus ſit in ea comprimenda, quàm in excitanda*. Hæc præſertim Oratori Chriſtiano conveniunt, cujus partes ſunt Invidiam comprimere, vix umquam incitare. Quia tamen ſæpius occurrit occaſio deſcribendi Invidum, ideo pravi hujus Affectus incitamenta breviter notamus.

Incitatur Invidentia, 1. ſi oſtendantur bona contigiſſe immerenti, nulla ejus virtute, ſed malis artibus, &c. 2. Si probes, aliquem ob ſerandam fortunam inſoleſcere, quod eſt exigui animi. 3. Si oſtenderis, plurimos eſſe ipſo excellentiores, qui negotium digniùs geſſiſſent illo, qui vi & fraude gradum ſibi vendicavit, unde Reſpublica non modicum detrimenti patitur. 4. Si probes, eumdem aliorum fortunis invidere, inſidiari, detrahere, &c.

Remedia contra Invidiam. Sedatur Invidia oppoſitis ferè rationibus. 1. Si oſtenderis ſortem eminentiorem contigiſſe, non malis artibus, ſed labore, meritis, &c. 2. Illum ſua fortuna non abuti, ſed eo mitiorem & humaniorem quo favore & opibus creſcit. 3. Electum fuiſſe ab oculatiſſimis & æquiſſimis Judicibus, qui hunc potiorem cenſuere. 5. Injurioſum nulli eſſe, ſed erga omnes officioſiſſimum, ac etiam Reipublicæ utiliſſimum. 5. Invidia comprimitur, ſi oſtendatur ille Affectus parvi & demiſſi eſſe Animi. 6. Si mala quæ ab Invidentia, proveniunt explicentur. 7. Si contra quàm alii ſentiunt, probaveris, nihil vel parum felicitatis in ejuſmodi fortuna reperiri; immo plurima mala & pericula contineri.

Ad

Digitized by Google

Ad Concionum partitiones valere poterit communis & ſimplex Diviſio. 1. *Quid ſit Invidentia?* 2. *Qui ejus Effectus?* 3. *Quæ ejus remedia?* Vel Invidia eſt, 1. *Injuſtiſſima*, quia alterius merita odit abſque ratione. 2. *Ignaviſſima* & viliſſima, quia parvi & mediocris animi eſt, dignoribus invidere. 3. *Nocentiſſima* & periculoſiſſima, quia plurimorum virorum ac damnorum eſt cauſa; V. g. Detractionis, Odii, Necis, Triſtitiæ, *&c.* Conſule D. Cyprianum l. de Livore. Concionum Partitiones.

II. Æmulatio, eſt *Affectus animi quo alienam ſortem dolemus nobis non contingere*. Vel, *eſt ſuſceptus ex aliena ſorte dolor, non quòd id alteri contigerit, ſed quòd illa careamus*. Differt autem iſte motus ab Invidentia, quæ malitioſorum & vitium geniorum qui alienis tantùm malis & calamitatibus delectantur; At Æmulatio quæ & Contentio dici poteſt, afficit magnanimos & optimarum rerum cupidos. Ita Alexander dicitur Achilli æmulatus quòd Homerum nactus fuiſſet ille virtutum præconem. Eſt autem Affectus iſte Bonus aut Malus. Bonus, ſi de virtute ſit, doleamuſque eam non habere quam aut Majores, aut Illuſtriores habuere, ſeu habent. Malus, ſi de aliorum felicitate doleamus, eamque optemus per fas aut nefas nobis contingere. Æmulationem bonam hic accendere ſatagimus, de qua D. Paulus plurimis locis, ac præcipuè 1. Cor. 31. *Æmulamini Chariſmata meliora*; & 2. Cor. 11. 2. *Æmulor vos Dei æmulatione*. Quid ſit Æmulatio, & quomodo ab Invidia differat?

Rationes quibus ſtimulatur Æmulatio, hæ ſunt. 1. Propoſitio Majorum, Parentum, Amicorum, *&c.* quorum Exempla illuſtria nos ad imitationem provocant. 2. Heroum ac Egregiorum Virorum & Sanctorum facinora eximia. Sic Auguſtinus incendebatur hac ſuaſoria monitione ad conſpectum plurium cujuſcumque ætatis, conditionis & ſexus Juſtorum, *Numquid poteris*, ajebat, *quod potuerunt iſti & iſtæ?* 3. Oſtendendo, magnam ex re de qua agitur, futuram gloriam, laudem, *&c.* 4. Contra verò, magnum dedecus derivaturum in degenerem & piis parentibus diſſimilem ſobolem. Affectus iſte habet locum in Epilogis Concionum Generis Exornativi, cùm ſcilicet excitandus eſt Auditor ut ea imitetur quorum laudem audiit & probavit. Æmulationis Incitamenta.

III. Contemptus, eſt *Effectus, quo quis deſpicit eum qui contraria mala patitur his bonis quæ nos æmulamur*; Vel cùm quis non æmulatur quæ alius habet bona, ſed parvi æſtimat & contemnit, nec curat ut ea conſequatur; ut cùm Chriſtianus ſpernit delicias, quas Mundani appetunt. Contrarius eſt Æmulationi motus iſte, qui iiſdem rationibus excitatur, quibus res quæ deſpicitur, deſpectum meretur. Contemptus.

IV. Indignatio, *eſt Dolor animi, ob proſperam alicujus fortunam qua reputatur indignus*. Dicitur Græcè Nemeſis: differt ab Invidia, quòd hæc non dolet de bono alterius, quia ſit illo indignus; ſed ſimpliciter, quia aliquis ſibi æqualis obtinuit proſperam illam ſortem quam Invidus ſibi deſiderabat, unde in malam partem illa ſemper ſumitur; Indignatio Indignationis Definitio & Incitamenta.

verò

verò triſtatur ex eo quòd feliciter aliquid ſuccedat indigno & immerenti. Succenditur Indignatio, 1. Si vitæ prioris indignitas, turpitudo, & infamia cum præſenti ſtatu conferantur. 2. Indignamur in eos qui fortuna & divitiis abutuntur in comeſſationibus, libidinibus explendis, *&c.* 3. Si vitia atrociora in eo eſſe probentur, ut ſuperbia, inſolentia, *&c.* 4. Si ejus qui proſperatur, indignitas & iniquitas conferantur cum juſto calamitoſo & adverſam fortunam patiente. Iiſdem locis in ſenſum oppoſitum uſurpatis mitigatur Indignatio. Vix Oratori Chriſtiano uſui eſſe poteſt iſte Affectus, niſi oſtendat in genere, hujuſmodi bona non eſſe indignis diſtribuenda ex Juſtitiæ libramento.

Accedia, & ejus Remedia.

V. His ſubjicio Acediam, *quæ eſt Triſtitia ſeu tædium in bono opere, ex qua naſcitur Deſidia & Segnities.* Hanc conabitur expugnare Eccleſiaſta ſequentibus rationibus, ceu tot calcaribus admotis. 1. Ex Scriptura ſacra frequentiſſimè ſuadetur operatio. *Quidquid poteſt manus tua* (inquit Eccleſiaſt. c. 9.) *inſtanter operare.* 2. Ex Natura Hominis, qui Job 5. dicitur factus ad laborem. 3. Ab Exemplo rerum omnium, quarum nulla otiatur. Vide quàm inſtanter penſum exolvunt, Cœlum, Sol, Luna, Stellæ, Terra, Formicæ, *&c.* Altiùs rem proſpice, Deus ipſe nuſquam otiatur, *&c.* ergone tu ſolùm ex omnibus rebus otiaberis? 4. Otioſus ille ſtatus, omnino adverſatur profectui virtuoſo, nam (ut ait D. Bernardus) in via Dei non progredi, regredi eſt: ruinæ proximus eſt qui non appetit ulteriorem progreſſum. 5. Occaſio eſt cur à deſide ſervo auferantur Talenta quæ illi fuerant ad uſuram conceſſa; Ficus infructuoſa maledicto divino feritur, exſcinditur, ac tandem igni abſumenda traditur, quia terram inutiliter occupat; aufertur etiam Regnum Dei à deſidibus, & datur Genti fructum ſcienti. Tot ſunt iſta pœnarum quas Deus de otioſis Chriſtianis ſumit, ſymbola & figuræ. 6. Metus eſt ne tempus quod Deſes negligit, ſugiat, nec poſſit revocari; Unde Galat. 6. dicitur, *Dum tempus habemus operemur bonum.* 7. Acedia peccat contra Naturam, Gratiam & gloriam, quarum bona aut inutiliter impendit, aut miſerè diſperdit, aut temerariè & impie diſpicit.

Remedia huic vitio ſuggerent quæcumque mox dicta ſunt; quibus hæc pauca ſubjice; I. Gaudium ſanctum debet intra conſcientiam excitari. De eo dictum eſt ſuperiùs Sect. de Gaudio. 2. Suggeratur occupatio, & ſtimuletur deſes, tum conſideratione pœnarum Inferni, tum præmiorum Beatitudinis magnitudine. 3. Provocetur piger ad opus Exemplo Chriſti ac Sanctorum, qui nullam paſſi ſunt elabi temporis partem, quæ non utiliſſimè inſumeretur.

Concionum Partitiones.

Concionum Partitiones hæ aut ſimiles poterunt ex Acedia fieri. Solemnis eſt & omnibus vitiis communis diviſio qua quæritur, 1. *Quid ſit?* 2. *Quot ejus damna* ſeu effectus? 3. *Quæ Remedia?* Trita eſt etiam, quæ aſſerit hoc vitium. 1. *Diſplicere Deo.* 2. *Dæmoni placere.* 3. *Homini nocere.* Item lædit 1. *Naturam.* 2. *Gratiam.* 3. *Gloriam.* Item, impugnatur,

1. *Scri-*

Digitized by Google

1. *Scriptura*. 2. *Exemplo* rerum omnium quæ operoſæ ſunt. 3. *Ratione*. Item excitatur ejus fuga, 1. *Terrore pœnarum*. 2. *Præmiorum illecebra*, 3. *Chriſti ac Sanctorum exemplis*.

ARTICULUS IV.

De Spe & Deſperatione, Fiducia & Diffidentia.

DE duobus iſtis Appetitus Iraſcibilis Affectibus, dictum eſt præcedenti capite, quod Oratorem Forenſem ſaperet; nunc verò ea quæ ad Concionatorem tantùm ſpectant addimus.

I. Spes eſt (ut diximus) Animi Affectus, quo bonum abſens, propoſita conſequendi via perſequimur; Ardui quidem & difficilis rationem habet illud quod ſperatur, ſed debet eſſe requiſitu poſſibile, neque enim ſpe ducimur rei faciendæ, quæ fieri nequit. Triplicis autem generis Bonum eſſe poteſt illud quod intenditur, ſcilicet, Naturæ, qualia ſunt quæcumque ad vitæ commodum & utilitatem ſpectant; Gratiæ, ut venia peccatorum, divina ſubſidia; Gloriæ, ut æterna ſalus, &c. Spes Divina.

Incitamenta ad Spem Divinam in genere, ſunt, 1. Nobilitas & præcellentia hujus virtutis; eſt enim Theologica & Deum immediatè reſpicit. Joan. Climacus, Grad. 30. ait, ſpem eſſe Theſaurum indubitatum & maximè propriam Chriſtianorum. Ipſa namque Spes (ait Auguſtinus) nos gaudere facit inter dolores. 2. Scripturæ S. teſtimonia, quæ nos innumeris in locis ſuadent ponere in Deo Spem noſtram. 3. Spes tribus potiſſimùm Dei Attributis nititur, ſcilicet Scientia, quæ novit Indigentiam noſtram; Bonitate, quæ incommodis ac neceſſitatibus noſtris vult ſubvenire; Poteſtate, qua quod novit neceſſarium, cupitque ſuppeditare, præſtabit: Hæ inquam tres Perfectiones Providentiæ famulantur, illiſque quaſi miniſtris iſta utitur, ut abundè cùm naturalia, tum ſupernaturalia ſubſidia hominibus præſtet ac ſufficiat. O quàm firma inde Spes ſtatuitur! 4. Promiſſiones à Deo factæ hominibus, quòd iis nullatenus deerit in neceſſariis, Spem firmare omnino debent. 5. Chriſtus datus eſt nobis à Deo Patre, nonne & cætera omnia, hoc dono longè inferiora, ſperare debemus? cui enim plus datum eſt, eidem vix negabitur quod minoris æſtimatur. 6. Chriſtum habemus Fratrem, non enim confunditur nos vocare fratres, Advocatum & Mediatorem apud Patrem, quid ille pro nobis non poterit obtinere? 7. Conjecturam debemus ducere, à Beneficiis innumeris Creationis, Redemptionis, Conſervationis, & aliiș ſimilibus, ut ſperemus cætera quibus indigemus. Ita ſuadet Emiſſenus Hom. 2. de Symb. *Per ea quæ agnoſcis præſtita* (inquit) *diſce ſperare promiſſa*, &c. 8. Adde Mediationem B. Virginis, Angelorum Cuſtodum ac omnium Sanctorum, & inde firmum ſpei Argumentum ſume. Spei Incitamenta.

II. Fiducia, vix à Spe diſtinguitur, illam tamen his verbis deſcribimus: *Eſt Affectus animi, quo proximam ſalutem eſſe confidimus graviuſque malum, velut non futurum, aut longè remotum contemnimus.* Hanc nos virtutem, prout ad veniam peccatorum ſpectat, ſuſcitare & firmare nitimur. Sperare igitur debemus nos veniam pro delictis commiſſis à Deo conſequuturos, ſequentibus Argumentis. 1. Deus invitat Peccatores ad Pœnitentiam, ſpondetque fore ut redeuntem benignè ac miſericorditer recipiat. Ejuſmodi vox divina peccatores compellans, ubique, per ſingulas ferè Scripturæ paginas inſonat. Affirmat ſe veniſſe vocare, non juſtos ſed peccatores, &c. Jurat ſe nolle mortem peccatoris, ſed ut convertatur: Deus fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, non vocat fallendi animo, nec jurat niſi velit adimplere juramentum. *O Miſeros nos ſi nec Deo juranti credimus!* 2. Quorſum miſſi ſunt Apoſtoli, tamquam Legati, Mediatores, Reconciliationis miniſtri, &c. niſi ut peccatores ad Deum revocarent? 3. Attende nomina & Figuras, quibus Amorem ac teneritudinem erga nos teſtatur Deus. Modò ſe dicit Patrem cujus viſcera ſint ad miſericordiam compoſita; modò ſe comparat Matri fœtum intra uterum geſtanti, cujus non poteſt oblivisci; aliquando ſe ſimilem Matri Gallinæ pellos ſub alis congreganti aſſerit: nunc Parabolas ſeu Exempla proponit de Prodigo poſt diſſipationem peramanter excepto de ove recuperata; de Gemma inventa; de Adultera ſoluta, &c. cur inquam hæc omnia nobis perpetuo ſuggeri Deus pateretur, niſi vellet inde Spem veniæ conſequendæ conciliari? 4. Pluries memoravi labores ac dolores quos Chriſtus aſſumere dignatus eſt ut ſalutem hominis negotiaretur; ſed nec ſatis memorari poſſunt, quia tot ſudoris ſanguiniſve guttæ, tot vulnera, tot cruciatus, tot ſunt voces & Argumenta, quæ mihi continuò amantiſſima verba repetunt iſta, *In Charitate perpetua dilexi te.* Mihi videor totus, licèt indigniſſimus, Cruore Chriſti perfuſus Patri æterno ſiſti, ac eundem ſanguinis clamore & merito deprecari ut parcat, &c. 5. Gratiæ ſubſidia quotidiana quæ experimur, tot ſunt miſericordiæ divinæ Argumenta. 6. Idem ſuadent Claves Regni cęlorum Eccleſiæ commiſſæ, ac Sacramenta quæ illa ad noſtram ſalutem diſpenſat. 7. Spem etiam valde firmant exempla celebrium peccatorum quibus Deus pepercit, quales fuere David, Manaſſes, &c. ut diximus. 8. Ad Spem facit, quòd Deſperatio, nocentiſſima & Deo maximè injurioſa cenſeatur.

Incitamenta ad Spem de Venia peccatorũ.

De Deſperatione & Diffidentia nihil jam profero, quia de his ſat dictum eſt cap. præcedenti, & quæcumque mox dicta ſunt, valent ad Deſperationis remedia; qui enim in Spe firmatur, contra Diffidentiam armatur.

Concionum Partitiones.

Concionum Partitiones. 1. *Quid ſit Spes.* 2. *Quibus mediis nitatur.* 3. *Uſus ſeu Exercitium Spei.* Item, Tria bona ſunt ſperanda. 1. *Naturæ.* 2. *Gratiæ.* 3. *Gloriæ.* Item tria ſunt Spei fundamenta. 1. *Scientia Dei.* 2. *Bonitas.* 3. *Poteſtas.* Item Spes ſuadetur, 1. *Dei verbo*, veniam cum Juramento ſpondente. 2. *Dei opere*, quo à pluribus factis facienda in noſtri gratiam ſperamus. 3. *Exemplo* ſimilium, qui utiliter ſperaverunt.

A R-

ARTICULUS V.

De Audacia, Timore, Præſumptione, & Pudore.

DE Audacia ſat dictum eſt in ſuperiore capite, de Præſumptione jam, ut & de Timore & Pudore dicendum reſtat.

I. Præſumptio de qua hic agitur, ad divina ſpectat; eſtque vel ſuperbiæ vel Audaciæ nimiæ fœtus, deſcribiturque, *Fidentia nimia quam quis habet de Miſericordia Dei, vel de propriis viribus ut Salutis opus perficiat.* Reprimitur autem iiſdem ferè Argumentis quibus frangitur ſuperbia, unde fit Primum huic vitio remedium. Secundum petitur à Scriptura ſacra, qua monemur, ne de propitiato peccato ſimus ſine metu. 3. Qui Spe veniæ peccat, Divitias Bonitatis Dei (ut aït Paulus Rom. 2.) & Patientiæ & Longanimitatis contemnit. 4. Peccatum iſtud, quod Dei Miſericordia nequiter abutitur, eſt contra Spiritum ſanctum, videturque Condonatione indignum. 5. Præſumptio ſæpiſſimè punitur gravi & pudendo caſu, unde D. Auguſtinus: Audeo dicere, utile eſt ſuperbos cadere in aliquod mortale peccatum, apertum & manifeſtum, unde ſibi diſpliceant, qui ſibi jam placendo ceciderant. Adducitque in exemplum D. Petri negationem. 6. Retunditur ejuſmodi temeritas, exemplo eorum qui corruiſſe leguntur. Lucifer de Cœlo. Samſon, David, Salomon, Petrus, *&c.* Cadente alio (inquit D. Gregorius) nemo ſuperbiat.

Quid ſit Præſumptio.

Remedia.

Concionum Partitiones. 1. *Quid ſit Præſumptio?* 2. *Qui ejus effectus* ſeu Damna? 3. *Quæ remedia?* Vel, Præſumptio, peccat, 1. *Contra Fidem.* 2. *Contra Spem.* 3. *Contra Charitatem.* Vel, Temerarius deficit, 1. *Prudentia.* 2. *Fortitudine.* 3. *Juſtitia*, quia ſibi non cavet, quia degener eſt à Forti animo & ferè deſperatus; quia conceſſa gratia abutitur adverſus Deum concedentem.

Concionum Partitiones.

II. Timor eſt *Perturbatio ex opinione futuri mali & ardui nata.* Vel, *eſt Affectus animi ex apprehenſione magni mali & imminentis.* Hujus ſex ſpecies à D. Damaſceno l. 2. c. 15. Orthod. fid. enumerantur *Deſidia*, quæ eſt Timor laboris moleſti; *Erubeſcentia*, quæ eſt metus admittendi aliquid turpe, ne dedecore afficiamur & à bona exiſtimatione excidamus. *Verecundia*, eſt de opere perpetrato, ob eundem famæ minuendæ finem; *Admiratio*, quæ eſt Timor alicujus mali magni, in quo difficile ſit ferre judicium; *Stupor*, qui eſt Timor alicujus mali novi & cujus nullam habet experientiam; *Agonia*, quæ eſt Timor magni alicujus mali, cujus non apparet modus evadendi. Triplex eſt timor, alter eſt Divinus, Filialis, & caſtus, qui Deum metuit, & amat; Alter eſt Servilis, bonus, & honeſtus, qui pœnas æternas, quas Deus peccatoribus infligit, refugit; Alter Mundanus & abjectus, qui ne ſuſtineat pœnas temporales, à Deo recedit.

Quid ſit Timor, & Quæ ejus Species.

I. Incitamenta Timoris Filialis, ſunt hæc.

Rationes quibus ſuadetur Timor Filialis.

1. Commendatur à S. Scriptura pluribus in locis. Venite Filii, *timorem Domini docebo vos*. Pſal. 33. 12. *Beatus vir qui ſemper eſt pavidus*. Prov. 28. 14. Secundò Timoris bona eundem ſuadent. Nam, 1. Initium Sapientiæ Timor Domini. 2. Fugat peccatum. 3. Gratiam meretur, unde D. Bernardus ait: [In veritate didici nihil magis efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore inveniaris non altum ſapere, ſed timere.] 4. Firmamentum facit Eccleſ. 34. Qui timet Deum nihil trepidabit. 5. Gloriam procurat, ut ait Pſaltes Pſ. 14. Timentes autem Dominus glorificat. Tertiò, Timorem ingerit conſideratio Divinæ Præſentiæ, quæ nobis ſemper adſtat; Scientiæ, quæ nos ſemper intuetur; Immenſitatis, quæ Deum intra & extra nos ſiſtit; Poteſtatis, quæ Nobiſcum operatur, & cujus opera utimur; Juſtitiæ, quæ nihil inultum patitur. Quartò, infinitis hoſtibus cùm vitæ, tum ſaluti inſidiantibus circumdamur. Quintò, Incertitudo veniæ; *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Eccleſ. 3. Sextò, Incertitudo Gratiæ; *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*. Eccleſ. 9. Septimò, Incertitudo mortis. Octavo, Incertitudo ſententiæ in poſtremo judicio ferendæ. Sæpe (inquit D. Gregorius) ſordet in conſpectu æterni judicis, quod in intentione fulget operantis. Nonò, Exemplum omnium ferè hominum, maximè ſapientiorum, qui metu ſunt affecti. D. Hieronymus ſic de ſe fatetur, *Sive comedam, ſive bibam, ſive aliquid aliud faciam, ſemper inſonare videtur auribus meis illa terribilis tuba, Surgite Mortui, venite ad Judicium*.

Remedia contra Timorem Mundanum.

Remedia contra Timorem Mundanum.

Primò ex Chriſti conſilio Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*. Secundò, Rationes quæ ad excitandam Spem ſuperiùs adductæ ſunt, valent ad comprimendum malum Timorem. Tertiò, hujuſmodi metus excæcat mentem & rationem perturbat. Quartò, *Non ſunt condignæ Paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, &c. Rom. 8. Quintò, Chriſtus ac Martyres timuere ex naturali motu horrorem incutiente, ſed hunc motum fortiter illi vicere. Sextò, Damnoſus eſt ille timor qui nos à bono opere retardat ex conſideratione Hominum, contra quem dicitur Pſ. 13. 5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Septimò, depellendus eſt ille Timor mundanus, per Audaciam legitimam, divina gratia firmatam.

Quid ſit Verecundia.

3. Verecundia eſt, *Affectus ſeu perturbatio animi ex re, quæ nomini labem inferre poteſt, quæque turpis videri ſolet*. Vel, eſt Commotio nata ex iis malis, quæ dedecus videntur inurere, ſive ſint ea mala præterita, ſive futura. Quatuor ſunt præcipuè quæ Verecundiæ favent. 1. Ex Natura ſunt aliqui ad pudorem ſuſcipiendum faciliores, deinde conſcii alicujus criminis vix

non

non pudore ſuffunduntur. 2. Crimina ſunt aliis alia ſordidiora, ut Proditio, Ignavia, & his ſimilia. 3. Status & conditio perſonarum conferunt ad verecundiam vel creandam, vel tollendam: ſic Nobiles, Judices, &c. criminibus ſuæ dignitati infamiam inducentibus verecundantur. 4. Auditores, vel Spectatores faciunt ad verecundiam; metus eſt enim, ne malè audiamus apud eos quorum opinio plurimi à nobis habetur.

Incitamenta pudoris ſunt, 1. Propoſita & exprobrata facti alicujus Turpitudo; ut ſi militi objiciatur Ignavia. 2. Indignitas, Ingratitudo, Impudentia, &c. Hominis. 3. Vitiorum etiam Naturalium, cùm propriorum, tum Parentum, &c. præteritorum & præſentium exprobratio. Incitamenta Pudoris.

Remedia Pudoris petuntur ab iiſdem rationibus in oppoſitum ſenſum adductis. 1. Minuitur facti turpitudo, aut ſaltem oſtenditur non eſſe tanta, quanta æſtimatur. 2. Minuitur culpa delinquentis, vix enim verecundatur aliquis ob rem quæ ipſi invito & fortaſſe renitenti accidit. 3. Probetur, quòd laus ſit non mediocris gentilitium dedecus propria virtute abſtergere. Remedia contra Pudorem.

4. Pudor Malus, de virtutum exercitio pleroſque afficit, quaſi ipſos pudeat bonorum operum; adverſus quos poterunt hæ aut ſimiles rationes adhiberi. 1. Quod Pudor & Erubeſcentia debeant ſuffundere vitia, eorumque Authores; contra, virtutis eſt prodire audacter in publicum, nihilque erubeſcere niſi ſolummodò abſcondi. 2. Actus Fortitudinis eſt, pro partibus Dei ſtare contra Dæmonis phalanges. 3. Jubemur à Chriſto opera bona præſtare quæ poſſint videri ab hominibus, non quidem ob vanam gloriam, ſed ad ædificationem & exemplum. 4. Præmium promittit Chriſtus Matth. 10. 32. *Omnis* (inquit) *qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, &c. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles*. 1. Reg. 2. 30. Quintò, Pœna decernitur in hujus ſceleris reos. Audi quid minetur Chriſtus Luc. 9. 26. *Qui me erubuerit & meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum*. Quid ad hæc reſpondes, ò nequiter timide? num jam erubeſces virtutum praxim, ſacris Myſteriis frequentiùs adeſſe, ad ſynaxim accedere, &c. ea forſitan ratione detentus, quòd Mundanorum oculos metuas, videariſque Antipodum more ex oppoſito his modo, his ſtare? &c. Quæ cauſa trepidationis, ubi nullus eſt timor? &c. Falleris dum cenſes inde tibi minus gloriæ accedere, contra quàm metuis eveniet; nihil enim glorioſius, nihil utilius, quàm Deum palam confiteri, &c. Sed niſi id facias, nihil damnoſius, &c. Sextò, Vis exempla? Paulum audi ſic ajentem, *Non erubeſco Evangelium*. Rom. 16. ſic hortabatur Timotheum Epiſt. 2. c. 1. 8. *Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, &c.* Idem præſtitere quotquot nominis alicujus laudem habuere in Eccleſia. Audacter & fortiter ſtetere pro virtute, &c. Num & tu velis eos imitari? &c. Septimò, ſuſpicor quid te à bono opere removetur; metuis forſan famoſum dicterium, Quæ verba, qui ſenſus de me Rationes contra Pudorem de virtutum exercitio.

apud alios fient? inquis. Itane papyraceo adverſario terreris? ita vinculis araneis detineris? Qui ſunt illi quorum cenſuram fortè metuis? non ſanè Sapientiores, quia hi te laudabunt: Stultiores ergo: at horum quamvis innumerorum deſpiciendus eſt ſenſus, & nihili faciendus. Præſtat paucioribus bonis probari, quàm infinitis inſipientibus; priorum æſtimatio anteponenda eſt poſteriorum opinioni, &c. Octavò, Attende ad ſpectatorem Deum ejuſque Angelos te intuentes, &c. Horum judicium, quibuſcumque mundanis præferri meretur, &c.

Remedium contra Pudorē ex Confeſſione peccatorum ortum.

5. Pudor Malus quo retinentur aliqui, ne pudenda crimina revelent Confeſſori, poterit his aut ſimilibus rationibus tolli & leniri. 1. Hæc eſt à Deo ſtatuta conditio, ut peccatori non det veniam niſi confitenti (ſi id præſtare poſſit:) non indiget quidem ejuſmodi revelatione ut crimen ſciat, ſed vult remiſſionem hac modica pœna venire. 2. Ficta Pudoris imagine terreris, nullus eſt enim, aut certè non talis pudor eſt, qualem tibi fingis, Phantaſma eſt, quod vix percipitur, aut facillimè diſcutitur. Singulas metus rationes examinemus & ſolvamus. 3. Metuo (inquis) ne Confeſſor bonam quam de me hucuſque habuerat æſtimationem, deinceps amittat; arbitratur me caſtum, fidelem, &c. at quantùm ab his me abeſſe comperiet, cùm audierit quæ deliqui, &c. Falleris: optimè de te ſentiet, qui tanta te virtute præditum experietur, quæ pudorem audacter ſuperet ob ſalutis negotium, &c. Mirabitur & laudabit confitentem reum. Putabat me meliorem (inquis) immò putabat te poſſe labi & infirmitates humanas pati, &c. Graviores fortaſſe lapſus ipſe patitur, cùm ſit circumdatus infirmitate, &c. unde excuſat, & miſeretur; niſi enim ipſemet paria perpetraverit, ſcit ſe poſſe pejora committere, & commiſſurum niſi Deus obſtiterit, &c. Neſcis etiam hujus eſſe Sacramenti ſpecialem virtutem, ut plurimis Confeſſorum auferat memoriam eorum, quæ in Confeſſione audierint, &c. Metuo, inquis iterum, ne quidquam de meis delictis Confeſſor proloquatur. Malè & temerariè ſentis de tuo Confeſſore, quem lædis judicio perperam facto contra ejus probitatem: deinde, ſecretum Confeſſionis clauditur Sigillo nuſquam reſerando; Peccatum eſt maximum, audita vel modicum patefacere; ejuſmodi crimen admiſſum à quocumque Sacerdote non legitur; & ſi fortaſſe imprudenter illi ſecretum excidiſſet, graviſſimis pœnis mulctaretur, &c. 5. Reperitur aliqua difficultas in ſuperando pudore; Eſto; at maximis præmiis, ſcilicet peccatorum venia & Cœlo, compenſatur: num hæc pluris facienda ſunt quàm leviſſima pœna, quæ fit ab erubeſcentia? Sextò, Silere vis & peccata tua celare? ergo damnari vis: nam ſi inconfeſſus lates, inconfeſſus damnaberis, inquit Auguſtinus. Septimò, Quis furor, quæ veſania, te eo adigit, ut malis latere uni Sacerdoti, & patere toti orbi in judicio Generali, quàm patere nunc uni & latere tunc omnibus? Hìc adhiberi poteſt Hypotypoſis Figura, qua ſtatuatur ille vel illa quæ pudore tacet, coram Deo Angelis & hominibus, ipſique exprobretur quod maximè

ſe-

ſecretum deſiderabat, &c. Quis tunc animi ſenſus? &c. Nonne mallet aperuiſſe omnia etiam ſecretiora, &c. quàm in æternum pudore publico perfundi?

Concionum Partitiones.

Concionum partitiones hæ poterunt efformari. *Quid & quotuplex ſit Timor*. 2. *Quis ejus effectus*. 3. *Ejus exercitium*: aut (ſi ſit malus) ejus remedia. Item triplex eſt Timor. 1. *Servilis*, qui intuetur ſolùm pœnam. *Filialis*, qui ex Charitate tantùm procedit. 3. *Humanus*, ſeu civilis, qui utrumque motivum miſcet, partim ob amorem, partim ob affectum abſtinens. Prior eſt malus nec ſufficit, eſtque communiſſimus: Alter optimus, & deſideratur, eſtque rariſſimus. Poſterior imperfectus, ſed ſufficit, eſtque communis. Vel debemus timere in tribus ſtatibus *Gratiæ*, 1. *Amiſſæ*, ne non reſtituatur. 2. *Poſſeſſæ*, ne amittatur. 3. *Recuperatæ*, ne ſi iterum amittatur difficiliùs recuperetur. Vel tria nobis incerta debent incutere metum. 1. *Incertitudo veniæ* obtentæ pro peccatis commiſſis. 2. *Incertitudo Mortis*, quæ temporis ſpatium abrumpet. 3. *Incertitudo judicii divini*, qualem ſcilicet de operibus noſtris Deus ſeret ſententiam. Item metuendus eſt *Deus*, 1. *Teſtis*. 2. *Pars* adverſa. 3. *Judex*. Item timendus eſt, 1. *Dum* monet ac *vocat*. 2. *Dum parcit* ac ſuſtinet. 3. *Dum punit* ac caſtigat.

De Pudore Partitiones poſſunt eſſe iſtæ; Qui retardatur ab opere bono pravi timoris retinaculo, ille *Deficit*, 1. *Sapientia*, quæ de ſtultorum judicio non curat. 2. *Fortitudine*, quæ leviſſima impedimenta deberet ſuperare. 3. *Religione*, quæ Deum cæteris rebus deberet præponere. Pro Confeſſione verò, ejuſmodi pudor eſt, 1. *Injurioſus Deo*. 2. *Gratus Diabolo*. 3. *Noxius Peccatori*. Vel, in Exomologeſi, 1. *Nihil eſt indecorum*. 2. *Nihil eſt difficile*. 3. *Nihil eſt inutile*, *imò Audacia eſt utiliſſima*.

ARTICULUS V.

De Iræ & Odii ſedatione.

Ubi de Clementia & Lenitate.

DE Ira ſatis dictum eſt cap. 3. hujus lib. art. 6. Ejus definitio, Cauſæ, Effectus & Remedia ibidem explicata ſunt abundè. De Odio diximus art. 1. hujus 4. cap. quatenus ſcilicet legitimum eſt, averſatur ea quæ Dei gloriæ ac noſtræ ſaluti ſunt injurioſa. Supereſt agendum de Odio proximorum, quod ferè nihil eſt aliud, quàm Ira perſeverans, quodque in vindictam adverſus inimicos exardeſcit. Huic oppoſita eſt Clementia ſeu Lenitas, de qua priùs nonnulla dicere videtur operæpretium.

§. 1.

§. 1.

De Clementia.

Rationes quibus ſuadetur Clementia.

CLementia, Lenitas, Manſuetudo, tot ſunt nomina quibus exprimitur Affectus animi Iræ contrarius, & quo quis intus ſedatur.

Incitamenta Clementiæ ſunt, 1. Apud Chriſtianum valet Chriſti manſuetiſſimi exemplum. Matth. 11. dicitur, *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*. Et ibid. *Diſcite à me, quia Mitis ſum*. 2. Præmia Manſuetis promiſſa, Matth. 5. 4. *Beati Mites*, &c. 3. Magnam vim habet Lenitas, ad conciliandam Dei gratiam. Hac utebatur mediatrice Pſaltes Regius, dum ſcriberet Pſ. 131. 1. *Memento Domine David, & omnis Manſuetudinis ejus*. 4. Apud quemcumque Iratum valet depoſitio ſuſpicionis de contemptu; quemadmodum enim iraſcitur quis, dum ſe putat deſpici; ſi ab ejuſmodi opinione divellatur, fiet lenis. 5. Criminis confeſſio ingenua. 6. Offendentis humilitas & demiſſio. 7. Beneficiorum commemoratio. 8. Damnorum quæ ab Ira provenire poſſunt recenſio. 9. Deprecatio vel ab humili Reo, vel à Mediatoribus maximi momenti. 10. Exempla virorum illuſtrium, qui per Clementiam, glorioſum ſibi apud poſteros nomen fecere. Hæc inquam, aliaque quæ in Art. præfato de Ira dicta ſunt, ſi bene perpendantur, explicentur & inculcentur, Manſuetum efficient.

Effectus Clementiæ.

Effectus Manſuetudinis ſunt, 1. Humanitas, Urbanitas, & Familiaritas quibus aliquis omnes amanter, & aperto corde, non minùs quàm vultu excipit. 2. A Sanguine horrere quidquid crudelitatem ac ſeveriorem etiam tractationem ſonat. 3. Non punire niſi coactè & invitè. 4. Victis ignoſcere, iiſque vitam & libertatem concedere, &c.

§. 2.

Rationes quibus ſedatur Odium Inimicorum.

Remedia contra Odium Inimicorum.

PRimò, extingui poteſt & expugnari Odium, iis omnibus Argumentis, quibus Amor Proximorum ſuccenditur. Vide Sect. 2. Art. 1. hujus Capitis. Secundò, Præceptum Dei ſuadet Inimicos diligere. Matth. 5. 44. Tertiò, Remuneratio Filiationis Divinæ promittitur condonanti injurias. 4. Indigemus plurimùm, ut Deus nobis remittat peccata quibus ipſum graviter offendimus; ſed eodem modo nobiſcum aget, quo agemus cum inimicis noſtris; Dimittet ſi dimiſerimus, non parcet niſi pepercerimus, &c. 5. Exemplo Chriſti tortoribus non modò injuriam condonantis, ſed pro iiſdem orantis, nemo eſt qui flecti non debeat. 6. Suadebitur etiam Inimicorum Dilectio, à lege Humana, à Civili, à Divina. Homo tenetur diligere Hominem, Chriſtianum, Imaginem Dei, Chri-

Chriſti Fratrem, Paradiſi cohæredem. Sed hæ & ſimiles rationes longiorem Tractatum deſiderarent, habentur in omnibus Libris ac Concionibus ea de re ſcriptis; pauca tantùm in inferiori Appendice, pro exemplo Tyronibus imitando ſubjiciam: ubi plures de Conditione Injuriarum traduntur Concionis Partitiones.

De Lenibus Motibus, ſeu de Jocis Oratoriis ſolent hìc agere Rhetores; Ejuſmodi ſunt, Facetiæ, Scommata, Cavillationes, Mordacitates & his ſimiles motus, qui fortaſſe in Orationibus poſſunt habere locum: ſed non video quomodo poſſint Concionibus commiſceri. Lego ſanctiſſimos Patres ubique damnantes ejuſmodi ſcurrilitates, quæ nec ſapientem prophanum decerent, quomodo Chriſtiano, Eccleſiaſtæ ſacro, Dei Legato convenirent? Severiore cenſura improbant ſimiles Jocos in Pulpitis ſacris, D. Auguſtinus l.4. de Doctr. Chriſt. c.14. D. Joan. Chryſoſtomus Homil. 17. in Epiſt. ad Epheſ. Idem ſentiunt qui de Concionatoris miniſterio ſcripſere. Et ſanè meritò ablegari debent Riſus & Joci, cùm decertatur de Salute æterna, de Tremendo Judicio, de Cruciatibus Inferni, &c. Heu! facetiis non debet eſſe locus, cùm opus eſt lachrymis, ſingultibus, ſacco & cinere, ut emolliatur Ira Dei juſtè in nos incitata, & Miſericordia toties læſa, tandem ad Indulgentiam flectatur. De his igitur Affectibus nihil dicendum cenſui. Ad magis ſeria & utiliora gradum facio. Lenes Motus.

ARTICULUS IV.

Corollarium, ſeu Additamentum, quo Ars, vel Induſtria Eccleſiaſtæ neceſſaria ad commovendos Affectus Auditorum, colligitur & proponitur in Exemplo.

TANTI facio Artem movendi Affectus, ut eam Tyroni Eccleſiaſtæ perpetuò meditandam & uſu imitandam objici velim; ideoque, quantumvis pluries hoc negotium in præſenti Capitulo tractaverim; arbitratus ſum, fore ut non careret utilitate; immò plurimùm proficeret, præcipuorum capitum quæ Commotionem efficere poſſunt, ſummariè & compendioſè repetita tractatio. Hanc igitur, primæ huic iſtius Operis Parti pro Coronide annectimus, cui etiam Exemplum pro evidentiore Regularum declaratione ſubjicimus.

Omnis Ars tractandorum Affectuum à tribus maximè pendet. 1. *Ab Auditoribus*. 2. *A Rebus dicendis*. 3. *Ab ipſo Oratore*. In Auditoribus, ſunt Affectibus excitandi: Res ſuggerunt media quibus Commotiones fiunt; Oratores verò Rebus utuntur ad Motus excitandos. In Auditoribus ſpectantur Genius, & Indoles, aliæque circumſtantiæ quæ ad Appetitum ſentientem pertinent. De his conſule cap. 2. Art. 3. Sect. 1. hujus libri. Item, præcipuè attendi oportet ille ſpecialis Affectus, qui proponitur in A quibus præcipuè pendet Affectuum commotio?

oblata tunc occaſione movendus; neque enim ſapientis Oratoris eſt occurrentem fortuitò & caſu Motum excipere; ſed debet ſeligere Affectum certum, ſuo propoſito accommodatum, & adducendis rationibus ſcopum convenientem. V. g. ſi de Odio extinguendo agatur, dicat apud ſe, Propoſitum meum eſt ſedare Inimicitiam, deinde Amorem ſeu Dilectionem ſuadere, opus mihi eſt, ut Argumenta, Amplificationes, & Figuras ad hunc finem appoſitas adhibeam, illucque convertam rationes, motus, geſtus, vocem, *&c.* Quod de Ira ſedanda dico, de aliis quibuſcumque motibus excitandis cenſendum eſt; aſſumatur ſemper aliquis Affectus præcipuus, cui militet omnis Oratoria ſupellex tunc adhibenda. In rebus conſiderantur, Gravitas, Dignitas, Utilitas, *&c.* ſunt enim quæ aliis ſunt aptiores cùm ad amplificationes, tum ad commotiones faciendas, ut dictum eſt Cap. 1. Art. 2. hujus Libri. In Oratoribus quid ſpectari debeat, docetur cap. 2. a. 3. ſect. 3. & art. 4. ſect. 2. hujus etiam Libri.

Figuræ & Amplificationes motibus ciendis idoneæ debent ſeligi.

Notandum eſt etiam, quòd Figuræ debent convenire ſuis Affectibus; quamvis enim vix ſit aliqua, quæ non poſſit eſſe uſui in omni ferè Affectu; ſunt tamen ſuis Figuris magis proprii & aptiores aliqui Motus; & contra Motibus aliquibus magis appoſitæ ſunt Figuræ; ſicuti & ſingulis Dicendi Generibus accommodantur Motus & Figuræ; V. g. Amori & Odio valde congruunt Bonorum vel Malorum Deſcriptiones, Enumerationes Partium, Hipotypoſes, Conformationes, *&c.* & quæ Bonitatis aut Malitiæ imaginem ad vivum pingant. Deſiderium vel Fugam; Gaudium & Dolorem, ferè ſimiles Figuræ accendunt; ſed his adjiciuntur Exaggerationes, Expoſtulationes, Querelæ, Exclamationes, Ironiæ, Apoſtrophes. Acrioribus Figuris urgetur Spes, vel comprimitur Deſperatio. Audaciæ, Timores, & Iræ, ſtimulari, vel cohiberi debent per vehementiora Schemata, quæ in ſenſus incurrunt, quales ſunt Proſopopœjæ & Ratiocinationes, *&c.*

Propoſito igitur fine ſpeciali, quem Eccleſiaſta intendit; v. g. Odium ſedandum, Eleemoſyna ſuadenda, *&c.* conquirantur rationes & Argumenta quibus poſſit intentum obtineri, diſponantur in charta & ſummariè notentur, eo ordine qui viſus fuerit convenientior. Poſſunt etiam inſigniri Characteribus Arithmeticis ut ordinatio liquidior appareat. Deinde ſi formanda ſit Concio, excogitetur Partitio, quam prænotatæ rationes maturiùs diſcuſſæ ſuggerent, pro induſtria Oratoris; alter enim altero eſt ingenioſior & ſagacior ad inveniendas Diviſiones & ſubdiviſiones; vel, ſi opus ſit ſolùm movere Affectus, ut in Concluſionibus fieri ſolet; tunc ordinatæ & prænotatæ (ut dixi) rationes ad propoſitum, edisſcantur, perpendantur & memoriæ infigantur; poſtea verò, eædem rationes idoneis Amplificationibus dilatentur, tum Figuris appoſitis veſtiantur ac expoliantur.

Duplici errore, vel alterutro, ſolent hìc delinquere Prædicatores nondum

dum abſoluti; Aliqui Probationes proferunt bonas quidem & legitimas, ſed inconditas & impolitas, abſque Figurarum artificio, vel certè nonniſi cum arte modica: Aliqui Figuras & Amplificationes explicant; ſed rebus vacuas & inanes: Priores probant quidem intentum, vi Materiæ (ut aliàs monui) & numero rationum obruunt Auditorem; non verò vi Formæ, quæ ſi adeſſet longè feliciùs negotium Oratorium ſuccederet: Poſteriores, Formam adhibent, illumque vultum induunt, qui Oratorem ſapit; ſed quia rationibus validis deficiunt, ideo infirmo & debili militi armato ſimiles, inepti ſunt ad vehementiores congreſſus, & victorias nonniſi multa fortitudine comparandas. Utriſque remedium eſt optimum, ut Rationes Figuris expoliantur, & Figuræ Rationibus plenæ ac fœtæ adhibeantur. His præmiſſis ad Exemplum accedo.

Duplex error Motus impedit.

Theſis eſt de Condonatione Injuriarum; de hoc Propoſito poterunt hæ Partitiones formari. Prima, remiſſionem offenſionis Deus ſuadet, 1. *Præcepto*. 2. *Exemplo*. 3. *Præmio*. Secunda, ſuadent nos Inimicorum Dilectionem, 1. *Natura*. 2. *Gratia*. 3. *Gloria*. Ideſt, quia Inimicus quilibet, eſt, 1. Ejuſdem Humanitatis particeps. 2. Legis ſeu Religionis ejuſdem Profeſſor. 3. Ejuſdem Beatitudinis Cohæres. Tertia, Remiſſio Injuriarum, eſt, 1. *Honeſta & glorioſa*, quia Magnanimum ſapit. 2. *Utilis*, quia plurima bona meretur & conciliat condonanti. 3. *Facilis*, quia cordis humani naturali propenſioni conformis eſt, & Gratiæ ſubſidio perficitur. Quarta, Condonatio injuriarum eſt *Character*, 1. *Magnanimitatis*, ſeu Generoſi Cordis. 2. *Diſcipuli Chriſti*. 3. *Adoptionis Divinæ*. Quinta, Diligere inimicum ſuademur, 1. *Ex unitate Corporis*, cujus Membra ſumus. 2. *Ex unitate Fidei* quam profitemur. 3. *Ex unitate Cibi*, quo in Euchariſtia veſcimur. Sexta, Dilectio Inimicorum, tribus rebus perficitur, 1. *Corde*. 2. *Ore*. 3. *Opere*. Cæteras mitto Diviſiones quæ hac de re poſſunt inſtitui; præmiſſas in exemplum Novitio propoſui, ut perſpiceret quomodo facilè eſt, ex conquiſitis rationibus & capitatim annotatis educere Partitiones; quæ ferè nihil aliud ſunt quàm ipſamet Argumenta ducta à Locis Oratoriis. Nunc ad praxim de Motu ciendo progredior.

Partitiones Concionum de Condonatione Injuriarum.

Motus qui nunc mihi tractandus occurrit, eſt Odium Inimicorum, quod ſedandum ſuſcipio; non quaſi velim hìc Concionem de hoc propoſito inſtituere, ſed variorum Affectuum in hunc finem tendentium concitationem profero tantùm in exemplum Tyroni imitandum.

Pudoris Motus de Odio ſedando.

1. Ab Humanitate; Meminiſti forſan tui, quiſquis es qui in alios ſævis? à te, & in te habes quò miteſcas; Nomen tuum interpretare, vide quid ſonet, & niſi ſtupere ad monita volueris, conceptum Odium depones. Homo, indeque Humanus diceris: At quid hæ voces ſpirant niſi Lenitatem? Ferociant feræ, non miror; ipſum vocabulum, ſi poſſent intelligere, has doceret Feritatem & immanitatem exercere. At quid ſimile in tua nuncupatione reperitur? Nonne Humanitas, Manſuetudo

Pudor ex Nomine Hominis.

& Benignitas tibi ex appellatione ſuggeruntur, ingeruntur, inculcantur; contra verò, iraſceris, ſævis? &c. quo te jam nomine appellem neſcio. Dicerem te ſolæciſmum, quia à tuo Nomine per omnia diſcordas: ſed parva ſunt iſta. Dicerem te Feram; ſi nomen & Figura Feritati mentis concordarent; ſed hæc iterum minora ſunt, quàm quæ merearis. Feris enim pejor es, qui ſub ementito Humanitatis Nomine Ferinum animum inſidioſè geris, & adverſus Humanitatis participes fraudulentiùs ferocitatem exerces. Supereſt ut te Diabolum nominem, qui non ſecus ac ille, fictitio nomine, & adſcititia Humanitatis imagine furis in eos qui te Hominem cenſebant, &c. Heu non te pudet à Nominis gloria multum abeſſe?

Pudor ex Naturæ impulſu.

2. A Natura. Non jam de nomine arguo; à Reipſa, hoc eſt, à Natura quæ tibi cum adverſario communis eſt, Argumentum duco, ut Odium quo alterum inſequeris, extinguam. Ingenuè dicito, nonne innatum affectum experiris quo ſimilem tibi, ſimilis ipſe diligere impelleris? Negas forſan; exemplo Creaturarum omnium pares diligentium, diſce parem in Natura diligere. Nonne Leo Leonem, Tygris Tygridem, &c. amat? Quid tu Homo Hominem odiſti? &c. ſed quid te ad Exempla provoco? temet tibi ipſi ſiſto. Audi quid intus Natura magiſtra tibi objiciat. Finge te alterum tibi alteri de Odio deponendo dubitanti conſilium dantem, quodnam foret illud? *Hic Naturæ Genius poteſt induci per Proſopopœjam diſſuadens Odium*, &c. Diceret certè. Nonne erubeſcis, te fieri Tygribus pejorem? &c.

Pudor ex Chriſti præcepto cui implacabilis non paret.

3. A Chriſti Præcepto. Inferioris ordinis rationes ſunt iſtæ quibus uſus ſum ut te ad condonandas injurias compellerem; ſuperioris & ſanctioris gradus Argumenta nunc ſuggero, ſcilicet Chriſti Præceptum. Noſti quot titulis ad parendum Chriſto tenearis, Dominus eſt ille, tu ſervus, &c. Obedire ergo debes, nec juſtum debitum detrectare potes, &c. At quid ille jubet? *Diligites Inimicos veſtros*, &c. Non eſt hæc vox Hominis; non eſt Oratoris exaggeratio; ſed Dei, non conſulentis tantùm, ſed præcipientis: Decretum eſt, Sapientiæ infinitæ deliberatione ſtatutum, & authoritate Poteſtatis ſupremæ firmatum, &c. Jubet ergo Ille Dilectionem Inimicorum, &c. An poteris negare obedientiam? &c. Vide quomodo cætera omnia Deo pareant ad nutum, ſolus ipſe parere recuſes:

A Similibus.

Præcepit Soli, Lunæ, Stellis, &c. an illa omnia per modicum etiam temporis defuerunt obſequio? Mare alloquitur Deus, aitque, *Huc uſque venies & ibi confringes tumentes fluctus tuos*; quid ad ejuſmodi ſanctionem furens & in rabiem actus Oceanus præſtabit? an contra præceptum præfinitos invadet limites? &c. Nullatenus; ſed ubi tenuiſſimæ arenæ inſcriptum intuetur Creatoris decretum; illud ſtatim reveritus, tumultuantes undarum vortices citiùs comprimens, in oppoſitam partem eoſdem fortiter vibrat, ne vel minimùm de rebellione adverſus Deum videatur ſuſpectus. O eximium obedientiæ Exemplum! ſed non te pudet ab eo plurimum

mum diſtare? Heu quoties pari præcepto juberis tumentes Iræ fluctus compeſcere? &c. quoties tibi dictum eſt, *Huc uſque venies?* &c. An paruiſti, immo nonne parere recuſaſti, & præſcriptos juſtæ forſan querelæ limites tranſgreſſus es? &c. Ergo ferocienti mari ferocior es. Erubeſce, erubeſce, furentis & tumultuantis Elementi obedientia in eundem Dominum paria jubentem ſuperari. Sed quid Maris exemplum profero? Dæmon ipſe, quantumlibet Deo infenſus, ipſi jubenti & præcipienti obedit, &c. Tu verò Homo, Chriſti ſanguine redemptus, &c. Deo, Creatori, Redemptori, Benefactori, &c. remiſſionem injuriarum conſulenti, roganti, præcipienti, non parebis? &c. O Furor, ò Impietas! &c.

4. A Chriſti Exemplo, qui ſuis Crucifixoribus non modò injurias condonavit, ſed eorumdem culpam excuſavit apud Patrem, ac pro iiſdem preces & ſanguinem fudit, duci poteſt validiſſimum Argumentum, & adverſus implacabiles inimicitias intorqueri, ut inde excitetur pudor in Chriſtiano, qui eadem quæ Chriſtus egit, agere erubeſcat. Adjici poſſet præmiorum promiſſio facta iis qui condonaturi ſunt injurias; deinde Pœnarum quæ contra Inimicitias exercentes decretæ ſunt comminatio. Poſſet hic Oratio amplificari & Figuris Hipotypoſeos ac Proſopopœjæ, aliorumque ſimilium ſchematum expoliri; quemadmodum ſi Chriſtus induceretur Implacabilem deprecatus ut vellet offenſam condonare; ſi condonaturo promitteret Gratiæ Gloriæque Theſauros; ſi negantibus graviſſimas pœnas brevi futuras denuntiaret, &c. Sermocinationes etiam cum ipſo Implacabili inſtitutæ, num ſcilicet velit decretum Divinæ Juſtitiæ contra ſe pronuntiare? num enſem adverſus ſe ſtringere? Hęc, inquam, & ſimilia ſi acrioribus Figuris expolita verſarentur ac vibrarentur in Chriſtianum condonare injurias nolentem, hunc prorſus terrerent, & metu perculſum à furente ad placatum avocarent. Sed de his fuſiùs aliàs, cum de Suaſione & Diſſuaſione agetur in 3. l. 2. parte. Primam hic claudamus ut ad alteram progrediamur. A Chriſti Exemplo.

PRIMÆ PARTIS FINIS.

Digitized by Google

PAULUS ECCLESIASTES,

SEU

ELOQUENTIA CHRISTIANA.

PARS SECUNDA.

Digitized by Google

PAULUS ECCLESIASTES,
SEU
ELOQUENTIA CHRISTIANA.
QUA
ORATOR EVANGELICUS
ad Ideam & Doctrinam D. Pauli efformatur.

PARS SECUNDA.

PRÆLOQUIUM.

NON aliter hìc præfabor, quàm ut moneam; quis ſcopus, quiſve ordo huic Operis Eccleſiaſtici ſecundæ Parti præſcribatur, ac etiam quo ſenſus nexu illigetur cum Antecedente. En paucis. Prima Pars quinque Libris proluſit, ut Artis ſacræ ſtudioſum præmuniret communioribus præceptis ad Oratorium munus. *Apparatu* exorditur, quo Eloquentiæ Chriſtianæ Cauſas expendit: deinde *Promptuario* reſerat Theſauros, ſeu Locos & Thecas repoſitorias, unde pateant rationes ad Probandum, Amplificandum & Commovendum appoſitæ. Tertius Liber, qui *Oeconomia* dicitur, Concionum diſpoſitioni deditur; ubi de Exordiis, Introductionibus, Diviſionibus, Confirmationibus, ac Epilogis agitur abundè. Quarto, *de Ornatu*, hoc eſt de Elocutione, qua inventæ rationes expoliri debeant, diſſeritur, *Imperio* tandem docetur Orator Humanis Affectibus dominari, atque quomodo his legem dicere & hos quocumque voluerit flectere poſſit, eruditur. Conſequens eſt modò, ut communia præcepta revocentur ad ſpeciales uſus; atque iſtud eſt Alterius hujuſce Partis intentum; quod

quinque iterum Libris nititur aſſequi. Primò, *Didaſcalicum* ſeu Doctrinale Genus tractatur, ubi de triplici ejus ſpecie, *Catecheſi* ſeu Inſtitutione: *Paraphraſi*, ſeu Expoſitione: Polemica ſeu Controverſia. Poſtea, *Demonſtrativum* dicendi Genus prodit, quo Panegyricorum Methodus traditur, de Deo, B. Virgine, Angelis, Divis, ac etiam Virtutibus, necnon Peccatorum ac Vitiorum improbatio deſcribitur: ubi *de Lamentariis*, ſeu Funebribus Concionibus & cæteris hujuſce Generis ſpeciebus. Tertio Libro, *Suaſorii & Diſſuaſorii Generis Ars* explicatur. Quarto, docetur multiformis Idea, ſeu modus variandi Concionum Formas: nunc ſcilicet in *Forenſes Diſceptationes*, nunc in *Dialogiſmos*: aliàs in *Horoſcopos*, in *Apotheoſes* aliàs: in *Parallelos* aliquando, aliquando in *Climaces*, & in plures ejusmodi ſimiles Orationum integrarum Figuras, quibus Auditores necnon & Eccleſiaſtæ ipſi plurimùm recreantur. Quinto denique, *Suggeſtus*, ſeu de Pronuntiationis inſtrumentis, Memoria, Voce, ac Geſtu, cum Appendice Speculo Concionatorio, Metam figit Inſtitutiones Eccleſiaſticas definiens.

Ex Prænotatis liquet, poſteriorem hanc Partem eſſe Prioris uſum & Praxim. Dixiſſem *Officinam*, niſi putidiuſculè oleret iſtud nomen. Malui *Exercitationes Eccleſiaſticas* inſcribere, ita enim Eccleſiaſtam ſacrum ſtudet efformare Pars iſta Operis totius Altera, ut ſpecialium dicendi Generum Regulas, non modò tradat, ſed & horum Exempla, atque etiam exquiſitiores quas de his Eccleſiaſtarum celeberrimi excogitavere Partitiones copioſè ſuggerat. Sto promiſſis, ni fallor: ſi propoſito minimùm defuerim, Benevolus Lector indulgeat invitè delinquenti.

LIBER PRIMUS.

EXERCITATIO DIDASCALICA,

SEU

DE CONCIONANDI GENERE,

CUJUS FINIS

EST DOCERE.

PRÆFATIO.

Quid ſit Didaſcalicum Genus?

D*IDASCALICUM ſeu Doctrinale Concionandi Genus eſt,* quod Auditores docere ſtudet, quid ſcire, quidve facere debeant, *ut Deo ac propriæ Saluti faciant ſatis. Hujus Dignitatem, Utilitatem, Finem, ac Species breviter deguſtandas præmitto.*

Doctrinalis generis Dignitas & utilitas.

De Nobilitate Didaſcalici Generis ambigat nemo, qui perſpexerit illud verſare ſublimiora Chriſtianæ Religionis Myſteria, necnon fuiſſe Prophetis, Apoſtolis, ſacris Doctoribus, ipſique præſertim Chriſto admodum familiare. Dignitati non cedit Utilitas; Etenim cùm totus ferè orbis damnanda laboret Ignorantia, qua hominum maxima pars cæcutit ad Terreſtrem vanitatem, Cœleſtem Felicitatem, ac Inferni Acerbitatem: *nihil deſiderandum videtur magis, quàm Eruditio, qua depulſis tenebris fiat Lux; indeque ſcientia Salutis oriatur. Atque hic eſt Didaſcalici Generis ſcopus; Ideoque Concilium Tridentinum Seſſ. 1. de Reform: c. 1. ſic Paſtores affatur:* Diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, Plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, *&c. Item Seſſ. 22. c. 8.* Ne oves Chriſti eſuriant, neve Parvuli panem petant & non ſit qui frangat eis, mandat ſancta Synodus Paſtoribus, ut frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in Miſſa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera ſanctiſſimi ſacrificii Myſterium aliquod declarent, Diebus præſertim Dominicis & Feſtis, *&c.*

At, quis non doleat noſtri temporis Genium, quo pleroſque Eccleſiaſtas

ſtimulari videmus ad ſplendidiora Concionandi genera , Formaſque Grandiores quibus ſibi faciant nomen , frigere verò ad Catecheſes , aliaſque Ideas nonnihil demiſſas , quarum Auditores (nullo ferè excepto) omninò indigent? Fallor , niſi Dæmonis malitia irrepſerit Popularium Concionum iſte deſpectus , quem peſſimum in ſacro Pulpito virus arbitror : ſic enim ſæpe teritur inutiliter tempus , verbum diſpenſatur otioſè , fraudatur plebis indigentia , & Evangelicum munus evaneſcit. Heu ſapiant Eccleſiaſtæ Chriſti Exemplo, qui etiamſi foret Sapientiæ Infinitæ Theſaurus , ad Vulgi tamen captum ſeſe ita demittebat , ut Parabolis & Similitudinibus tritioribus uteretur ſemper , ne alicui fieret verbum otioſum ; Ideo meruit hoc Epiphonemate commendari , Numquam ſic loquutus eſt homo. *Joan. 7. 46. Idem præſtitit Paulus eximius Chriſti imitator , qui ad Corinthios Ep. 1 . cap. 3. ſic ſcribit ,* Tamquam Parvulis in Chriſto Lac vobis potum dedi , non eſcam. *Iſte nimirum cibus , qui Puellos ſapit , utpote ad digeſtionem facilis , ſymbolum nobis eſt Doctrinæ familiaris , & Auditoribus minùs in fide eruditis accommodatæ , qua maxima Auditorum pars opus habet .*

Finem Didaſcalici Generis mox indicavi , ſcilicet Docere. *At , non pigebit monere , duplicem ſpectari ſcopum ab Eccleſiaſta Didaſcalico . Primus eſt (ut dixi) Intellectum tenebris laborantem illuſtrare ; Alter verò eſt, Voluntatem movere : neque enim Catechiſta ſacer , in ſola veritatis declaratione ſiſtere debet , ſed faces addere ſtudeat , quibus Auditor ad amplexum & praxim boni præmonſtrati ſuccendatur .*

Multiplex eſt Doctrinale genus.

Multiplex eſt Didaſcalicum Genus : Quemadmodum enim diverſa Temperamenta , diverſæque ægritudines , diverſis egent remediis , quibus curentur ; ita & Homines Ignorantia diverſimodè laborantes , variis etiam docendi formis , necnon rebus indigent , unde erudiantur. Pro varietate quidem Rerum , quæ tractandæ occurrunt ; Genus iſtud ſubdividitur in plures ſpecies , quarum aliæ Fidei Articulos expendunt : Myſteria Religionis aliæ : aliæ Decalogi præcepta : aliæ Legis Evangelicæ Sacramenta : Virtutes denique vel Vitia aliæ explicant . Auditorum varietas , variam Generis hujus tractationem poſcit : ex iis enim quidam eruditione præſtant , quibus eruditior Inſtitutio congruit : quidam ſimpliciores ſunt & rudiores , quos humile dicendi genus decet : quidam medium Genii vel eruditionis gradum ſortiti , mediocrem Concionandi formam poſtulant . Denique habendus eſt ſermo , vel ad Infideles , quorum Ignorantia depellenda eſt : vel ad Hereticos , Atheos alioſque ejuſmodi pervicaciæ homines , quorum obſtinatio revincenda contingit . His omnibus diverſa genera conveniunt .

Ex his Tres Didaſcalici Generis ſpecies præcipuas ſecerno , Catechiſticam, Paraphraſticam , & Polemicam . *Prior erudiendis Fidelibus Chriſtianis impenditur : Altera exponendis Evangeliis vacat : Tertia confutandis Infidelibus occupatur . Atque iterum , variæ ſunt prædictarum Formæ , ſeu methodi : Aliæ enim Grandiori & elegantiori ſtilo : Aliæ Temperato & Mediocri ; Aliæ Demiſſo & humili modo efferuntur . De ſingulis deinceps .*

C A-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM:

Exercitationes Catechiſticæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Catecheſis Natura, Materia, Promptuario, Oeconomia, Methodo, Elocutione, & Varietate.

1. NATURA Catecheſeos patet ex ipſo nomine, quod ſonat Doctrinam vocis miniſterio auribus commiſſam: Quamvis enim omne Concionum Genus dici queat Catechiſticum, quia aure percipitur; uſus tamen invaluit, ut Catecheſis appellaretur ea dicendi forma, quæ Motibus & Affectibus ciendis minus dedita, Docere & Erudire cum primis affectat. Catecheſis, Quid ſit?

2. Materia circa quam occupatur Catecheſis multiplex eſſe poteſt, ſed præcipuè complectitur *Fidei Articulos, Religionis Chriſtianæ Myſteria, Præcepta Dei & Eccleſiæ, Sacramenta Evangelica, Virtutes & Vitia;* atque hæc ſunt quæ in Catecheſibus ſolent verſari, de quibus diſtinctis Sectionibus dicemus ſingillatim. Materia Catecheſeon.

3. Promptuarium Catecheſibus proprium, Fontibus ſeu Locis duplicis generis conſtat; Alii ad docendum, ad ſuadendum alii proſunt. Qui docent, eò tendunt, ut notitiam perfectam veritatis propoſitæ efficiant; qui ſuadent, ad praxim & amplexum rei cognitæ hortantur. Huc revocantur plures Orationum Formæ ſpeciales, quales ſunt Fabulæ, Hiſtoriæ, Chrejæ, Sententiæ, Theſes, &c. quæ ad hoc genus ſpectant. Loci unde Catecheſes explicantur.

Fontes Didaſcalici ſeu Doctrinam ſuggerentes, ſunt potiſſimùm, *A Notatione Nominis, à Definitione, à Deſcriptione, à Genere & Differentia, à Toto & Partium enumeratione, à Cauſis & Effectis*, &c. Horum ratio fusè expenditur 1. p. l. 2. c. 1.

Loci Suaſorii, ferè iidem, qui ad Deliberativum genus ſolent in Concionibus adhiberi; niſi quòd hìc minore elegantia & vehementia urgeri debent. Sunt autem frequentiores, qui petuntur vel à rei ſuadendæ *Honeſtate, Utilitate, Neceſſitate & Facilitate*, vel à Contrariis diſſuaſionem inducentibus. Conſule hujus 2. Partis lib. 4. 3.

Ordo in Catecheſi ut plurimùm obſervandus, complectitur vulgata iſta quæſtionum capita. 1. *Quid res ſit?* 2. *An res ſit?* 3. *Qualis ſit & quæ ejus Effecta?* 4. *Propter quid ſit?* 5. *Quotuplex ſit?* 6. *Denique, quomodo ſit obtinenda, ſi bona fuerit? vel quomodo ſit fugienda, ſi fuerit mala?* Ordo ſervandus in Catecheſibus.

Primò

Primò igitur quæritur quid res ſit? v. g. quid ſit Incarnationis myſterium? quid Baptiſmus? &c. Huic quæſtioni reſpondetur per explicationem eſſentiæ rei. Ad hoc valent Loci Didaſcalici petiti à Notatione Nominis, à Conjugatis, à Definitione, &c.

Secundò, ad quæſtionem An res ſit? revocantur ejus neceſſitas, aliaque plurima quæ ad ejuſdem exiſtentiam, productionem, dependentiam, &c. pertinent. Hic accommodantur Loci à Cauſis, ab Adjunctis, à Comparatione, à Similitudine, à Teſtimoniis, &c.

Tertiò, ad quæſtionem Qualis res ſit? valent omnes ferè Loci, ſed præſertim qui ducuntur ab Adjunctis, à Cauſis, ab Effectis, à Proprietatibus, à Comparatis, & ab Authoritate.

Quartò, Finis Rei indagatur per varia Bonorum genera, quibus res aliqua proficere poteſt; vel mala quibus periculoſa eſt, penſantur.

Quintò, diſtinguuntur Rei ſpecies, ſeu partes diverſæ, in quas illa ſubdividitur.

Sextò denique, Modus rei ſeu aſſequendæ, ſeu exercendæ, proponitur indicatis mediis ad id idoneis & remotis difficultatibus ad id contrariis. Argumenta verò eadem adhibeantur quibus Deliberativum genus utitur, ut ſuccendatur Affectus.

Breviùs ut aliquantulo elegantiùs, ordo ille ad tria capita reducitur; prius quidem agit de *Rei Natura*, alterum de ejuſdem *Neceſſitate*, poſterius de *Uſu*. Ad Naturam rei attinet, quærere quid aliquid ſit, ſeu re, ſeu nomine; quale ſit, ſeu ejus Proprietates; Quotuplex ſit, ſeu ejus Partes. *Neceſſitas* complectitur utilitatem rei, ſeu ſit Bonum Honeſtum, ſeu ſit Commodum; negotium verò conficit ab effectibus, à fine, aliiſque motivis rei amplexum ſuadentibus. Tertium autem caput quod uſum docet, Media praxim inducentia proponit, & impedimenta removet.

Methodus Catecheſium triplex. Humilis.

5. Methodus in Catecheſi triplex eſſe poteſt, *Humilis*, *Mediocris* & *Grandis*. Methodus catechizandi *Humilis*, fit per præcipua rei explicandæ capita, in forma ſimplici, vulgari, & cum dialogiſtica percontatiunculis ac reſponſis brevibus. Ita catechizandi ſunt Pueri, & Adulti ſimpliciores ac rudiores, v.g. dum quæritur, *Eſtne Deus aliquis?* Reſp. *Ita.* Dein ſubjungitur, *Quid eſt Deus?* cui reſpondetur: *Eſt Creator Cœli & Terræ aliarumque rerum omnium*, &c. *Temperatæ* ſeu mediocris catecheſeos Idea, fit per recenſionem & explicationem ſingulorum capitum ſupra memoratorum, quibus res poterit fusè expendi & diſcuti. *Grandior* catechizandi Idea, fit ordine mox deſignato, ſcilicet per præcipua capita quæ naturam, neceſſitatem & uſum rei doceant. Laudatur verò forma Dialogiſtica in Catechiſmis, tùm quia, modus ille interrogationibus & reſponſis mixtus faciliùs percipitur, mentique particulatim inſidens, ipſi fortius adhæret; tum quia veritas hoc ordine diſtributa memoriam ſeu dicentis, ſeu audientis juvat.

Mediocris. Grandis.

Stylus Catecheſium.

6. Elocutio in Catecheſibus debet eſſe ſimplex, nuda, terſa & perſpicua,

Digitized by Google

tua, abſque ornamentis ſaltem grandioribus & frequentioribus; debet tamen eum adhibere cultum qui delectet varietate, tum rerum ſalibus & leporibus identidem conditarum ad levandum tædium, tum figurarum quæ docendi genus deceant, quales ſunt *Occupatio*, *Subjectio*, *Communicatio*, *Suſtentatio*, *Conceſſio*, *Diſtributio*, aliæque ſimiles de quibus 1. p. l. 4. Notandum etiam, quòd ſimplex catechizandi forma ſimpliciorem ſtilum, Mediocris altiorem, Grandis elegantiorem adhuc poſtulat; omnibus verò generibus commune hoc eſt, ut exemplis & ſimilitudinibus rem facto explicantibus optimè & feliciter illuſtrari deſiderent. Item politiorem doctioremque formam, Argumentis & rationibus firmioribus ac ſubtilioribus inſtructam amant Auditores eruditi; rudiori verò & demiſſiori methodo plebeji & aggreſtes edocentur.

ARTICULUS II.

Exercitatio Catechiſtica de Articulis Fidei.

TRiplex eſt, ut diximus, catechizandi genus pro triplici catechizandorum ſtatu; *Humile* & Familiare, quod imperitis convenit; *Temperatum* & Mediocre quod nonnihil peritioribus prodeſt; *Grandius* & elegantius, quod eruditioribus & politioribus accommodatur. Singulorum generum Typos breviter exhibeo, exorſus ab Humili quod utinam frequentiùs haberetur, quia cæteris fortè longè utilius, vulgaribus & plebejis maximè proficeret.

SECTIO PRIMA.

Humilis catechizandi Methodus.

HUmile catechizandi genus ab aliis ſecernitur, tum Materia in Catechiſmo verſanda, tum Forma ſeu Methodo qua res explicantur. Materia in hoc genere tractanda, complectitur præcipua Fidei Rudimenta. V. g. de Chriſtiani nomine & dignitate; de Chriſtiani ſigno, quod eſt Crucis; de Deo, de Trinitate, de Incarnatione, de Præceptis Dei & Eccleſiæ, de Sacramentis, quæ omnia, ut dixi, docentur quantum ad potiora & magis neceſſaria capita. Item docentur, modus conficiendi ſignum Crucis, Oratio Dominica, Angelica Salutatio, Symbolum Apoſtolorum, benedictio & gratiarum actio in menſa faciendæ, preces tum matutinæ tum ſerotinæ præſcribuntur. Deinde traditur methodus ſeu confitendi ſeu ad Communionem accedendi, prout Catechumenorum captus tulerit; alia enim conveniunt pueris ſexennibus, alia grandioribus.

Materia in Catecheſibus parvis tractanda.

Forma verò hujus generis, debet eſſe maximè familiaris & privato collo-

Forma Catecheſeon Humilium.

Digitized by Google

colloquio multùm ſimilis. Dialogis, ſeu Interrogationibus & Reſponſis brevibus diſtinguatur; ſeu Catechiſta ipſe pueros interroget; ſeu ipſorum bini alternatim ſeſe interrogent; ideoque ſeligantur è pueris aptiores ad Repetitionis munus, æqualis ut plurimum ætatis & conditionis, qui præſcriptas in tradita charta Catechiſmi lectiones non longiores ediſcant privatim, quas poſtea publicè interrogati, vel à Catechiſta, vel ab æmulo, repetant clara & libera voce. Catechiſta verò identidem repetentes ſtimulet, tum brevi bene dicentis laude, tum præmioli promiſſione. Sex autem vel octo Catechiſmum repetentes ſufficere videntur in qualibet die. Non ideo tamen minus curandum eſt, ut plures deſignatum ſenſum addiſcant; Nec etiam obſtat, quin Catechiſta ſciſcitetur à pluribus eadem, quæ ab aliis fuere repetita. Dupliciter autem fieri poteſt iſta Repetitio; Aliqui enim in eadem die fieri volunt repetitionem puerorum, quàm ſequatur mox repetitorum fuſior explicatio; alii verò in una die priùs jubent repeti, quæ præcedenti Catecheſi ſunt explicata; deinde facta repetitione explicant quæ ſequenti Catecheſi repeti debent: Utraque catechizandi ratio utilis eſt & Catechiſtæ libera. Peracta Repetitione poterit Catechiſta repetitum mox vel poſtera die repetendum Catechiſmum fuſiori ſermone explicare, interrogationes & reſponſiones ſingulas dilatando & confirmando tum rationibus tum exemplis.

Situs Catechiſtæ pro Humili forma.

Catechiſta ego ſedili communi, ſed paulò altiore elevatus; Catechumenis ſedentibus & ſilentibus circumdatus, ſignet ſe forma Crucis quam ab omnibus fieri curet; tum ad percontatiunculas ſequenti aut ſimili modo faciendas ſe accingat.

Idea Catecheſeos familiaris.

INterrogatio. *Quid eſt fides? Reſponſio.* Eſt donum Dei, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur iis quæ à Deo revelata, per Eccleſiam nobis proponuntur credenda.

2. *Inter.* Quare fides dicitur Dei Donum? *Reſp.* Quia non eſt Naturæ partus, nec illa cognitio innititur experientiæ ſenſuum rationiſve Argumentis, ſed à Deo ſolo eam efficiente & infundente conceditur.

3. *Inter.* Cur homo dicitur fide illuſtratus? *Reſp.* Quia fides intellectum hominis docet ad inſtar lucis oſtendentis quæ Deus credi velit, & hominem inducentis ad aſſentiendum credendis.

4. *Inter.* Quamobrem adduntur iſta verba, Aſſentitur iis quæ à Deo revelata, proponuntur credenda? *Reſp.* Quia ſolus Deus eſt author eorum quæ credenda ſunt, illa ſolus revelat, nec ſpectant ad fidem, niſi quatenus à Deo ſunt revelata.

5. *Inter.* Cur additur Eccleſiæ propoſitio? *Reſp.* Quia illa medium eſt ſenſibile, & nobis cognitum, quo diſcernimus quid ſpectet ad fidem, quidve non: ideoque ad Eccleſiam pertinet judicium de rebus credendis,

dendis, nec credere quidquam nos debemus ex fide, niſi per Eccleſiam priùs fuerit revelatum ac per eam fuerit examinatum ac propoſitum.

6. *Inter*. Quænam ſunt illa Eccleſiæ revelata & credenda? *R*. Illa duodecim Articulis ſymboli ſummatim continentur.

Non expendo pluribus familiarem iſtam catechizandi methodum; facilior eſt enim quàm ut indigeat fuſiori exemplo. Poterit ergo Catechiſta mediocriter eruditus, abſque labore proſequi explicationem eorum quæ ſpectant ad Fidei declarationem; qualia ſuperſunt de ejus Neceſſitate, de ejus Actibus, de Symbolo, ac de ſingulis Articulis Symboli. Idem fieri poterit de Myſteriis Religionis Chriſtianæ, de Præceptis Eccleſiæ, de ejuſdem Sacramentis, aliiſque rebus, quæ ad Fidem aliqua ratione ſpectant; quæ leviori forma delibata rudioribus proponi debent.

SECTIO II.

Temperata catechizandi Methodus.

1. MEDIOCRE catechizandi genus ab Humili diſtat, quòd eandem quidem materiam verſet, ſed eam profundiùs ſcrutetur ac fuſiùs explicet; Id eſt, Fidei Chriſtianæ capita non attingit tantùm, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſed ad ampliora progreditur eruditioni mediocri convenientia, eorumque rationes ac circunſtantias fluidiori & latiori methodo declarat. Forma verò ab eodem genere differt, quòd elegantiori ordine (qualis ſolet Doctoribus eſſe in uſu) ornamentis frequentioribus, habitu & ſuggeſtu ferè ad inſtar Concionum proferatur ac pronuntietur. *Differentia Catecheſeos Medioeris ab Humili.*

2. Exordium aliquod poteſt in iſto docendi genere admitti. Deſumitur autem vel è Locis è quibus Exordia duci ſolent; vel à Paraphraſi, ſeu brevi propoſitione Articuli explicandi; vel à compendioſa Articuli nuper explicati repetitione; unde præmiſſæ veritatis cum præſente connexio appareat; vel denique ſumitur initium à Neceſſitate tractandi Articulum de quo agitur. *Exordium.*

3. Introductione ſæpiùs hoc catechizandi genus caret; ſi tamen admitti debeat, inſtruenda videtur, vel ex præcedentis lectionis repetitione, vel ex dicendorum compendio ſummatim propoſito: Id verò fiet per vel ipſum Catechiſtam prædicta breviter retexentem, vel dialogiſtica Interrogatione; ſeu ipſe Catechiſta pueros percontetur de repetendis, ſeu pueri ipſi, alternatis percontatiunculis & reſponſis clara voce, & elevato ſupra ſcamnum corpore redditis, expleant Introductionis locum. *Introductio.*

Diviſionem ſeu partium diſtributionem non admittit aliam, quàm quæ in Didaſcalicis ſolet adhiberi, de qua ſuperiùs diximus in Ordine à Catecheſi ſervando. Confirmatio verò ſingularum partium fiat per rationes & *Partitio.*

Argumenta, quibus uti ſolent qui docent & qui probant. Caveat tamen Catechiſta ne ad Sophiſtæ ſubtilitatem accedat, vel Scholæ diſceptationes verboſas & exangues imitetur: ſed nuda ſemper & ſimplici forma probationes explicet, adhibitis identidem affectibus & leporibus qui Narrationem fortaſſe frigidiorem, & nimio plus æqualem accendant & recreent.

Probatio.

Epilogus.

Epilogus Catechiſmum claudens, tria præſtet. Primum eſt, ut breviter quæ fuſiùs explicata ſunt retexat, aliis verbis, ut battologiam & repetitionem importunam fugiat. 2. Morali converſione ex præfatis deſumpta, Auditores proliciat ad earumdem praxim, ſuadeatque voluntatem amplecti quæ intellectum docuit. 3. Utiliſſimum eſt Catecheſim concludere brevi, ſelecto & idoneo exemplo, quod negotii totius veritatem in ſimili facto, velut in ſpeculo colligat & repræſentet; Illud enim ferè unicum eſt quod plebs inerudita & rudis, à Catecheſi reportat, quodque rerum explicatarum memoriam conſervet ac refricet.

Idea Catecheſeos mediocris.

De Fide.

Exordium Catecheſeos mediocris.

E Plurimis quibus humana conditio vexatur malis, peſſimum ſimul & frequentiſſimum occurrit, rerum ſeu credendarum, ſeu
„ faciendarum Ignorantia. Peſſimum quidem, quia Deum, Religio-
„ nem, &c. aliaque ad ſalutem neceſſaria horrendis velans tenebris, me-
„ dia omnia quibus ſalvari poſſimus obruit, viaſque quibus pereamus ape-
„ rit, &c. At heu frequentius malum! quis etenim ab eo immunis exiſtat?
„ nulla prorſus ætas, conditio, &c. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios*
„ *hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*, &c. *Non eſt uſque*
„ *ad unum* Pſ. 13. 3. De terra olim dictum fuit, *Erat inanis & vacua & te-*
„ *nebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Geneſ. 1. 2. de Mundo paria verba, ſed
„ pejori ſenſu proferri poſſunt, &c.
„ Neſcio an tanto malo poſſim ferre remedium N. Meum quidem iſtud
„ eſt intentum, horrendam noctem grata fidei luce diſpellere: at quàm hoc
„ difficile! non tamen ſpe cado, ſi Deus adfuerit, voſque ipſos præbueri-
„ tis dociles & attentos. Parate igitur corda, & mecum Spiritus ſancti
„ gratiam ſub auſpiciis D. Virginis implorate; propterea ſimul eandem ſa-
„ lutemus & Angelo concordes dicamus *Ave Maria*, *&c.*
„ Introductio repetet Catecheſim præcedentem. V. g. hìc ſupponimus
„ dictum fuiſſe nuper de obligatione accedendi ad Catechiſmum; qua hy-
„ potheſi facta, ſic poterit fieri Introductoria repetitio.

Introductio per repetitione præcedentis Catecheſeos.

Meminiſſe debetis N. quænam fuerit præcedentis Catecheſeos materia. De duobus magni ponderis egimus nuper, ſcilicet de obligatione accedendi ad Catecheſim, & de iis ad quos ſpectat hæc obligatio. Hanc ſtatuimus triplici titulo, ſcilicet honeſtatis, utilitatis & facilitatis. Ab ho-

Doctrinæ Catechiſticæ Dignitas.

honeſtate quidem id ſuadere conati ſumus, tum ex dignitate doctrinæ
quæ de Deo, Trinitate, de perfectionibus divinis, &c. de Angelis,
&c. de Hominis creatione, de Eccleſia ejuſque Myſteriis ac Sacramen-
tis fusè tractat, horumque mira ſecreta referat. Tum ab explicanda „
veritate quæ intellectus humani pabulum eſt quæque rationem hominis „
maximè deceat. Denique eandem Catechiſmi honeſtatem oſtendimus „
ab exemplis hominum etiam excellentiſſimorum, qui digniſſimum ſuo „
labore præmium cenſuere aliquid novi ediſcere; hinc plurimi patria re- „
licta in peregrinas & remotas regiones abiere, ut Magiſtros audirent, „
quod ab Apollonio aliiſque Philoſophorum pluribus factum legimus. „
Quanto magis ob acquirendam veritatem Catechiſticam, quæ de Na- „
turalibus non tantùm diſſerit, ſed de Divinis, de Æternis, &c. 2. Di- „
ximus Catechiſmi Utilitatem fore maximam & proficere plurimùm, „
tum ipſi Eccleſiæ in univerſum, tum ipſis civitatibus, pagis ac familiis, „
tum ipſis Chriſtianorum ſingulis; Eccleſiæ quidem, quæ verbo divino „
genita non niſi eodem enutritur ac conſervatur; Civitatibus, &c. ve- „
rò quia Catechiſmo fugantur vitia, virtutes ſuccreſcunt; ac ipſa Ci- „
vium, oppidanorum, cognatorumque ſocietas meliùs ſtat, regiturve „
prudentiùs. Ipſis etiam Chriſtianorum ſingulis prodeſſe diximus Cate- „
chiſmum, quia erudiuntur ad ſalutem, armantur adverſus fidei ho- „
ſtes, ac tandem plurimas lucrantur indulgentias à Summis Pontificibus „
conceſſas iis qui Catecheſibus intereſſe voluerint. 3. Facilitatem hu- „
jus operis probavimus; tum ex rebus dicendis, quæ cùm debeant „
eſſe intellectui gratæ, immo & pia curioſitate dignæ, omnem (ſi quæ „
eſſet) difficultatem ſuperarent; tum ex methodo qua Catechiſmus tra- „
dendus eſt, quæ ſingulorum captui accommodari debet. *Hic aperitur &* „
indicatur methodus deinceps ſervanda. Tum ex reſponſione ad impedi- „
menta & excuſationes quibus ſocordes & ignari exemptionem à Cate- „
chiſmo prætexunt. „

Utilitas.

Facilitas.

Ea eſt Catecheſeos præcedentis ſumma, qua iterum vobis ſuggero obli- „
gationem accedendi ad quotidianas Catecheſes. Ad vos omnes ſpectabat „
ſuaſorium illud Præludium, ac præſertim ad Parentes, Dominos aliosque „
cujuſcumque generis Superiores, quorum curæ demandata eſt cæterorum „
ſalus. Nunc verò mihi incumbit ad ulteriora progredi; atque quando- „
quidem Fides Religionis eſt fax præambula & neceſſaria ad Chriſtianiſ- „
mum introductio, de ea dicturi ſumus deinceps omni qua poterimus per- „
ſpicuitate, modò voſmetipſos præſtiteritis attentos. „

Utilitas recapitulationis Catecheſeos præcedentis.

Hoc uſus ſum introductoriæ Repetitionis exemplo, ut oſtenderem qua
ratione fieri poſſint ejuſmodi ſecunda Exordia, quæ Auditoribus ſunt ma-
ximè utilia; iterata enim explicatione veritas in memoriam eorum qui
jam audierunt revocatur, ipſique firmiùs inhæret; iis verò qui præceden-
ti Catecheſi non interfuere inſinuatur, ac denique utriuſque Catecheſeos
cohærentia oſtenditur. Fit autem hæc Repetitio quàm breviſſimè & per-

ſpicuè præſtari poteſt à Catechiſta; quodque repetitum hìc traditur de Catechiſmi neceſſitate, pari modo facile fiet in quolibet Articulo priùs & nuper explicato. Diviſionem autem vix admittit mediocre iſtud genus, nec elegantiori utitur Partitione, quæ Grandiori generi familiaris eſt; ſed ordinem ſequitur Didaſcalicum præcipua ſcilicet Articuli explicandi capita expendendo, hac aut ſimili ratione qua Catecheſim de Fide proſequor.

Propoſitio tripartita. Agimus igitur hodierna Catecheſi de Fide, cujus *Neceſſitatem*, *Excellentiam & Praxim* examinabimus, ad tria hæc capita revocaturi quidquid „ ad fidem ſpectare poterit.

I. Pars. Antequam progrediar ulterius, Fidei naturam brevi deſcriptione pin- „ go, ut hinc diſcatis quòd Fides eſt virtus Theologica, ſeu donum Dei, „ &c. *Cætera Definitionis verba vide ſuperiùs in Catechiſmo ſimplici, ac ſingu-* „ *la ſtricta & dilucida Paraphraſi explicata, &c.*

Neceſſitas Fidei ex triplici capite. Sat ex mox enodata Fidei deſcriptione patet ejus neceſſitas; at ſi quod ſuperſit ulterius dubium; res omnino conſtabit ex triplici ratione qua Fi- „ dem eſſe neceſſariam demonſtro, ſcilicet, 1. Ex ſubſidio inde promanan- „ te, quo intellectus juvatur ad veritates divinas apprehendendas: Secun- „ dò ex unitate Eccleſiæ quam Fides facit: Tertiò ex præcepto de Actu Fi- „ dei poſito.

1. Ratio. Primò quidem Fides eſt neceſſaria, ut intellectus humanus Deum co- „ gnoſcat & credat; quod probatur ex inæqualitate Intellectus cum rebus „ credendis. Fateor ſanè Intellectum eſſe omnis veritatis Naturalis capa- „ cem: noſſe poteſt rerum creatarum eſſentiam, proprietates, effectus, „ aliaque quæ vel ratione vel experientia colligi & percipi queunt, &c. noſſe „ poterit Philoſophiæ principia, &c. Mathematicæ, &c. ea enim intra „ ipſius captum continentur, &c. At rerum Divinarum notitiam aſſequi „ minimè poteſt abſque Fide. Quomodo enim Trinitatis Myſteria pene- „ trabit, Deum ſcilicet unum in Eſſentia, Trinum verò in Perſonis per „ omnia æqualibus? &c. His, inquam, perſcrutandis eſt prorſus impar intel- „ lectus humanus abſque Fide. Unde D. Hieronymus ait, intellectum ho- „ minis ſe habere ad Divina, ſicut oculi Noctuæ ad Solem; at quis neſciat „ quantùm ſuperet fons iſte lucis aciem oculorum Tenebrionis? Longiùs „ ſanè diſtat intellectus ab increata veritate, &c.

„ Unde ait Paulus Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo: Credere* „ *enim oportet accedentem ad Deum, &c.* Paulo accinit D. Bernardus in Cant. „ ſer. 67. ſic de fide loquutus, *Tranſgreditur Fides fines rationis humanæ,* „ *naturæ uſum, experientiæ terminos, &c.* Idem ibid. ait, *Quid non invenit* „ *Fides? attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immania, appre-* „ *hendit noviſſima: ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo* „ *circumdedit, &c.* Ex quibus omnino liquet Fidei neceſſitas, ea ſcilicet ra- „ tione ſtabilita quòd illius auxilio indigeat humanus intellectus ut veritates „ credendas apprehendat iiſque aſſentiatur, &c.

Al-

2. Ratio.

Altera ratione res eadem ſtatuitur, nimirum ut multitudinis Credentium diverſos ſenſus conciliet, hiſque unitatem optandam impertiatur. Quàm optimè Religioni conveniat, immò deſideretur perfecta in rebus credendis Unitas, vos ſat noſtis, hæque rationes evidenter id probant. Prima petitur ab unitate Dei Eccleſiæ Principis, cui par eſt reſpondere unitatem Fidei. Ita definitur à D. Paulo Epheſ. 4. 5. *Unus Dominus, Una Fides, Unum Baptiſma*. 2. Ratio deſumitur ab unitate Spiritus Eccleſiam regentis, in quem diverſitas opinionum circa res credendas foret injurioſa: quemadmodum enim contrarius ſibi eſſe non poteſt, ſic nec contraria dicere, jubere aut conſulere. Diverſa quidem conceduntur diverſarum gratiarum genera, ad Eccleſiæ ſeu gloriam ſeu ſuſtentationem, ait Paulus I. Cor. 12. at unus & idem Spiritus, ſibi in omnibus & per omnia concors;. hoc eſt, unitatem in Articulis ab ipſo revelatis ſervans. Tertiò denique convenit Eccleſiæ unitas, ut in terris ſimilitudinem cœleſtis Hieruſalem repræſentet: at quid fulgidius unitate quam exhibet ſuprema illa Beatorum Civitas, quæ ex omnigena Sanctorum multitudine, cor unum & animam unam conſtituit? &c. Quantùm verò ab iſta deſiderandæ unitatis gloria recederet Eccleſia, ſi tot hominum, quibus illa abundat, capita ſuis ſenſibus permitterentur? Quid? ſi liberum foret unicuique quod vellet de Deo ac Religione ſentire? &c. Eccleſia tunc Babylonis multilinguis imaginem exhiberet, &c. O quanta confuſio! quantis diſcinderetur bellis pacifica domus? quantis diſcordiarum vorticibus quateretur tranquilla navis? &c. Non Dei, ſed Sathanæ Regnum foret, tot tantiſque animorum diverſa opinantium odiis lacerata Reſpupublica Chriſtiana, &c. Unde ergo habebit unitatem Eccleſia ipſi tantopere neceſſariam? A Fide; ea ſcilicet eſt, qua diſcordes nectuntur animi, & paria ſentire coguntur, qui acerrimè dimicarent, niſi Fidei præceptum vetaret diſſidere, &c.

3. Ratio.

Tertiò tandem Argumento oſtenditur Fidei Neceſſitas, nimirum ex decreto Dei hanc intellectus obedientiam ceu debitum obſequium ab homine exigentis. Quid rationi conſentaneum magis quàm ut Homo tot tantiſque titulis Deo debitor, aliquod juſtæ ſervitutis officium pendat? &c. Hoc à ſuis ſubditis Principes, à ſervis domini, à filiis patres, &c. meritò poſtulant: numquid Deus qui potioribus nominibus homini præeſt, ab eodem minus ſperare poterit quàm ab illis iſti, qui omnem dignitatis rationem à Deo ceu à primario Athore traxerunt? Id ſanè foret iniquiſſimum; æquiſſimum verò erit paria, immo longe majora expoſcere obſequia. At quodnam erit officium illud Deo dignum? an Corpus? an Divitiæ? &c. Ea certè cùm exhibeantur & hominibus, nihil Creatori præſtant, quod ipſius Majeſtati ſoli conveniat: Hæc inquam corporea obſequia penduntur Regibus, Dominis, &c. Quid ergo ſupererit Deo ſoli reddendum? Humani certè intellectus obſequium. In cæteras partes jus aut habent, aut ſaltem affectant homines aliqua præfectu-

ra

ra reliquis præſtantes, &c. At mens humana ab omni alio imperio libera
» ſoli Deo ſubjicitur, ipſique ſoli debitrix eſt, &c. Quodnam verò erit
» obſequii penſum reddendum? Aſſenſus quem Fidei miniſterio præbet
» rebus credendis. Hæc eſt ſcilicet Fides, quæ mentis primogenitum (evi-
» dentem nimirum rerum notitiam) Deo immolat, &c. *Sola gens Chriſtia-*
» *norum* (ajebat Guillelmus Pariſienſis) *quantum ad intellectum ſanctificata*
» *eſt, ac Dei obſequio cultuique dicata. Sola velut capite inclinato adorat Altiſ-*
» *ſimum*, &c. His verbis innuebat Doctiſſimus Epiſcopus, Homines Deo
» innumeris titulis debitores, ſui obſequii ſolvere munus integra Ratio-
» nis obedientia, &c. Hinc Paulus Fideles ad ejuſmodi penſi ſolutionem
» hortatur inquens, 2. Cor. 10. 5. *In captivitatem redigentes omnem in-*
» *tellectum in obſequium Chriſti*. Omninò igitur neceſſaria eſt Fides, ut
» hac intellectus voluntaria cæcitate homo inevidentem & obſcuram ve-
» ritatem amplexus, gratum & poſtulatum Creatori pendat obſequium,
» &c.

2. Pars. Fidei excellentia ex tribus capitibus.

» Ex præfatis patet abundè quanta ſit Fidei neceſſitas; ad ejus ex-
» cellentiam diſcutiendam nunc tranſeo. *Ne tamen in texenda fuſiùs de*
» *Fide Catechesi, ſiam moroſior, atque ut citiùs ad alia progrediar; hu-*
» *jus Catecheſeos reliquas partes brevi perſtringo, præcipua tantùm capita*
» *attingens*.

» Præſtantia Fidei evincitur ex tribus Argumentis. Primum ab ejus
» objecto petitur; Secundum ab ejus Certitudine; Tertium ab ejus
» merito.

1. Ratio. » 1. Objecto quidem Fides præſtat cæteris Diſciplinis, quia illa cir-
» ca Deum divinaque Myſteria, &c. verſatur, hæ verò Creaturarum
» proprietates tantùm tractant, &c. Certitudine etiam præcellit, quia Di-
2. Ratio. » vinæ veritati & revelationi, quibus error ſubeſſe non poteſt, inniti-
» tur, &c. Aliæ verò Scientiæ, etiam demonſtrativæ, non niſi autho-
» ritate creata & naturali, quæ undequaque mendacio eſt obnoxia,
3. Ratio. » fulcitur, &c. 3. Tandem excellit merito, quia quò negotium adim-
» plendum difficilius eſt, eò majorem parit victoriæ palmam digniuſ-
» que præmium, &c. At quodnam opus majoribus difficultatibus ſcatet
» ipſa Fide, quæ Intellectum cogit iis aſſentiri quorum Inevidentia diſ-
» ſenſum ſuadet potiùs quàm aſſenſum? Ideo Guillelmus Pariſienſis l.
» de Fide ait, *Dimicare contra ſe propter Deum tenetur Intellectus huma-*
» *nus*. An non arduum opus eſt tot Articulos quibus Religio Chriſtia-
» na conſtat, credere, ipſa ratione, ipſiſque ſenſibus aliter, immò
» ſæpe contrarium renuntiantibus? &c. Id profecto Euchariſtiæ patet
» exemplo, &c. Id ex Trinitatis Myſterio, id ex omnibus penè aliis
» Fidei Articulis evidentiſſimè patet, &c. Illa (inquam) omnia cre-
» ditu difficillima Fidei meritum efficiunt; nam ait Divus Gregorius
» hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præ-*
» *bet experimentum*. Ah! quantæ Dignitatis eſt credere? at quomodo

id

id præſtandum eſt ? Hoc modò ſum dicturus , Fidei docturus »
Praxim. »

3. Pars. Operoſa eſt Fides non otioſa, ſed ſpeculatione non con- »
tenta, ab ea ſtatim progreditur ad Actus. Sunt autem Fidei Actus du- »
plicis generis, alii ſunt ipſi proprii, nec ab ea ſeparantur; Alii verò ad- »
jectitii ſunt , ipſique adhærent tamquam famuli & pediſſequæ Regi- »
næ; &c. »

3. Pars. Fidei operta.

Actus proprii ſunt iterum duplicis generis; alii Interni, Externi alii. »
Qui Interni vocantur, iterum in tres abeunt partes ſeu ſpecies. Prima eſt »
Credere Deum: Secunda, Credere Deo; Tertia, Credere in Deum. »
Singulorum actuum diſtinctionem attendite. »

Credere Deum, eſt, Credere ipſum eſſe ſeu exiſtere. Credere Deo, »
eſt, Credere his quæ à Deo dicta vel revelata ſunt. Credere in Deum, »
eſt, *Summo affectu* tendere in ipſum tamquam in ſummum bonum. *Hæc* »
breviter referuntur; ſed cuivis facillimum eſt dilatare ſingulorum Actuum expli- »
catione. Deinde fieri poterit hoc, vel ſimile Epiphonema; Heu quàm »
pauci ſunt qui credant ut oportet, qui enim & quales ſunt, qui Deum »
quem credunt, ſummo affectu diligant? &c. »

Quid ſit Credere Deum, Credere Deo, Credere in Deum.

Actus externi Fidei ſunt potiſſimùm duo; Primus, qui ore fit, alter »
qui opere perficitur. Prior eſt Fidei Confeſſio, quæ fit verbis aut ſcriptis. »
Ubi Catechiſta poterit explicare in quibus caſibus teneatur Chriſtianus Fidem »
ore profiteri; Item quænam peccata externam Fidei Confeſſionem vitient ac »
offendant, &c. Alter autem Fidei actus exterior qui opere completus, plu- »
res alios continet, ut ſuſcipere Sacramenta, præceptis Divinis & Eccle- »
ſiaſticis obedire, Martyrium ſubire, aliaque ſimilia præſtare, quæ Ca- »
tholicum decent: *Horum Explicatio poterit aperiri ſecundùm omnes circum-* »
ſtantias, prout tempus & occaſio id poſtulabunt. »

Adjectitii Actus Fidei, alii non ſunt, quàm bona opera, quæ per Fi- »
dem aut præcipiuntur aut conſuluntur, &c. Nam, ut ait D. Jacobus cap. »
1. 17. *Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt*, &c. »

Superſunt aliqua dubia ad Fidei Praxim ſpectantia quæ breviter expen- »
do. Primum à Theologis movetur, dum quærunt quo ætatis tempore »
homo teneatur elicere Actum Fidei? Reſpondent communiter, id fieri »
debere ab Adulto, cùm primùm rationis uſum fuerit adeptus. Ratio »
id probans petitur ex obligatione qua tenetur homo ſe ſe ad Deum »
Creatorem ſimul ac Redemptorem convertere, ſtatim cùm noſſe il- »
lum poterit; quod certè poſſe præſtare cenſetur ea ætate qua liberum »
Rationis uſum nactus fuerit, ſcilicet ut plurimùm Septennis: Ea au- »
tem converſio fit miniſterio Fidei. Adde quòd maximæ utilitatis ſit »
ejuſmodi Fidei Actus, etenim cùm fieri poſſit, ut quis arbitratus ſe »
Baptiſmi effectu ſuſcepiſſe, iis tamen careat inſcius, defectu ſcilicet re- »
rum in Baptiſmo eſſentialiter requiſitarum: nullatenus rem tanti mo- »
menti, quanti baptiſmus eſt, ſupplere meliùs poterit quàm elicito Fi- »

dei

Digitized by Google

dei Actu, quo Sacramentum omnino neceſſarium recipiat ſaltem in voto, &c.

Iterum quæri poteſt quænam & quot ſint credenda, & quæ Fidei obligatio complectatur? Ad hoc breviter Reſpondeo, ea Symboli compendio contineri. *Hic Symbolum Apoſtolicum breviter recitetur, ut materia ſeu objectum Fidei hinc aperiatur & pateat*. De his deinceps, Deo dante, agemus ſingulos Symboli Articulos quantùm ad Fidei neceſſitatem explicaturi. Illud modò annotare lubet; hominem poſſe aliquid ſcire vel credere duplici ratione; nimirum, implicitè & quoad ſubſtantiam ac præcipua capita; aut explicitè, diſtinctè ac ſigillatim. Ex omnibus DD. conſtat, Chriſtianum teneri ſcire ſaltem implicitè & quoad ſubſtantiam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei, & Sacramenta; ita ut de his interrogatus reſpondeat ſaltem aſſentiendo Interrogationi factæ, ſciatque ſe à Fide non diſcrepare hoc reſponſo. Quantùm verò ad explicitam & diſtinctam notitiam tenetur quiſque ſcire Quid ſit Deus? Quid Trinitas? quot Perſonis conſtet? Quæ Perſona fuerit Incarnata? Quidve ſint tum Pœnitentiæ tum Euchariſtiæ Sacramenta, nec non, quod ad rectum eorum uſum ſit neceſſarium, &c.

Epilogus. Hæc ſunt N. quæ ad Fidem ſpectantia dicere ſpoponderam; hæc ſunt quæ de virtute vobis adeo neceſſaria decebat vos non ignorare, ſed ſcire. Mementote igitur ac firmiter retinete, Quid ſit Fides, Quæ ejus Neceſſitas ac quis ſit ejus melior uſus. Didiciſtis *Fidem eſſe donum Dei*, &c. Audiſtis Fidem eſſe neceſſariam ex triplici capite, nimirum. 1. Ut intellectus humanus ſufficienter elevetur & adjuvetur ad cognitionem de Deo ac Divinis habendam. 2. Ut inter Chriſtianorum multitudinem, fiat unanimis ſenſus de rebus credendis. 3. Ut mens humana voluntario Rationis ſacrificio ſolvat debitum Creatori obſequium. Præſtantiam Fidei noſtis jam, ni fallor: eam ſiquidem evidenter oſtendimus; 1. tum ex dignitate objecti circa quod verſatur; 2. tum ex certitudine qua cæteris Scientiis antecellit; 3. tum ex merito, quo præmia conſequitur maxima. Denique Fidei Praxim jam non ignoratis, cùm mox didiceritis quænam ſit Actuoſæ virtutis opera, tum propria, quales ſunt Actus Interni & Externi ad Fidem attinentes, tum adventitia, qualia ſunt, Jejunia, Eleemoſynæ, Preces, &c.

Concluſio Hortatoria. Satagite nunc N. ut de his edocti, opere compleatis quod animo percepiſtis: non enim Scientia differt à Pagano Chriſtianus, ſed praxi, non verbò, ſed opere. Audite quid à D. Petro dictum ſit de iis quibus curæ non fuit ab eruditione ad opus progredi. *Melius enim* (ait) *erat illis non cognoſcere viam Juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato*. 2. Pet. 2. 21. Cavete igitur, ò Auditores, ne in vos terribilis hæc Sententia ruat, &c. Æquiſſimum profecto decre-

Digitized by Google

decretum quod ſcientes punit, ſi deliquerint, &c. *Hic poterit dilatari mo-* „
ralis hæc converſio, ab exemplo ſcilicet Infidelium qui negligentiam bonorum „
operum excuſare aliquatenus poterunt Ignorantiæ prætextu, &c. Dicent enim; „
De his nos nihil audivimus, &c. At vos ò Chriſtiani quam excuſationem „
afferre poteritis? an Ignorantiam? &c. Vana erit excuſatio, immo nul- „
la, cùm vobis toties inſinuatum fuerit à Catechiſtis & Prædicatoribus „
quid incumberet faciendum, ut Fidei qua imbuti eſtis dignum exhibere- „
tis obſequium, *&c.* Hoc jam date, ſi fortè huc uſque diſtuliſtis concede- „
re, *&c.* Fidem probate operibus, quibus coronam à Deo promiſſam „
conſequemini. Amen. „

Hìc deſcripſi, pro meis viribus, mediocrem Catechizandi methodum, quæ non alium, ut videtis, ſervat in rebus explicandis ordinem, quàm qui à Magiſtris erudientibus ſervari ſolet. Ad tria quidem capita Fidei naturam ac proprietates revocavi, quæ in plures partes diſtribui poterant, nimirum in quæſtiones initio hujus libri notatas & traditas; ſed brevior hæc partitio longiorem complectitur, ipſaque eſt fortaſſe nonnihil dilucidior. Hæc igitur aut ſimilis Catechiſmi Temperata forma, poterit ad explicationem ſingulorum Symboli articulorum aſſumi, quæ tamdem brevi & idoneo exemplo claudetur ſi ita viſum fuerit Catechiſtæ: illud non adjeci præcedenti exemplari, tum ne forem longior, tum quia facile eſt ejuſmodi exempla ſelecta & probata ad veritatis explicatæ confirmationem adducere.

SECTIO III.

Grandior Catechizandi Forma.

Grandis Catechizandi Methodus, quomodo à cæteris differat.

AB Humili & Mediocri Catecheſeon Forma ſecernitur iſta quam dicimus Grandiorem, non quidem rebus, quia eaſdem cum illis verſat & explicat; nec etiam fine, quia par utrique propoſitum incumbit, ſcilicet Intellectum erudire ac docere: ſed Methodo tractandi ac docendi, quæ cultior eſt ac elegantior in hoc genere quàm in aliis, quæque ad Concionum formam multum accedit, à quibus tamen differt, quòd eruditionis & Inſtitutionis magis ſit ſollicita quàm Affectus, quem nihilominus non deſpicit, ſed eruditioni ſubjungit. Idonea eſt autem hæc Catecheſeos Forma Auditoribus grandioribus, eruditioribus, quales ſunt ut plurimùm qui in urbibus degunt.

Methodus igitur Catechizandi juxta hanc formam, Diſpoſitionis œconomia gaudet, quæ habeat Exordium, Introductionem, Diviſionem, Confirmationem ac Epilogum; ferè ad inſtar Generis Demonſtrativi aut Deliberativi, niſi quòd hæc forma eruditionem præcipuè intendit ut dixi, eoque omnem Orationis ordinem ac vim adigit. Elocutionem adhibet politam figuraſque cultiores, ſed omnis ille Ornatus dilucidituti, faciliA a a cili-

cilitati & perſpicuitati, quæ in Didaſcalico genere potiores Dotes ſunt, famulari debent; ſi quæ verò figura vehementior ſeſe offerat, videtur remittenda in Epilogum, ſeu Catechiſmi perorationem; cùm ſcilicet Intellectus eruditio ad voluntatis ſuaſionem convertitur.

Hujus Generis Exemplar aliud non profero quàm ex eodem Themate iterum explanato deductum; ſcilicet de Fide, ut hinc manifeſtius appareat triplicis Methodi diverſitas. Compendioſè tamen Typum iſtum inſtruam, ut brevitati obſequar, ea tantùm indicans quæ Imitationi prodeſſe queant.

Idea Catecheſeos Grandioris Formæ.

De Fide.

Credere oportet accedentem ad Deum. Hebræ. 11.

Exordium à Simili.

EXORDIUM de neceſſitate tractandi de Fide quæ Ignorantiæ plurimorum medeatur, quod ſuperiori Catecheſi præfixum eſt, huic poteſt præponi, vel aliud ſimile, quale eſt iſtud compendiarium, à Simili:

„ Si quæ ſit N. inter Eccleſiæ & Orbis ſtructuram convenientia, ea præcipuè in hoc conſpicitur, quòd Deus utriuſque operis author, utrumque fuerit exorſus à Luce. Noſtis quænam fuere orbis creandi incunabula, quidve Mundi formationem præceſſerit, *&c.* Abyſſus, Chaos, tenebræ, *&c.* Ita ſacræ teſtantur Litteræ, Geneſ. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Heu! quale ſpectaculum! ſi tamen ejuſmodi nuncupationem mereatur, quod nullatenus ſpectari poterat. Noſtis iterum quid egerit Deus mundi machinam è tenebrarum ſterili ſinu educturus: quænam fuerint Creatoris prima opera, cùm ſe ad operationem externam accinxit, *&c.* Lux fuit, à qua Mundi opificium inchoavit. Hoc iterum ex Scripturarum teſtimonio conſtat: ita enim ajunt Geneſ. 1. *Dixitque Deus: Fiat Lux; & facta eſt Lux*. Ea eſt, inquam, primus inter Creaturas Creatoris partus; Ea eſt Divinarum Manuum ſpecimen inſigne, *&c.* A Luce igitur fabricam Mundi aggreſſus eſt Deus, ab eadem Mundi Reſtitutionem ſeu potius Eccleſiæ Inſtitutionem orſus eſt, *&c.* Ea Lux, Dei Reparatoris primogenita eſt Fides. Ante Fidei creationem quid erat Orbis? Abyſſus ſine Lumine, Terra ſine ſole, Corpus ſine oculis, *&c.* Vah! quàm horrenda nox illa! quàm formidandæ illæ tenebræ! *&c.* At Deus Mundum reparaturus, Mundi tenebras noctemque horrendam diſpulit Fidei luce, *&c.*

„ Hominis Chriſtianis damnanda Ignorantia laborantis inſtaurationem aggredior Dei auxilio fretus; ac ipſiuſmet Dei veſtigiis inſiſto, ejuſque methodum (quà licet homini) imitatus à Fide ordior, non quidem ea carentibus eam infuſurus, quia ſolius Dei opus eſt, ſed ſuperni hujus luminis

minis naturam explicaturus; ut hinc edocti Chriſtiani diſcant Fidei obſequi eaque præſtare, quæ ab ipſis Fides exigat.

Hoc igitur propoſitum mihi hodie incumbit, ſi Spiritus S. gratia adfuerit. Ut adſit, Mediatricem adhibeamus B. Virginem, repetita Salutatione Angelica, *&c. Ave Maria.*

Introductio ſumi poterit, vel ex repetita ſummatim præcedenti Catecheſi; vel etiam ex Puerorum Interrogationibus; vel ex neceſſitate Fidei breviter expenſa, ut v. g. quòd Fides ſit Eccleſiæ neceſſaria, tum ad illuſtrationem Intellectus humani, tum ad unitatem opinionum; tum denique ut Deo debitum pendatur obſequium, de quibus ſupra egimus; Hæc inquam poterunt Introductionis locum obtinere. Vel ſanè fiat Catecheſeos partitio aut in fine primi Exordii, vel initio Introductionis, inchoando ab his aut ſimilibus verbis: *Duo, vel tria nobis hodie occurrunt de Fide explicanda*, &c.

Diviſio fiat paulò elegantior in hoc Grandiori genere quàm in aliis; quomodo verò ſit facienda peti poteſt ex 1. p. lib. 3. c. 4. ubi de Diviſione ſeu Partium diſtributione agitur ex profeſſo. Hìc Diviſionis Typum profero petitum à Proprietatibus Fidei, hoc aut ſimili modo.

Quæ qualiſve ſit Fides ignorare nullus debet, at eam fortaſſe plurimi
vix norunt niſi de nomine, *&c.* Negotium tanti momenti aperio expli- » Partitio Fidei.
catione trium perfectionum, quæ Fidem non modò conſtituunt ſed or- » 1. Certitudo.
nant ac decorant. Eæ autem ſunt; 1. *Certitudo.* 2. *Meritum.* 3. *Operatio,* » 2. Meritũ.
Ex prioris diſcuſſione patebit, quàm ſecurus ſit Intellectus humanus, Fi- » 3. Operatio.
dei principiis innixus; Ex alterius explicatione liquidum fiet, quantùm »
mereatur voluntas hominis, Intellectum imperio Fidei ſubjiciens; Ter- »
tio denique capite innoteſcet, quomodo Fidelis ſeſe debeat gerere, ut »
officio faciat ſatis; tenetur ſcilicet ab otioſo veritatis intuitu ad ſedulum »
pietatis opus progredi. Hæc eſt hujus Catecheſeos Œconomia, quæ at- »
tentionem veſtram expoſcit. »

1. *Pars de Certitudine Fidei.* »

Ex omnibus Scientiis quæ veritatem inquirunt, eæ cenſendæ ſunt di- »
gniores quæ certitudine præſtant, *&c.* Ratio eſt, quia eæ ad Veritatem » *I. Pars.* Certitudo Fidei.
quæ omnium ſcopus eſt magis accedunt, *&c.* Ideo Mathematica præpo- »
nitur aliis, quia his certior æſtimatur, *&c.* At omnibus omnino ſcientiis »
Fidei certitudo præſtat, his enim *Nobilitate*, *Securitate*, & *Latitudine* »
præcellit. Nobilitate quidem præcellens eſt Fidei Certitudo, quia primis » Subdiviſio. 1. Fidei Nobilitas.
& altiſſimis principiis, ſcilicet Deo, innititur; aliarum verò ſcientia- »
rum veritas, ſecundariis tantùm & humilioribus ſundamentis, nimirum »
rationibus humanis fulcitur, *&c.* deinde, hæ circa objectum longè igno- »
bilius, quales ſunt Creaturæ, verſantur; Illa verò circa Deum & Divina, »
&c. Item nobilius eſt aſſentiri veritati abſque mediis aliunde aſſumptis »
quàm horum miniſterio. Res exemplo patebit. Uter, veſtro judicio; »
cenſendus eſt robuſtior è duobus viatoribus, quorum alter baculo indi- »

get, quo ſuſtentatus ambulet; alter verò propriis viribus, non aſcitis fulcimentis firmum moveat figatve pedem? *&c.* Ultimus profectò æſtimari debet meliùs corpore & valetudine affectus, *&c.* Ita ſe res habet, ſi humanis diſciplinis Fides comparetur, illæ etenim nituntur Argumentis, demonſtrationibus, *&c.* at quid ſunt illa? ex Doctiſſ. Epiſcopo Guillelmo Pariſienſi, l. de Fide, ſunt *fortiſſima fulcimenta Intellectus & tamquam baculi inflexibiles & infrangibiles, nullaque ex parte nutantes*, &c. Fides autem his omnibus non indiget, fulcimenta nimirum illa, baculoſve quibus ſuſtentetur reſpuit; ejus ergo certitudo nobilior eſt, quæ ſanum & robuſtum indicant. Scientiæ verò aliæ, quacumque certitudine polleant, ignobiliores ſunt, infirmæ, viribus propriis deſtitutæ & alieni ſubſidii indigentes, *&c.*

O quàm ſecura fidei cognitio! quàm infallibilis! cæteræ omnes ſcientiæ quavis ſecuritate præſtent, etiamſi demonſtrationibus evidentiſſimis firmentur, inferiores longè ſunt Fidei certitudine, *&c.* illæ enim nonniſi principiis humanis, creatis, ideoque errori obnoxiis fundantur; hæc verò, principiis certiſſimis, immutabilibus, & ab omni errore immunibus, ſcilicet Deo ejuſque revelationi ſtabilitur, *&c.* Dixerit Plato, cenſuerit Ariſtoteles, *&c.* lapſus & ignorantiæ ſuſpicione Doctiſſimi iſti aſſertores nuſquam vacant; renuntiarit ſenſus aliquid ceu verum; id experientia probarit; neutiquam veritatis omnem certitudinem attigiſſe credenda ſunt creata illa teſtimonia, *&c.* At, dictaverit aliquid Spiritus ſanctus, revelaverit Eccleſiæ, dixerit, annuntiaveritve Chriſtus, *&c.* huic nec error, nec fraus, aut lapſus ſubeſſe poterit. *Verbum ejus ſumma mihi ratio eſt*, ajebat Caſſianus. Hinc patet quanta ſit fidei ſecuritas, *&c.*

3. Fidei latitudo. De Fidei Latitudine ſeu quænam comprehendantur ejus notitia, nemo ambigere debet qui ſciat quid ſit ipſa Fides, & circa quæ verſetur; Aliæ enim diſciplinæ arctiſſimis conſtringuntur limitibus, v. g. Medicina Corpori humano ſanitatem providere ſolùm curat, Mathematica de Quantitate agit, *&c.* At, *Quid non invenit Fides?* ait D. Bernard. in Cant. *Attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit noviſſima: ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumdedit.* Hic explicari poterunt quæ Fides ſua latitudine complectatur, v. g. Deum unum in Eſſentia, Trinum in Perſonis, perfectiones Divinas, Creationem, Redemptionem, *&c.*

Peroratio primæ partis. Peroratio primæ hujus partis fieri poterit per excurſum Tropologicum, quo ſuadeatur Chriſtianus credere Fidei teſtimoniis potiùs quàm Rationi & Senſibus; aſſequetur enim Fidei medio, veritatem nobiliorem, ſecuriorem & latiorem, quàm quæ rationibus aut experientiis obtineretur, *&c.* Unde ajebat D. Ambroſ. l. de Trinit. *Aufer Argumenta, ubi fides quæritur in ipſis Gymnaſiis ſuis jam Dialectica taceat, Piſcatoribus creditur, non Dialecticis.* Dicamus cum D. Auguſt. l. de Virginit. *O Theſauris omnibus,*

opu-

opulentior Fides! O virtutibus corporeis omnibus Fides fortior, Medicis omnibus ſalvatior! &c.

2. ***Pars de Merito Fidei.*** — *II. Part. De Merito Fidei.*

Ex Bello palma oritur quæ Victorem coronet, *&c.* Hinc præmium, ,,
hinc merces, *&c.* At nullum eſt prorſus bellum quod graviora ſubeat cer- ,,
tamina quàm quod Fide geritur. Ideo Guillelmus Pariſ. loco citato, ait ,,
Dimicare contra ſe propter Deum tenetur Intellectus humanus, &c. Atque ut ,,
tanti belli conflictus omnino dignoſcantur; notare licet tres difficultates ,, *Subdiviſio.*
maximas quas Intellectus ſuperare debet, ut credat & actum Fidei eliciat. ,,
1. Tenetur credere quæ ſunt ſupra ſe. 2. Abſque conſuetis ſubſidiis. 3. ,,
Contra propriam ſeu rationis ſeu ſenſus experientiam. Credit quidem quæ ,,
ſunt ſupra ſe, v. g. unitatem Eſſentiæ Divinæ, Trinitatem Perſonarum, ,, *1. Credere ſupra ſe.*
&c. Ideoque extra ſphæram activitatis, & ultra proportionatum obje- ,,
ctum, non ſine vi trahitur, ferè ad inſtar lapidis ſurſum vibrati, &c. Cre- ,,
dit abſque aſſuetis mediis, ſcilicet abſque rationibus, Argumentis, & ,,
demonſtrationibus quæ rei evidentiam & probabilitatem oſtendentes, aſ- ,, *2. Credere abſque ſe.*
ſenſum Intellectus proliciunt ſuaviter & facilè, &c. At Fides, nec ratio- ,,
nem, nec Argumentum, nec ſenſus admittit, ſed veritatem omnino ,,
inevidentem & obſcuram ab Intellectu ſuſcipi jubet. Nam, ut ait Div. ,,
Hieronymus, ***Myſterium quod percipitur, ampliùs Miſterium non eſt***. Item ,,
Guillelmus Pariſ. ***Fortitudo Intellectus neceſſaria eſt, quæ tenebras Improbabilitatis perrumpat & vincat***. O quot certamina! &c. 3. Adde, quod ,, *3. Credere contra ſe.*
Intellectus contra ſuimetipſius experientiam credit. V. g. in SS. Eucha- ,,
riſtiæ Sacramento, cernitur, tangitur, & guſtatur ſubſtantia panis, ,,
quæ tamen ibi nulla eſt, &c. Unde Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. ,,
ajebat, ***Credamus ubique Deo, neque repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur***. ,,

Magnum prorſus merentur præmium tot & tanta certamina, quibus ,,
tot tantæque difficultates ſuperantur; quibus toties ſibimet vim inſerre te- ,,
netur Intellectus; quibus denique Spes, quam Clemens Alexandrinus ,,
vocat ***ſanguinem Fidei***, contra ſpem incenditur, &c. Victoriæ igitur de- ,, *Præmia Fidei victricis.*
betur præmium, ergo & Fidei victrici. At quodnam præmium? *&c.* Mul- ,,
tiplex. 1. Securitas, ipſa enim fides imperturbabiles nos efficit, & ad ,,
omne dubium, ſcrupulumve quo mens humana concuti poſſet, facit ſa- ,, *1. Securitas.*
tis, dum ait, Credo Divinæ revelationi, qua ductus & doctus errare ne- ,, *2. Amplitudo.*
queo. 2. Major rerum credendarum cognitio, ait enim Auguſtinus tract. ,,
29. in Joan. ***Intellectus eſt merces fidei.*** Item D. Maximus Taurinenſis Hom. ,,
de ſymbol. ***Quæ ſunt rationi cæca, illa ſunt Fidei manifeſta, plus eſt quod Fidei oculis intuemur, quàm ſenſus videre poſſit carnalis***, &c. 3. Fides vocatur à Guil- ,, *3. Gloria.*
lelmo Pariſ. ***Crepuſculum Gloriæ***, hìc ſiquidem, ut ait D. Paulus, videmus ,,
per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Item D. Auguſt. ,,
Tract. 68. in Joan. ait, ***Credenti colligitur meritum; videnti redditur præmium.*** ,,
Ideoque Gloriæ præmia videntur Fidei actibus commenſuranda, &c. ,,

Tropo- ,,

Moralitas. Tropologicus Excurſus ſuadebit Credere tutò & ſincerè abſque nimia rerum credendarum diſquiſitione, &c. ait enim Zeno Veronenſis; *Curioſitas rerum facit, non peritum.* Item D. Gregor. Hom. 26. in Evangel. *Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*, &c.

III. Part. Operatio Fidei. 3. P. *De Operatione Fidei.*

„ *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,*
„ *ſed qui facit voluntatem Patris mei*, &c. inquiebat Chriſtus Matth. 7. His
„ verbis innuebat Evangelii author & magiſter, non ſufficere Chriſtiano
„ ad ſalutem ſi noverit Deum per Fidem, niſi bona opera Fidei adjiciat, &c.
„ Ea eſt enim hujus virtutis natura ut ſpeculativa non ſit ſolùm, ſed & pra-
„ ctica, & hominem de credendis eruditum ad agenda compellat. Apoſto-
„ lum Jacobum conſulat qui de hac re vel minimum dubitarit, totus eſt in
„ bonis operibus ſuadendis. Hæc tantùm verba cæteris dimiſſis annotabo, *Sicut enim* (ait) *corpus ſine Spiritu mortuum eſt, ita Fides ſine operibus mortua eſt*, &c. Jacob 1. & 2. v. 26. Intuere Cadaver vita deſtitutum; illud non videt, non loquitur, non ſentit, &c. idem de Fideli ſine operibus cenſe. Plura in hoc propoſitum non refero, quia præcedente Catecheſi rem eamdem ſat explicui, dum de Fidei Actibus agerem: poterit inde facillimè erui quod huic propoſitioni probandæ neceſſarium videbitur. Verbis D. Petri 2. 1. negotium iſtud claudam; *Quapropter fratres, magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, &c. Addo D. Gregorii monitum Homil. 26. in Evangel. *Nos ſignati ſumus, ſed fidem noſtram operibus ſequimur. Hic enim verè credit, qui exercet operando quod credit.*

Moralitas. Moralis Epilogus convertetur in Chriſtianos bonorum operum incurioſos. Hi enim longè abſunt à debito; immo & à jurato per fidem obſequio, &c. his metuendum eſt quod à Chriſto in deſides irato pronuntiatur Matth. 21. *Auferetur à vobis Regnum Dei & dabitur Genti fructum facien-*
„ *ti*. Utinam vos à formidanda ejuſmodi comminatione ſitis prorſus immu-
„ nes, &c. utinam bonis operibus perpetuò intendatis, &c. ut tandem unuſ-
„ quiſque veſtrum meritis dives debita Fidei Corona donetur, &c. *Amen.*
„ En Catechiſticæ Concionis juxta formam triplicem Specimina; Hæc imitari poterit quiſque pro opportunitate, debitam ſcilicet methodum Auditoribus, aliiſque, ſeu temporis, ſeu loci circumſtantiis accommodans, Humilem Formam debilioribus, mediocribus Temperatam, Grandiorem magis eruditis. Exemplaria verò, quæ de Fide tradidimus, ad ſingulos Fidei Articulos per Imitationem ſunt transferenda. Quomodo Fidei Myſteria Catechiſticè debeant explicari, deinceps examinabimus.

ARTICULUS III.

Exercitatio Catechiſtica de Myſteriis Religionis.

PRÆMONITUM.

MYSTERIUM Religionis appello inſignem aliquam Fidei Chriſtianæ veritatem, qua veluti fundamento & Cardine nititur ac volvitur Religio Catholica, ſoletque ut plurimum ab Eccleſia ritu & Feſto ſolemniori celebrari. Ejuſmodi ſunt Myſteria Annuntiationis, Incarnationis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Euchariſtiæ, &c.

In pertractandis Myſteriis duo præſertim attendenda occurrunt. Primum eſt, ut veritas aliqua, quæ Myſterii ſinu continetur, Populis (ſaltem quantum ſatis eſt ad fidem) aperiatur & explicetur: Alterum, ut virtus ſeu perfectio moribus Chriſtianis formandis apta, inde proponatur Auditorio ad Imitationem, laudem, necnon & Gratiarum actionem.

SECTIO PRIMA.

Idea Catechiſtica de Myſterio Religionis, Populari Methodo explicata.

METHODUS Exercitationis Catechiſticæ de Myſteriis, nudam & ſinceram rei peractæ explanationem deſiderat, vixque differt ab ea Catecheſeos forma quæ Humilis dicitur; eoſdem enim Fontes Oratorios ebibit ſugitque: eaſdem Figuras ſimilemque ſtylum, nempe terſum, purum & nitidum, poſcit; quamquam non diffitear, hoc Dicendi Genus poſſe Temperata Grandi Forma explicari. Sed quia hæc magnam cum Panegyricis de iiſdem Myſteriis affinitatem habet; ideoque poſſunt à Genere Demonſtrativo repeti; hìc demiſſam Catechizandi methodum circa Myſteria profero. Sit in exemplum Incarnationis Myſterium, quod ſummaria Catecheſi evolutum aperiatur.

Catecheſis de Myſterio Incarnationis.

Catechiſta igitur poterit his vel ſimilibus verbis exordiri ..... Incarnationis Myſterium vobis hodie proponitur ab Eccleſia, *Sciendum*, *Credendum, & Amandum.* Sciendum quidem, quia oportet, ut nihil vos lateat eorum quæ pertinent ad Fidem, &c. Credendum, quia illud Myſterium noſſe non ſatis eſt Chriſtiano, ſed credi debet atque de eo certiſſima haberi cognitio, nullatenus dubia vel hæſitans, &c. Amandum, quia totum Amoris opus eſt, quod Dei Charitatem erga Nos teſtatur, noſtramque provocat Gratitudinem, &c. De hoc Myſterio Catecheſis hodierna inſtituitur. Capita præcipua percurramus, & quod in unoquoque ſcire ac credere par eſt, interrogatiunculis & Reſponſis diſtributum delibemus.

1. Quid

„ 1. Quid eſt Incarnationis Myſterium? &c. Illud eſt, quo una ex tribus
„ Perſonis Divinis Naturam Humanam aſſumpſit, eamque ſibi copula-
„ vit, &c.
„ 2. Una ex Divinis Perſonis, induit conditionem hominis (ut videtis.)
„ Quænam eſt illa? An Pater? An Filius? An Spiritus ſanctus? Filius,
„ inquis. Sed quænam eſt illa Perſona? quem locum in Auguſtiſſima Tri-
„ nitate obtinet? Reſp. Secunda eſt Perſona. Non ergo aut Pater aut Spi-
„ ritus ſanctus aſſumpſit Hominem, ſed ſolus Filius, &c. 3. Cur Filius
„ hanc ſuſcepit provinciam, non verò aliæ Perſonæ? R. Plures, æquè
„ eximiæ rationes cauſam rei hujus explicant; ſed ne quidquam altius &
„ difficilius captu veſtro dicam; *Tota ratio facti, fuit voluntas facientis*. Sic
„ ſolvitur citiſſimè & veriſſimè quæſtio propoſita; ita factum eſt, quia ita
„ Deo placuit. Vel ſi liceat aliquid in hoc præſumere, addam quod con-
„ veniens fuit, ut illa Perſonarum divinarum ſola incarnaretur, quia de-
„ buit eſſe eadem Reparatrix, quæ fuerat Creatrix, Filius Naturalis debe-
„ bat Adoptitios Filios facere; Imago Imaginem inſtaurare, &c. *Hic de*
„ *induſtria Catechiſtæ eſt, aliquas ſimilitudines intellectu faciles miſcere, quibus*
„ *circumſtantia quæ indiguerit elucidatione pateſiat.*
„ 4. Quid intelligis per has voces, *Incarnari*, *Aſſumere Hominem*? &c.
„ R. Hoc eſt, quòd Secunda Trinitatis Perſona, quæ dicitur Filius Dei,
„ aſſumpſit Corpus & Animam inſtar Noſtri per omnia, peccato excepto,
„ &c. 5. Ubinam Incarnatus eſt? R. In utero B. Virginis, &c. *Explice-*
„ *tur hic, quod ſcitu & creditu neceſſarium eſt hac de re, & quantum erudien-*
„ *dis convenit.*
„ 6. Quomodo vocatur illa Perſona divina Incarnata? R. Jeſus-Chriſtus,
„ Deus-Homo, &c.
„ 7. Quam ob cauſam Incarnatus eſt Filius Dei? R. Multæ poſſunt af-
„ ferri hujuſce operis cauſæ, ſed hæc nunc occurrit memoranda; Quòd vo-
„ luit hac ratione nos à perditiòne redimere, &c.
„ 8. Perieramus ergo, ſed quantum & quomodo? R. *Hic explicetur Lap-*
„ *ſus Adami, & transfuſa in Poſteros culpa, quæ Hominibus præcluſerat Cœli*
„ *viam*, &c.
„ 9. Quid egit Chriſtus ut nos à damnatione revocaret? &c. R. Grandia
„ prorſus præſtitit. Per annos triginta cùm hominibus converſatus eſt igno-
„ bilis, & abjectus, &c. Deinde per tres annos Concionibus incubuit, &c.
„ ac tandem turpem & crudelem mortem obiit Cruci affixus ex iniquiſſima
„ Pilati ſententia, &c.
„ 10. An non poterat Chriſtus minoris emere noſtram Salutem? R. Po-
„ terat omnino, vel nihili, vel parvi, qui modico voluntatis nutu pote-
„ rat pro infinitis criminibus facere pluſquam ſatis. Voluit nihilominus
„ tanti nos redimere, ut exceſſum Charitatis & Miſericordiæ in nos oſten-
„ deret, &c.

Piget fuſiùs explicare rem, quæ neminem latet. Hæc tantum levi-
ter

ter delibavi, ut præberem Tyroni Exemplar Ideæ Catechiſticæ de Myſteriis Religionis, quod Rudes & malè eruditos decet: Liberum verò erit Catechiſtæ in prolixiorem formam diducere; cui etiam utile erit Similitudinibus & Comparationibus longiorem & diutiùs æqualem Catechiſmum illuſtrare & ad modicam recreationem condire, *&c.* Eadem Methodus uſui eſſe poterit in cæteris propoſitis, ſeu de Præceptis ſeu de Sacramentis aliiſque rebus credendis demiſsè & populariter tractandis. Sed obſervandum maximè quòd Catechiſmus claudi debeat per aliquam converſionem Moralem, qua Plebs redeat ex Catechiſmo non tantùm eruditior, ſed Dei Amore ac Salutis zelo magis ſuccenſa; Ideo enim edocetur ut corrigatur & ſalvetur. V. g. in noſtro propoſito, excitetur Gratitudinis Affectus in Deum qui ſola miſeratione ductus, tot & tanta fecerit ut Hominem perditum redimeret, *&c.* Deinde moveatur in Chriſtiano pudor, quòd tamdiu fortaſſe ignoraverit Chriſti Redemptoris Beneficium, &c. At tandem ſtimuletur Chriſtianus ut pro ſalute propria velit ſaltem aliquid præſtare, cùm ipſe Chriſtus tanta & tam difficilia præſtiterit, &c.

SECTIO II.

Idea Myſtagogica, quæ Myſteria expendit in forma Paraphraſis.

METHODUS quam diximus Paraphraſticam, Myſterium enucleare ſtudet apertè & dilucidè; Ita tamen ut præcipua Myſterii capita ſeligat ſingulatim diſcutienda; à Fontibus Didaſcalicis rationes & Figuras mutuatur. Exemplum eſto idem Incarnationis Myſterium, quod paraphraſticè diſcuſſum ſic ſummatim exhibeo.

THEMA.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, &c. Luc. 1. 26.

EXordium poterit iſto vel ſimili modo efformari.

Tria olim factu difficillima propoſuit Eſdræ Angelus, his verbis; „ *Pondera mihi Ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca mihi* „ *diem quæ præteriit.* Eſdræ l. 4. c. 6. Quàm operoſiſſima ſint iſta videtis, „ Auditores: Quis enim ponderare queat Ignem? &c. At pares, immo majores difficultates mihi nunc occurrunt ſolvendæ; nimirum ponderandus Charitatis ardor, qui Deum ad noſtri commiſerationem traxit, &c. „ Spiritus ſancti, Virginem ſua obumbratione fœcundantis, Flatus menſurandus, &c. Æternitatis ſpatium in Temporales annos contrahere oportet, quiſquis Incarnationis Myſterium explicare ſuſcipit. At quis hæc „ præſtare poterit? „

Exordium à Simili & Difficili.

„ Nullus profectò niſi cui eodem afflante Spiritu quo imprægnatur Vir-
„ go, id fuerit conceſſum, &c. Eamobrem illius Gratiam, iſtius meditatio-
„ ne imploremus. Introductionis uſus ferè nullus hìc eſt, niſi fortè, ut ad
„ novam dicendi formam præparetur Auditor, qualis foret iſta.

„ Ne miremini N. ſi ab aſſueta Concionandi Methodo nonnihil recedam
„ hodierna die: ad hanc dicendi formam ducor ratione, ni fallor, æquiſſi-
„ ma. Etenim ubi de cæteris rebus agunt Eccleſiaſtæ, ipſis libet ad placitum
„ propoſitam veritatem verſare, tractare, partiri; nulla quippe lege cogun-
„ tur ad certam Concionis formam aut Diſpoſitionem, præter eam quæ *li-*
„ *buerit*: At ubi agitur de Incarnationis Myſterio, quod Cœlum miratur,
„ Infernus horret, reveretur Eccleſia, &c.

Introductio à Præoccupatione.

„ Jam ſileat Eccleſiaſta, neceſſe eſt; vel ſanè alium præter ſe dicendi ma-
„ giſtrum ſequatur, niſi voluerit naufragii facere periculum. Iſtud ipſum
„ eſt igitur quod experior hodie, dum ineffabile Myſterium explicandum
„ ſuſcipio, &c. Ideoque de meis viribus diffidens, ac ſecuritati *etiam meæ*
„ conſulens; hodiernum Propoſitum minimè partibor, *nec eo* diſponam
„ ordine, quo cætera diſpenſare ſoleo; ſed omne *Concionis* artificium ab
„ ipſo S. Spiritu Hiſtoriam ſacram dictante, *edíſcam*, ipſumque Ducem
„ ſequar. Non igitur meis utar verbis, ſed eadem ab Evangeliſta ſacro mu-
„ tuabor: ſuggeret ille propoſita *tractanda*, ordinem ille ipſe præſcribet;
„ ego verò interpretis vices agens ſtrictum paucis ſenſum, pluribus explica-
„ bo. Præcipua Myſterii capita percurram, advertite, attendite; Incipio.

1. Cur Angelus Miſſus eſt.

1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel*, &c. Ab his ordior verbis, quibus inchoa-
” tur Evangelium, ſingulas voces expendo, &c. *Miſſus eſt*. Mitti debuit,
” tantum enim miniſterium gerere non potuit Creatura, niſi miſſa. *Ange-*
” *lus eſt*; at cur Angelus? Cur Patriarcharum Prophetarumve aliquis non hoc
” ſubjit munus? &c. Poterat ſanè ita fieri; at ſi judicio noſtro res penſanda
” eſt, aptior huic miniſterio videtur fuiſſe Angelus. 1. Tùm quia negotium
” digniſſimum, digniſſimo conveniebat miniſtro, &c. 2. Tum quia mo-
” dus ille eſt, quo Deus agere cum Creaturis inferioribus aſſuevit, nimi-
” rum Angelis mediantibus uti ſolet, &c. 3. Tum quia Lapſus hominis An-
” gelo nequam ſuadente, debuit meliori ſpiritu nuntiante inſtaurari, &c.
” O quàm grata Gabrieli legatio!

Cur angeli Homines ſalutare incipiunt.

” Sed neſcio, an cum D. Bernardo advertatis, quòd jam incipiant Sa-
” lutationes per Angelos fieri Hominibus; dignum profectò iſtud eſt quòd
” notetur. Huc uſque enim cùm occurrerent Angelis Homines, iſtis illi
” nullam exhibuiſſe ſalutationem leguntur; immo coram Angelis proſtra-
” ti ſemper Homines, magno cultu illos venerabantur. Perlegite Scriptu-
” ram, & ita ſe rem habere comperietis. At jam incipiunt Salutationes,
” inquit Mellifluus Doctor. Quorſum ita? & unde tanta immutatio, ut
” qui aliàs ſalutationem ab hominibus excipiebant, iiſdem ſalutationes
” deinceps pendant? Id experientia veſtra probate. Mariam ſalutat An-
” gelus; Joannis ſalutationem recuſabit alter, Apocal. 22. 9. &c. Myſte-
rium

rium in re latet; iſtud eſt (ni fallor.) Ante Incarnationis tempus An- »
geli ſalutationes ab hominibus deſiderabant, quia his illi erant ſuperio- »
res nec non digniores videbantur; propterea hominum, ut inferiorum, »
erat ſpiritibus incorporeis officii penſum ſolvere, &c. At ubi per Incarna- »
tionis benignitatem, aſſumpta eſt à Deo Natura Humana, & ſuper An- »
gelicam conditionem exaltata; jam ſalutationum debitores fiunt Ange- »
li; jam incipiunt ab his ſalutationes exhiberi, &c. Verum quidem fuit »
aliàs, quòd homo paulominus Angelis diminutus fuiſſet, ſed nunc mu- »
tata ſorte, & Gratia Naturæ minutionem compenſante, Angelus factus »
eſt Homine minor. Senſus eſt D. Pauli Ep. ad Hebræ. ſic ſcribentis cap. »
I. 16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit,* »
&c. Quòd igitur Angelus Mariam ſalutat, in hoc quidem officium ei- »
dem tamquam Dei Matri mox futuræ ſolvit, ſed Humanam etiam vene- »
ratur Naturam, quam ſcit brevi ad Divinitatem uſque elevandam; jure »
ergo incipiunt ſalutationes, &c. »

2. *Gabriel* appellabatur ille Angelus Legati vices ad Virginem ſu- » Cur Gabriel non alius, miſſus ſit?
biens. Non etiam vacat Myſterio ipſius Angeli & nomen & delega- »
tio. Cur enim Gabriel & non alius? &c. Percipite Nominis etymon »
& quæſtionis ſolutionem intelligetis. *Gabriel* ſonat Virtutem Dei, »
Legationis intentum proditur ex ipſa Legati appellatione; virtus ſci- »
licet Dei eſt Verbum Divinum quod incarnandum prænuntiabat; vir- »
tutem maximam deſiderabat opus iſtud quod Deum ad infimam ho- »
minis vilitatem demittebat; virtutem, extra Spem operaturus erat »
Chriſtus: ut pro infinita criminis offenſa Patri faceret ſatis, &c. O quot »
& quantas virtutes unicum Incarnationis Myſterium complectebatur! »
&c. Iſtud ſanè debuit in ipſo Legati Nomine deſignari; virtutem Altiſ- »
mi denuntiare ille debebat Angelus cujus nuncupatio virtutem ſona- »
bat, &c. »

Nec rurſus Angelum demittere par eſt, donec reſciverimus, cujus »
ille fuerit Ordinis? Ex omnium ſenſu, ille eſt ſuperioris inter An- »
gelos Ordinis, atque inter ſpiritus Beatos præcipui. Jure omnino; »
nam debuit negotio tractando nonnihil adæquari. Summum erat iſtud »
opus, ſi aliquod unquam fuerit; quid enim majus excogitari poſſit »
non video, &c. Summus ergo ex Angelis ad grande negotium ge- »
rendum debuit deputari, &c. *Conſule D. Gregorium hom.* 34. *in Evang.* »
& in Breviario Rom. die 24. *Martii in Feſto S. Gabrielis Archan-* »
geli. »

3. *Ad Virginem.* Vos attentos velim ut novi Myſterii rationem intel- » Cur Virgo ſeligitur in Dei Matrē?
ligatis; Virgo eſt, quæ ſeligitur Incarnationis organum, & Dei futura »
in tempore Mater. Cur Virgo, non verò alterius ſtatus Parens decerni- »
tur? cur etiam illa conjugii nexu Joſepho marito licet puriſſimo illigata »
fuit? &c. tot ſunt Myſteria quæ venerationem ſimul & attentionem me- »
rentur. »

Virgo, non alia debuit in Matris officium ſeligi. Puriſſimus eſt & ab omni eo prorſus quod minus aliquid purum ſonat, expers Deus; Puritatem in omnibus quæ ad ipſum ſpectant amat & poſcit: E Virgineo Patris ſinu oritur in Cœlis ab æterno; *Prima enim Trias Virgo eſt*, ait Syneſius, &c. Similes cunas deſiderat verbum Divinum in terris: propterea, non ad corruptum ſinum deſcendere voluit carnem aſſumpturus, ſed ad integrum. O potentiſſima Puritatis dignitas quæ Deum illicere meruit! &c. Diſcite Auditores, puram ſaltem animam Deo præparare, ſi velitis ipſum habere hoſpitem; neque enim carneum & maculatum hoſpitium ſubire, aut in eo permanere poteſt Puritatis amantiſſimus Deus, &c. Erant certè Mulieres eximiæ probitatis, quarum meliorem potuiſſet tunc temporis in Matrem ſeligere, ſed Virginem deſiderabat; Virginem etiam Nuntium Virgineo miniſterio depoſcit, *Miſſus eſt ad Mariam Virginem*, &c.

Cur Virgo Humilis?

Nec Virginitate ſolùm præſtabat Maria, plurimis iiſque eximiis dotibus erat locuplex. Cæteras virtutes prætereo, ut ſolam Humilitatem memorem. Humillima erat Virgo, humillimam ſelegit Deus præ cæteris in matrem. Sed quæ ratio? quæ cauſa electionis? An ut ille humilior fieret, ſtatuebat ſemetipſum exinanire & à ſublimitate Dominii ſupremi ad abjectionem infimæ ſervitutis ſeſe demittere; an & iſtud humilitatis facinus voluit adjicere ut etiam ex humili Matre naſceretur? &c. Fuit hæc fortaſſe rei iſtius cauſa non modicum ſuſpicienda, ſed aliam ſuſpicor non minùs veram & utilem. Percipite. Superbia è cœlo pulſi eramus, ambientibus ſcilicet primis Parentibus Divinitatis gloriam, contractum vitium debuit contraria virtute curari; Ambitio Humilitate inſtaurari. Hinc jam, ait D. Bernardus ſer. 4. in vigil. Nativ. *Humilitate Regnum Cœlorum emitur: Humilitas ergo, iter eſt quod ducit ad Cœlum*, Mentem meam capitis ut opinor & rationem intelligitis, cur Chriſtus Humilem Matrem elegerit; in ea ſcilicet agnovit cognatam & accomodatam ſuo propoſito virtutem. Veniebat ſuperbiam hominis propria humilitate debellaturus; Humilitatem Matris delegit & adſcivit quaſi in operis perficiendi, curandæ nimirum ægritudinis Humanæ, ſociam. *Virginitate placuit* (ait idem D. Bernardus) *ſed Humilitate concepit*. Abyſſus Abyſſum invocat, Humilitas Deum, Magnes ferrum, centrum cætera pellicit, &c. Diſcite iterum quàm ſit utilis virtus Humilitas, &c. *Hic poteſt laudari hæc virtus, ut ſuadeatur, ad exemplum & imitationem B. Virginis*, &c.

Cur Virgo Deſpōſata?

Sed B. Virgo erat Conjugio *Deſponſata viro, cui nomen erat Joſeph*. Res profectò admiratione digna; cur enim ſi Virginem dilexit Deus, Conjugatam delegit? &c. Nonne ſatis erat, ſi Virginitate fulgeret Mater, cur addidit Matrimonii jugum, quod etiam Virginitati Matris non leve futurum erat apud ejus hoſtes, corruptelæ præjudicium? &c. Plurimæ iterum Rationes hujus rei occurrunt. 1. Ut Matris Genealogia per adſcititii Patris

genus

genus texeretur. 2. Ne Virgo gravida lapidaretur ut corruptionis rea, à ,,
Judæis Myſterii latentis ignaris; ideo debuit conjugii colore coram ho- ,,
minibus obnubi. 3. Ut Partus Virgineus celaretur ipſi Diabolo. 4. Ut ,,
Virgo haberet in laboribus ſubeundis ſubſidium à conjuge Virgine Myſte- ,,
riorum conſcio. 5. Ut ipſe Chriſtus experiretur in Joſepho Nutritio cu- ,,
ram ſuſtentandæ Humanitati neceſſariam. *Hæ aut ſimiles rationes poſſunt ab Eccleſiaſta proferri, & pro data opportunitate dilatari, ut hujus Ideæ Catechiſticæ prima pars claudatur, aut ſaltem ibi morula temporis detur, qua Orator modicum quieſcat.*

Incarnationis Cauſæ Finalis.

4. Noviſtis ex præfatis quis ſit ille Legatus ad Virginem miſſus, & ,,
quæ ipſa Virgo fuerit: at fortaſſe ſciſcitamini quæ fuerit Legationis ,,
cauſa? Intentum ſalutationis verbis explicari deſideratis? Velim & il- ,,
lud officium vobis præſtare, ſed ut clariùs eluceſcat propoſitum, repe- ,,
tendum eſt altiùs Quæſtionis caput, à Mundi ſcilicet exordio. *Hic explicare oportet Adami lapſum, qui in nepotes ſceleris reatum tranſmiſit; Neque enim mihi viſum eſt operæ pretium in hoc declarando diutiùs immorari, cùm res ſit omnibus notiſſima.*

Ex hujus ruinæ originalis notitia patet, quàm difficile erat caſum la- ,,
mentabilem inſtaurare. Neque enim poterat iſtud fieri per Hominem pu- ,,
rum, qualicumque ſanctitate præditum; Neque per Angelum, etiam ,,
primarium; Addo (quod aliquibus fortaſſe non facile creditu videbitur:) ,,
Neque ab ipſo Deo ſolo poterat peccatum iſtud Gentilitium ad Juſtitiæ ,,
rigorem expiari. O quanta unius ſceleris malitia cujus ſolutio Creaturas ,,
exhaurit, ſed & ipſum Creatorem, vix non ſuperat! Fuſiori enodatio- ,,
ne iſtud indiget: Explicemus. ,,

Hominum Redemptio quare difficilis?

Tres potiſſimùm conditiones deſiderabat Criminis primævi expiatio ,,
ſeverior. Nimirum in ſatisfaciente requirebatur *Sanctitas*, qua fieret il- ,,
le offenſo acceptus. Deinde *Æqualitas*, qua tantum pro tanto, & in- ,,
finitum pro infinito redderet. *Demiſſio* & abjectio ſatisfacientis qui læ- ,,
dentis vices ſuſcipiens, læſo ſubmitteretur veniam precatus, ſeque in ,,
rei perſonam ſubſtitueret. Primam conditionem explere non poterat ,,
Homo, quia multum aberat à Sanctitate requiſita, cùm eſſet ipſe Reus. ,,
Alteram non poterat præſtare Angelus, quia cùm infinitatis dignita- ,,
tem non poſſit uſquam attingere, nec poterat etiam pro infinita malitia ,,
ſatisfacere. Adde quod neuter, Angelus ſcilicet vel Homo, nec ,,
etiam uterque ſimul, poterat ſolutionem ſufficienter dare; quia ultra ,,
tres prænotatas conditiones, quarta requiritur in Satisfaciente rigoroſo, ,,
nimirum, ut ſolutionem pendat ex indebitis: at neuter indebita po- ,,
terat pendere Deo, quia quodcumque habebat, illius erat pluribus ,,
titulis debitor ipſi Deo. Supereſt ergo ut aliqua ex Divinis perſonis ,,
ſatisfaciendi onus ſuſcipiat; ſed nec iſtud poterat à Divinitate exhi- ,,
beri, quia cùm ejuſmodi ſatisfactio demiſſionem & abjectionem in ,,
ſatisfaciente deſideret, nulla autem à Divinis perſonis queat alteri ,,

ſub-

„ ſubmitti, ſunt enim omnino æquales, nec in ſe aliquid abjectum, „ quod inferiorem gradum ſonet poſſunt tranſſumere; hinc ex iſta præciſè parte ſolutio difficillima, immo impoſſibilis. Ah Peccatrix Natura „ quò te vertes, unde ſolutionem debiti, remedium mali, ruinæ denique „ inſtaurationem ſperare poſſis? &c. Cœlos intuere, en tibi Fidejuſſor, „ en Medicus, en Reſtaurator tibi promittitur, &c. ſcilicet Filius Dei „ Incarnandus, Secunda, inquam, Trinitatis Perſona, quæ Humanam „ Naturam aſſumens, fit Deus-homo, quæ Sanctitate placeat, Infinitate „ æquale reddat, & Humanitate ſubmiſſa, plenam & perfectam ſatisfa„ctionem exſequatur.

A ſimili Rex explicatur.

„ Difficilem Myſterii difficillimi enodationem accommodata Hiſtoria „ illuſtrabo, nec-non vos attentione ſeria fortaſſe paulisper fatigatos ap„ poſito exemplo recreabo. Narrant Græci, quòd Civitas (fallor niſi „ fuerit Laconum) Hoſtili exercitu diutiùs vexata, ſtatuit tandem, „ ſummam rerum decretorio certamine definire: At ex dubio prælii „ eventu non modica ſollicitudo Cives torſit, antequam Dies congreſ„ ſus accederet: Hinc formido, hinc vota, hinc lachrymæ omnium. „ Adiere Oraculum, exquiſierunt quomodo res ſeſe habitura ſit? Reſ„ ponſum eſt, *Feliciter ſuccedet certamen, ſi Rex veſter inter præliantes* „ *ceciderit*. Dura planè reſponſio viſa eſt, ſed unica ſalutis publicæ ſpes „ decernebatur. Percrebuit ſtatim Oraculum, immo & ipſis Hoſtibus „ innotuit; eam ob rem ſeveriùs prohibuere, ne è militibus aliquis au„ deret in adverſum Regem mittere manus. Audiit & ipſe Rex, cùm „ Oraculi ſententiam, tum Hoſtilis exercitus cautionem: Quid putatis „ facturum Principem propriæ alioquin familiæ, & vitæ cupidum? An „ declinabit certaminis occaſionem? An armis probatis tectus accedet? „ An denique Regiis inſignibus facilè notandus eminere ſtudebit, ne „ quis juxta Hoſtium ſolemne decretum, feriret notiſſimum Regem? Nul„ latenus; ſed detracto Regio apparatu, militis ignoti armaturam induit, „ ſeſe ubi accerrimus erat congreſſus in medios hoſtes conjecit, ibi pe„ riit; & morte triumphum ſuis peperit. An non miramini hanc Prin„ cipis erga ſuos charitatem? Admirabilis eſt profecto, &c. Sed faci„ nus majori charitate peractum à Chriſto audite; Agebatur de Mun„ di totius ſalute, atque etiam ferè decertabatur; vergente in hominum „ ruinam certamine, ſtatutum eſt non aliter homines periculum evaſu„ ros, quàm ſi Naturæ Divinæ Perſona aliqua, hominem induens, „ mortem ſubiret, &c. O mira Dei benignitas! crederes ab Iſaia Prophe„ ta depictum ejuſmodi conſilium, quo inquireretur inter Trinitatis „ Perſonas, quænam ex his negotium tot laboribus ac doloribus ple„ num gereret? ac illis percontantibus hac voce, *Quis ibit Nobis*, Iſai. „ 6. 8. *Ecce ego*, inquit Filius, *mitte me*. Miſſus eſt igitur ille; citiusque „ dicto, medios inter ſalutis hoſtes terris apparuit certaminis pondus ac „ periculum provocaturus: non enim Regiæ Majeſtatis ornatu clarum, ſe-

ſe

Digitized by Google

ſe venerandum, timendumve exhibuit; ſed humiliori forte dejectus, „ per omnia inventus eſt ut homo in ſpecie ignobilis, atque tandem con- „ foſſus obiit, ſed quod ſumma rerum erat, victoriam ſua morte homini- „ bus peperit, &c. Magna prorſus Dei miſeratio! &c. Heu! quo gratitu- „ dinis amore compenſanda! &c. „

5. Cauſam didiciſtis (opinor) cur Deus Incarnationis tam operoſum „ onus ſuſceperit; cur ad hoc prænuntiandum Angelus fuerit miſſus; ac „ denique cur Mater Virgo adſcita fuerit in tanti negotii participem; At „ iterum diſcere forſitan deſideratis quomodo & quibus circumſtantiis res „ peracta fuerit. Non pudet nos puſillitatis noſtræ, cùm agitur de ſubli- „ mis Myſterii comprehenſione; fatemur certè plurima nos latere, quæ ad „ hoc Incarnationis opus pertinent, profitemur enim iſtud eſſe Ineffabile, „ & Incomprehenſibile, ſuperare mentis captum & linguæ facundiam; ſed „ hæc præſertim, ſcitu neceſſaria ſunt & utilia, quæ jam ex præfatis ſub- „ odoramini. Angelus igitur miſſus eſt ad Mariam Virginem negotiaturus „ ſalutis noſtræ opus, ſubiit ille cubiculum, ſtupet iſta & terretur ad in- „ ſolitam hominis ſpeciem. Liceat hìc interjicere D. Ambroſii monitum „ l. 3. in Luc. *Diſce* (inquit) *Virginem verecundiâ; diſce Oraculo, diſce my- „ ſterio. Trepidare Virginum eſt, ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri „ affatus vereri, &c.* „

Modus quo Incarnationis opus peractum eſt.

At quid ais Angele Dei? *Ave Gratia plena, Dominus tecum, &c.* Singulas voces Angelicæ ſalutationis explicabit Eccleſiaſta & convenienti paraphraſi dilatabit, quia Myſterio ſunt graves. Idem etiam poterit præſtare ad ea verba quæ conſequuntur ſalutationem, ea prætereo, ne in re notiſſima diutiùs immorer.

Ex Angeli cum B. Virgine colloquio liquidum fit, ut Puellæ ſanctiſſimæ conſenſus expetatur; Gabriel ſcilicet Dei nomine, ad B. Mariam venerabundus accedit, Legationem aperit, rogat conſenſum, hæſit illa ad quæſitum, &c. tandem multis utrobique tractatis, Virgo aſſentitur petitis. At tot hìc myſteria, quot verba proferuntur. Etenim cur expetitur conſenſus Virginis? cur iſta hæſit? quid denique ex dato conſenſu conſequutum eſt? &c.

Conſenſus expetitur, 1. Quia mos iſte Deo familiaris eſt, ut quoties hominem admittit in partem boni alicujus operis, toties voluntatis nutum expetat, &c. 2. ex Irenæo adv. Hæreſ. l. 5. c. 19. *Quemadmodum Eva per Angelicum ſermonem ſeducta eſt ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita & Maria per Angelicum ſermonem evangelizata eſt ut portaret Deum obediens ejus verbo, &c.* Vide lect. Breviarii Roman. in Offic. B. Mariæ in Sabbato. Decebat nempe, ut quod Evæ conſenſu perierat, Mariæ reſtitueretur conſenſu. 3. Ut Nativitas Chriſti humana fieret nonnihil conformis Divinæ: in Cœlis naſcitur per intellectum Patris ſua cognitione Filium producentis, &c. ſic, inita proportione, naſcitur in terris per intellectum Virginis, quæ Fide & conſenſu Deum concipit. Unde à D. Bona-

Cur Virginis conſenſus expetitur?

naventura in Luc. 11. ſcribitur, *Maria non tantùm beata fuit quia Chriſtum geſtavit in carne, verùm etiam beatior, quia ipſum perfectiſſimè geſtavit in mente; ſecundum quod dicit Auguſtinus; Beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quàm carnem Chriſti, &c.*

Cur B. Virgo hæſerit ad propoſitionem Angeli?

Miramini quòd hæſerit Virgo ad quæſitum Angeli? &c. Quamobrem, an præ incredulitate? an præ diffidentia? &c. Varias diverſorum Interpretum opiniones non refero, unicam dubii Virginei rationem nunc proferam. Præ Integritatis affectu hæſit primùm ob humilitatem, qua ſe tanto honore indignam arbitrabatur; deinde ob prodigii magnitudinem admirabunda ſtetit.. Vel denique dubia de modo quo poſſet Mater fieri abſque puritatis diſpendio; unde rogavit ſtatim, *Quomodo fiet iſtud?* Non poſſum non recordari conceptus, quem D. Bernardus in hunc Virginis ſtatum dubium excogitavit. Scribit ille, quòd Natura Humana, de Virginis reſponſo ſollicita præſtolabatur quaſi moræ impatiens, donec illa conſentiret; deinde per Proſopopœjam inducit in Patrum veterum cœtum è Limbo exclamantem hæc aut parùm diſſimilia verba: Da Virgo reſponſum, da conſenſum, &c. illud à te precatur miſerrima Hominum ſors, quæ calamitate preſſa gemit, donec verbulo tuo remedium accipiat, &c.

Humilitas B. Virginis.

Aſſentitur ergo illa, aitque, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Quis non ſtupeat & laudet hujuſmodi reſponſum mira virtute fœcundum? Ecce Ancilla (inquit.) Quid ais ò Maria? Mater es Domini, Filia & Sponſa, &c. & te dicis Ancillam? Non convenit officio ſublimi demiſſa nuncupatio, &c. *Rara eſt virtus* (inquit Bernardus,) *humilitas honorata*; ſed ejus exemplum habemus in Virgine, quæ quò altiùs elevatur, eò ſe viliorem dicit & arbitratur, &c.

Cur vox Fiat uſurpetur à B. Virgine.

Fiat. Vox iſta non vacat myſterio, quandoquidem ne unicum Jota per totam Scripturam fruſtra ſcribitur. Mementote autem quòd eadem voce uſus fuerit Deus dum conderet Mundi fabricam, &c. Suſpicamini jam (opinor) cur Evangeliſta refert Mariam adhibuiſſe verbulum iſtud, *Fiat*: nimirum, ut non diſſimili voce repararetur orbis, ab ea qua fuerat creatus, utrobique diſſyllabo inſtituitur & reſtituitur, &c.

Modus Conceptionis temporalis, Chriſti.

O quàm efficax vox iſta, Fiat! Non jam Cœlum, Tellusve cum ſuis incolis è ſterili Naturæ Abyſſo ſuſcitantur, &c. ſed illorum Dominus, in uterum B. Virginis delabitur, ibique Corpus & Animam induit. Admirabile omnino prodigium! pauliſper attendite: neque enim Corpus Chriſti illo temporis ſpatio indiguit ut formaretur, quo cætera egent ut conſtituantur integra; ſed in momento, & in inſtanti; ubi conſenſum Virgo præbuit; ſtatim virtute Spiritus ſancti obumbrantis operante, puriſſimus Sanguis è venis B. M. Virginis decerpitur, in unum perfectiſſimum corpus intra ejus viſcera cogitur, ac eodem puncto cum diſtinctis organis exquiſitè abſolutum, Anima Rationali perficitur, ac denique à verbo Divino per unionem Hypoſtaticam aſſumitur, &c. *Ita* (inquit D. Leo ſer.

Digitized by Google

ſer. 2. de Nativit.) *ingreditur hæc infima Jeſus Chriſtus Dominus noſter, de cœleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus: novo ordine, quia inviſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris*, &c.

Cæteras non proſequor hujus Myſterii circumſtantias, quæ poſſunt ab Eccleſiaſta modicum ſtudioſo & induſtrio ſubjici, dilatari vel contrahi, prout opportunitas id fieri popoſcerit: ſupereſt ut Paraphraſis claudatur Morali Paræneſi, ſeu Epilogo & Peroratione ad Morum inſtitutionem virtutumque praxim. V.g. Ex præſentis Myſterii Paraphraſi, duo Affectus videntur poſſe commodè, & quaſi ex rei viſceribus commoveri. Prior eſt, Gratitudo ad Deum, qui tanta, tamque laborioſa ſuſcepit opera, ut perditos homines, immo & inſenſiſſimos hoſtes ſalvaret. Alter eſt, Pudoris Affectus, quo urgeri debemus plurimùm, ut pote qui tam pauca pro noſtra ſalute perficimus, cùm Deus ipſe tam multa & tam laborioſa patraverit. Poterit & tertius Affectus excitari, de aliqua alia virtute, quæ in B. Virgine emicuerit, quales ſunt, ejus Integerrima puritas, profundiſſima Humilitas, &c. quæ Deo gratiſſimam præſtitere Virginem, ipſumque in iſtius viſcera pellexere. Ad Virginis exemplum, ſimus puriſſimi & humillimi, ſi Deo placere ambiamus, ipſumque hoſpitem delinire voluerimus.

Concluſio debet per converſionem ad Mores inſtituendos inflecti.

Gratitudo erga Deum.

Pudor de noſtra deſidia in rebus ſalutis.

Imitatio B. Virginis.

An bene ſentiam, penes eruditos & pios arbitros judicium eſto; ſed mihi videtur illa Methodus tractandi Myſteria Paraphraſticè, & ad inſtar Interpretis præcipua capita dilucidè explicantis utiliſſima, & erudiendis populis commodiſſima. Ita enim percurruntur ſingula ſcitu digna & neceſſaria, ut eorum nihil prætermittatur quod ad fidem aut mores ſpectet; quod certè plurimi faciendum eſt. Nam quis non doleat miſellæ plebis ſortem, quæ vix novit potiora Chriſtianæ Religionis myſteria, niſi fortaſſe de nomine; cætera verò quæ ad ſubſtantiam rei pertinent prorſus ignorat? Nullum aliud commodius cenſeo remedium, iſta Catechiſmi forma quæ Paraphraſim imitata, veritatem edocendam aperit, & virtutem inde ediſcendam ſuggerit ac ſuadet. Si hæc catechizandi methodus arriſerit, facilè eſt eandem ad omnia Religionis Myſteria convertere. Stylum poſcit hæc forma, qui terſus ſit & nitidus: Figuras ad docendum & delectandum compoſitas frequentiùs adhibet, cùm Narrationis vultum præ ſe ferat: ſed brevibus exemplis & lepidioribus ſententiis opus eſt aliquando, ut longior fortaſſe in dicendo æqualitas, quæ tædium pareret, evitetur.

Utilitas hujus Methodi Paraphraſticæ.

SECTIO III.

Idea Encomiſtica, de Myſteriis Religionis, ſeu Methodus, qua hæc tractantur in forma Encomii & Panegyrici.

IDea, qua Myſterium tractatur in forma Encomii, Concionis aſſuetę methodum ferè imitatur. In eo præſertim ſita eſt, ut veritatem ſcitu digna quæ Myſterii occurrentis ſinu continetur, aperiat; Deinde virtutem ſeu perfectionem quæ ibidem recluditur & docetur, proponat Eccleſiaſta Chriſtianis Auditoribus admirandam, laudandam, ſed maximè imitandam.

Duæ hujus Formę Methodi.

Duobus iterum modis Idea iſta tractatur, in eundem ſcopum quidem ambo conſpirant, ſed forma nonnihil diſſimili perficiuntur. Prior Methodus præmittit Exordium ex Locis Communibus deſumptum & propoſito conveniens. Pro Introductione, explicat Myſterium occurrens, ejuſque circumſtantias potiores, hiſtorica forma, dilucidè, & politè, breviter tamen exponit; deinde ſubjicit Partitionem in duo vel tria membra, quæ ſunt tot rei tractandæ capita, quæ poſtea ſigillatim, non ſecùs ac Partes Concionibus familiares expenduntur, cum Morali Converſione, qua virtutis alicujus quæ in Myſterio continetur, praxis ſuadetur. Altera Methodus prætermittit Hiſtoricum Ingreſſum, & ejus loco ſubſtituit Introductionem in eadem forma, quæ in cæteris Concionibus Panegyricis ſolet adhiberi. Poſterioris Ideæ dabimus exempla ſequente libro, ubi de Panegyricis & Exercitationibus Demonſtrativis agetur. Prioris Typum compendioſum mox exhibeo; non diffitebor tamen quod cenſeo; optare me ut iſte Myſteria tractandi modus eſſet Concionatoribus frequentior; hoc eſt, ut Hiſtoria quæ Myſterium complectitur, haberet Introductionis locum, ibique ceu in ſpeculo, vel in tabella exhiberetur paucis totum quod geritur aut colitur in Eccleſia, quodque Chriſtianorum nullus debet ignorare. Quis enim planè probet uſum ferè communem, quo Myſteria verſantur ab inſignibus Oratoribus Methodo ita ſublimi (ſic appellant) ut non ſolùm maximam Auditorum partem ſuperet, ſed & ipſum Myſterium, de quo vix ſemel aut iterum verbum proferunt; ita ut ex tota Concione tam artificioſè elaborata & ſublimata, plebs non intellexerit quod ignorare non poteſt abſque Salutis diſpendio? Optarem igitur, ut (quemadmodum dixi) pro Introductione texeretur brevis & dilucida Myſterii explicatio; vel quid geſtum ſit, quomodo peractum fuerit Myſterium, illud narratione etiam brevi & perſpicua expendatur; quo peracto, capita præcipua notentur ex quibus ſtatuatur Partitio, quæ notata membra ſingulatim deſcutiat, unde tamdem Morales Inſtitutiones pro Epilogo ducat. Fallor, niſi fuerit iſtud Chriſti & Eccleſiæ intentum. Fortaſſe Sanctorum etiam Panegyricis conveniret illa Methodus,

Utilitas hujus Methodi.

præ-

præſertim apud plebejos, ut nimirum pro Introductione fieret compendioſa vitæ laudandæ Narratio, ex qua ſeligerentur potiores circumſtantiæ, ſeu virtutes quæ in Divo potiſſimùm emicuere, ex quibus inſtitueretur Concionis partitio.

Exemplum de Aſcenſione Chriſti.

. V. g. Si tractandum occurrat Myſterium Aſcenſionis Chriſti, præmittetur Exordium prout Inventionis induſtria ſuggeſſerit; puta, ſi per Addubitationis Figuram dicatur; [Dubius hæſi N. an triſtari, an lætari debuerim ad celebritatis hodiernæ memoriam; num dolere, num gaudere conveniat. Triſtitiæ quidem occaſio primùm viſa eſt Aſcenſio Chriſti, quæ Chriſtum bonorum omnium fontem à nobis avelleret, &c. Lætitiam verò ſuggerere viſum eſt aliunde Myſterium, quod humanitatem noſtram ad Cœlos tranſmittens in Chriſto, Gratiæ, Gloriæque theſauros pollicetur & aperit, &c. At, penſatis omnibus ex utraque parte circumſtantiis, ſupereſt, ut gaudii lætitiæque plena cenſeatur hodierna ſolemnitas, &c. tota ſcilicet Beatitudini noſtræ deditur, tota Triumpho, &c.] Hæc eſt prælibatio Exordii, quod alio modo poteſt formari, prout nimirum induſtria Oratoris ſuggeſſerit.

Exordium hujus Ideæ per Addubitationem.

Introductionis inventio.

· Introductio, conſtituatur per Hiſtoriam, qua Aſcenſionis negotium explicetur. V. g. A Tempore, Modo, aliiſque ſimilibus Adjunctis, quibus Res peracta ſcribitur ab Evangeliſtis; puta ſi dicatur, terſo ſed ſimplici ſtilo.

Per ſpatium 40. dierum Chriſtus immoratur in Terris poſt Reſurrectionem. Cur?

Agebatur quadrageſimus dies, ab eo tempore quo Chriſtus devicta morte & ſepulchri ſolutis compedibus triumphans diluerat Paſſionis ignominiam. Spatium iſtud quadragenarium impenderat converſatione cum hominibus, &c. Quæris fortaſſe rationem moræ diuturnioris apud inferiora, &c. Non facile eſt Divini conſilii ſecretum ſcrutari; at ſi in ejuſmodi rebus obſcuris, liceat homini aliquid conjectura proſpicere; tribus
potiſſimùm de cauſis Chriſtus in Terris poſt Reſurrectionem tamdiu im- »
moratus præſumitur. 1. Ut Reſurrectionem ſufficientibus Argumentis »
certam faceret, &c. Ut Diſcipulos de rebus credendis & faciendis erudi- »
ret, &c. 3. Ut Eccleſiæ formam daret, &c. Ah, quàm gratiſſimus ille »
convictus! Indulgete, ò Beati Apoſtoli, ſi veſtræ felicitati nonnihil in- »
videam, quòd Divina præſentia tam liberè, tam familiariter fruamini. »
Non habebat prorſus amaritudinem Converſatio illius, nec tædium convictus »
illius, ſed lætitiam & gaudium. Sap. 8. 16. »

Aſcenſionis Dies.

Denique ubi decreta pro Triumpho dies illuxit; omnis pompæ victri- »
cis apparatus inſtituitur. Auguror Cœlum fuiſſe hac die ſolito purius & »
ſerenius, &c. Creaturas tandem omnes ad Creatoris Aſcendentis gloriam »
aliquid ſigillatim, æmulis nempe vicibus contuliſſe. »

Locus.

Olivarum collis Theatrum erat Triumphantis Chriſti fulgoribus illu- »
ſtrandus; in eo igitur ſtetit Chriſtus, &c. Ac poſt extremam ſalutatio- »
nem necnon benedictionem diſcipulis conceſſa, &c. propria virtute ele- »
vatus eſt ab oculis eorum, ac in cœlum receptus, &c. »

. Hæc eſt Myſterii hodierni Summa compendio propoſita, hanc ſcire
» & credere debetis, &c. At cum Myſteriis ſuis loquatur Deus, totque
» verbis erudire intendat, quot prodigiis movet; ſupereſt ut indagemus
» quid Deus nos docere voluerit præſentis Myſterii ſymbolo.
»

Tres virtutes perficiuntur Aſcenſionis Chriſti Myſterio.

Tribus virtutibus, ceu tot vinculis Deo illigamur, 1. Fide. 2. Spe. 3. Charitate, &c. Aſcendit Chriſtus, & triplici nexu devinctos Homines ſecum exaltavit, &c. inde quippe, 1. Fides facta eſt purior. 2. Spes firmior. 3. Charitas ardentior. Defæcatur Fides, quia non jam ſenſibus aut experimentis deinceps innitetur. Firmatur Spes, quia non jam Terrenis commodis ſed Divinis tentabitur. Charitas magis ardet, quia Amati abſentia impoſterum ſtimulabitur. Iſtæ ſunt Concionis partes, quæ more ſolito tractari debent.

Aliud ejuſdem Ideæ exemplū de Incarnationis Myſterio.

Pari ferè Methodo, ſi res ſit de Incarnationis Myſterio Encomiaſticè tractando, Exordium fiet à Difficultate fandi de re Ineffabili. Introductio, narrabit Facti ſeriem cum ſuis circumſtantiis. 1. A Definitione, v. g. Myſterium iſtud, quod ab Eccleſia celebratur hodie, Incarnatio eſt; Ideſt, Miraculum maximum, quo Deus Hominis Naturam in B. Virginis utero induit. At ne quid in re admodum commendabili vos lateat, diſcite quomodo & quo ordine peractum ſit. Hìc explicanda ſunt quæ ad Incarnationem ſpectant & ſciri debent; ſcilicet, quomodo ſecunda Trinitatis Perſona, & non alia, iſtud munus ſuſceperit. Deinde, quomodo Angelus Paranymphi vices geſſerit. Poſtea quomodo conſenſus Virginis expetitur, quo dato puriſſimus Mariæ ſanguis virtute Spiritus S. coaluerit ſtatim in hominem perfectum, &c. His tandem circumſtantiis explicatis, annotabit ſapiens Eccleſiaſta, virtutem aut perfectionem aliquam quæ in Incarnationis Myſterio videtur emicuiſſe magis. V. g. poterit dicere quòd Incarnatio ſit, 1. Opus ſupremæ Miſericordiæ. 2. Artificium Sapientiæ infinitæ. 3. Theatrum ſeveræ Juſtitiæ. Bonitatis opus fuit, quæ Homini miſero compatiens, ejus Infirmitatem curavit, Paupertatem ditavit, Vilitatem exaltavit; O ergo, quàm amore dignus Deus! &c. Sapientiæ fuit infinitæ, oppoſitis in ſpecie mediis uti ad tantum facinus, Humilitate ſuperbiam, Jejunio Gulam, Egeſtate Divitias, &c. ſuperaſſe, &c. O quàm admirabilis Deus! Denique ſeverior Juſtitia ſatisfactionem ad rigorem popoſcit & accepit, &c.

Methodus iſta Catechiſtam ſapit, quia veritatem creditu neceſſariam explicat, ſed ideo utiliſſimam cenſeo, ob eam rationem quam ſæpiùs memoravi, nimirum ut plebs erudiatur de iis quæ non poteſt ignorare abſque ſalutis periculo, ſed omnibus Myſteriis facillimè poteſt accommodari. Quæ verò de iiſdem dici poſſunt ſecundùm Grandiorem formam, patebunt ſequenti libro, ubi de Exercitatione Epidictica.

C A-

CAPUT II.

Exercitatio Inſtitutiva de Præceptis, Sacramentis, Virtutibus ac Vitiis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit & quotuplex Inſtitutivum Dicendi Genus, ac quomodo perficiatur.

INSTITUTIVUM dicendi Genus eſt, *quod in formandis hominum moribus, iiſque ad Dei rectæque rationis Leges componendis occupatur*. Non ago pluribus ut Genus iſtud dicendi commendem Eccleſiaſtis, ſeipſo enim ſat laudatur, & quæ de Catecheſeon utilitate ſunt dicta, huic conveniunt. Pædagogiam vocat Clemens Alexandrinus, iſtudque nomen libris de hoc propoſito conſcriptis indidit. Ejuſmodi Diſciplinam comparat Medicinæ Lib. 1. Pædag. c. 1. ubi ſic fatur, *Quemadmodum ii, quorum corpus ægrotat, Medico; ita quorum æger eſt animus, Pædagogo opus habent:* Deinde c. 7. Pædagogiæ dicitur Doctrina Divini cultus, & Eruditio ad aſſequendam veritatis agnitionem; recta Inſtitutio, vitæque agendæ ratio, quæ in Cœlum deducat. Quid ſit Inſtitutio?

Quamvis magnam cum Catecheſi affinitatem habeat Inſtitutio; differunt tamen ambæ, quòd prior forma docendi dedatur potiſſimùm intellectui erudiendo, ipſique lumen præferat ut noverit quæ ſcire & credere debet ad ſalutem; Poſterior verò ad praxim ſpectet, nitaturque ſuadere voluntatem ad virtutis amplexum vel peccati fugam; non quidem eo modo quo per ſuaſorium Genus ſolet impelli, Figuris ſcilicet ac ſententiis ad id accommodatis, ſed Methodo ſolùm Doctrinali, quæ rationes & Argumenta ſuggerat quibus voluntas pelliciatur. Quomodo differat à Catecheſi?

Ex Clemente Alexand. quadruplex eſt ejuſmodi Pædagogia. Alia eſt, quæ petitur ab eo qui Inſtitutione indiget. Alia eſt, quæ ſpectat illum ipſum qui Inſtitutionem præſtat, hoc eſt, ad Pædagogum. Tertia modum explicat quo fit Inſtitutio; Quarta denique attinet ad eas res quæ ab Inſtitutione verſari & per Inſtituentem edoceri debent. Quantum intereſt ad Pædagogum, ſeu Inſtitutionis miniſtrum, illas Dotes habeat, quas optimum Eccleſiaſtam decere diximus, 1.P. l.1. c.4. a.2. ac maximè Zelum pro Auditorum ſalute, quo ſuccenſus, non dedignabitur humiliorem Concionandi formam (qualis Catechiſtica videtur aliquibus Com- Quatuor modis poteſt conſiderari.

ptu-

ptulis) amplexari: non aliud videlicet deſiderabit quàm Auditoribus proficere, quibus vix aliud quippiam neceſſarium eſt, quàm quod Doctrinali vel Inſtitutiva Methodo traditur. De Inſtituendis, ſeu de Auditoribus, nihil aliud notandum occurrit, quàm ut attendatur eorum conditio, an Erudita, an Rudis? an aliquid altum ſapiat? an verò prima tantùm Fidei rudimenta poſtulet? his etiam concordet Orationis Inſtitutivæ methodus. De hac, cùm pluries dixerimus, ſupereſt ſolùm addere, quòd pharmaco ad ſanitatem recuperandam compoſito ferè ſimilis, debet indigentiæ Auditorum planè reſpondere, ipſique pro rata proportione ſubvenire. Non eadem dicendi forma omnibus prodeſt; proficit indocto & ſtupido, quod erudito & delicato foret inutile. De rebus verò tractandis per Inſtitutivam methodum, ex triplici dumtaxat capite continentur, ſunt enim vel Præcepta tum Decalogi, tum Eccleſiæ, vel Sacramenta; vel Virtutes & Vitia.

Quæ ſint Res tractandæ in hoc Dicendi genere?

Inventio quæ ad Inſtitutionem pertinet, non diſſimilis eſt ab ea quæ Catecheſi convenit, ab iiſdem enim Locis petuntur Argumenta & probationes, qui Doctrinæ tradendæ ſolent eſſe familiares. Tractantur nimirum & diſcutiuntur vulgata Quæſtionum capita, quibus inveſtigatur, 1. *Quid res ſit*, ad quod valent Loci à Notatione Nominis, à Genere, à Differentia, à Proprietatibus, à Definitione & Deſcriptione. 2. *An Res ſit*; ſeu de Rei exiſtentia, cui accommodantur Loci à Cauſis, ab Effectibus, ab Adjunctis, à Comparatione, à Similitudine, à Teſtimonio cùm Scripturarum, tum SS. Patrum. 3. *Qualis res ſit*, ſeu ejus affectiones & Proprietates. Huic Quæſtioni famulantur, penè Loci omnes, ſed præcipuè Adjuncta, Repugnantia, Similitudo, Cauſæ, Effectus & Authoritates. 4. *Cauſæ & Effectus Rei*, explicantur per ejus principia & bona vel mala, quæ ab ipſa reproveniunt. 5. *Diſcutiuntur Rei Partes, Species*, & quæcumque Totum aliquod partiri & dividere poſſunt. 6. Examinatur *Modus* quo res facta eſt aut fit, aut fieri poteſt; ubi etiam agitur de removendis Impedimentis quæ Rei conſecutioni obſtant. V. g. ſi occaſio ſit tractandi *de Miſericordiæ virtute*, Quæretur primò, *Quid ſit Miſericordia*, eſt nimirum alienæ miſeriæ compati; nomen ipſum ſonat Latinis Cordis affectum de alterius calamitate, Græcis verò Benignitatem & Teneritudinem. 2. *Eſtne Miſericordia?* rara avis in terris, vix enim videtur in quocumque Hominum ſtatu, &c. 3. Raram eſſe comperies, ſi ejus affectiones & *proprietates* diſquiſieris; quænam enim ſunt illæ? &c. 4. *Divina* prorſus eſt Miſericordia, nec etiam vera cenſeri debet, niſi à Charitate incentivum, ceu ejus animam & formam acceperit, &c. At certè pluribus Argumentis ſuadetur Miſericordia, &c. 5. Duplex eſt Miſericordia, ſeu potiùs circa duplex objectum illa occupatur, Corpus & Animam, &c. Quomodo autem perfici poſſit, liquidum eſt cuilibet minus intelligenti; bonorum largitione fieri, &c. Illam ſuadet Deus, quodque ſuaſit, illud adjuvat gratia & ſubſidio, ut fieri poſſit. Scio nonnulla

Loci è quibus tractatur inſtitutio.

Exemplum de virtute Miſericordiæ.
1. Quid ſit.
2. An ſit.
3 Qualis ſit
4. Ejus Cauſæ.
5. Quotuplex ſit.
6. Quomodo fiat.

la Impedimenta obeſſe, ne aliqui Miſericordiæ opus exhibeant. V. g. metuunt ne plus nimio dejiciantur, ſi ſeipſos demittant ad miſerorum ſolatium, &c. Timent, ne privatis commodis noceant, liberalitate qua Calamitoſis ſubvenirent, &c. At levia ſunt iſta, & ab homine Chriſtiano flocci pendenda, &c. Delibavi paucis Locorum capita, unde alicujus Præcepti vel Virtutis natura explicatur; ut hìc diſcat Eccleſiaſta, uberrimam ab his fontibus dicendi ſegetem manare, ſi bene verſentur.

Elocutionem poſtulat hoc genus, quæ ſit perſpicua, ordinata, & polita. Figuris ad Docendum & Delectandum aptis ornari deſiderat; ne faſtidio ſit Auditoribus plus nimio æqualis docendi forma: Interrogationibus & Reſponſis maximè lætatur, quia his acuitur mollior & ſedatior Pædagogia. Juvat etiam prudenter admiſcere breves & appoſitas hiſtorias quibus condiatur & recreetur; Exemplis, Similitudinibus & Symbolis illuſtrabitur, ad Intellectus & Memoriæ ſubſidium. Elocutio Inſtitutivi Generis.

Duæ ſunt Methodi quibus tractari poteſt Inſtitutivum Genus. Prior quæ Grandis eſt formæ, non diſtat ab ea forma, quæ in Concionibus uſurpatur, & eaſdem ſequitur leges, quæ Generi Suaſorio præſcribuntur. Altera Catechiſmo ferè ſimilis eſt, atque ab iiſdem promptuariis eruitur. Iſtius formæ Ideas mox exhibemus, alterius exempla in 3. hujus partis libro dabuntur. Duplex Methodus Inſtitutionis.

ARTICULUS II.

Idearum Inſtitutivarum de Præceptis, variæ Partitiones.

DUPLICEM Decalogi Tabulam & utriuſque Præcepta ſingulatim diſtributa, compendioſè tamen & ſtrictim per Partitiones Concionatorias diſpenſata, hìc præfigo, ad Ideas exemplares à Tyrone imitandas. Geminæ Dilectionis leges ſanciuntur in utroque Decalogi laterculo. Priore continetur quidquid ad Dei cultum ſpectat, poſteriore officia Proximo debita præſcribuntur. Tria Præcepta inſculpunt primæ Tabulæ, docentque tot Officia quæ Deo tenetur Homo reddere, *Amorem*, *Laudem*, *&* *Obſequium*. Trium partium quæ in homine vigent, ſunt hæc debita, *Cordis*, *Oris*, *&* *Operis*. *Cordis Amorem* exprimit Decalogus, dum ait; Diliges Dominum Deum tuum. *Laus Oris* jubetur, dum prohibetur Nominis Divini vana uſurpatio. *Operis Obſequium* præcipitur per ſanctificationem Sabbati. In altera Tabula ſeptem Præcepta ſtatuuntur, quæ iterum, Cordis, Oris & Operis officia proximo reddenda exhibent. Primam ſedem occupat *Honor Parentum*; Secundam *Homicidii prohibitio*; Tertium præceptum, vetat *Mœchari*: Quartum, *Furari*. Quintum, *falſa Teſtari* contra Proximum; Sextum & ſeptimum, *Concupiſcentiam*, *uxoris*, *fortunæ* ac eorum omnium quæ Decalogi ſumma.

pro-

proximi ſunt, ſummovent. Horum igitur Præceptorum Diviſiones poſſunt formari.

Partitiones variæ Catecheſeon de Præceptis. De Dilectione cùm Dei, tum proximi, multas Partitiones notavimus in 1. Part. l.ult. c.4. ubi fusè de Affectibus Amoris & Odii actum eſt; aliquas tamen repetam, ut cum cæteris Speculum Decalogicum ſeu Inſtitutivum integrum exhibeant.

1. Partitiones de Diligendo Deo. I. In Dilectione Dei, tria ſunt attendenda, 1. Incitamenta divini Amoris. 2. Modus. 3. Effectus, ſeu ſigna. Item; Diligendus Deus, 1. Ob ſtatutum præceptum. 2. Ob præmia promiſſa. 3. Ob pœnas decretas in ſecus facientes. Item; Dilectio Dei eſt, 1. Honeſta. 2. Utilis. 3. Facilis. Item; Adimpletur Corde. 2. Ore. 3. Opere, &c.

2. Partit. de Juramento. II. Juramentum tres conditiones petit ut ſit legitimum, 1. Veritatem. 2. Juſtitiam. 3. Judicium. *Verum* ſit, ne in perjurium vertatur. *Juſtum*, ſeu de re licita, non enim valeret de re neſaria. *Judicium*, hoc eſt, ut fiat diſcretè & cum prudentia. Item; 1. Quid ſit Juramentum. 2. Utrum ſit jurare licitum. 3. Quæ ſint Juramenti liciti conditiones. 4. Quæ ſit Juramenti forma legitima.

3. Partit. de Sabbato celebrando. III. Sabbatorum ac etiam Feſtorum Sanctificatio præcipitur. Triplex diſtingui poteſt Sabbatum, pro triplici genere hominum, qui illud obſervare tenentur. 1. Alii ſervilem & Mechanicam faciunt Dominicam, quia ſuis operibus ſervilibus & commodis, &c. eam impendunt. 2. Alii Nocentem reddunt, quia ſuis criminibus tempus Deo deputatum maculant, &c. 3. Alii, ſanctam exhibent, quia ſanctitatis Officiis hunc Diem ſacrant. Item; 1. Rationes, ob quas Diem Dominicum ſanctificare debemus. 2. Modus, quo ejuſmodi ſanctificatio perficitur. 3. Opera quibus ejus ſanctitas læditur.

4. Partit. de Honorandis Parentibus. IV. Parentibus Filii debent, 1. Amorem. 2. Reverentiam. 3. Obſequium. Item; 1. Stabilitur hujus Præcepti obligatio. 2. Præſcribitur modus, quo adimpletur. 3. Examinatur Praxis, laudantur qui ſuo funguntur officio; Improbantur & increpantur, qui ſecus faciunt. Item; Amor Filiorum erga Parentes, ſancitur Lege, 1. Naturali. 2. Civili. 3. Divina.

5. Partit. de Parentum Debitis. V. Filiis Parentes debent tria, 1. Suſtentationem. 2. Educationem. 3. Exemplum. Item, debent illis triplicem vitam. 1. Naturalem, qua ſuſtentationi neceſſaria ſuggerant. 2. Vitam Civilem, qua ipſis de ſtatu in Republica ſecundùm conditionem & ſufficientiam provideant. 3. Vitam Divinam, qua virtutibus ornari ſatagant. Item, Parentum, 1. Alii ſunt Idololatræ, qui Filios plus nimio diligunt, cum diſpendio Amoris Deo debiti. 2. Alii ſunt Injuſti & Partiales, qui Affectum inter Filios inæqualiter diſpenſant. 3. Alii, Crudeles, ſeu quòd in ipſorum tractatione, vel regimine crudeliùs ſæviant; ſeu quòd eos malis operibus erudiri permittentes, eorumdem ſint potiùs Interemptores quàm Parentes, ut ait D. Bernardus.

VI.

VI. Maritus uxori debet, 1. Amorem caſtum. 2. Fidem integram. 3. Suſtentationem ſufficientem juxta Modeſtiæ Chriſtianæ Leges. Item. Mariti diligant uxores ſuas Amore, 1. Rationabili, non Brutorum affectu, ſed humano; & ipſis exhibentes quod ſibi exhiberi vellent. 2. Chriſtiano, ſcilicet ex Legis Chriſti moderamine, & inſtar Chriſti Eccleſiam diligentis. 3. Divino, non carnis ſed Charitatis impulſu. Item. Mariti caveant à tribus defectibus quæ conjugali amori plurimùm noxia ſunt. 1. à Cupidine quæ puritatem Sacramenti polluit. 2. Ab Infidelitate, quæ fidem frangit. 3. A Tyrannide, quæ Amori maritali eſt injurioſa. 6. De Maritorum officio Mariti.

VII. Uxor Marito debet, 1. Affectum ſanctum. 2. Fidem incorruptam. 3. Reverentiam ſtudioſam & benevolam. Tria in conjuge debent ſplendere, 1. Pietas in Deum. 2. Obedientia erga Maritum. 3. Vigilantia in rei familiaris adminiſtratione. 7. De uxorum officio.

VIII. In Paſtore tria deſiderantur. 1. Authoritas ſeu Poteſtas. 2. Sapientia. 3. Charitas. Priore tuetur Gregem. Altera regit & inſtruit. Tertia, Vigil eſt ad neceſſaria procuranda. Grex, ſeu ovis, triplici virtute commendabilis eſt. 1. Amore & dilectione. 2. Reverentia & timore. 3. Obedientia & obſequio. 8. Partit. Paſtorum & Gregis officia.

IX. Domini debent ſervis tria. 1. Amorem, quo ipſos non Tyrannico ſed fraterno animo, ut ejuſdem corporis membra, &c. habeant. 2. Inſtitutionem, Correctionem & Exemplum. 3. Mercedem & laborum pretium. Servi Dominis tenentur tria præſtare. 1. Reverentiam & honorem. 2. Fidelitatem, & de rebus creditis vigilem curam. 3. Obſequium & Laborem. 9. Partit. Dominorum & ſervorum officia.

X. Homicidium prohibetur ſecundo poſterioris Tabulæ præcepto. De hoc habes plura in ultimo 1. Partis Libro c. ult. ubi de Amore proximi, de Ira & Odio tractatur. Interea triplex eſt Homicidium. Aliud Animæ noxam infert, eſtque ſcandalum; Aliud Famæ, aliud Corpori facit injuriam. Qui ſcandali author eſt, peccat, 1. Contra Deum, qui mandavit unicuique de proximo ſuo. 2. Contra Rempublicam, cujus ſubditis inſidiatur. 3. Contra ſeipſum, quia ſe conſtituit fidejuſſorem pro damno illato, &c. Homicida delinquit adverſus, 1. Juſtitiam, dum fit alteri injurioſus. 2. Charitatem, qua fratrem diligere tenebatur. 3. Prudentiam, qua ſe Damni illati debitorem conſtituit. Detractio, alterum eſt Homicidii genus, quod infert malum, 1. Dolore acerbiſſimum. 2. Contagio generaliſſimum, quia plures uno ictu trucidat. 3. Curatione difficillimum, quia vix reparabile. 10. Partit. de Homicidio Triplici; Animæ, Famæ, & Corporis.

XI. Luxuria triplici facultate admittitur. 1. Corde ſeu cogitatione. 2. Ore, ſeu loquutione. 3. Opere, ſeu executione. Item, Injurioſa eſt tribus. 1. Spiritui ſancto, cujus Templum violat. 2. Animæ, cujus dignitatem deprimit. 3. Corpori, cujus uſum corrumpit. Item. 1. Luxuriæ definitio, ejuſque ſpecies, *ſed hic cautione opus eſt, ne quid caſtas aures offendat*. 2. Luxuriæ iniquitas & prohibitio probatur. 3. Damna 11. Partitiones de Luxuria.

quæ ab illa fiunt repræſentantur. Si de Adulterio agatur, partitio fiet de triplici injuria, qua triplex Matrimonii bonum deſtruit. 1. Sacramenti ſanctitatem. 2. Fidei integritatem. 3. Prolis Juſtitiam, ſpuriam ſcilicet pro legitima, cum magno Hæredum damno ſubſtituens. Item, Adulter eſt, 1. Sacrilegus, qui rem Deo ſacram diripit. 2. Injuſtus, qui Reipublicæ ac proximo damna infert plurima. 3. Infidelis, qui jura omnia pervertit & violat. Item plura ſunt Luxuriæ Incentiva, & Remedia, de quibus actum eſt 1. Part. L. 5. c. ult.

12. Partit. de Furto. XII. Furtum pluribus circumſtantiis poteſt penſari. Conſule 1. p. L. 5. c. ult. ubi de Cupiditate agitur: & 2. p. L. 4. in Forma Dialog. Interim, poterunt hæ partitiones formari. 1. Quid ſit Furtum. 2. Ejus Effectus. 3. Ejus Remedia. Item. Tria ſunt Perſonarum genera, quæ ſolent alterius bona rapere vel retinere injuſtè & invitis Dominis. 1. Nobiles, qui ſubditos variè opprimentes conceſſa abutuntur poteſtate. 2. Judices, aliique Juſtitiæ miniſtri, qui credita æquitate abutuntur. 3. Mercatores qui fide publica abutuntur per fraudem & uſuram. Item alio modo, tres virtutes quibus humana ſocietas floret, corrumpuntur Furti malitia, 1. Poteſtas, ſeu Authoritas. 2. Juſtitia & Æquitas. 3. Fides. Vel huic ſubſtitue Charitatem, quæ furto maximè violatur. Item, 1. Facile eſt alterius bona rapere & retinere, plura enim ſunt quibus cupiditas illicitur ac incenditur. 2. Graviſſimum malum eſt rapuiſſe, quia Conſcientia tamdiu maculata perpetuò cruciatur. 3. Difficillimum opus eſt, reſtituere, quia & Avaritia & Hæredum intuitu præpeditur. Item, plures ſunt hujus facinoris peſſimi Conſcii. 1. Authores, 2. Conſiliarii. 3. Cooperatores, &c.

13. Partit. de Mendacio. XIII. De Mendacio quod eſt linguæ vitium; 1. Quæritur quid ſit & quot modis committatur. 2. Ejus effectus & damna. 3. Ejus remedia explicantur. Item, Peccat 1. in Deum; tum quia ille prohibet mendacium; tum quia ille conceſſit linguam ad optimos uſus, quos mendax corrumpit. 2. In Proximum, quem mendacibus verbis decipit. 3. In ſeipſum, dum injurioſus eſt propriæ cùm Saluti, tum Famæ; quia ſibi apud omnes fidem tollit.

XIV. De Concupiſcentia, adverſus quam duo ultima præcepta ſanciuntur, abundè dictum eſt præfato prioris partis ultimo Libro, in capite ult.

ARTI-

ARTICULUS III.

Idea Inſtitutivæ de Præceptis.

EXEMPLAR.

PRÆMITTO iterum brevem Methodum, qua ſolent Præcepta Legis Divinæ tractari; Hæc quatuor capita potiſſimùm expendit. Primum eſt, ut Præcepti ſubſtantia explicetur. 2. Diſtinguuntur ejus ſpecies. 3. Ejus obligatio ſtabilitur. 4. Uſus & Praxis oſtenditur. Capita, quibus tractari ſolet Inſtitutio.

Primò igitur, proponitur Præcepti Subſtantia, per declarationem Legis apertam & ſinceram. Elocutio ſit ſimilis hiſtoricæ Narrationi, cujus ferè locum occupat, ponitur enim vice Exordii aut Introductionis. Hìc utiles ſunt Loci, à Definitione, à Notatione Nominis, à Deſcriptione, &c. 1. Rei Definitio.

Secundò, Diſtinguuntur Præcepti Species, ſi quæ ſint: Id eſt, notantur Partes, quas Præceptum complectitur. V. g. cùm agitur de honorandis Superioribus, deſignantur perſonæ ſeu ſtatus, quibus ejuſmodi cultus debetur, 1. Parentes. 2. Paſtores. 3. Magiſtratus, &c. 2. Differentiæ & partes.

Tertiò, Stabilitur Præcepti obligatio; nimirum, 1. à quo vim ſuam habeat. 2. Qualis ſit; an ſub Mortali; an ſub Veniali. 3. Explicantur Caſus & Circumſtantiæ, ad Præceptum ſpectantes. V. g. filii debent Parentibus Amorem, Honorem, & Subſidium; deinde iterum recenſentur Caſus in quibus ad hæc teneantur filii; & in quibus delinquat, qui ſecus fecerit. 3. Præcepti obligatio.

Quartò, Suadetur tandem Præcepti explicati Praxis, quod fit per ſubjectionem incitamentorum ad eam rem appoſitorum; deinde removentur difficultates & excuſationes quæ videntur præcepti adimpletionem impedire. Cui rei adhibentur Argumenta ex Locis & Fontibus ſuaſoriis petita. 4. Uſus docetur.

Quintò, Addo quòd in hac ultima parte diutiùs immorandum eſt, cùm ſit potior ſcopus qui intendi debet à Catechiſta. Ideo fortaſſe conſultius foret, Inſtitutivum Catechiſmum ad tria Puncta revocare; nimirum 1. Quæratur, quid ſit, Quotuplex, & quæ ejus ſpecies ac Partes. 2. Oſtendatur obligatio ex omnibus rationibus & Motivis quæ vim obligandi continent. 3. Examinetur uſus & Praxis, ubi etiam prætextus & excuſationes quibus declinatur obligatio, amoveantur. Denique pro Concluſione repetantur breviſſimè totius Catecheſeos Capita, & aliquando exemplo, ſeu Hiſtoria memorabili, quæ ſenſus afficiat, quidquid dictum eſt firmetur ac illuſtretur. Methodum Præfatam in Idea Exemplari de Sanctorum Cultu nunc exhibeo.

Digitized by Google

IDEA EXEMPLARIS

De Cultu debito Beatis, qui in Cœlo regnantes, Sanctorum nomine inſigniuntur.

Numquid noſti Ordinem Cœli, & pones rationem ejus in Terra?
Job. 38. 33.

Exordii Materia.

EXordium duci poteſt à Comparatione Eccleſiæ cum Cœlo. 1. Quia utrumque opus Deum agnoſcit Authorem. 2. Quia utrumque eſt corruptibilitatis expers. 3. Quia utrumque Luminis & Influxus his Inferioribus neceſſarii fons eſt & origo, &c. Sed in hoc potiſſimùm ſtat comparatio, quòd ſicut Cœlum fulget Sole, Luna & Stellis, &c. Ita & Eccleſia experitur Chriſtum Solem, Mariam Lunam, Sanctos verò diverſi meriti, quaſi tot Aſtra diverſæ magnitudinis, &c. Atque hæc fortaſſe Ænigmatis Jobo propoſiti, ſolutio. Nondum ille noverat qualis erat cognatio Cœlum inter Terram, Beatos inter & Mortales homines, &c. Dudum per Eccleſię revelationem nobis innotuit ejuſmodi Commercium; ſed quod verbo docuit, exemplo nunc ſuadet, nimirum cum Beatis illis Hominibus, ſocietatem inire, &c. Quomodo id fieri debeat, explicare nunc aggredior, &c. At non priùs quàm ſalutata Sanctorum Sanctiſſima, B. ſcilicet Virgine, & eadem mediante popoſcerim gratiam qua propoſitum penſum exequar. Mecum repetite quod ſemel ab Angelo dictum eſt, Ave Maria, &c.

Ducitur à Comparatione.

Invocatio B. Virginis.

Exordii alterius Inventio à Simili.

Duci poteſt etiam Exordium à Simili, maximè ſi agatur cum Hæreticis: facta videlicet comparatione Dæmonis vel Hæreſeos cum Holopherne qui obſidione cingens Bethuliam juſſit obſtrui fontes, quibus aquæ in Urbem neceſſariæ deferebantur. Judith. 7. Simili ferè arte uſus Dæmon, fontes unde à Cœlis in nos aquæ viventis rivi manant (Sanctos dico Gratiæ Canales) præſcindere conatur, eorumque nobiſcum commercium nititur præcludere, &c. Sed fruſtra, &c. Virginis ſubſidio freti alveos aperiamus, & mutua Beatorum ac Viatorum officia explicemus, &c.

Introductio A Propoſiti nuda explicatione.

Introductio, vel conſtituitur ex repetitione præcedentis Catechiſmi, (ut dixi) vel inſtruitur ab expoſitione propoſiti tractandi hoc ferè modo.

Quæritur hodierna Catecheſi quid juris debeamus reddere Sanctis, quidve boni ab iiſdem ſperare poſſimus, &c.

A Nominis Notatione.

Atque ne quid ambigui lateat in voce, priùs aperio quid ſit quod Sancti Nomine appellem. Sanctos dico, Homines juſtos, quos poſt expletam inter mortales vitam, virtutis operibus laudandam, hinc ſeceſſiſſe in Cœlum credimus, ubi præmiis æternis remunerati, ac Deo aſſiſtentes me-

merita Beatitudine fruuntur. Hos, inquam, quos Dei amiciſſimos ipſique acceptiſſimos arbitramur, Sanctos & Beatos dicimus.

Status igitur Quæſtionis eſt, quomodo cum ejuſmodi Beatis Hominibus Nos (qui Viatorum & Mortalium vices obimus) gerere debeamus; quodnam officium, quod debitum poſſimus cum laude & æquitate iiſdem exhibere. Status Quæſtionis.

Triplex Officium tenemur reddere Sanctis. 1. Honorem. 2. Vota. 3. Imitationem; pro triplici nimirum ratione, qua ſuſpiciuntur à Nobis. 1. Ut Religionis Heroes. 2. Ut Cœli Principes. 3. Ut Sanctitatis exemplaria. Honorare debemus Sanctos, quia Honor exhibendus eſt Religionis Heroibus ac Columnis. 2. Invocare debemus Sanctos, quia multa Spes nobis affulget à Cœli Principibus, Deique Amicis. 3. Imitari debemus Sanctos, quia id merentur Sanctitatis Archetypi. Tria hæc ſuſcipimus explicanda, eruntque hodiernæ Catecheſeos Partes. Audite. Solutio Triplici propoſitione.

Quæritur primùm, An Liceat honorare Sanctos, ipſiſque aliquem Cultum Religioſum reddere. Sed ut propoſitionis ſolutio pleniùs liqueat, ejuſque nihil fugiat quod Auditores intelligere teneantur; Quæſtionem iterum in tres partes dividimus. Prima explicamus quid ſit & quotuplex ille honor Sanctis debitus. Altera, ſuggerimus rationes ob quas debetur Beatis Cultus ille. Tertia denique docemus, quomodo exhibenda eſt illa reverentia. Prima pars. Partitio Propoſitionis.

1. Honor ille de quo agitur, eſt reverentia quæ rei alicui debetur. Eſt autem duplex, *Civilis aut Religioſa*. Civilis dicitur, quæ in homine reveretur aliquam perfectionem à Natura, vel ab Arte, vel à Fortuna conquiſitam, v. g. quæ præcellentibus Geniis, Principibus, Doctis, &c. redditur. Religioſa reverentia eſt, quæ in Creatura colit aliquam eminentem gratiam à Creatore conceſſam, v. g. Sanctitatem, Miraculorum Donum, &c. De Religioſo cultu Quæſtio eſt, num ſcilicet religioſè debeant coli, quos Sanctos appellamus. Cultus Civilis & Religioſus.

Sed ut iterum clarior appareat Solutio, rurſus diſtingui debet triplex Cultus Religioſus, quia nimirum tot ſunt res colendæ. Prior debetur Deo, diciturque *Latria*. Vox eſt Græca quæ reverentiam ſignificat ſupremam, quæ nimirum uni primo Enti, id eſt, Deo convenit, ſoletque appellari *Adoratio latriæ*, Deumque agnoſcit & prædicat ut Bonorum omnium fontem, &c. Alter Cultus dicitur *Duliæ*, ſeu miniſterialis & inferior, qui congruit ſolis Creaturis, ut ſervis & Miniſtris, quique Cultus à ſupremo infinitè diſtat, &c. Tertia Honoris ſpecies media eſt inter ſupremum & infimum Cultum; à ſupremo quidem, qui ſoli Deo debetur infinitè differt; ſed infimo excellentior eſt, vocaturque *Hyperdulia*.

His prænotatis, Primam Quæſtionem ſic paucis ſolvimus. Non agitur hìc de Adoratione ſuprema quaſi dubitaremus an poſſet Sanctis exhiberi: Credimus enim & profitemur (quidquid Adverſarii contra veritatem effutiant) illam non poſſe reddi Sanctis abſque Sacrilegio. Ratio eſt, quia

quia Cultus ille qui ſolius Creatoris proprius eſt, non poteſt Creaturæ pendi, &c.

Status Quæſtionis. De Inferiori Cultu igitur Quæſtio eſt, ſeu ſit Hyperdulia, quæ ſoli B. Virgini veluti omnium Sanctorum Sanctiſſimæ debetur; ſeu ſit Dulia quæ Sanctis infra Virginem convenit. Iſte ergo Cultus inferior & religioſus, qui in re honorata aliquid Divinum & ſupra naturam reveretur, ille inquam eſt, qui modò in Controverſiam vocatur, an poſſit viris Beatis exhiberi, &c. Pro parte affirmativa cum tota Eccleſia ſto, & Aſſertionis rationes profero.

Triplex ratio pro honorandis Sanctis. 2. Tribus Argumentis ſtatuitur ille Cultus Sanctis exhibendus. Primum ducitur à Dei teſtimonio. 2. Ab Eccleſiæ uſu vetuſtiſſimo. 3. Ab ipſa ratione. Audite quomodo Deus Sanctos honoret. *Quicumque* (inquit) *glorificaverit me, glorificabo eum*. 1. Reg. 2. 30. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, ait Pſaltes Regius Pſ. 44. 17. Statuuntur illi

1. Dei Exemplum. Judices mundi, Matth. 19. 28. & Pſ. 149. 9. dicitur: *Ut faciant in eis Judicium conſcriptum; Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus*. Plura teſtimonia non congero in aſſertionis probationem; verum cum Eccleſia exclamabo: *Nimis honorati ſunt Amici tui Deus*, &c. Ergone periculum erit ne in ſcelus vertatur nobis, ſi Dei exemplum ſecuti, Sanctos honoremus? &c. Nequaquam certè id arbitrabitur qui bene ſenſerit, &c.

2. Uſus Eccleſiæ. Eccleſiam do cultus noſtri vadem. Illa quippe infallibilis eſt, & nec decipi nec decipere poteſt, &c. Videte quid non præſtet, ut Sanctis reverentiam exhibeat. Dies Feſtos, Templa, Officia, &c. ceu honoraria ſtipendia & pretia ſolvit, &c. Nec ab hoc tempore munus iſtud Sanctis pendit, ſed ab ipſa inſtitutione. Evolvite Hiſtoriam ſacram, & comperietis, quid Concilia, quid Eccleſiæ Antiſtites, quid ipſi Imperatores hac in re fecerint, &c. Quaſi verò non mihi fuerit tutius Eccleſiæ ac ejus Præſidibus ſapientiſſimis fidere, quàm Nebuloni, qui perduellis, & in veritate naufragus audet aſſerere cultum Sanctis redditum Idololatriæ piaculo maculari, &c. Erras quiſquis es qui talia blaſphemas, &c.

3. Ratio. Ratio ipſa Argumentum (quamvis Divino & Eccleſiaſtico infirmius) ſuggerit, quo probetur cultus Sanctis exhibendus. Nonne enim ex juſtitia eſt, ut virtus in quocumque emicuerit honoretur? &c. Videtis

A Simili. quomodo Principes cum eximiis viris agant; Nobiliores, Generoſiores, Doctiores, &c. honorariis donis ac locis cumulant, &c. Nemo eſt qui non factum judicet æquiſſimum, &c. Nonne potiori ratione conveniet, ut Cultus, & Honor decernatur Sanctis qui tot egregia facinora edidere? Perlegite Sanctorum Hiſtoriam, videbitis eorum plurimos, divitias, honores, delicias, ſuoſque Parentes dimiſiſſe ut Deo Renuntiationem ſuadenti obſequerentur. Videbitis Martyres, Virgines, &c. naturam, ætatem, ſexum &c. fortiter ſuperaſſe ut Dei partes ſuſtinerent, &c. Nonne hæc merentur laudari & honorari? &c.

Objectionis dilutio. Verum eſt, (inquit fortaſſe Adverſarius) ſed Honor ille deberet eſſe

Civi-

Civilis tantùm, non verò Religioſus. In voce latet æquivocatio, quam tamen ex initio dictis facile eſt ſolvere. Quid eſt ergo Religioſus cultus? Non hoc eſt quod ais, Hæretice; quaſi ſit in Creatura Divinitatem agnoſcere; ab hoc enim toto Cœlo diſtamus: ſed eſt Divinum aliquid in Creatura revereri, ſcilicet Gratiæ ac Virtutis opera, quæ Sancti divino auxilio adjuti præſtitere. Veneramur Creatorem in Creatura, Deum in Sanctis, Gratiam in Natura, &c. Quid ſceleris in ejuſmodi Cultu notari poteſt; &c. niſi à perverſo ingenio, qui virtutem ubicumque fuerit odit & improbat? &c.

3. Supereſt ut modum quo Sanctis exhibendus eſt honor ille deſcribamus. *Compendioſè tantùm refero, quæ Catechiſta pro opportunitate temporis dilatabit.* Ejuſmodi igitur officia Sanctis reddenda ſunt. 1. Affectus animi, quo Divos æſtimamus & veneramur. 2. Gratias Deo reddimus, quòd mirabilis fuerit in Sanctis ſuis, atque in ipſos ſe oſtenderit multarum Gratiarum largitorem. 3. Templa, Altaria, Sacrificia, Officia, Decorationes Templorum ac Imaginum, Imagines, Vota, &c. ſunt tot honoraria penſa quibus Sancti remunerantur. 4. Si Moralitatis occaſio fuerit, ampla ibi ſeges occurrit, qua excitetur Auditor ad virtutum praxim ex Incentivo honoris qui virtuoſos ſequitur, Peccatores verò deſerit. Inſtituatur comparatio inter famoſos impios, quorum *Memoria tranſit cum ſonitu*, & quorum oſſa diſſipata contemnuntur, ſicut pulvis quem *projicit ventus à facie terræ*; cùm Juſti aliunde in perpetuum vivant, & memoria illorum ſit in benedictione, &c. Per Hypotypoſim ex una parte fingatur Epulo impius, ex altera Lazarus pauper, & ex compoſitione utriuſque excitetur peccati fuga, & virtutis deſiderium, &c. Quis non malit cùm Lazaro in æternum glorificari, quàm cum Epulone æterna ignominia ſuffundi? &c. Elige utrius malueris ſortem; fallor niſi Gloriam Lazari præpoſueris: illius ergo inſtar vive Sanctus in terra, ut Beatus in Cœlo coroneris, &c. Diximus preces Divis factas eſſe partem honoris ipſis exhibendi; hæ ſunt Invocationis opus, quod in altera parte mox expendimus.

Modus quo Sancti coli debeat.

Moralitas.

Secunda pars.

INterceſſionis officium quod à Sanctis ſperamus, difficultates aliquas continet quæ explicatione indigent; hanc præmittimus ut cuncta facillimè intelligatis. Quæro igitur primò, quid ſit Interceſſio? 2. Quotuplex. 3. An proſit & liceat? 4. Quomodo præſtanda ſit?

Propoſitio.

1. Interceſſio in hoc ſita eſt, quòd Homo viator vota ſeu preces ad Beatos vel Beatorum aliquem dirigat, ipſum rogans ut dignetur pro illo patrocinari apud Deum & ab eo obtinere quod à petente deſideratur: iſtud eſt quod Mediationem, ſupplicationem & invocationem appellamus. Sed hic notandum eſt

Quid ſit Interceſſio.

2. Quòd

Digitized by Google

Quotuplex Interceſſio.

2. Quòd duplex eſt Interceſſionis genus, aliud quod dicitur Excellentiæ, aliud quod Miniſterii vocatur. Interceſſio per Excellentiam, ea eſt quæ fit ex propriis Meritis, ex Juſtitia, & ex Condigno (ut ajunt Theologi.) Ejuſmodi eſt Mediatio ſolius Chriſti, cui ita proprium eſt iſtud intercedendi genus per excellentiam, ut nulli Creaturæ conveniat. Interceſſio Miniſterialis ſeu inferior Mediatio, ea eſt quæ fit per Creaturam aliquam ſanctam, Deo gratam, quæ favore quo pollet apud Deum utitur in gratiam eorum qui ipſam Mediatricem adhibent; ferè ad inſtar eorum qui gratioſi ſunt & accepti apud Principes, ipſoſque faciliùs inclinant, ut iis benefaciant pro quibus precantur, &c.

Cur Interceſſio ſit probanda?

3. Hoc poſito, quid jam ſupereſt difficultatis, quod nos ab Invocatione Beatorum prohibeat? Scriptura probat id genus officii; Patres teſtantur illud eſſe legitimum; ratio ipſa idem ſuadet, quis criminari audeat?

At ne quid ambiguum, dubiumve fieri permittam, Divina Oracula profero, quibus probatur Sanctorum Invocatio. Nonne Abraham deprecatus eſt Angelos Sodomiticæ iniquitatis vindices, ut huic miſeræ Civitati parcerent? Geneſ. 18. Job 50. 1. *Ad aliquem Sanctorum convertere*. Machab. 2. c.3.& c.14. n.14. dicitur de Onia mortuo, *Hic eſt qui multum orat pro populo & univerſa ſancta Civitate*.

Sed cur veteris Fœderis teſtimonia profero? in Novo reperiuntur quæ huic rei ſufficiant. Cur Paulus Chriſtianos monet ut pro ſe ipſo, ac pro ſe invicem orent. Coloſſ. 1.3.& 9. Primæ Theſſal. 5.25. Secundæ Theſſ. 3.1. Hebræ. 13.18. Idem Jacobus ſcribit 5.16. &c. Quid ſunt iſta, niſi Interceſſiones apud Deum?

Objectio.

Reſpondent Hæretici, quòd Chriſtianorum adhuc viventium in terris mutua interceſſio licita ſit, prohibeatur verò ea quæ fingitur inter homines viatores & Juſtos Beatos.

Hæreticorum Effugium præcluſum.

Ex Adverſariorum reſponſione ſic arguo: Ergo ſaltem ejuſmodi Invocatio non eſt prohibita. Quo enim jure prohiberetur? Reſpondent Hæretici, duplici jure vetari, tum quia eſt Chriſto Mediatori injurioſa, tum quia eſt Mortalibus inutilis. Ego aſſero contra, nec eſſe injurioſam, nec inanem. Quod ſpectat ad primã aſſertionis contra reſponſum partem; Dico quòd Mediatio Sanctorum non lædit Mediationem Chriſti. Ratio evidens eſt; nam ſi offenderet, cur non & æquè eſſet injurioſa vivorum Interceſſio? quia ſi, quemadmodum Hæretici volunt, non liceret nobis alium Mediatorem adhibere præter Chriſtum, profectò peccaſſent Apoſtoli ſuadentes mutuam interceſſionem: peccarent Chriſtiani dum ſe pro invicem precantur: poſſet enim fieri ejuſmodi animadverſio:

Interceſſio Sanctorum non eſt illicita.

Erras Paule qui rogas Fideles ut pro te orent: habes unum ſolum Mediatorem in Chriſto, non potes innoxiè alium Interceſſorem adſciſcere: peccas Jacobe, dum jubes ut Chriſtiani pro ſe invicem orent, impie-

Digitized by Google

impietatis reus es, qui Mediationem unius Chriſti Hominum mediatione videris minuere. Dent quæſo Adverſarii, rationem diſparitatis, cur nimirum liceat invocare Juſtos Vivos, non verò licitum ſit invocare Mortuos; cur poſterior Interceſſio crimen ſit contra Chriſtum, prior verò ſit opus virtutis Chriſto acceptum. Me mea opinio fallit, ſi poſſint hujus diſparitatis bonam & validam rationem proferre / nulla eſt profectò; unum æquè licitum eſt ac alterum, & utrumque à peccato vacat. Adverte, quòd hic ſolum agatur de prohibitione Interceſſionis, nondum de utilitate quam deinde examinabimus; nunc igitur res eſt de Interceſſionis approbatione vel improbatione; hanc nullatenus improbandam dico, quia nec prohibetur, nec eſt Chriſto injurioſa.

Interceſſio Excellentiæ, non læditur per Interceſſionem Miniſterii.

At inquiunt, *Unus eſt Mediator Dei & Hominum homo Chriſtus Jeſus*, &c. 1. Timot. 2. 5. Tria reſpondeo ad refutationem Adverſariorum. 1. Corruptus eſt ab Hæreticis Locus iſte, ſicut & alii plurimi, in quibus illi pro voce, *Unus*, ſubſtituunt, *Solus Mediator*, ut quemlibet alium repudient. 2. Eſto, ſit unus ſolus Mediator Chriſtus, pars difficultas eſt Adverſariis ſolvenda. Quæro enim ab iiſdem; quare pro invicem oratis? quare alterius interceſſionem pro altero adhibetis? unus & ſolus eſt Mediator Chriſtus ex veſtro ſenſu, ergo erratis, dum ex vobis alter orat pro altero, ita enim ſit injurioſus Chriſti Mediationi, &c. 3. Facilis eſt ſolutio Teſtimonii objecti, etiam ab Adverſariis corrupti: Diſtinguimus enim Duplex Genus Interceſſorum (ut præmonui.) Aliud eſt Excellentiæ, aliud Miniſterii: fatemur quidem unicum & ſolum Chriſtum eſſe Mediatorem per Excellentiam, quia propriis meritis acceptus pro hominibus deprecatur; eſſe verò plures Interceſſores per Miniſterium, quales ſunt Sancti ſeu Viatores, ſeu Beati. His autem nuſquam tribuimus præcellens Mediationis genus quod in ſolo Chriſto reveremur, cujus ſignum in hoc patet, quòd omnes Orationes noſtras claudamus Chriſti Mediatione; hic eſt enim Orationum noſtrarum terminus, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, &c. Hæc eſt ſolemnis & perpetua de Chriſti ſuprema Mediatione profeſſio.

Utilitas Interceſſionis Sanctorum.

4. Supereſt ergo ut oſtendamus utilitatem Interceſſionis quæ à Beatis Juſtis pro nobis ſuſcipitur. At ne quid obſcuritatis ſuboriatur; advertere licet, quòd inutilitas Interceſſionis Sanctorum non debet in hoc ſtatui, quòd Chriſti ſufficiat Mediatio; poſſet enim adverſus Hæreticos iſtud ipſum retorqueri: Ergo inutilis eſt Oratio Chriſtianorum mutua, quæ tamen ſuadetur & jubetur à Scriptura ſacra, quamque vos ipſi exercetis. In hoc ergo præcipuè ſtat ejuſmodi Interceſſionis inutilitas, Adverſariorum ſenſu, quòd Sancti non poſſint audire preces noſtras; multum enim inquiunt à nobis diſtant, quomodo poterunt vel oris verba percipere, vel cordis deſideria intueri? Araneæ telæ ſimilis hæc difficultas, tam facilè diſſipatur.

Reſpondeo enim 1. Dato, non conceſſo Adverſariis, quòd ejuſmodi

Invocatio fructum non conſequatur apud Sanctos, quem intendit qui vota emiſit, quia (ut malè ſentiunt Adverſarii) audiendi & adjuvandi ſunt impotes; eſto, inquam, hoc, quod tamen non concedimus; ſed quid inde contra uſum Eccleſiæ Catholicæ inferri poteſt, niſi ſolùm iſtud, quòd nimirum Invocatio ſine ſperato fraudetur? non verò quòd illa crimen aliquod admittat: immo pium ſemper erit opus, quod eximios viros honoret, &c. *Reſp.* 2. At utiliſſima eſt Sanctorum Invocatio; quod ut probem;

Quomodo Beati cognoſcunt ſtatum Viatorum.

Advertunt poſt D. Auguſtinum SS. Doctores, quòd quatuor modis, Beati poſſunt ediſcere ac ſcire quæ apud Mortales hic fiunt. 1. Per Tranſmigrationem eorum qui ex hac vita ſecedunt in alteram, poſſuntque ea quæ hìc noverint Beatis renuntiare. 2. Per ſubtilitatem propriam intellectus Animæ à corpore ſolutæ, quæ fit perſpicacior, &c. 3. Per renuntiationem Angelorum, qui è Cœlis ad terram, & ab hac ad illos, alternatim & continuò demigrant; quemadmodum oſtenſum fuit Jacob, Geneſ. 28.12. Hi igitur viciſſim deſcendentes & aſcendentes illuc referunt quæ hìc apud nos viderint, ac maximè, quæ ad Beatos ſpectant, quales ſunt Amicorum Mortalium neceſſitates & preces, quas veriſimile eſt renuntiari præſertim ab Angelis Cuſtodibus. 4. In confeſſo eſt apud omnes Theologos, quòd Deus omnia Creata, (peccatis exceptis) repræſentet, ſua nimirum Eſſentia, quæ eſt veluti Speculum quoddam abſolutiſſimum, & efficacia infinita præditum, ut poſſit res omnes exhibere inſpectoribus; Sancti ergo cùm Dei eſſentiam intueantur, intuitiva enim Dei viſio pars eſt Beatitudinis, in illa, inquam, eſſentia inſpiciunt, diſcuntque Clientum indigentiam & ſupplicationes, &c. Adde quòd ex variis Scripturæ S. locis diſcimus Deum Myſteria ſua revelare amicis ſuis; an veriſimile erit, eumdem celare Sanctos, inferiora iſta quæ ad ipſos plurimùm attinent, quales ſunt Parentum & Invocantium ſtatus & vota? &c. Nemo benè ſenſatus iſtud æſtimaverit, Deus qui majora largitur Juſtis, iſta quæ minora ſunt minimè negabit, &c.

Ex mox explicatis liquere debet, preces Mortalium non latere Beatos, hoſque illorum voces & deſideria poſſe diſcere, ſaltem in Deo cuncta repræſentante, quem illi contemplantur & intuentur. Reſtat noſſe an velint Mortalibus patrocinari.

An Beati velint patrocinari Mortalibus:

5. Injurioſus eſt Sanctis qui ſuſpicatur eos nolle ſuffragari nobis ſupplicantibus. Tria ſunt præſertim quæ hoc ſuadeant. 1. Humanitatis, vel cujuſcumque alterius affinitatis ratio, quæ Sanctos ad noſtrum ſubſidium invitat: ſunt enim Homines, Fratres, Parentes, Amici, &c. quorum Affectus legitimus, qui eſt aliorum miſereri, non extinguitur, ſed perficitur à Gloria. 2. Charitas, quæ non deficit, ſed fit purior in Beatis, eoſdem urget, ut nobis auxilientur. 3. Quamvis Beati ſint extra tempus & locum meriti, ac Beatitudinis eſſentiam augere nequeant; poſſunt tamen aliquid Accidentarium Gloriæ conſtitutæ addere, quale eſt quòd ipſorum

Digitized by Google

ſorum interceſſione plures ſalventur, quòd Juſtorum Deo ſervientium augeatur numerus, &c. Hæc certè incitamenta ſufficiunt, ut Beati his ſtimulentur ad ſubſidium ferendum Invocantibus, &c. Quis enim tam iniquè ſentire poſſit de Beato, tot titulis excitato, ut petitum ſuffragium negare velit Amicis, Miſeris, cohæredibus? &c.

Audio Adverſarios iterum objicientes, quòd Deus ſupplicantes & patrocinantes Sanctos fortaſſe repudiet. Nolim inficiari hæc poſſe fieri; quemadmodum legimus ſcriptum Jerem. 11.14. *Noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam*, &c. Non diffitemur quòd aliquando Patrocinium Sanctorum viventibus non ſuccedat planè ad vota, ita ut iſti conſequantur ſemper quidquid per illorum ſuffragium petierint; quia ſcilicet indigniores ſe iſti præſtant ejuſmodi exauditione, &c. At hoc non obſtat quominus exaudiantur illi pro nobis, quoties nimirum, quod petitur, ceſſurum eſt in Gloriam Dei & petentis ſalutem, &c. Numquid iſtud non eſt quod per Davidem aſſeritur Pſ. 144.19. *Voluntatem timentium ſe faciet Dominus*? Et certè illud ipſum ſuadet ratio, quandoquidem exaudit Deus Mortalium vota pro fratribus facta; an ſperandum non eſt quod Beatorum ipſi conjunctorum, ipſique amiciſſimorum preces acceptas habebit? &c. An Deus exaudiat preces Sanctorum?

Eccleſiæ in hoc uſus graviſſimum Argumentum ſuggerit: Nihil prorſus inutiliter ab illa fieri præſumendum eſt, cùm Spiritum Sanctum Præſidem habeat, &c. ſed illa preces ad Sanctos fundit & alios fundere docet: non ne inde liceat concludere, Ergo Sanctorum invocatio utilis eſt? ſi enim ſecus eſſet, Eccleſia ejuſmodi cultum non ſuaderet exemplo & verbo, &c. Ah quot ſubſidia experti ſumus etiam inſcii à Sanctorum ſuffragio? Quis ſcit ſi tot bona quibus quotidie cumulamur, &c. tot mala quibus eripimur quotidie, &c. non ſint, inquam, tot ſuffragantium Sanctorum beneficia? &c. Utilitas Interceſſionis probatur uſu & experientia.

Quid ergo ex præfatis ſupereſt, niſi ut Invocatio Sanctorum cenſeatur poſſibilis, licita & utilis? &c. Hanc uſu docuere plurimi SS.Patrum qui nos tempore anteceſſerunt: hinc maxima retulere præſidia, &c. Quid ergo moramur? quidni vota faciamus ad Sanctos? Urget nos multiplex indigentia, cùm Animæ, tum corporis, &c. Deus ipſe (qui poteſt abſque Mediatore quod libuerit concedere) hanc nobis viam, ut nobis & noſtris uſibus magis accommodatam aperuit, &c. Quidni eadem utimur? &c. Sed metuo ne longiùs in hanc partem explicandam abreptus, mihi ſurripuerim tempus alteri expendendæ.

TERTIA PARS.

De Imitatione Sanctorum.

Exemplar primarium Sanctitatis Deus.

ABſolutiſſimum Sanctitatis Exemplar habemus in Deo, &c. ad ejus imitationem provocamur plurimis Scripturæ oraculis, maximè Levit. 11. 45. ubi dicitur, *Sancti eritis quia ego Sanctus ſum*, &c. At fortaſſe deficit animus hominis,dũ attendit ad tam perfectum ſanctitatisExemplar, Deum dico quem imitari aut non audet aut deſperat, &c. Alterum priori ſubſtituitur ſanctitatis Exemplar, Chriſtus, qui ſcilicet, Divinitate per Humanitatem temperata, videri debuit ad Imitationem magis appoſitus & proportionatus, &c. At deficiente iterum deſidis hominis animo, quid agat Sapientia Divina noſtræ Sanctitatis avidiſſima ? &c. Videtis quid Sol mundum relicturus præſtet: ſubſtituit ſibi Lunam & ſtellas ſuæ lucis ac officii vicarias, quibus, dum ille abeſt, illuſtramur: Ad eundem ferè modum Chriſtus Sol Gratiæ Mundo valedicturus, in ſui locum ſuffecit Eccleſiam ac Sanctos homines, unde quamdiu aberit, habeamus Sanctitatis viam & media, &c.

Sancti Beati ſunt ſanctitatis Exemplaria ſecunda & accommodata.

Sancti ergo quos colimus ſunt vicaria & ſubſtituta ſanctitatis Exemplaria, &c. noſtræ infirmitati magis proportionata, &c. horum ſcilicet dum reveremur merita, imitari debemus facta eximia: Ita enim hortatur Auguſtinus Serm. 47. de Sanctis. *Imitari non pigeat* (inquit) *quod celebrare delectat*.

Provocamur ad imitationem Sanctorũ Titulo 1. Juſtitiæ. 2. Honoris. 3. Commodi.

Triplici ſtimulo urgemur ad Sanctorum imitationem, nimirum, 1. Titulo Juſtitiæ. 2. Titulo Honoris. 3. Titulo Commodi. Paucis iſta contraho, quia ſpectant ad Genus Suaſorium, & facillimè à modicum induſtrio dilatari poſſunt, pro data neceſſitate aut occaſione. Titulus Juſtitiæ in eo ſtat, quòd Deus per Eccleſiam propoſuerit Sanctorum Exempla, quæ viam Sanctitatis nobis aperiant. In hunc finem leguntur Sanctorum Vitæ, celebrantur officia, prædicantur laudes, &c. Titulus Honoris nos inde provocat, quòd glorioſum ſit æmulari Chariſmata meliora; hæcque laudabilis ambitio ſit dignioribus & ſublimioribus Sanctis gradum elevationis aliquatenùs invidere. Contra verò pudor non modicus ſuffundere debeat plurimos qui patiuntur in hoc eximio ſanctitatis opere, ſuperari ſe à pueris & puellis infirmioris ſexus & ætatis, &c. Titulus Commodi, præmiis & coronis quoſcumque ſollicitat, ut Theſauros infinitos, delicias & honores ineffabiles ſibi conquirant modico labore: *Non*. enim *ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram Gloriam quæ revelabitur in nobis*. Roman. 8. 18.

Epilogus, Enumeratio.

Hæc ſunt (Auditores) quæ vobis dicenda ſuſceperam: Hæc vos ſcire decet; Horum ſemper recordemini; atque ut faciliùs reminiſcamini, eaque Memoriæ altiùs inhæreant, eadem brevi retexo. Propoſitum igi-

tur

tur noſtrum fuit docere quænam ſint debita quibus erga ſanctos Beatos illigamur. Oſtendi triplici capite contineri; videlicet Honoris, Invocationis & Imitationis exhibitione. Diſtinxi duplex Honoris genus, alterum Latriæ quod ſoli Deo debetur, nec ulli Creaturæ conveniri poteſt; alterum Duliæ, quod perfectionem Creatoris reveretur in Creatura; Cultus iſte à Priori diſtat infinitè; hanc poſſe Sanctis & Beatis Hominibus exhiberi probavimus Exemplo Dei ipſius, uſu Eccleſiæ & Rationis authoritate. Hæc inquam eſt Catholica veritas quam aſſeruimus; & objectiones adverſus illam confictas diſſolvimus. In ſecunda Parte diſſeruimus de Invocatione Sanctorum, quam ut nitidiùs explicaremus, diſtinximus iterum duplex Interceſſionis genus. Prius eſt Excellentiæ, quod propriis meritis conſtituitur, quodque ſoli Chriſto proprium eſt: Poſterius eſt Interceſſio Miniſterialis qua Sancti Deo accepti pro nobis apud ipſum ſupplicant. Oſtendimus ejuſmodi Interceſſionem nihil habere, 1. Mali, quia nulla lege prohibetur. 2. Inutilis, quia Sancti poſſunt preces & vota intelligere. 3. Immo plurimùm valere, quia Charitate perfecta noſtræ Miſeriæ compatientes, remedium nobis & ſolatium apud Deum procurant. Denique Triplici titulo quemque Viatorem urgeri ad Beatorum imitationem, monui. Horum igitur veſtigiis inſtate. *Ecce* (inquit D. Jacobus cap. 5. verſ. 11.) *beatificamus eos qui talia ſuſtinuerunt*. Hoc eſt, ſi Beatos dicimus Sanctos eò quòd tot virtutum facinora ediderunt, quidni etiam nos eandem Beatitudinem ambimus? quidni & eadem facimus, ut iiſdem potiamur Coronis? &c. Verbis D. Pauli claudam hodiernum Catechiſmum. Ita ille ſcribit Hebr. 13. 7. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem*. Conſulentem igitur audite Paulum, conformamini ſanctis Pietatis & Religionis Exemplaribus, ut virtutes eorum imitati in terris, eaſdem palmas conſequamini in Cœlis. *Amen*. Peroratio.

ARTICULUS V.

Exercitationes Inſtitutivæ de Sacramentis, de Virtutibus exercendis, & de Vitiis fugiendis.

1. NON immorabor diu in iis expendendis, quæ præſenti Articulo proponuntur; eorum enim plurima (ſaltem quoad Formam) ſat explicantur ex priùs propoſitis Ideis: Vix alia methodo formantur Conciones Inſtitutivæ de Sacramentis, aut Virtutibus, &c. quàm qua diſponuntur Ideæ de Articulis Fidei, aut de Myſteriis Religionis; Ideo à ſuperioribus repoſcendæ ſunt regulæ, quibus hoc Inſtitutionis genus conſtituatur; diverſa eſt enim tantùm materia, quæ hoc genere verſatur, Convenientia & differentia hujus Articuli cum aliis.

forma

forma verò ferè eadem. Nec etiam ſubjicio Exempla hujus Ideæ, tùm propter præfatam rationem, tum quia plurimam affinitatem habent cum Exemplis, quæ traduntur in Suaſorio Genere. Hìc igitur tantummodo notavi aliqua ſpecialia quæ ſingulis propoſitis quæ in Epigraphe deſignantur, viſa ſunt propiùs convenire.

Inſtitutio de Sacramentis eſt maximè neceſſaria.

II. De Sacramentis agere convenit plurimùm Catechiſtæ, quia hæc continent Myſteria quæ ignorare deberet nemo Chriſtianus, quæ tamen vix aliqui norunt niſi pauciſſimi qui eruditione præſtant. Quot enim & quanti ſunt qui nihil præter nomen ſciant, de Baptiſmo, de Confirmatione, de Pœnitentia, &c. ac de iis quæ ſpectant ad cætera Sacramenta, tum quoad ſubſtantiam, tum quoad uſum? Dixi quòd vix norunt niſi denomine, cùm tamen plurimi nec appellare, nec recenſere Sacramenta poſſint. O damnanda ignorantia! Hæc igitur inter illa cenſere oportet quæ à Catechiſta debent verſari; atque in iis tractandis, tria capita ſunt præſertim attendenda.

Quomodo fieri debeat Inſtitutio de Sacramentis.

Exordium & Introductio vel prætermittantur; vel ea formentur methodo quam in Catechiſmis adhibendam diximus. Ideſt, Prooemium breve & appoſitum ducatur ab aliquo Promptuariorum fonte; Ingreſſus verò ex præcedentis Inſtitutionis repetitione, vel abſque præfatione fiat ſimplici & nuda Propoſiti tractandi declaratione. Deinde præfata tria capita deſignet & appellet, ceu occurrentis Inſtitutionis partes; ſunt autem, 1. Quid ſit Sacramentum? 2. Qui ſint ejus effectus? 3. Quæ obligationes ſeu debita ex eo proveniant. Paucioribus titulis uberem diſſerendi materiam contraxi, ad memoriæ facilitatem, ſed præcipua hæc capita poſſunt pluribus iterum partibus diſtribui & ſigillatim tractari ut eluceſcant.

Exemplum de Confirmationis Sacramento.

1. Quid ſit Confirmatio.

V. g. agitur de Confirmationis Sacramento; Quæritur primùm, *Quid ſit Confirmatio*. Ad hoc caput reducitur quidquid pertinet ad ejus Inſtitutionem, Materiam & Formam, atque ex horum diſcuſſione complebitur prima Quæſtio; V. g. Chriſtus Inſtituit, Jacobus declaravit, Eccleſia præcepto & uſu ſtatuit Confirmationis Sacramentum, &c. *Materia ex qua* conficitur eſt Oleum Olivarum Balſamitico delibutum, ab Epiſcopo conſecratum, &c. *Materia in qua*, ſeu ejus ſubjectum eſt homo baptizatus, ſive infans, ſive adultus, &c. Ad ſecundam Quæſtionem revocantur omnes Confirmationis Effectus, quale eſt Gratiæ gratum facientis augmentum, qualis etiam eſt gratia Actualis, ſeu Jus quod per Confirmationem acquiritur ad recipienda tempore opportuno auxilia, quibus Confirmatus juvetur ad confitendum fortiter Fidem, ejuſque partes animosè tuendas contra quoſcumque adverſarios. Hìc Catechiſta debet amplificare ejuſmodi Effectus, ut excitentur qui nondum Confirmati ſunt, ad hoc Sacramentum citiùs exquirendum; qui verò jam fuerint inuncti, gratias Deo perſolvant, quòd tanto beneficio ipſos donarit. Arguat etiam tum Parochos, tum Parentes, tum ipſos Chriſtianos, qui neglexerint Confirmationem vel ſibi vel aliis ſibi commiſſis procurare. Tertiò de-

2. Qui ſint ejus Effectus.

3 Quas conditiones deſideret.

denique, agendum eſt de Præparatione requiſita ad Confirmationem, qualis eſt ſtatus Gratiæ, Intentio recipientis; Deinde de Debitis quæ ad receptionem hujus Sacramenti conſequuntur; V.g. profiteri audacter quæ fidei ſunt, & eodem Zelo, quæ fidei adverſantur impugnare, &c. Idem in aliorum Sacramentorum explicatione præſtandum eſt.

III. De Virtutibus agendi occurrit frequens occaſio, & zelantis Catechiſtæ intereſt de iiſdem Auditores ſæpiùs erudire. Methodus qua id negotii perficitur, vix differt à præcedentibus, ideoque non diſſimili forma inſtitui debent Exordium & Introductio: quoad cætera verò, hæc videntur Capita præcipuè tractanda. Primum, Quid ſit ejuſmodi virtus. Secundum, Qui ſint ejus effectus & utilitates. Tertium, Quæ ſit ejus Praxis. Ad primam partem revocantur, Virtutis Definitio, commendatio, materia, forma, neceſſitas, &c. Ad alteram ſpectant rationes quæcumque virtutem ſuadere poſſunt petitæ ab Honeſto, Utili, Facili, & ſimilibus locis ſuaſoriis. Ad Tertium denique caput, reducuntur ea omnia quæ modum explicant, quo Virtus poteſt & debet exerceri, ea etiam omnia impedimenta, excuſationes, &c. quæ Virtutis exercitio aliquatenus obeſſe poſſunt, removentur.

Inſtitutio de virtutibus, quomodo fiat.

1. Quid ſit virtus.

2. Quid proſit.

3. Quibus Mediis obtineatur.

V.g. Inſtituendus eſt Auditor de Bonis operibus in Genere; hoc quidem propoſitum Suaſorio Generi cum primis convenit, ſed decet etiam Inſtitutivum. Præmiſſo igitur utrique Exordio (ut mox dixi) ſubjiciuntur tria capita; Primum, de Neceſſitate Bonorum Operum, quæ probabitur, à Scriptura, à Patrum Teſtimoniis & à ratione, ducta nimirum à conditione Hominis labori nati, ab Exemplo Rerum omnium quæ actuoſæ ſunt, & à Fructibus bonæ operationis. Secundum caput erit de Subſtantia boni operis ſeu de Re ipſa, quæ boni operis eſt materia, v. g. quòd illa res debet eſſe juſta, nec Deo, nec proximo, nec ipſi operanti injurioſa. Tertium caput ſpectat ad Formam ſeu Modum, quo Bonum opus perfici debet; videlicet, ut oriatur à Deo, ideſt, ab homine in ſtatu Gratiæ & Charitatis. Dirigatur à Deo, nimirum juxta Leges ob id ſtatutas; & in Deum tendat, ceu in ultimum & præcipuum finem. Ibi ſpeciatim explicari aut ſaltem deſignari debent opera bona, quæ cuique ſtatui & conditioni conveniunt; & ſi quæ difficultates videantur obſiſtere, hæ amoveantur.

Exemplum Inſtitutionis de bonis operibus.

1. Neceſſitas bonorum operum.

2. Quid ſit bonum opus.

3. Quomodo fiat.

Item, ſi de Orationis Exercitio agendum eſt, poterunt tria percurri capita. Poſtquam ſtatutum fuerit in Introductione quid ſit Oratio; Primum caput commendabit Orationem, 1. Ab Excellentia. 2. Ab utilitate. 3. A Facilitate, cùm à quolibet cujuſcumque conditionis poſſit exerceri. Secundum, docebit Orationis Conditiones, quales ſunt, 1. Attentio, quomodo enim audietur à Deo qui ſeipſum non audit? Eodem ſpectat Reverentia ab Orante præſtanda. 2. Pietas, ſeu ſtatus Orantis, qui per gratiam ſit Deo acceptus. 3. Intentio, hoc eſt, ut petitio fiat in bonum & legitimum finem. Tertium Impedimenta Orationis notat & diſpellit;

Alterum Exemplum de Oratione.

1. Orationis commendatio.

2. Conditiones.

3. Impedimenta.

ut ſunt, 1. Injuſtitia; ſive Orationis in qua mali aliquid petitur; ſive ejus pro quo oratur, qui beneficio petito eſt indignus, aut cui poſtulatum beneficium eſſet noxium. 2. Superbia & præſumptio in Orante præpediunt Orationis effectum; quia Deus humilia reſpicit & alta à longe cognoſcit. 3. Diffidentia, vel Perſeverantiæ defectus, obſtant Orationi. Hæc inquam & ſimilia debent perſpicuè, ſimpliciter, tersè tamen & ornatè declarari, ac tandem idoneis exemplis illuſtrari.

Inſtitutio de vitiis dedocendis.

IV. In dedocendis Vitiis maximam curam induſtriamque ponere debet Eccleſiaſtes: iſte quidem ſcopus præcipuè intenditur per ſuaſorium Genus, cujus eſt affectus Odii & Fugæ adverſus vitioſum hoſtem acerrimè commovere: Genus autem Inſtitutivum, non expugnat iniquos tanto ardore aut vehementia, ſed temperatè ſuadet à vitio deſciſcere, ipſumque dimittere monet, explicatis nimirum malis quibus crimen odioſum eſt & infame, præoſtenſis etiam circumſtantiis in quibus eſt vel metuendum vel fugiendum. Poſtquam igitur inſtructum eſt Proœmium & præmiſſa

Methodus.

Introductio, ea Methodo quæ Catechiſmis præſcripta eſt; Tria maximè capita evolvet Catechiſta. Primò, deſcribet vitium ejuſque ſpecies ac circumſtantias; ubi non piget advertere iterum, ne quid plus nimio particulare & individuum depingatur in aliquibus vitiis, unde ſordere vel offendi poſſit Auditorium, aut Prædicationis officium. V. g. ſi res fuit de Impudicitia, quæ caſtiſſimis ſemper verbis (ut aliàs monui) debet explicari: hinc enim aliquando infirmiores plus docentur ad perditionem quàm dedoceantur ad ſalutem; præſtat igitur nonnumquam aliquid taceri, quod non poteſt abſque periculo explicari. Secundò, proferantur rationes quæ ſuadeant vitii præſentis fugam; illæ autem ducuntur ut plurimum à diſſuaſoriis fontibus, quales ſunt ab Indecoro, à Difficili vel Impoſſibili, ab Inutili, Incommodo, Noxio, &c. quibus utitur Deliberativum genus.

Exemplum de vitio Linguæ.

Cùm de Affectibus Concupiſcentiæ, Odii, Fugæ, Audaciæ, &c. agemus l. ult. c. ult. primæ Partis, plurima ſubjecimus quæ ad Peccatorum vitiorumve deteſtationem faciant, iterumque idem propoſitum verſabimus in Lib. 3. de Suadendi arte; eamobrem paucis do exemplar Inſtitutivum de vitiis tractandis. V.g. res ſit de vitio Linguæ.

Exordium.

Exordium inſtrui poterit ex variis bonis, quæ à Linguæ uſu legitimo poſſunt oriri; qualia ſunt, laudare & benedicere Deum; ſolari & docere proximum; noſmetipſos humili confeſſione accuſare, &c. Unde plurimùm commendatur lingua per Scripturam & ſanctos Doctores, ut Proverb. 10. dicitur, *Vena vitæ, os Juſti*, &c. Ea nihilominus eſt plurimorum malorum origo, & fortaſſe infinitorum, &c. unde Eccleſiaſt. 14. ſcribitur, *Beatus vir qui non eſt lapſus in verbo ex ore ſuo*, &c. De vitiis igitur quæ à Lingua, ceu à peſſimo & periculoſiſſimo fonte ſcaturiunt, agere propono, &c.

Introductio.

Pro Introductione, poteſt fieri repetitio præcedentis Catechiſmi, &c.

Vel

Vel præfigatur aliquod celebre effatum, ſeu ingenioſa ſententia de Lingua, unde conſtitui poſſit caput ſeu propoſitum aliquod univerſalius in ſuas partes poſtea diſtribuendum. Ejuſmodi ſunt Apophthegmata plurima de Lingua, cùm in Scriptura ſacra, tum etiam apud ſapientiores prophanos. Vel ſimpliciter & abſque ulla prologi circuitione, fiat apertus ingreſſus hac vel ſimili forma. De vitiis quorum fons eſt Lingua ſumus acturi hodierna Inſtitutione; tribus, aut pluribus, capitibus conabimur propoſitum exequi. Primò docebimus quid ſit & quotuplex Linguæ vitium. Secundò, proferemus rationes quibus ejuſmodi delictum diſſuadeatur. Tertiò, indicabimus vitioſæ Linguæ Remedia. I. Linguam non eſſe Natura malam, hinc conſtat quod Dei Beneficium ſit Homini præ cæteris conceſſum, &c. plurimarumque ut dixi virtutum poſſit eſſe inſtrumentum, &c. At ex depravatione per peccatum inducta factum eſt ut Lingua fieret omnium partium humanarum ferè pejor, & plurium peccatorum parens nequiter fœcundior. Teſtem unum adhibeo Jacobum, qui Epiſt. 3. linguam incendiario igni comparans, aſſerit eam eſſe univerſitatem Iniquitatis. Plurima Linguæ damna nunc congero; ſunt videlicet Blaſphemia, Perjurium, Mendacium, Detractio, Falſum teſtimonium, Adulatio, Deriſio, Jactantia, Turpiloquium, Otioſum verbum, &c. Ex his ſeligetur iſtud quod ad rem facere viſum fuerit, cujus item Definitio, ſpecies, malitia, & caſus ſeu circumſtantiæ exprimentur. II. Altero capite tractabuntur rationes ob quas Vitium deteſtationem & fugam meretur, v. g. quòd Deo, Proximo, & ipſi vitioſo ſit injurioſum. Vel, quòd improbetur Scripturæ teſtimonio, calculo Patrum, & noxæ damno, aut periculo. Vel quòd Linguæ abuſus peccet contra Prudentiam, Juſtitiam & Temperantiam. Lædit quidem Prudentiam, quia vir linguoſus de Indiſcretione notatur & in fœdos Imprudentiæ lapſus facillimè devolvitur. Juſtitiam, offendit, quia *in multiloquio non deerit peccatum*. Proverb. 10. & Eccleſiaſt. 28. dicitur: *Lingua tertia multos commovit, & diſperſit illos de Gente in Gentem, &c.* inde enim Calumnia, Detractio, Adulatio, &c. Delinquit contra Temperantiam vir loquax, quia ſcilicet non poteſt moderari linguam quæ pars eſt ſui, cui dominari debet. Vel percurrantur Fontes Diſſuaſorii, ab Indecoro, ab Incommodo, à Difficili quod ab imprudente loquela exurgit, &c. III. Tertio denique & poſtremo capite doceatur modus quo Linguæ garrulitas cohibeatur. 1. Petat à Deo virtutem, qui Linguam moderari voluerit. Nam, ut ait Salomon Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam, & Domini eſt gubernare Linguam*. Dicat ergo cum Pſalte Regio, *Pone Domine cuſtodiam ori meo*. Pſ. 140. 3. 2. ſecedat à loquaciorum ſocietate, qua ſcilicet, trahitur in Garrulitatis improbandæ imitationem. 3. Rarò & non niſi conſideratè loquatur. Ut Eccleſ. 20. dicitur; *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus*. Et ex ſenſu D. Hieronymi, *priùs ſit ſermo ad limam, quàm ad linguam*. Maxima igitur cautio adhibenda eſt, ut non taceat homo cùm neceſſitas & prudentia lo-

Partitio.

1. Quid ſit Linguæ vitium & Quotuplex.

2. Rationes ob quas fugiendū eſt.

3. Remedia.

loqui monent, nec etiam procurrat in verba, cùm loquendi tempus inſtat. His ergo & ſimilibus legibus, vir ſenſatus moderabitur Linguam, memor nimirum illius ſententiæ Jacob: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans Linguam ſuam à malo, ſed ſeducens cor ſuum; hujus vana eſt Religio, &c.*

Quod de vitio Linguæ faciendum monui, ut de illo texatur Inſtitutiva Concio, arbitror poſſe accommodari cæteris vitiis, quæ hac methodo tractata planè & fusè explicabuntur pro Auditorum ſufficientia & rerum opportunitate. His (ut ſæpius dixi) juvat intermiſcere Interrogatiunculas, ſermocinationes, proſopopœjas, ſimileſque Figuras, quæ vitii horrorem creent: additis ſemper brevibus Exemplis & Hiſtoriis quæ apud agreſtes & rudes vim Argumentorum fortiſſimorum aſſequuntur.

CAPUT III.

Exercitationes Paraphraſticæ, ſeu Expoſitoriæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Variæ Methodi quibus Evangelium poteſt explicari.

Scripturę commendatio.

AD Scripturam ſacram præcipuè ſpectat hoc Dicendi genus quod Paraphraſticum, ſeu Expoſitorium appellamus, illius enim explicationi potiſſimùm vacat, ejus varios ſenſus aperit, indeque ſugit Argumenta quibus Intellectum erudiat, voluntatem flectat, mores denique ad virtutis rectitudinem formet.

De Scripturæ commendatione plura occurrerent dicenda, niſi id operis egiſſem abundè in 1. P. 2. l. capite 4. art. 1. ubi de variis Scripturæ ſenſibus, de ejuſdem uſu, ac methodo excogitandi Conceptus actum fuit. Supereſt modò, ut doceamus rationem qua Evangelia vel Epiſtolæ, quæ Diebus Feſtis aut Dominicis præſcribuntur ab Eccleſia debeant exponi. Cùm enim Scriptura ſacra (ex D. Gregorio l. 4. Epiſt. 40. & ex Chryſoſtomo hom. 12. in Epiſt. ad Theſſ.) ſit veluti Epiſtola Dei ad nos miſſa, qua ille nobis loquitur; cùm etiam (ut idem Gregorius 2. Moral. c. 1. aſſerit, cum D. Auguſtino) ſit illa, quaſi Speculum quoddam, in quod intuentes videmus noſmetipſos, Animæquæ noſtræ defectus perſpicimus, ut eoſdem corrigamus; omnino convenit Eccleſiaſtæ, ut quantùm poterit, Scripturam explicandam ſuſcipiat, manifeſtetque ovi-

ovibus Paſtoris vocem, ac denique Chriſtianis revelet Myſteria quæ Evangelicis tegminibus velantur. Scopus iſte eſt Didaſcalici Generis quod Expoſitorium vocatur. Utinam Concionatoribus eſſet frequentius, & ſatagerent Paſtores ut diebus Dominicis Epiſtolæ & Evangelia breviter ac dilucidè inter Miſſarum ſolemnia expenderentur; cur enim Plebi præleguntur niſi ut intelligantur, quomodo verò intelligi poterunt, niſi aliquis quod recitatum eſt interpretetur? Ea ſanè conſuetudo fuit plurimùm in uſu, priſcis illis temporibus, cùm Prædicationis miniſterium nondum deflexerat ad Pigmenta & comptiores methodos, quæ videntur nunc Evangelium erubeſcere. Optarem ut mos ille reſtitueretur noſtræ ætati. Plures Methodi notantur quibus Evangelia vel Epiſtolæ poſſunt explicari; uſitatiores & probatiores ſolùm hìc demonſtrabo.

Paraphraſis Evangelicę neceſſitas.

Prior quæ dicitur Paraphraſis ſeu Expoſitio, Evangelium à capite ad calcem interpretatur & ſigillatim explicat ſingulas ſententias, immo & voces quæ notabilem ſenſum continent. Iſtud Expoſitionis Genus facile eſt, populo & oppidis incultis utiliſſimum: ſed non modica induſtria eget, ut longior & ſimilior dicendi forma, leporibus, & tranſitiunculis condiatur ac varietur, ne faſtidium audientibus creet. Non profero Exemplum, quia res patet. Nullo enim alio Exordio utitur, quàm quo ſimpliciter & apertè Catechiſta initium faciat ab hac aut ſimili forma. *Evangelium quod ab Eccleſia hodie indicitur, à tali N. Scriptore ſacro traditum eſt: ejus Explicationem ſuſcipio pro ſolito more. Exordior ab illo Tempore quo hæc hiſtoria peracta eſt: Quodnam erat illud Tempus? V.g. Paraſceves, &c.*

Prima, Methodus Paraphraſeos ſingulas partes & voces interpretatur.

Altera interpretandi Evangelii forma vocatur Homilia quæ cœtui, ſeu Populo ad audiendum congregato fieri olim ſolebat, fuitque ſanctis Patribus, Auguſtino, Gregorio, Chryſoſtomo, &c. multum familiaris. Ita percurrit Evangelium, ut illud omne facili & ad plebis captum accomodata methodo expendat, eodem ferè modo quo Pater familiam erudiendam alloqueretur. Conſtat tribus partibus. 1. Præparatione, qua per modum Exordii ſimplicis diſponitur Auditorum animus. Altera Evangelium breviter decurrit, aperiendo Senſum Litteralem, nuda & ſincera explanatione. 3. Tertiò denique clauditur Paraphraſis aliqua morali Parænesi, qua Auditor ad frugem & virtutem excitetur. Nec etiam methodus iſta indiget exemplo ut pateat, frequentiſſima eſt enim apud ſanctos Doctores qui primis ſæculis Conciones ad Populum habuere: Inde facilè eſt cuique Ideas Homiliarum ducere. Addam ſolùm, quòd iſtud Interpretationis genus admittat breves Amplificationes & hortatiunculas, cùm ſcilicet occurrit id faciendi opportunitas.

2. Methodus, Homilia.

Tertia Methodus Evangelium diſtribuit in aliquot partes, prout ex ipſo contextu ſuggeruntur, non enim attenditur earum connexio quoad ſenſum, ſed ſolummodò prout in Littera jacent, & juxta ſe poſita ſcri-

3. Methodus per capita pręcipua Evangelii.

buntur ac leguntur. Singulis partibus interpretationes, quas Conſiderationes appellant, ſubjiciuntur diſtinctæ & ſeparatæ, ex quibus Inſtitutiones morum, ſeu Morales Conceptus cum appoſitis hortationibus formantur. Videtur hæc dicendi methodus admodum familiaris Concionatoribus Hiſpanis & Italis. Non quidem præ ſe fert plurimum difficultatis quantùm ad Inventionem ſpectat, quia ipſius Evangelii Littera deſignantur capita præcipua quæ attentionem mereantur; ſed Artificio & ingenio opus eſt, ut exquiſitis conceptibus & ſenſibus perſpergatur. V. g. in Evangelio, quod Die Cinerum prælegitur, hæ partes præcipuæ notantur. 1. Hypocriſis fugienda. *Nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes*, &c. Jejunii modus, *Tu autem cùm Jejunas*, &c. 3. Recta Intentio, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, &c. nimirum Intellectus. 4. Eleemoſynæ largitio, *Theſaurizate vobis Theſauros in Cœlo*, &c. Hæc ergo & ſimilia potiora capita conſiderantur & expenduntur, prout ab Evangeliſtis tradita occurrunt.

4. Methodus omnia revocat ad unum caput.

Quartò, Ex toto Evangelio colligitur unum caput ad quod cætera revocentur; iſtudque debet eſſe idem, quod per Evangelicam doctrinam intenditur, quodque Eccleſia vult ſuggerere Fidelibus. V. g. ſi ex præfato Evangelio aſſumatur propoſitum de recta Intentione bonis operibus neceſſaria, is enim videtur eſſe ſcopus Eccleſiæ, dum præfigit iſtud Evangelium Quadrageſimali jejunio, ut ſcilicet laborioſa Quadrageſimæ opera utiliter perficiant; propterea monentur ab Intentionis rectitudine inchoare. Item ex Evangelio quod Dominicæ primæ Quadrageſimali præponitur, in quo Chriſti cum Diabolo tentatore congreſſus pingitur, liquet ſymbolum & conjectura Artificii, quo Sathan ſolet homines aggredi, nimirum, 1. *Carne*, dum ait, *Dic ut lapides iſti panes fiant*, 2. *Superbia* & præſumptione, dum ſuadet *Præcipitium de Pinnaculo*, 3. *Avaritia*, dum præoſtenſa Mundi Regna ſpondet ſacrilegæ adorationis pacto propoſito, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. Matth. 4. Item, in Evangelio quod Dom. 2. Quadrageſ. legitur, Figura eſt Tyrannidis quam Diabolus in peccatores exercet, unde colliguntur hæc capita in eumdem finem ſpectantia, 1. Quis ſit ille Tyrannus & qui vocetur, ſcilicet, *Dæmonium mutum*, *Fortis armatus*, &c. 2. Quis locus ubi ſævire & regnare ſoleat? Anima eſt, peccatoris, quæ multis etiam nominibus deſignatur, v.g. *Regnum diſcordia diviſum, Domus vacans & ornata*. 3. Modus quo ille ſuis ſubditis imperat; illos reddit *Cæcos, Surdos & Mutos*.

5. Methodus Partitiones ſumit ab ipſo Evangelio.

Quintò, Ipſummet Evangelium aptam fundit partititionem Concione tractandam. V. g. Hiſtoria Epulonis & Lazari, Luc. 16. ſuggerit utriuſque Parallelum tribus capitibus; primum eſt in vitæ ratione, qua alter ab altero multum abſuit. 2. in Mortis Circumſtantiis, quibus etiam plurimùm diſcrepavere ambo. 3. in futuræ vitæ Statu, quibus iterum fuere diſſimiles. Item, Dom. 1. poſt Epiphan. Luc. 2. tria ex Evangelio ſuſcitantur

tur capita, 1. Amiſſio Chriſti. 2. Inquiſitio Chriſti. 3. Ejuſdem recuperatio. Amittitur cum dolore, inquiritur cum labore, reperitur cum gaudio. Item, ex Evangelio quod de Samaritanæ mulieris converſione eſt, tria oriuntur capita, ad Gratiæ auxiliatricis laudem. 1. Gratiæ Prævenientis, ſeu velitantis Induſtria. 2. Gratiæ Cooperantis, ſeu congredientis Fortitudo. 3. Gratiæ victricis, ſeu perſeverantis & perficientis triumphus. Iſta Methodus utili eſt, tum ad eruditionem, tum ad Inſtitutionem.

Sextò, Unica Sententia ex toto Evangelio ſeligitur & aſſumitur tractanda. V.g. ex Matth. 2. ubi dicitur *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. inde fit occaſio partitionis, qua deſignantur; 1. Actus Dilectionis, ex præcepto, per hanc vocem, *Diliges*. 2. Objectum Dilectionis, hoc verbo, *Dominum Deum tuum*. 3. Modus Dilectionis, ſequentibus verbis, *Ex toto Corde tuo, tota mente*, &c. Item dum Matth. 6. dicitur *Quærite primum Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*, inde Dicam, 1. Quid ſit Regnum Dei; ſcilicet Beatitudo, ſeu per Gratiam inchoata, ſeu per Gloriam conſummatam. 2. Quid ſit Juſtitia ejus; nimirum vita bonis operibus ſeu virtutibus locuples. 3. Quid ſit denique iſtud adjectitium quod promittitur; videlicet, Pax, & Gaudium, aliaque plurima bona, quibus Juſti remunerantur in hac vita & altera.

6. Methodus Unicam ex toto Evangelio Sententiam eligit.

Septimò, Perpenduntur Parabolæ & Figuræ, quibus Chriſtus uſus eſt, ut nobis aliquid ad mores formandos neceſſarium deſignaret. V. g. ex Lazari quatriduana morte, datur anſa pingendi miſeram peccatoris inveterati ſortem, vel etiam perverſæ conſuetudinis vincula. Ita Auguſtinus triplicem Peccatorum ſtatum, ex triplici genere Mortuorum quos ſuſcitavit Chriſtus, arguit. Primus, ex Iairi filia recens mortua, ſed unico verbulo ad vitam revocata, Marci 5. 22. Is eſt (inquit) homo, qui ſemel deliquit ex humana infirmitate; facillimè ſuſcitatur iſte, qui vix efflavit gratiæ animam, unica reſipiet increpatione. Alter ex filio viduæ Naim jam à veſpillonibus exportato, ſignificatur nimirum Peccator, qui viam ſcelerum inire cœpit, nondum tamen iis tamdiu hæſit, ut induruerit. Indiget iſte majore nonnihil labore ut excitetur ad vitam; opus eſt voce & tactu, quemadmodum mortuus ille revixit ad loculi tactum. Tertius denique peccatorum ſtatus adumbratur in fœtente Lazaro, ac iſti etiam ſimilis, non revocatur ad vivos, niſi gemitu & lachrymis Chriſti. Innumera ſunt iſtiuſmodi interpretationis exempla, quæ in Scripturis traduntur ac in Pulpitis ſolent explicari.

7. Methodus Senſum ducit ex Parabolis.

Octavò, ſumitur occaſio tractandi aliquod propoſitum Auditoribus neceſſarium, prout ratio tempuſque illud deſideraverint, opportunitas verò captatur ex comparatione vel ſimilitudine, qua ſenſus vel hiſtoria Evangelii convenit propoſito tractando. Ut v. g. ex Evangel. Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* agitur de peccati malo, vel de Confeſſione peccatorum facienda. Item die Palmarum, ex Triumpho quem inconſtanti & perfido animo parabant Judæi, ſumitur occaſio tractandi de

8. Methodus Occaſionem ſumit agendi de propoſito cujus neceſſitas tunc occurrit.

mala

mala Communione, quæ Judæorum inſtar, Chriſtum ſpecie honoris excipit, ſed ut in ipſum flagitioſiſſimè ſæviat. Vel ex Palmis quibus inſtruitur Chriſti Triumphus, anſa datur agendi de Triumpho quem Pœnitens de nequitia ſua reportat, iſque poteſt deſignari triplici palma, quæ inſculpta Monumento alicujus Victoris juxta mare ſepulti viſa eſt aliquando. Prior ex Corde ducebat originem; altera ex ore; tertia ex manu: vicerat ſcilicet ille totidem partibus. 1. Cordis affectu. 2. Oris eloquio; 3. Manuum opere. Ita qui de peccatis per Pœnitentiam triumphare deſiderat, illud ſibi comparabit. 1. Cordis dolore, ſeu Contritione; 2. Oris verbo; ſeu Confeſſione. 3. Manuum opere, ſeu Satisfactione. Inde (ut minus intelligenti liquet) uberrima ſuggeritur dicendi ſeges, quam Induſtrius Orator verſabit pro data occaſione, tum Auditorum, tum aliarum circumſtantiarum quæ huic negotio conducere videbuntur. Sunt & aliæ Paraphraſeon Evangelicarum Methodi, ſed vel ad præfatas revocantur tanquam ad ſua capita, vel ab iiſdem duci poſſunt facillimè. Vide exemplum de Myſterio Annuntiationis per Evangelicum textum ſuperiùs expenſo ſect. 2. & 3. præced. capitis. Alteram ſubjicio ideam exemplarem.

ARTICULUS II.

Ideæ Paraphraſticæ ſeu Expoſitoriæ.

EXEMPLUM.

PAUCIS contraho Expoſitoriæ formæ exemplum, quia ſcilicet videtur planior, quàm ut egeat alia re præter monita. Ne tamen quid intactum prætermittam, do in Ideam Evangelium quod fer. 6. Hebdom. 3. Quadrag. legitur de Samaritanæ mulieris converſione.

THEMA.

Venit Jeſus in Civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar. Joan. 4. 5.

Exordium à re inſolita. EXordium ducetur à re inſolita cujus meminit D. Auguſtinus in hunc locum; hoc aut ſimili modo. Non aliunde faciam hujus Concionis initium quàm ab iis verbis quibus Auguſt. hoc Evang. exorſus eſt aliquando. *Jam* (inquit) *incipiunt Myſteria.* Propoſitum ille proſequitur diſcutiendo ſingulas rei circumſtantias, quibus aliquid magni ex Chriſti facto portendi conjicit. Fatigatur Chriſtus, fatigatur Dei virtus, & fatigatus ſedet, & juxta puteum ſedet, & hora ſexta ſedet; *Omnia iſta* (inquit) *innuunt aliquid, indicare volunt aliquid; intentos nos faciunt; ut pulſemus hor-*

hortantur, &c. Revera cùm, ut ait idem Auguſtinus, *omne factum Verbi verbum ſit*, hoc eſt, cùm illud omne quod à Chriſto Dei Verbo geſtum eſt, conditionem propriæ originis, quæ vocalis eſt, retineat; ideoque loquantur omnia ejus opera, parentis affectus imitata; æquum eſt omnino ut cenſeamus, his omnibus circumſtantiis quibus hodierna die pingitur Chriſtus, fatigatus, puteo aſſidens, mulieris adulteræ ſalutem æmulatus, &c. aliquid grande præfigurari, &c. Ita certè ſe res habet, veritatis umbra eſt iſtud factum, & in Samaritana perdita voluit Salvator nobis exhibere inſigne pietatis ſuæ ſpecimen. Pietatis inquam, qua de ſalute hominum ſollicitus, eoſdem à via recti aberrantes ad morum rectitudinem & veritatis ſemitas revocare ſatagit &c. Negotium iſtud maximi eſt momenti, ſi quod umquam fuerit, ad omnes ſpectat, nullus enim eſt qui ſimile Charitatis opus non fuerit expertus, aut illo non indigeat, quiſque prout propria ſors tulerit, &c. Ego myſterium quà potero aperire conabor, & à Figura veritatem elicere operam dabo, &c. Sed non priùs, quàm S. Spiritus auxilium per Mariam Mediatricem popoſcerim. Mecum adeſte corde & ore, ut propitiam nobis eandem faciamus, repetita ſalutatione Angelica, dicto ſcilicet Ave Maria, &c. Invocatio.

Introductio hic nulla eſt, niſi fortè eadem quæ ſolet Hiſtoriæ præfigi, nimirum qua notetur Tempus quo id geſtum fuerit; vel commendetur Chriſti Amor, qui homines ingenti affectu proſequutus, occaſiones non modò captet, ſed & exquirat, in quibus poſſit aliquod Charitatis inſignioris facinus edere. Poſſunt in exemplum proferri ea omnia quæ ipſe priùs egerit, dum è Cœlis ad inferiora delapſus humanitatis noſtræ ignominias voluit ſubire, ut ovem perditam humeris ſuis impoſitam, in ovile reportaret, &c. Hæc & ſimilia paucis contracta poſſunt præloquii vices & locum obire. Deinde ad Narrationem fiat progreſſus hac aut ſimili forma. Non ea quæ mihi cæteriſque Concionatoribus communis eſt, methodo utar hodie; plura ſunt enim & varietatem induunt majorem quàm ut ſolitis Concionum partitionibus comprehendi queant: Evangeliſtæ igitur obſequar Methodo, nec aliam dabo huic Concioni diſtributionem, quàm quæ ex ipſo contextu deſignatur. Non pigebit tamen advertere, quod in hujus Hiſtoriæ ſerie tria potiſſimùm patebunt notatu digniſſima. Primum eſt Gratiæ Divinæ artificium, ut rebellem peccatoris voluntatem domat. Secundum eſt ipſius etiam voluntatis peccatricis induſtria, ut Dei requirentis curam ſtudiumve declinet. Tertium denique oſtendit victricis Gratiæ triumphum, in eo nempe quod inquirenti Chriſto peccatrix dederit manus, & de Adultera fuerit facta Salvatoris Apoſtola. Ad Hiſtoriæ circumſtantias progrediantur. Incipio.

Introductio aut nulla, aut à ſi nisi, aut eadem quæ Hiſtoriæ.

Tranſitio ad aliam Concionis Methodus.

1. *Venit ergo Jeſus in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*. Quid eſt hoc quod Chriſtus veniſſe dicitur? Sanè ſi rem altius repetamus, dicemus cum D. Gregorio Hom. 29. in Evang. Veniendo ad Redemptionem noſtram quoſdam (ut ita dicam) ſaltus edidit. *De Cœlo* (inquit) *venit in Ute-*

Quid ſit progreſſus in Chriſto.

Uterum; *de Utero venit in Præſepe; de Præſepe venit in Crucem*; *de Cruce venit in Sepulchrum*; *de Sepulchro rediit in Cœlum*. Quot ergo Chriſtus opera aut intendit aut perfecit, tot ſunt greſſus quibus ille à Patre, vel à ſe ipſo irato ad nos miſericors & pius accedit. Ejuſmodi eſt cùm venit ad Civitatem iſtam multis criminibus ac præſertim infidelitate infamem & oppreſſam, ea nimirum mente ut eandem à ſceleribus curaret. Sed ad litteralem ſenſum aptius dicemus, quòd ille à Judæa in Galilæam migraret: ſed nec inconſultò aut caſu, nihil enim fortuitum in Deo. Conſilio igitur factum eſt ut Samaria tranſierit, ita enim ſonat Evangeliſta.

Cur Jeſus fatigatur.

2. *Jeſus autem fatigatus ex itinere*. Num miramini Chriſtum fatigatum? quis non ſtupeat ad Prodigium? nonne ipſe eſt qui dicitur Virtus Altiſſimi? nonne ipſe eſt, quod ceu Virtutis ſuæ Verbo portat omnia rerum Creator? Denique nonne Deus eſt infinitus, qui nullo labore, nullo ſtudio, &c. poteſt exhauriri? &c. Ad quid ergo fatigatus ex itinere nobis repræſentatur? Prima quidem ratio laſſitudinis occurrit, ex Humanitate quam aſſumpſit; ita enim ille hominem induit, ut per omnia cæteris hominibus (peccato & ignorantia exceptis) ſimilis, eaſdem corporis infirmitates pati voluerit, quas homines ſolent experiri. Fatigatur igitur Chriſtus quia Homo eſt, non ſecus ac quilibet alius, ex Itineris labore viribus exhauſtus. Non poſſum nihilominus mentis admirationem cohibere, quin præ ſtupore dicam cum Propheta, Chriſtum eſſe, qui *Stellas claudit ſubſignaculo*, Job 9. 7. hoc eſt Divinitatis perfectiones infinitas condit humanitatis velamine, &c. Altera defatigationis ratio explicatur ex forma loquendi quam Evangeliſta mutuatur ab hominibus: Ut enim labores quos Chriſtus ſuſcipiebat ſalutis noſtræ cauſa, pingeret, uſus eſt loquutione hominibus aſſueta, *Fatigatus erat ex itinere*; id eſt, fugientem peccatricem animam inſecutus & tandem aſſecutus, præ labore laſſatus erat, indigebatque modica recreatione. Niſi tertiam malueris rationem laſſitudinis addere, peccati ſcilicet pondus, quo Deus ipſe videtur gravatus & defatigatus, &c. O mira Dei bonitas quæ exquiſitione ovis perditæ defatigaris! &c. O indigna hominis perverſitas, quæ Chriſtum perpetua nequitia oneras! &c.

Cur ſedere dicitur Chriſtus.

3. *Sedebat ſic ſupra fontem*. Tot verba, tot ſunt Sacramenta. Quid eſt quod ſedere Chriſtus dicitur? in ſpecie, ſitus ille erat defatigato viatori neceſſarius; ſed Myſterium in facto latet, & miſericordiæ in nos affectum præſagit. Dubitabas fortè, peccatrix anima, num Deus te inimicam fugeret, ſeque tibi etiam ipſum inſequenti præriperet indignabundus & nuſquam tecum pacem initurus? &c. Falleris ipſiuſque Bonitati facis injuriam. Audi quid Iſaias cap. 30. 18. pollicetur, *Expectat Dominus ut miſereatur veſtri*. Sed en opus quo Prophetæ teſtimonium experientia probatur. *Sedebat*, hoc eſt, quia prænoverat futurum ut mulier tot vit iorum ægritudinibus laborans accederet ad fontem, aquam hauſtura:

ſtura:

ſtura: hanc præſtolatur, ut ejus morbo ferat remedium, &c. O quoties Deus pari miſericordia nobiſcum agit! &c. in eo loco, in eo tempore, &c. nos expectat, quibus præſcit noſtris malis ſe futurum utilem. &c.

Sedebat ſic. Etenim nec monoſyllabum vocat. Quid notat vocula iſta (*ſic*?) ſignificat fortaſſe meditabundum Chriſtum & de perditæ mulieris ſalute ſollicitum. ***Non vult*** (ſcilicet) ***perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus eſt***. 2. Reg. 14. 14. Provocaverat illa juſtam Dei vindictam, quæ fortè inſtabat impudicam deletura: cucurrit ſtatim Chriſtus ultionem impediturus; præ curſu fatigatus eſt, ſedit *ſic*, injuſtam iram comprimens, vixque non impatienter fert quod tamdiu moretur illa, ut indulgentiæ donum quod parat, illa citiùs accipiat. Cur ſedere ſic?

Supra fontem. Occurrit hìc Tertullianus, & ſolito more acutus, notat Chriſtum in Aquis delicias quærere, *Numquam* (inquit) *Jeſus ſine Aquis*. Re vera primum miraculum ipſe operatus eſt in aqua, quam in vinum convertit; ſæpius juxta mare ambulare dicitur; prope Aquas & ab Aquis vocavit maximam Apoſtolorum partem: in Aquis lotus eſt à Joanne Baptiſta: hìc videmus inſidentem aquis, &c. atque ut cætera exempla prætercam, vitam finiit in aquis, quæ nimirum ex effoſſo latere fluxerunt, &c. Patrum de hac re rationes exſcribere piget; dicam ſolùm, Fontem fonte delectari, Fons eſt aquæ vivæ & æternæ Chriſtus, decet Fonti aquæ puriſſimæ inſidere, quaſi ex ipſius ſeſſionis loco, uberes gratiæ rivos pollicitus. Cur in Aquis Chriſtus repetitur.

Venit ergo Mulier de Samaria. Pondus eſt in particula *Ergo*, quæ Concluſionis ſignum eſſe ſolet. Vis ſcire quid expectet Chriſtus? &c. Diſce ex verbulo quod præmiſſarum rationem reddit; Expectat Peccatricem, &c. ejus miſeraturus, &c. Iterum notate Miſericordiæ Divinæ amplitudinem, quæ nullum cujuſcumquæ ætatis, ſexus aut conditionis excludit à gratiæ beneficio. Non adit ille præcellentes dignitate vel opibus mulieres, quaſi majoris illæ ſint momenti, & ſplendidioris ſtatus titulo mereantur, pauperioribus & humilioribus anteferri, &c. Non ita inquam, Chriſtus, ſed curam agit omnium etiam abjectorum, &c. Sat nimirum ipſi eſt, ſi opus manuum ſuarum ſint, ſi Divinæ Imaginis Charactere inſigniantur, &c. Teſtis eſt iſta plebis infimæ mulier, quam ipſe præſtolatur ut ejuſdem ſaluti provideat, &c. Quid vox *Ergo*, notet.

Advertite Auditores, mecumque miramini, quòd tam miſera, tamque egena ſit Mulier iſta, tot ſcortationibus infamis, ut non habeat vel ancillam qua in Domeſticis officiis utatur, ipſam enim videtis lagena onuſtam accedere ad puteum proprio labore aquas hauſturam. Annon ditior fieri debuit quæ meretriciam vitam ducens, lucrum ex probroſo commercio videbatur non modicum corrogatura? Ita prorſus fieri decuit; neque enim profunt quæ nefando quæſtu conquiruntur, ſcilicet *malè parta malè dilabuntur*. Monitum iſtud ad omnes ſpectat, quotquot nequi- Divitiæ malis artibus partæ non proficiunt. Chriſtus deſides dimittit.

Digitized by Google

nequiter ditantur, citiùs defloreſcet omnis divitiarum apparatus, &c.

De Samaria. Civitas erat Judæis dudum infenſiſſima, &c. ſed, heu! metuo, nedum Chriſtus à Judæa in Samaritanorum fines ſecedit, & à Domeſticis ad exteros migrat; iſtud fortaſſe ſeverioris juſtitiæ opus ſit. Noluerunt Judæi præſente Chriſto ad ſalutem frui, ſe concedit Samaritanis benigniorem hoſpitem experturis. En prævertitur formidanda illa in deſides ſententia, Matth. 21. 42. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti fructum facienti*. Miſeros vos ò Judæi, qui ob veſtram de ſalutis negotio incuriam meruiſtis à Chriſto reprobari! &c. At miſeriores nos N. ſi formidando exemplo moniti non ſapiamus, neve à ſimili caveamus repudio, &c.

Chriſtus Samaritanam alloquitur.

5. At colloquium Chriſti cum Muliere audiamus; *Mulier* (inquit ille) *da mihi bibere*. Ecce primas gratiæ præcurrentis velitationes: huc uſque Chriſtus videtur Animæ peccatrici tetendiſſe inſidias; en adoritur aquæ petitione. *Da mihi*, inquit, *bibere*. Eximios ad propoſitum formant conceptus eruditiſſimi Patres, aliquos tantùm leviter indico. 1. Mirantur Dei benignitatem quæ tam facilia expetit à ſuis, modicum ſcilicet aquæ rogat ut ſalvet; *Mandata ejus gravia non ſunt*, & tenui pretio magna præmia ille concedit, &c. non ita Dæmon agit cum ſuis, nam graviſſima ille imponit onera, &c. 2. Sitit Chriſtus, ſed unde illa ſitis? &c. ſalutem peccatoris ſitit, iſtudque eſt quod à muliere poſcit. 3. Aquas Pœnitentiæ ille ſitit, his ille potari deſiderat, &c.

Facilia & parva petit Deus à ſuis, Dæmon difficilia & plurima.

Cur mulier negat aquã Chriſto, cùm Samaritani dederit Diſcipulis cibos?

6. Quid ad Chriſtum mulier reſpondet? *Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis*. Iſtud eſt mulieris verſutæ effugium; ut aquam petenti neget aliquo prætextus colore. Sed rem non minimi momenti mecum advertite. Negat mulier aquam Chriſto quem arbitratur Judæum, rationemque negationis addit, prohibitum Judæos inter & Samaritanos commercium; ſed, ſi res ita ſe habeat, cur Diſcipuli qui ex Judæa erant, Samariam ſubeunt cibos empturi? ex utraque enim parte videtur fuiſſe ſancitum, ne alter ab altero, Judæus (inquam) à Samaritano aliquid emeret, vel eidem venderet; cur non iſti cibos illis negabant, quemadmodum mulier Chriſto potum negat? Ne diutiùs in agitanda quæſtionis difficultate vos ſuſpenſos retineam, fallor niſi hujus inæqualitatis ratio fuerit lucri ſpes in Samaritanis, quæ mulieri non affulſerat. Negat quippe aquam Chriſto, quia ſcilicet aquam ille petebat *gratis*: miniſtrant cibos Diſcipulis Samaritani, quia *pecuniam pollicentur* & ſolvunt; ſi Chriſtus petiiſſet aquam pecuniæ pacto, citiùs ipſa voce dediſſet aquam mulier, nec legum prohibitionem allegaſſet: ſi etiam Diſcipuli gratis popoſciſſent cibos à Samaritanis, ejuſdem vetationis legem hi protuliſſent; ſed quia pecuniarum cupidi pecunias ſperabant à paciſcentibus, non meminere legum, &c. Quàm frequens iſtud etiam in Republica Chriſtiana

occur-

occurrit! nimirum leges allegantur & ſervantur cùm nulla commodi lucrandi ex infractione ſpes provocat ad violationem; ſi verò vel minimi lucri illecebra pulſet animum, nulla tunc legis obſervantia. *Iſte conceptus eſt D. Zenonis Veronenſis, niſi mea me ludat memoria. Poteſt ad libitum verſari & in legum infractores contorqueri. Ad propoſitum redeo.* In Mulieris effugio notant Interpretes figuram animæ quæ pulſantis gratiæ incitamenta repellere conatur, &c. Heu! quoties idem nobis accidit? quoties (inquam) nobis peccatorum compedibus irretitis oboritur ſimilis commonitio, quæ ſuadet à vitioſis moribus recedere? Gratiæ requirentis opus eſt iſtud, &c. ſed quoties vanis excuſationibus nitimur prævenientem Chriſti inquiſitionem declinare? &c.

7. Quid ad Mulieris effugium reſpondit Chriſtus? *O mulier ſi ſcires donum Dei & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo.* Videte ſummum Divinæ Miſericordiæ artificium, quod excuſationi omnem prætextus aditum præcludit. Noverat Chriſtus Mulieris avaræ genium quæ aquam noluerat dare gratis; ipſam aggreditur magna lucri ſpe, qua cupidum ipſius animum pulſat; *Si ſcires* (inquit) *donum Dei*, &c. Pari methodo nobiſcum agit Deus, & perditos nos ad ſaniorem mentem revocat, ſed ea parte nos tentat, atque ſimilibus ferè rebus nos pellicere ſatagit, quorum amore nos detineri novit. Non ſcilicet vi aut impetu dominari deſiderat, ſed ſuavi & accommodata induſtria nos revocare ſatagit, &c. Mulieris vanas excuſationes Chriſtus ſolvit.

Sed in his iterum verbis, Myſterium advertunt ſacri Doctores, notantque quod dicitur, *Si ſcires donum Dei & quis eſt qui dicit tibi, da*, figurari Eleemoſynæ largitionem; quaſi figurativè diceret Chriſtus, *Si ſcires* Eleemoſynæ virtutem, ſi ſcires quanta bona inde proveniunt in liberales, &c. ne vel minimùm morareris, quin citiùs dicto tuas facultates in egenos erogares, &c. *Si ſcires donum Dei*, eſt quippe iſtud Dei beneficium, quo tenui pretio magna emimus, ſcilicet Cœlum pro denario, &c. ſi ſcires *quis eſt qui tibi dicit, Da mihi:* ſi fidei oculis perſpexiſſes quis ſit ille qui Eleemoſynam petit. Putas eſſe homuncionem, & abjectæ plebeculæ aliquem; falleris; in paupere abſconditur Chriſtus, ille ipſe eſt qui egeni veſte indutus petit à te modicum ſubſidium; ille inquam eſt qui pauperis voce uſus dicit tibi, *Da mihi*, &c. Si ſcires quis eſt, &c. nullam prorſus excuſationem proferres, &c. ſed in ipſius manus reponeres quidquid avaro ſinu clauſum retines, &c. Eleemoſyna eſt Donum Dei.

8. Alterum effugium adhibet mulier ut gratiæ vocantis effectum ludat, difficultatem profert qua ſe tutam arbitratur. *Domine* (inquit) *puteus altus eſt, neque in quo haurias habes.* Agnoſcamus iterum in vana mulieris excuſatione noſtri figuram, dum Clementiæ Divinæ vocationem conamur ſæpiùs reddere caſſam & inutilem. Quot excuſationes prætendimus, ut ſuadenti morum mutationem non pareamus? quantas difficultates afferimus cum D. Auguſtino, quemadmodum ille de ſe ipſo fatetur? Difficultates prætendit peccator, ut Deivocantis gratiam ludat.

 quo-

quoties reſpondemus *Modo, modo?* Sed heu! ille modus numquam ſuum modum conſequitur. Quoties nobis ipſis dicimus, quod eidem inveteratæ cupiditates ſuggerebant, An poteris abſque nobis vivere? quomodo poteris à ſuavibus & diu abblandientibus deliciis abſtinere? &c. Simili ferè modo, omnes peccatores, præſertim in ſceleribus inveterati reſpondent, fictis difficultatibus vocantem Deum rejiciunt, ſibique ex ſuppoſititiis rationibus compedes nectunt, ne à peſſimo ſtatu, ſcilicet à Tyrannide Dæmonis qua premuntur, ad ſuaviſſimum Chriſti jugum confugiant; &c. Sed excuſatio mulieris, quamvis alioquin vana, colore tamen aliquo videtur indulgentiam mereri; nondum ſcilicet noverat quis eſſet ille cum quo habebat ſermonem; nondum crediderat Deum; ideo non miror, ſi difficultatem quam ipſa experitur in haurienda aqua, objicit Chriſto quem non agnoſcit omnipotentem. Arbitratur hominem, objicit quod homini difficile putat, nimirum abſque hydria vel alio medio aquam haurire, &c. *Puteus* (inquit) *altus eſt, neque in quo haurias habes*, &c. At excuſationes quas ſolemus adhibere ut vocanti Deo negemus obſequium, nequidem rationis colore poſſunt probari: novimus enim Deum, ſcimus illud ipſum opus quod gerit, noſtræ ſalutis eſſe negotium, &c. difficultates nihilominus vanas & fictas adducimus, ut Chriſto noſtram Pœnitentiam ſuadenti non obſequamur, &c. O damnanda peccatoris induſtria, qui in ſuam perniciem ingenioſa, utitur arte, ut perditionem propriam moliatur &c.! Hic poteſt amplificari moralis excurſus in Peccatores, qui vocationem reſpuunt, & vanas difficultates in ſalutis opere prætexunt; indeque claudi prior pars Paraphraſeos: quamvis enim partitionem aliis Concionibus communem non habeat, carere tamen non debet aliquo ſpatio, quo pauliſper ſiſtat Eccleſiaſtes, novas vires ſumpturus, ipſique Auditores tranſitiuncula varietatem faciente recreentur.

9. Vidiſtis primas Gratiæ prævenientis velitationes cum peccatrice Anima; Artificium, quo Deus rebelles etiam mentes adoritur, perſpexiſtis in muliere Samaritana; novam ejuſdem Numinis exhibeo artem, qua nimirum Chriſtus ſuaviſſima iterum inſinuatione in cor humanum delapſus, ad aſſenſum illud tamdem pellicit. Audite; *Reſpondit Jeſus & dixit ei; Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, &c. Miramini quanta indulgentia dignatur Chriſtus ſeſe eò uſque demittere, ut Mulieris Doctorem & Pædagogum ſe præbeat, ipſi nempe particulatim gratiæ proprietates explicat, aperitque Myſteria ad quæ priùs illa ſtupuerat: docet quid ſit illud Donum Dei quod illa ignorabat priùs, quid aquæ putealis figura deſignaretur, nimirum pietatis fideique opus, quod vitam æternam mereatur, &c.

Plu-

Pluribus non expendo pręſens Evangelium paraphraſtica methodo, quia hæc facilior eſt quàm ut multis præceptis aut exemplis indigeat. Partem tantùm Ideæ exemplaris præmiſi; qua Eccleſiaſtes novitius ſatis intelliget, qua ratione ſimiles Expoſitoriæ formæ Conciones poſſit ipſe inſtituere. Ad perfectionem iſtius, quæ mox verſata eſt, ſupererat exhibere quomodo Gratia cooperans cum libera hominis voluntate conveniat ad ſalutis opus, illudque in Chriſto Peccatricem illuſtrante & erudiente oſtendere. Deinde Tertiæ partis intentum erat, victoriam Gratiæ Triumphantis deſcribere; quomodo ſcilicet Mulier ſaniori propoſito reſtituta, fidem non ſolùm exceperit, ſed & ipſa ſuorum civium ſalutem procuraverit, &c. Hæc in ipſo Evangelii contextu patent, vixque circumſtantia aliqua excogitari poteſt de Converſionis admirabilis negotio, quæ in Samaritana non ſplendeat, & Catechiſtæ materiam dicendi non abundè ſuggerat.

Hìc ſolùm addo, quod in hujuſmodi methodo, cavendum eſt ab Auditorum faſtidio, quod ab æqualitate ſtyli oritur; ideoque oportet varietatem adhibere, tum per tranſitiunculas gratiores, & lepidiores, tum per breves narrationes ad propoſitum idoneas, tum maximè per Converſiones ad Inſtitutionem moralem Auditorum; iſte enim eſt ſcopus Evangelii præcipuus, niſi fuerit unicè ab Eccleſiaſta conſequendus.

CAPUT IV.

Exercitationes Polemicæ, ſeu Methodus Tractandi Controverſias de Fide.

PRÆLOQUIUM.

PRÆMONUIMUS ex Oratorum celebriorùm mente Oratorias Exercitationes ſolere Militaribus comparari: Illæ enim harum inſtar in Auditoriis Adverſarios experiuntur, quos ſuperare ſtudent Eccleſiaſtæ, mitioribus quidem armis, ſed animis fortaſſe non mollioribus, quàm quibus Milites ſolent cum Hoſtibus in acie dimicare. At ſi in aliquo Eloquentiæ opere decertatur, maximè ubi de Controverſiis circa Fidem res agitur; ibi enim toto animo, & totis ingenii viribus iniri debet prælium, ut Fides de Infidelitate, Veritas de Errore, Chriſtus de Diabolo victoriam & triumphum reportent. Eam ob rem Oratorii noſtri operis parti quæ debellandis erroribus deditur, nomen Eloquentiæ Polemicæ, ſeu Exercitationis Militaris inſcripſi. Tituli author videtur D. Paulus, qui 1. Timoth. 6. 12. Diſcipulum monet ut militem fortem ſe præbeat in iis quæ de fide ſunt. *Certa* (inquit) *bonum certamen Fidei, &c.*

Titulus expenditur.

&c. ipſe etiam videtur gloriari de pari forte. 2. Epiſt. Timot. c. 4. n. 17. *Bonum certamen certavi, &c.* ſic pluries alibi hortatur Eccleſiaſtas, ut erroris confutationes ſuſcipiant, ceu tot expeditiones militares ſtrenuè & fortiter perficiendas. Certaminis leges, prout ab Exercitatiſſimis in hoc Concionandi genere Oratoribus ſanciuntur deinceps explicare conabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Præmittuntur aliqua notanda & obſervanda in Polemico Genere.

Triplex Adverſariorum Genus quod Controverſia impugnatur.

PRIMO' Advertendum eſt quòd Eccleſiaſtæ poſſit res eſſe cum triplici hoſtium Genere, cum Gentilibus, cum Judæis & Sarracenis, ac denique cum Hæreticis. Gentiles dico, qui Deum minimè credunt, aut ſanè circa fidem de Divinitate naufragantur. Judæi verò & Sarraceni, Divinitatem quidem credere gloriantur, ſed Chriſtum Deum negantes pari ferè lapſu à veritate recedunt. Hæretici verò Deum, Chriſtique Divinitatem profitentur, ſed adverſus Eccleſiam ejuſque Decreta inſurgunt. Hi omnes unius veritatis adverſarii, diverſa methodo expugnantur. Apud Gentiles repetere oportet altiùs, & à fundamentis ipſis inſtituere diſſertationes de Religione: Apud Judæos & Sarracenos ſupponitur fides de unico Deo, cætera indigent probatione: cum Hæreticis plura dimittuntur intacta; quia nobiſcum eadem credunt; ea ut plurimùm verſanda ſunt ſolummodò, in quibus à nobis diſſentiunt. Cùm his agendi occaſio frequentior occurrit, quàm cum Gentilibus & Mahumetanis, quia nihilominus cum his etiam decertandi aliquando datur neceſſitas, quomodo tunc agere debeat Eccleſiaſta pauc is dicemus.

Controverſiſtæ Dotes.

Secundò, de Concionatorum neceſſariis dotibus actum eſt, 1. P. l. 1. c. ultimo. Notavimus cum primis, *Vocationem*, *Eruditionem*, *Probitatem & Zelum:* hæ deſiderantur maximè in eo qui Controverſias tractandas ſuſcipit. Difficillimum ſanè o pus eſt iſtud ſimul & periculoſiſſimum, quodque eximias in Controvertiſta conditiones poſcit: illas quidem loco citato explicuimus abundè, earum tamen nonnihil nunc iterum deguſtare, neceſſarium arbitror. A vocatione exordior. Temeritatis arguo illum, qui abſque ſuperiorum delegatione, abſque occaſione, aliiſque dotibus requiſitis aggreditur Adverſarios; ipſos fortè ad Diſputationem provocans, vel in ipſorum congreſſus audaci animo ſeſe immittens; Vocatio & prudentia utrumque fieri prohibent. Vocari igitur debet, qui de Controverſiis agit, (maximè ex profeſſo.) Dei ſolius eſt Idoneum miniſtrum deligere, illudque præſtat ordinariè Superiorum & Prælatorum deputatione: ſi verò non ita conſtat de vocatione, de prudentia hominis eſt, motas Controverſias ſapienter declinare,

nec

nec ad diſputandum nonniſi magna cautela & magna eruditione præmunitum accedere. Eruditio Controvertiſtæ in hoc videtur ſtare, quòd ſit apprimè Doctus in Theologia Poſitiva, ideſt, in Lectione Scripturæ ſacræ, Conciliorum, SS. Patrum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; In Theologia Scholaſtica, ac præſertim verſatiſſimus ſit in iis Libris qui de Controverſiis agunt.

Hic advertere oportet, quòd quando teſtimonia SS. Patrum, vel his ſimilia adverſus Catholicam veritatem proferuntur, cavendum ſit ab æquivoco quod in verbis latet; ideoque hæ cautiones adhibendæ notantur. 1. Legatur Teſtimonium adductum, integrè & ſincerè, abſque corruptione, detruncatione vel additione. 2. Legantur quæ verba citata præcedunt, aut ſequuntur, certiſſimè enim ex præmiſſis aut ſequentibus patebit legitimus teſtimonii citati ſenſus. 3. Fieri poteſt, ut aliquando Doctor ſanctus videatur aliquid ſcripſiſſe quod adverſariorum opinioni faveat; ſed fortaſſe tunc non agebat ex profeſſo, & ex proprio ſenſu de re quæ in quæſtionem vocatur; ex aliorum tantùm opinione retulit quod ſcripſit; vel adverſarios inſequutus Argumentum contorſit nonnihil ultra juſtas veritatis metas, ut eoſdem de inſipientia redargueret. 4. Obſcurius teſtimonium explicandum eſt per aliud evidentius; paucioribus etiam plura & majora ſunt præponenda. 5. Nondum fortè ſtatutum erat in Eccleſia de re controverſa, cùm ſcriberet Sanctus Doctor aliter ſenſiſſet ſi aliud illa decreviſſet. 6. Denique, quantumvis revereamur quidquid ſancti Doctores ſcripſere, illud tamen non tantæ authoritatis eſt ut ſolum faciat fidem: uni Doctori præponimus cæteros & omnibus Eccleſiæ Decreta, ut certiora & firmiora, præferenda cenſentur. His cautionibus ſi bene uſus fuerit Eccleſiaſtes Polemicus adverſariorum Argumenta ſolvet facillimè.

Advertendum de SS. Patrum citatione ab Adverſariis.

Tertiò, de Probitate & Zelo, nihil ultra priùs dicta proferam; monebo ſolùm Eccleſiaſtam, ut probatis moribus eximium ſe præſtet; nam ſi id neceſſarium eſt, quando cum Fidelibus agit; eò deſideratur magis, ubi res ipſi eſt cum Infidelibus, quò hi faciliùs ſcandalizarentur ob nequitiam qua ſordere arbitrarentur vitam Eccleſiaſtæ Polemici: immo ſæpe ad Infidelium converſionem plus valent probati mores Chriſtiani adverſarii, quàm Argumenta firmiſſima. Talem igitur ſe exhibeat Controvertiſta ut fidem ferè faciat bonis operibus. *Habet, ut obedienter audiatur* (inquit Auguſtinus l. 4. de Doct. Chriſt. c. 27.) *quantacumque granditate dictionis, majus pondus vita Docentis.*

Quartò denique magna Induſtria opus eſt, ut tractetur adverſarius animus. Videri debet qui illius curam ſuſcipit, nihil aliud ſpirare quàm errantis ſalutem. Cohibendus eſt omninò ille impetus, qui zelo indiſcreto fortaſſe abreptus in præcipitem fervorem accenditur. Compoſitio vultus ſit lenis & amica; verba ſint Charitatis & dilectionis fraternæ effectus ac indicia. Ratio eſt, quia Fratres ſunt, non hoſtes, cum quibus

Quid ſint Gentiles? Sedatus animus in Diſputante deſideratur.

rem

rem habemus, & quocumque errore à veritatis ſemita deviarint, dolendi ſunt illi & ſuaviter revocandi, non verò durioribus & acrioribus verbis urgendi aut increpandi. Conſulitur ergo Eccleſiaſtæ ut abſtineat ab omni ardentioris zeli impetu, qui prorumpat ad iram, convitia & omnem quod injurioſum ſonet aut opere aut loquela. Dei & Charitatis negotium eſt, quod amore, affectu & manſuetudine tractari debet; commotione & iracundia exaſperatur errantis animus, non curatur nec ſanatur. Quid ſingulis errantium Generibus conveniat examinemus.

ARTICULUS II.

Modus agendi cum Gentilibus, Judæis & Mahumetanis.

Quid ſit Gentilis.

I. GENTILES ſunt (ut dixi) qui aut nullum credunt Deum, aut plures profitentur. Prioris generis cenſentur inculti & Barbari illi homines qui efferatis moribus vivunt belluarum ferè inſtar, vix aliam ſequuti Legem, quàm quæ ſenſibus & depravatæ rationis impulſu ſuadetur. Qui plures Deos colunt, appellari ſolent Idololatræ & Pagani. Adverſus ejuſmodi Infideles certamen ineundum eſt à primis Fidei rudimentis; fruſtra enim cætera quæ ad Religionem ſpectant movebuntur, niſi priùs fundamenta quibus nituntur ſteterint. En methodum qua iſta pertractanda cenſeo.

Quomodo agendum eſt cum Infidelibus.

Infideles igitur qui nihil audierunt de Fide, poſſunt his capitibus commoneri. 1. Prudenter & ingenioſè oſtendatur, quantum à ratione diſtat genus illud vitæ quod ipſis commune eſt: Incommoda cùm animi, tum corporis quæ à ferinis oriuntur moribus, inſinuatione, induſtria probentur; quorum remedium foret ſi humaniorem & manſuetiorem vitam illi induerent. 2. Suadeantur de exiſtentia Dei unius, petitis nimirum rationibus ab illis fontibus quibus iſte fidei articulus ſtabilitur. V. g. Quòd ſit aliquod Ens primum, à quo cætera facta fuerint. Cuncta enim hæc inferiora perire cernimus, & aliis deficientibus alia ſubſtitui; quod fieri non poteſt, niſi ſit aliquod primum quod de utriſque curat: Item à Fabrica hujus Mundi tam ingenioſè digeſta & compacta, tam diu & conſtanter in eodem ordinis ac decoris ſtatu permanente, probentur Artificis Sapientia, Poteſtas, cæteræque Perfectiones eximiæ. 3. Quòd ille omnium rerum Artifex ſit etiam Hominis Author & Dominus, ideoque mereatur honorem & obſequium, quod interno & externo cultu poteſt exhiberi. 4. Quòd Homo quilibet duplici conſtituatur parte, Anima ſcilicet ac Corpore, quibus humanum Compoſitum conſiſtit. Quòd Anima ſit aliquid ſpirituale, & ex ſua ſubſtantia immortale; ut patet ex ipſius operationibus quæ de rebus univerſalibus, abſentibus, & æternis cogi-

Digitized by Google

cogitant, ac de iiſdem conceptus & deſideria formant; nam ſi verum ſit quod operari ſequatur eſſe, iſtiuſque indicium prodat, operationes illæ ſpirituales & ultra corpus, probabunt animam eſſe ſpiritualem & incorpoream. 5. Quòd multùm à Brutis differat homo: illa ſcilicet materialem ſortita animam, nihil aliud ſperant aut ſpirant quàm materiale & terrenum; poſt modicum verò vitæ tempus, pereunt quaſi non fuerint: Homo verò ſpirituali & immortali anima donatus digniora & ampliora bona ſperet, ultra terrena & mortalia quæ oculis percipiuntur, æternam ſcilicet Beatitudinem omnium bonorum aggregatione perfectam. Unde non moritur inſtar Brutorum, ſed ſolvitur tantùm animæ & corporis commune vinculum, dumque Caro terræ data in terram redit, anima evolat in cœlum infinitis bonis fruitura ſi benè vixerit, detruditur verò in Infernum horrendis crucianda ſuppliciis, ſi malè egerit. His & ſimilibus Fidei Rudimentis emolliendus eſt paulatim ferox & incultus animus; ac maximè tentandus per commoda vel incommoda quibus trahitur aut terretur; qualia ſunt bona infinita quibus munerabitur ſi Deo ſervire voluerit; Damna formidanda quibus afficietur ſi ſervire Deo renuerit, &c. De Induſtria eſt Oratoris obſervare Genium ac temperiem ejus cum quo agit, & appoſita methodo hominem artificioſè & ſolerter tractare. De cætero, poſtquam emollitam mentem compererit, jam ad Chriſtianam Religionem pellicere conabitur, oſtendendo nimirum quàm bonis, ſanctis & utilibus legibus ſtatuatur; Aperiat faciliora myſteria, & ſi quid fuerit difficultatis, aut illud complanet, aut ſileat, donec ſucceſſu temporis fiat opportunitas majora docendi.

II Idololatræ, non minore induſtria egent, ut ab errore avocentur ad Fidem; Agnoſcunt aliquem Deum, ſed Divinitatem inter plures partiuntur. His ergo non opus eſt ut probetur rationibus, quòd Deus exiſtat; ſed hac ſuaſione præſuppoſita, probari debet quòd ſit tantùm unicus Deus. Ad hoc valent hæ aut ſimiles rationes. 1. Quòd Deus debet eſſe Infinitus; Perfectiones in ſe complexus infinitas; neque enim poteſt eſſe in Creatura quidquam perfectum quod in Creatore non contineatur. 2. Implicat plures eſſe Deos; nam poſito v. g. quòd ſint Duo, fiet contra hunc Errorem iſtud Argumentum: Vel Ambo Dii, qui finguntur, ſunt in omnibus æquales, vel inæquales: Si Pares ſunt, ergo fruſtra duo admittentur; nam ex recepto axiomate, fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora. Unicus ſufficit Deus, quia eſt infinitus, nec ullis rebus poteſt re exhauriri, cur ergo plus? Si verò illi fuerint inæquales, ergo alter illorum non eſt Deus: quia ille pro Deo haberi non meretur, qui aliqua perfectione caret, & altero eſt inferior; Deus enim debet eſſe Infinitus; At iſte qui non eſt æqualis alteri, caret perfectione quæ in majore fingitur, alteroque eſt minor, ergo non eſt ille Deus. In eundem tendit finem aliud Argumentum, quod in hac forma ſtatuitur; Illorum Deorum alter, vel habet quidquid virtutis & excellentiæ continetur in al-

Methodus agendi cum Idololatris.

Hhh tero,

tero, vel non; ſi habet, &c. ergo idem eſt & fruſtra duo finguntur. Si non habet quidquid alter habet; ergo ille Deus non eſt, quia cùm in aliquo deficiat, perfectus non eſt nec infinitus. 3. Unitas Dei colligitur ex unitate Regiminis, quod præſtantius eſt & durabilius, quia nec metus eſt Tyrannidis in optimo & ſapientiſſimo Deo, nec etiam Diſſentionis in unico Imperatore. 4. In omnibus rebus, eſt unum aliquod cæteris præcellentius, iſtud Deus eſt. Sunt & aliæ permultæ rationes quæ unitatem Dei demonſtrant, pluralitatem verò prorſus convellunt; ſed mei non eſt inſtituti Argumenta innumera quæ in hunc ſcopum docent libri, huc tranſcribere: potiora ſufficit indicaſſe. 5. Addo nihilominus contra Idololatras, quòd illi pro Diis habuerint nefarios & perditiſſimos quoſdam homines, qui Inferni ſupplicia meruiſſent potiùs quàm Divinos honores. Item quòd vitiis etiam ac ſceleribus ipſis cultum Deo optimo maximo debitum exhibuerint. Item quòd eorum Religio, ſeu potiùs Religionis figmentum, plurima doceret contra bonos mores quæ rationem ipſam offenderent, &c. De his conſule D. Thomam adverſus Gentes; alioſque Doctores qui hoc propoſitum verſant ex profeſſo.

III. Adverſus Judæos duplici Armorum genere utimur. Primò, rationes adhibemus quibus eorum pervicaciam ſuperare conamur; Deinde rationes quas ipſi contra nos torquere nituntur ſolvimus. En potiora Argumenta quibus Judæos impugnamus. Primo, Vox omnium Prophetarum quæ Meſſiam veniſſe omnino demonſtrat; hæc Chriſtum pinxiſſe videtur innumeris figuris & oraculis, quæ ita Chriſto conveniunt ut nulli alteri poſſint accommodari. Vide Granatenſis Catechiſmum, ubi hæc Argumenta fusè & perſpicuè tractantur; ea ſolùm capitatim & ſummariè delibo. 2. Joannis Baptiſtæ teſtimonium, quod maximi ponderis eſt apud Judæos. 3. Calamitas qua Judæi per totum orbem diſperſi premuntur à pluribus ſæculis, magnum eſt Argumentum, quòd illi reprobati fuerint & ob inſigne aliquod ſcelus ſeveriſſimè puniti. Non aliam diuturni & duriſſimi ſupplicii cauſam juſtam proferre poterunt, præter injuſtam Chriſti necem, cujus illi authores fuere. 4. Modus quo Evangelium ſtabilitum eſt, prodigii rationem habet, & vim Argumenti validiſſimam qua probetur Chriſtus verus Deus. Nam, ſi homo tantùm ille fuiſſet, non alia cenſuiſſet, nec aliam in lege ſtatuenda viam injiſſet, quàm quæ cenſere aut præſtare ſolet homo bene ſenſatus: Quæro autem quid cenſeret homo quilibet qui legem dare cæteris vellet, ac Sectatores ſibi conciliare? Ille certè excogitaret ſtatuta quæ ſuis ſubditis aliquatenus placere poſſent, ea ſuaderet quæ appetitui forent grata, ingrata verò aut reſcinderet, aut ab his ſuadendis abſtineret. Hæc eſt nempe methodus, qua homo rationis humanæ ſequutus normam, aliis imperare, hiſque legem ponere ſatageret; ſi aliter quidquam aggrederetur, non aſſequeretur intentum. At horum nihil Chriſtus egit; Legem excogitavit appetitui contrariam, ſuaſit quæ ſenſibus diſplicerent, quæ verò arriderent, illa prohibuit: Sectatores

Controverſia adverſus Judæos.

tores

tores innumeros ſibi hoc modo peperit, qui legem difficillimam amplexi ſunt, quique exactiſſimè eamdem obſervavere. An fuit homo ſolùm, ille qui talia excogitavit? An homo tantùm ille, qui appetitui repugnantia juſſit amari, & ſenſibus commoda præcepit odio haberi? &c. Non prorſus. Qui talia invenit & feliciter perfecit præter modum hominibus aſſuetum, Deus fuit, non alius: erant ſcilicet iſta homine majora, &c. Adde modum mirabilem, quo per Apoſtolos rudes & illiteratos univerſum orbem ſubegit, non armis, non eloquentia; non divitiarum, honorum aut voluptatum illecebris: (ut ait D. Paulus) 1. Cor. 1. 25. *Non multi Sapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret; ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* His ergo tam inæqualibus mediis deviciſſe Imperatores, Philoſophos, Sapientes, Divites, &c. ac in ſuas partes pellexiſſe: ſuaſiſſe etiam, ſpretis honoribus, divitiis, deliciis, & ipſa vita, Crucis, mortificationiſque continuæ diſciplinam profiteri libentiſſimè & jucundiſſimè, miraculum eſt iſtud maximum, quod ab alio quàm à Deo non potuit perfici, &c. His igitur aut ſimilibus Argumentis Religio Chriſtiana firmabitur adverſus Judæos; deinde quæ illi contra objiciunt diluentur. De his conſule Theologos tractatu de Incarnatione, ubi propoſitum iſtud verſatur ex profeſſo. Moneo tantùm quòd ubi Argumenta ejuſmodi, quæ (ut ajunt) evidentiam Credibilitatis obtinent, adducta fuerint, tunc opus ſit incitamentis quæ Charitatem & affectum de alterius ſalute ſollicitum ſpirent; quale foret adverſarium peramanter rogare, ut dignetur in re tanti momenti, quanti cenſeri debet animæ Salus æterna, ſibi conſulere; ſecuriorem partem eligere; unam tantùm eſſe ex pluribus Religionem legitimam, in qua ſola ſalvationis ſpes eſt, extra quam nulla; hancque eſſe Chriſtianam & Catholicam Eccleſiam, in qua nihil niſi optimum, ſanctum & perfectum colitur ac decernitur; in qua innumeri homines ſapientiſſimi & doctiſſimi vixere, &c. Ergone periculum eſſe poterit in re tot miraculis ac divinis Argumentis probatiſſima? &c.

IV. Mahumetani & Sarraceni, non diſſimilibus ferè Argumentis urgentur. Primò, pro Chriſtianæ Religionis confirmatione probatur Chriſti Divinitas, iiſdem penè rationibus, quæ adhibitæ ſunt contra Judæos; Laudant enim & maximi faciunt Joannis Baptiſtæ teſtimonium, quod evidenter Chriſtum prædicat Deum. Deinde opera Chriſti quæ ab alio quàm à Deo fieri non potuere, proferantur, ut his ſuadeatur illius Divinitas. Secundò, valet apud Turcas Teſtimonium Sybillarum de quibus Varro ſcripſit, earum nomina, patrias & tempora deſignans, ſed hæ de Chriſto ita loquutæ ſunt, ac ſi ejus vitam, mores & miracula oculis ipſis inſpexiſſent, cùm nihilominus Chriſtum pluribus ſæculi præceſſerint. Vide Baronium in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos. Tertiò, ſtatuta Controverſia adverſus Turcas.

Chriſti Divinitate, facile eſt ejus Evangelium, ac quidquid Chriſtiana Religio profitetur, ſtatuere. Quartò ſuadeatur Eccleſiæ Sanctitas, Antiquitas, Univerſalitas, &c. quæ incitamenta quædam ſunt generalia & communia, ſed ponderis maximi, quæque ſapientem & ratione tractabilem commovere omnino debent ut his aſſentiatur. Impugnatur verò Mahumeti ſecta; Primò, Ab ipſo Authore qui fuit homo nequam, &c. ſed ut ut ſit, nulla edidit ille miracula, aut opera humanis majora, quæ teſtarentur ipſum à Deo miſſum, ut cæteris Legibus abrogatis propriam & novam ſtatueret. Secundò, ab Alcorano, commentis, ineptiis & impietate refertiſſimo. Quale eſt enim illud, quod ibidem docetur de Paradiſo, in quo finguntur gulæ ac luxuriæ delectamenta, quæ Brutis ſordidioribus tantùm conveniunt, loco verò illo ſanctiſſimo, Deo & amicis ſpiritibus deſtinato indigniſſima? Tertiò, pro miraculo ducunt Turcæ quod Mahumetana Religio plurimas regiones occupaverit: At nec hoc prodigii loco habendum eſt, utpote quod vi & armis conſtitutum, iiſdem mediis ſtat & viget. Miraculum prorſus fuit quòd Chriſtus infirmis & imbellibus mediis Fidem Chriſtianam inſtituerit & propagaverit, quia iſtud facinus ſuperabat naturæ hominiſque vires; confitendum fuit, quòd hæc ab omnipotenti Deo ſolùm fierent: ſed in Mahumetani erroris promulgatione & propagatione, omnino nihil eſt ſimile, quòd naturam, hominemque ſuperet, ac propterea miraculi gloriam mereatur. Quartò, Advertendum eſt, quòd Orator Catholicus qui inter Sarracenos verſatur, magna indiget prudentia, quæ zelum fortaſſe ardentiorem moderetur. Non expedit, Turcium errorem aperta vi laceſſere; cùm enim ejuſmodi aperta impugnatio, ſit patriis legibus prohibita & certiſſima nece puniatur; qui id agit, videtur de imprudentia nonnihil redarguendus, ſeipſum enim cæteris Chriſtianis quibus erudiendis erat neceſſarius eripiet, indignationem Turcarum fortaſſe concitabit adverſus Chriſtianæ Religionis profeſſores, & dum propriæ utilitati per martyrii gloriam ſtudet, toti forſitan Eccleſiæ ſit indiſcretè noxius. Nolim quidem ab aliquo laudari errorem, qui ſacrilegium eſt & blaſphemia, ſed nec etiam (ut dixi) iſtis increpationibus palam impeti, quoniam inde vix aliquid boni ſperari poteſt: At ſuaderem grata & induſtria inſinuatione Religionem Chriſtianam, ejuſque cùm Præcepta, tum Conſilia, quæ homines à ſceleribus avocant & ad virtutis perfectionem promovent. Chriſtus præcipuè commendari debet, ejuſque opera ſanctitate ac miraculis memoranda, recenſeri, prout opportunitas id dederit: hoc inquam & ſimili artificio commendata Chriſtianorum Fides, erroris notam indirectè Turcarum ſectæ inuit: eamque apud Auditores vocat in ſuſpicionem de impoſtura & mendacio.

ARTICULUS III.

Exercitationes Polemicæ adverſus Hæreticos.

AD Confutatorium Genus attinet de Controverſiis agere: illius eſt enim veritatem Catholicam tueri & oppoſitos errores impugnare. Hinc illi ampliſſima diſputandi materia, quia plurimi ſunt hoſtes qui adverſus Eccleſiam inſurgunt, & quamvis ſe ipſis invicem maximè diſſentiant, non ſecus ac infenſiſſimi inimici; amica tamen concordia perperam conveniunt, ut veræ Fidei noceant, ipſiuſque fundamenta convellere aggrediantur. In hac igitur diſputandi arte edoctus ſit Eccleſiaſtes, ut poſſit adverſariorum mendacia refellere. Verbis Pauli utar Tit. 1. 9. *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Meum non eſt propoſitum hìc certamen inire cum pluribus Hæreticorum Sectis, quæ numerum excedunt; alterius eſt inſtituti iſta particulatim attingere. Calviniſtas & Lutheranos præſertim impugno, ita tamen, ut præcipua velitationis iſtius jacula poſſint etiam in quoſcumque Adverſarios intorqueri. Atque eamobrem duabus ſequentibus ſectionibus oſtendam, qua Methodo agendum eſt cum ejuſmodi Hæreticis; deinde rationes indicabo; tum quibus impugnari debet hæreſis; tum quibus veritas Fidei Catholicæ poteſt firmari; ultimum poſtea ſubjiciam Articulum, quo Idææ Polemicæ exemplum exhibebo. Controverſia adverſus Hæreticos.

SECTIO PRIMA.

Methodus agendi cum Hæreticis.

TRiplex occurrere ſolet agendi cum Hæreticis occaſio, quæ triplicem etiam methodum poſtulat: Alia fit in privatis colloquiis, alia in publicis Diſputationibus: addo Tertiam quæ huic affinis eſt, nimirum in ſuggeſtu coram Catholicis & Hæreticis, quæ propriè dici poteſt Catecheſis Polemica, ſeu Doctrinale concionandi genus, de Controverſiis. Triplex occaſio agendi cum Hæreticis.

1. In Privatis colloquiis hæc obſervabit Eccleſiaſtes. Primò, non abſque neceſſitate & eruditione ſubeat hujuſmodi privatum certamen: eſto familiare ſit; periculum tamen eſt, ne Hæreticus pertinacior hæreat in ſuo errore ob inſcitiam & imperitiam Eccleſiaſtæ, infirmioribus Argumentis veritatem propugnantis, objectaſve rationes minùs ſufficienter diluentis. 2. Ardeat intus Charitate, quæ nihil videatur inquirere quàm Fratris ſalutem; verbis & rebus affectum ſincerum prodentibus utatur. 3. Animos errantium ſibi conciliare ſatagat, & facilem ſe in omnibus, quæ crimen non ſunt, aut de crimine non moveant ſuſpicionem, præbeat. Modus Controverſias tractandi in privatis colloquiis.

beat. 4. Proderit converſationem inchoare, à Pietatis operibus quæ commendentur; à ſalutis negotio, quod omnem ſollicitudinem meretur; tanti ſcilicet eſt momenti, aut ſalvari aut damnari in æternum. 5. Hinc ſcrupulus moveatur de Religione; ſuggeratur quòd unica ſit Eccleſia in qua ſola ſtat ſalus & extra quam nullus ſalvatur. E pluribus ſectis quæ de veritate gloriantur, prudens Chriſtianus dijudicare debet, quæ ſit verior: non quidem ex præſumptione erroris fortaſſe hæreditarii, vel alterius cujuſcumque conſiderationis quæ carnem & ſanguinem ſapiat; ſed adhibitis precibus propterea ad Deum fuſis, ut dignetur viam ſalutis oſtendere; & adſcito etiam virorum Doctorum ac integrorum conſilio, &c. ac denique hoc ſolum intento ductus ut veritatem tantummodò inveſtiget. 6. Demum cavendum eſt à clamoſa & tumultuaria contentione, ex qua nihil præter capitis moleſtiam reportatur.

Modus diſputationis ſolemnis cum Hæreticis.

3. In ſolemnioribus quæ aliquando habentur de Fide diſputationibus, præter illa quæ mox notavimus obſervanda, hæ ſolent à Prudentioribus Controvertiſtis cautiones adhiberi.

1. Unius tantùm & notabilis ſit Adverſarius: non plures aut plebeji.

1. Adverſarius ſit unus, certus & determinatus cum quo decertetur; Hæreticorum enim mos eſt, ut turmatim & communi impetu Catholicum aggrediantur ac clamoribus confuſis obtundant; unde cùm ipſe pluribus impar, non poſſit eodem tempore omnium ſolvere objecta, præſumitur ſuperatus, atque à veritatis jure cecidiſſe. Prudentis igitur eſt Controvetiſtæ in Diſputationis palæſtram non deſcendere niſi cum uno, certo, & alicujus nominis Adverſario, qualis eſt Miniſter, vel ſimilis gradus alter, qui eruditione & dignitate præſtet. Injurioſum enim eſt Eccleſiaſtæ, rem habere cum homine nihili, qui nulla doctrina vel diſcretione commendabilis, ſola audacia & petulantia fretus Doctiſſimum quemque provocare ad certamen geſtit. Cum ejuſmodi farinæ hominibus congredi ex æquo, non arbitror aut tutum aut honorificum; humaniter quidem ſunt excipiendi ut edoceantur, ſed nullatenus admittendi ſunt ad æqualem contentionis pugnam. Solitum quidem eſt Hæreticis, præmittere pro Velitibus Sutores & Pharmacopolas quibus adverſarium Catholicum laceſſent, ſed lepidè & facetè declinare oportet ejuſmodi congreſſus. Sutoris alicujus de præſumpta ſcientia inſoleſcentis impudentiam fregit Controvertiſta inſignis; petiit quippe ab æmulo Coriario, num calleret Scripturæ ſacræ ſenſum? Optime, inquit, nihil ejus me latet. Si ita, ait iterum Catholicus Doctor, dicito mihi quot punctis conſtabat Calceamentum quod ad Idumæam uſque protenſum dicitur Pſalm. 107. 11. Neſcio, ait alter; Ergone, addidit Catholicus, de Religione diſputare audes qui ignoras etiam quæ de tua arte Sutoria ſcribuntur in ſacro Textu? ſic arguto dicterio fregit hominis petulantiam. Pari ſcommate obmutuit Pharmacopola ſcientiam de Controverſiis falsò jactitans, dum ab ipſo quæreretur cujus compoſitionis

erat

erat unguentum illud, quo delibuta Aaronis barba aſſeritur Pſalm. 132. 2. Ita prudens Catholicus ingenioſè declinabit ejuſmodi adverſarios.

2. Non mutetur propoſitio aut difficultas donec fuerit ſtatuta & ſoluta.

2. Alterum obſervandum eſt, ut Eccleſiaſtes ſibi caveat à propoſitionis permutatione qua Hæretici ſolent adverſarium ludere, modò enim unam, modò alteram delibant difficultatem, immò varias & innumeras importunè ſubjiciunt à priore ad ſequentem deſultantes; unde vaneſcit contentionis finis, qui eſt veritatem aſſequi. Remedium eſt ſiſtere Adverſarium, atque in una difficultate morari, nec aliam excipere ſolvendam, donec de propoſito planè & integrè ſtatutum fuerit; cætera remittere oportet poſt agitatæ quæſtionis ſolutionem.

3. Scribantur propoſitiones & ſolutiones ſtatutæ ac chirographo muniantur.

3. Ut feliciter ſuccedat diſputatio, par eſt convenire de Propoſito verſando, ac de mediis quibus tractari debet. V. g. de Bibliis quæ adhibenda ſunt ad litis deciſionem, corrupta enim ſunt innumeris locis ea quibus utuntur Hæretici. De his igitur & ſimilibus ſtatuatur ac præſertim de propoſito, quod Chartæ inſcribi debet, & ab utraque parte chirographo probari, vel ſaltem à conſtitutis ex utraque parte Scribis & Tabulariis in albo notari. Idem præſtandum eſt in ſingulis reſponſis, quorum nihil dimittendum eſt quin ſcribatur: ne (ut ſæpius occurrit) neget adverſarius quod priùs aſſeruerat; ubi id adverterit Catholicus, conſulat exceptaneum Codicillum, qui fidem faciet de omnibus in dubium movendis.

4. Teſtes adhibeantur qui ſint notę dignitatis & probitatis.

4. Teſtes adhibeantur omni exceptione majores. Apage clamoſos & loquaces qui nihil aliud ſciunt quàm obſtrepere, & importunis vocibus aures obtundere. Conſtituendum eſt igitur, ut præſentium nullus loquatur, niſi interrogatus. Monendi ſunt & rogandi omnes coram quibus res geritur, ut diligentiam ponant in exquirenda ſola veritate, à qua totum ſalutis æternæ momentum pendet, iſtud debet eſſe unum totius concertationis intentum.

5. Auſpice Deo gerantur omnia.

5. Denique nihil gerendum eſt in ejuſmodi negotio, niſi ſub Auſpiciis Dei, cujus gratia debet precibus & piis operibus conciliari, ut nimirum dignetur adeſſe, erroris tenebras diſpellere, & veritatis viam aperire. Iterum monendus eſt Controvertiſta, ut modeſtè, ſedatè, abſque præcipitatione, ira, offenſa, loquacitate ſeſe gerat in decertationis decurſu: Pietatis & Religionis opus eſt, non ambitionis aut pertinaciæ.

SECTIO II.

Loci & Argumenta quibus Hæretici poſſunt impugnari.

POlemicum iſtud dicendi genus Doctrinali ſubjecimus, quia ipſius eſt ignorantes ſeu potiùs errantes in Fide erudire; magnam tamen habet

bet cum Deliberativo affinitatem, quia iſtius eſt ſuadere veritatem, errorem verò diſſuadere, quod eſt intentum Polemicæ Artis: At ne pluries videamur idem tractare propoſitum, à Suaſione & Diſſuaſione mutuamur Promptuarium, unde Catechiſta poſſit ducere rationes quibus ſibi faveat aut Adverſarios impugnet.

Polemici Suaſorii fontes.

Suaſorii Generis Argumenta, 1. A manifeſto, cùm exponitur Articulus in litigium vocatus, v. g. De Euchariſtia, vel Sanctorum invocatione. 2. A Probabili, cùm oſtenditur nihil eſſe quod rationem vel fidem lædat. 3. A Poſſibili, cùm difficultates quæ rem impedire poſſent tolluntur. 4. A Cohærente, cùm probatur aliquid debere ex præcedentibus ſequi. 5. A Decoro, quatenus aſſeritur res congruere & decere. Diſſuaſoriæ Artis oppoſiti ſunt Fontes, quibus erronea propoſitio deſtruitur. 1. Exponitur illud de quo agitur, hoc eſt, ſtatus Controverſiæ explicatur. 2. Ab Improbabili, quod Argumentis contrarium ſuadentibus ſtatuitur. 3. Ab Impoſſibili ſeu Difficili, tum creditu, tum factu. 4. Ab Inconſequenti, quia non ſequitur ex præmiſſis vel potiùs oppoſitum conſequitur. 5. Ab Indecoro & incongruo. 6. Ab inutili, &c.

Polemici fontes ex Theologia.

Promptuarii Theologici pro Polemico genere fontes ſunt, 1. Scriptura, non vitiata Hæreticorum artificio, ſed Authoritate Eccleſiæ probata, & SS. Patrum ſenſu explicata. 2. Traditio legitima, Eccleſiæ uſu firmata. 3. Concilia generalia approbata. 4. Eccleſia ipſa, hoc eſt, Congregatio Fidelium cum ſuo Capite ſummo Pontifice Chriſti Vicario. 5. SS. Patres, maximè qui omni exceptione cenſentur majores. 6. Ratio humana, quæ varia ſuggerit Argumenta cùm ad ſuadendum, tum ad diſſuadendum. 7. A Rationis fontibus ducuntur quæ dicuntur eſſe, A Probabili, A Poſſibili, A Decoro, &c. 8. Ab Hiſtoria, præſertim quæ à probatioribus Authoribus ſcripta eſt. Cæteros locos vide 1. P. l. 2. Ex his (inquam) Fontibus eruuntur Argumenta quibus probatur Veritas, aut Error improbatur.

Loci quibus impugnetur hæreſis & veritas defendatur.

Polemici Promptuarii Fontes, qui ſcilicet, propiùs ad Controverſias accedunt, hi ſolent contra Hæreticos adhiberi, ut probetur quòd eorum Secta deficiat in omnibus capitibus, unde cenſetur Religio vera & legitima. Hæc autem capita potiora ſunt, 1. Sanctitas. 2. Unitas. 3. Univerſalitas. 4. Antiquitas. Deinde ſpeciatim eorum Reformatio caruit, 1. Authoritate. 2. Neceſſitate. 3. Medio ſufficiente. 4. Ex ſola Scriptura nullum Articulum Fidei Catholicæ poſſunt improbare. 5. Ex eadem ſola Scriptura nullum Articulum prætenſæ Reformationis ſtatuere poſſunt. Hi ſunt tot Fontes, ex quibus eruuntur rationes ad impugnandam Hæreſim Calvinianam; totidem firmatur Eccleſia Catholica, ſi eadem Argumenta in contrarium ſenſum tractata pro veritate tuenda uſurpentur: in his nempe deficit Hæreſis atque ex horum defectu arguitur ejus falſitas & mendacium: in aliis verò præcellit Religio Catholica, quia dotibus præfatis inſignitur.

Obſer-

Obſervandum eſt maximè, quòd Controvertiſta debet, quantum poterit, uti Argumentis quæ vocantur certiſſima, & omni dubio majora; qualia ſunt quæ à Scriptura ſacra, & ab Eccleſiæ definitionibus petuntur; caveat verò ne totum certitudinis & authoritatis robur faciat in Argumentationibus & ratiocinationibus humanis, quæ quantalibet ſubtilitate polleant, & difficultatum enodationibus plurimùm proſint; non ſunt tamen præcipuum Catholicæ veritatis robur, immò ſunt inferior & minor probationis faciendæ pars, ac etiam Authoritatem Divinam quæ aliis ineſt, non nihil minuunt, ſi penes ingenii humani Argumentationes difficultatis controverſæ judicium ſtatueretur; fieret enim ab Argumentis indubiis progreſſus ad probabilia. Fides ſcilicet duplicis generis Argumentis innititur; Primum & ferè unicum eſt, quod ab Authoritate Divina petitur, in quo cæteris ſcientiis præſtat. Secundum eſt Ratiocinatio humana, quæ Fidei obſequitur ceu ancilla & interpres, ſed iſtud eſt (ut dixi) infirmius & debilius probationis Polemicæ caput; quod adhibetur, non tamquam veritatis Catholicæ principium ac fundamentum (iſtud enim Fidei omnino eſſet injurioſum) ſed veluti difficultatis propoſitæ explanatio; qua conſtat homini minùs fideli, nihil in Eccleſia Catholica doceri, quod integræ rationi non ſit conſentaneum, quantumvis illam in pluribus ſuperet.

In Religione Argumentum ab Authoritate divina præſtat cæteris.

SECTIO III.

Ideæ Polemicæ Exempla.

DIXI ſuperiùs multiplicem eſſe Polemicæ orationis formam, ſcilicet pro diverſo rerum ac Auditorum ſtatu. Privatam appellavi Controverſiam, quæ in familiaribus colloquiis perficitur, ac plurimùm prudentiæ, doctrinæ, charitatis & comitatis deſiderat, ut laudabilem ſortiatur effectum: Publicam dixi quæ palam & coram omnibus fieri ſolet. Iſtius iterum eſt duplex forma; vel enim habetur apertè præ oculis adſtantium cum certo Adverſario, ſeu impugnando, ſeu impugnante; vel nullus eſt peculiaris Adverſarius, ſed in communi controverſa materia tractatur, ſeu per probationem Catholicæ aſſertionis, ſeu per impugnationem Hæreticæ propoſitionis; Atque hæc rurſus agitatur vel coram ſolis Catholicis, vel coram ſolis Hæreticis, vel in Auditorio ex utraque parte conſtituto. In his, inquam, diverſis opportunitatibus diverſæ agendi formæ requiruntur, quæ à judicio, diſcretione, & experientia petendæ ſunt magis quàm à præceptis; niſi ferè ſemper Eccleſiaſtam monueris, ne temerè abſque neceſſitate, conſilio & eruditione ejuſmodi negotium aliunde difficillimum ac periculoſiſſimum ſuſcipiat.

Multiplex forma controverſæ Diſſertationis.

Ex pluribus Controverſiæ formis quæ poſſunt excogitari, tres tantùm exhi-

exhibeo in exemplari compendiario. Prior Adverſarios adoritur, eoſque impugnat ex capitibus mox prænotatis; Altera veritatem Catholicam explicat & proponit; Tertia eandem argumentis firmat, objectaſque rationes ſolvit. En methodos quas variare poterit quiſque pro libito, aliiſve circumſtantiis ad rem ſpectantibus.

§. I.

Idea Polemica Hæreticos impugnans.

Exordii ſcopus. EXORDII forma certa vix aſſignari poteſt, cum ferè pendeat ab induſtria, quæ novit rebus ac Auditoribus pro data occaſione ſeſe prudenter accommodare; ideoque ab his dicendi rationem, initium, & modum deſumit. In genere præſtandum eſt, ut Controvertiſta Catholicus videtur optimè affectus in Errantes, nihilque aliud ex inſtante oratione deſiderare quàm veritatis demonſtrationem, indeque Gloriam Dei Hominumque ſalutem procurare. Apage injurioſum omne, quod iram & alienationem procurare ſolet; non clamoribus aut dicteriis debet res peragi, ſed rationibus & verbis officioſis, benevolentiam & comitatem ſpirantibus. In præſenti exemplo, impugno Hæreſim à Calvino & Luthero excogitatam, eamque falſiſſimam eſſe oſtendo.

Exordii forma. EXORD. Maximi momenti negotium hodie tractandum aggredior, N. videlicet, num Religio quæ Reformatæ nomen ſibi olim fecit, vera ſit aut falſa, &c. Quæſtionem grandis dixi ponderis, in qua non de curioſa ſolummodo rei alicujus indifferentis diſquiſitione agitur; ſed ubi de ſalute ac de æterna, ſeu beatitudine ſeu damnatione controvertitur. Iſtud enim totum ab Eccleſiæ legitimæ amplexu pendet; in illa quippe tantummodo ſalus habetur, extra illam ſalvatur nemo, &c. Attentos igitur & ſollicitos eſſe vos decet, ut difficultatis propoſitæ enodationem poſſitis excipere, quia ſanè veſtra res eſt, non aliorum, &c. Hanc conabor brevi, ſed dilucida controverſia ſolvere, priùs tamen neceſſarium Numinis divini favorem mecum implorare, precibus ſatagite.

Introductio Quæſtionis capita proponit ac diſtribuit, in hac ferè forma. Quatuor ſunt ex communi ſenſu Notæ, quibus veram Eccleſiam à falſa dignoſcere poſſumus, *Sanctitas*, *Unitas*, *Univerſalitas*, *& Antiquitas*; ubi præfati Characteres adfuerint, ibi veritatem quoque adeſſe conjicere certò debemus; ſi contra deſuerint, deerit quoque veritas: At evidenter oſtendo, Religionem de Reformatæ titulo gloriantem, his quatuor conditionibus neceſſariis carere; quid ſupereſt niſi ut illa de falſitate & ſuppoſitione arguatur? Nolim credatis mihi rem abſque probationibus aſſerenti; hanc igitur confirmo quatuor prædictis capitibus, negotium ſtatuentibus. Hæ ſunt Partes Controverſiæ præſentis. A prima duco initium.

Propoſitio.

I. Pars.

Prima Pars de Sanctitate Eccleſiæ.

I. Pars. Sanctitatem in vera Eccleſia deſiderari concedunt omnes; & certè ita debet conſtare, quia Eccleſia inſtituta eſt à Chriſto ſanctiſſimo Fundatore, ad exemplar Hieruſalem Cœleſtis ſanctiſſimæ, ut ſanctitatem Dei in Chriſtianos tranſmittat, &c.

Subdiviſio.

Quæro jam quæ Sanctitas in Calviniana Eccleſia reperiatur? Ex tribus colligi poteſt alicujus Eccleſiæ Sanctitas. 1. Ex Inſtitutoribus. 2. Ex Mediis Sanctitatem ſtatuentibus. 3. Ex Impedimentorum quæ Sanctitati obſtant ſublatione; At ex his tribus Sanctitas colligi nullatenus poteſt in Novatorum ſecta; Ergo, &c. 1. Abſit à me ut velim ex induſtria probroſum aliquod facinus adverſariis affingere, vera tantùm, licèt damnanda, proferam ex diſputationis occaſione compulſus. Quis ignorat quæ à Scriptoribus fide dignis referuntur de Lutheri, Calvini, aliorumque Reformationis venditatæ Authorum impudicitiis, ebrietatibus, impietatibus? &c. Perjuri fuere pene omnes illi Hæreſiarchæ, & à votis quibus ſe Deo adſtrinxerant, ſeu in ſacerdotio, ſeu in Religioſis Ordinibus deſciſcentes confregere jugum Chriſti, ut Mundi, Carnis ac Diaboli ſervituti ſe manciparent, &c. Taceo de ſtigmate candente quo Calvinus fuit ob nefandum Sodomiæ ſcelus Novioduni inuſtus: qui de ea re dubitarit, legat quæ Leſſius ſcripſit ad hoc propoſitum in opuſcul. *Quæ ſit Religio capeſſenda*. His (inquam) & aliis quæ ibidem fusè referuntur prætermiſſis, ad prioris hujuſce argumenti concluſionem redeo. An ſanè exiſtimandum eſt, quòd Deus Eccleſiæ Sanctitatem inſtituere aut ſaltem inſtaurare volens, uſus fuerit Miniſtris adeò à Sanctitate alienis? An non poterat ſanctiores viros diligere, quorum doctrina & exemplo Sanctitatis Regnum aut conderet aut reſtitueret? Diceremcum D. Paulo, *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial?* 2. Cor. 6. Perpendantur Prophetarum & Apoſtolorum mores, Chriſtianorum etiam infinitorum eximia virtutum opera, & cum Hæreſeos Patronis conferantur; inde liquebit utrorumque diſtantia, quantum ſcilicet ad Sanctitatem Chriſtiani Antiſtites acceſſerint, quantum ab ea receſſerint Hæretici, &c. Non dilato ejuſmodi argumentum, ſed facillimum eſt inde præjudicare Religionis Calvinianæ falſitatem; quia non eſt veriſimile, quòd Reformatio tentata per Homines nequam & Sanctitatis hoſtes, ſit Sanctitatis armamentarium; Certè Spiritus Dei, Sanctitatis principium alios adhibuiſſet cooperatores omni ſanctimonia conſpicuos.

1. Sanctitas Inſtituentium Eccleſiam.

2. Sanctitas Doctrinæ.

II. Religio Sanctitate commendabilis debet aut docere aut ſuggerere media ad Sanctitatem conducentia, &c. qualia ſunt Bona opera, conſilia Evangelica, Sacramentorum uſus, &c. At horum nihil aut ſuadet aut probat Religio innovata; Ergo, &c. Minor patet, quia Adverſarii docent omnia opera hominum etiam meliora, eſſe tot peccata, eoſque fieri nihilo juſtiores ex quibuſcumque bonis operibus; Nullos habent qui Conſilia Evangelica profiteantur ex ſtatu certo & firmo, quemadmo-

dum Apoſtoli & horum in Catholica Religione imitatores profeſſi ſunt; immo illa ex officina Sathanica prodiiſſe aſſerunt in Confeſſione fidei. Denique ex numero Sacramentorum plurima rejiciunt perperam, quæ tamen ad Sanctitatem ſeu recuperandam ſeu perficiendam plurimùm conferunt, &c. Hæc inquam Sanctitatis media & ſubſidia quæ Eccleſia Catholica docet & uſurpanda ſuadet, deſunt Novatoribus & ab iis repudiantur: Ergo præjudicium eſt Sanctitatem Veritatis notam à Catholicis ſtare, exulare verò à Neotericis. Conſule Leſſium loco citato.

3. Sanctitatis Impedimenta. III. Religio ſancta tenetur amovere quæcumque obſtant Sanctitati; At Novatorum Religio, ne quidem ejuſmodi tollit impedimenta, quin potiùs viam aperit ad omnem peccandi licentiam, extinguere ſtudet liberum arbitrium, neceſſitatem dilinquendi ſtatuit; omnes denique antiquatas Hæreſes ſuſcitat: Ergo, &c. Authorem citatum ibidem lege, & aſſertionis veritatem habebis compertiſſimam, ideoque Novatorum ſecta Sanctitate deſtitui veriſſimè pronuntiabis.

Pars Secunda de Unitate Eccleſiæ. II. Pars. Unitas, altera eſt veræ Religionis Nota; quia cùm ab uno Spiritu veritas proficiſcatur, non poteſt eſſe diverſa, niſi diverſus etiam ſpiritus ſit à ſeipſo; Ideoque cùm non poſſit eſſe ſibi contrarius, nec veritas quam Eccleſia per ipſum edocta profitetur, contrarietatem admittere debet: Uniformis ergo & per omnia concors eſt vera Religio, in iis dumtaxat quæ ad fidem ſpectant: At Novatorum Eccleſia nuſquam una eſt in Fidei Dogmatibus; Ergo, &c. Minor propoſitio probatur. Tria ſunt ex quibus Unitas in Catholica Eccleſia colligitur. 1. Ex unitate Capitis unius viſibilis, ſcilicet Pontificis, Chriſti in terris Vicarii. 2. Ex unitate Dogmatum de Fide. 3. Ex unitate Medii quo dirimuntur Controverſiæ; At horum nihil habent Novatores, &c.

Subdiviſio.

1. Unitas Capitis. 1. Quàm neceſſarium ſit unicum in Eccleſia Caput viſibile, quod eandem Eccleſiam prout à Chriſto inſtituta eſt repræſentet, alterius eſt aut loci aut temporis opus, cùm ſcilicet de ſummo Pontifice tractatur; iſtud mihi nunc ſufficiat, quòd illa Unitas Monarchica Divini Regiminis imitatrix affulgeat in Eccleſia Catholica, illique ſit ad honorem & utilitatem; deſit verò apud Novatores, qui vel Acephali ſunt & abſque capite, vel tot Capitibus dividuntur quot Hæreſiarchis, quorum nullus alterum probat. Editi ſunt plures libri in quibus Calvini adverſus Lutherum, Lutheri adverſus Calvinum, & horum adverſus alios errorum conſictores, convitia mutua & altercationes injurioſiſſimæ viciſſim exſcriptæ leguntur. Vah quæ confuſio!

2. Unitas Dogmatum. 2. Dogmatibus non magis conveniunt Hæretici, quàm Capite. Hujus contrarietatis fidem faciunt Adverſariorum ſcripta, aliorum opiniones veluti peſtilentiſſimos errores ſugillantia. Conſentiunt quidem in eo quòd Eccleſiæ Catholicæ adverſentur; atque hæc eſt ſola tot Errantium unitas, veritatem ſi poſſent convellere: At ſi de peculiaribus Fidei articulis

Digitized by Google

lis controverſis, unius ſectæ profeſſorem interroges, videbis unum ab altero penitus differre, immo alterum de Hæreſi accuſare. Exemplum eſto de Realitate corporis Chriſti in Euchariſtia, nullus cum altero hac de re convenit, tot ſcilicet ſenſibus diſtinguuntur, quot capitibus. Adde, quòd licèt Hæreticorum alter cum altero concordet in uno vel duobus fortaſſe articulis Fidei, nullatenus erit concors in omnibus; quod tamen deſideratur ad perfectam Doctrinæ Unitatem; Hæc ſcilicet in ſola Eccleſia Catholica reperitur, deeſt autem in ſuppoſititia.

3. Unitas Medii ad dirimendas Controverſias ad unitatem Eccleſiæ ſpectat; illa in Catholicis habetur, quandoquidem certis Regulis ac Judicibus omne dubium expediunt ac explicant, nimirum Scriptura ſacra, Traditione Apoſtolica, Eccleſia in Conciliis Generalibus congregata, & Sanctorum Patrum ſenſu; hæ, inquam, Regulæ communi Catholicorum calculo probatæ, unicum Medium conſtituunt, quo lites circa Fidem motæ ſolvuntur, &c. At inter Hæreticos nulla eſt Medii præfati unitas; cùm enim unuſquiſque proprium ſuum ſenſum controverſiæ omnis judicem ſtatuere velit, nec alium à ſeipſo arbitrum in Fide agnoſcat, hinc liquidò patet Adverſariam Eccleſiam unitate deſiderata carere, &c. *3. Unitas Judicis Controverſiarum.*

III. Pars. Univerſalitas, tertium eſt probationis Eccleſiæ ſignum; In hoc autem conſiſtit, quòd Veritas inſtar Lucis illuminet omnem hominem ac orbis partem, ideoque Religio quæ latitudine & univerſalitate præſtat, illa præcellere videtur, nuſquam enim mendacium adeo propagandum cenſetur, quin citiùs agnoſcatur ac repudietur. Tertia hæc conditio in Eccleſia Catholica planè reperitur; illa enim laudabilis eſt triplici Univerſalitatis genere. 1. Circa locorum ſpatia, nam ubique terrarum cultores & ſectatores habet. 2. Circa Temporis ſpecies, nam eadem ſemper fuit, eſt ac erit omnino incorruptibilis. 3. Circa fidei Articulos, qui omnes ſemper excepti ſunt ac excipiuntur integri & perfecti, ſaltem implicitè: At nullo ex his modo Eccleſia Novatorum eſt univerſalis; 1. Non quoad locum, quia brevibus ſpatiis coarctatur Hæreſis, v. g. Calviniana in Gallia, Lutherana in Germania, &c. Vix aliquem Sectarium reperias in longinquis regionibus. Deinde plurimum differunt Hæreſes quæ in diverſas Nationes ſuum virus diffudere, nec ferè conveniunt (ut dixi) niſi in unius veritatis odio. 2. Non eſt univerſalis quoad tempus, quia recens nata Hæreſis, vix cohæret ſuperioribus niſi nomine. 3. Nec iterum fruitur univerſalitate quæ omnes Fidei Articulos complectatur, nam ita variant Hæretici, ut in fide nullatenus conſtantes, aut ejus plures Articulos immutarint, aut in iis omnibus illi omnes non æqualiter concordent, &c. *Pars Tertia, Univerſalitas Eccleſiæ. 1. Quoad ſpatium. 2. Quoad Tempus. 3. Quoad Articulos.*

IV. Pars. Antiquitas Religionis, quæ initium ſumens à Chriſto, per Apoſtolos ac eorum ſucceſſores ad nos uſque pervenit, quartum eſt veræ Fidei argumentum, quod tribus rationibus Eccleſiæ Catholicæ convenit. 1. Per Succeſſionem non interruptam ſummorum Pontificum aliorumque Prælatorum. 2. Per teſtimonia SS. Patrum ſcriptis mandata. 3. Per Edicta *Pars Quarta. Antiquitas Religionis tripliei Argumento probata.*

Im-

Imperatorum etiam Paganorum, quæ in ſuis Diplomatibus mentionem faciunt Myſteriorum ſacrorum quæ à Catholicis coluntur; ut liquet ex Juris Civilis Libris: At Hæreticorum Religio nullo ex his teſtimonio antiqua probari poteſt; quæ enim priorum in Fide notari poteſt anteceſſio vel ſucceſſio? quandoquidem Calvinus in Confeſſione Fidei ſuæ, fatetur ſe recens à Deo hiſce temporibus ſuſcitatum ut Eccleſiam collapſam reſtitueret? Aliunde verò facile eſt repetere Religionis innovatæ originem, cùm ejus ætas vix ſæculum expleverit.

1. Deficit in Hæreticis ſucceſſio.

SS. Patrum evolvant ſcripta, ut comperiant, num fortaſſe illa meminerint alicujus Sectæ, quæ omnes & eoſdem articulos Fidei profeſſa fuerit, quos profitentur Adverſariorum Eccleſiæ. Illud ipſum veſtigent in Codicibus Legum quæ viguere per quatuor priora ſæcula, ibi ſæpius fit mentio Altarium, Calicum, aliorumque vaſorum ſacrorum, nec non ſupellectilis pretioſæ, quæ uſui erant. ac etiamnum uſui eſſe videntur in Eccleſia Catholica, inde prorſus ſtatuitur ejus antiquitas; ſed continuò negatur Eccleſiæ Reformatæ, apud quam non conſpiciuntur Altaria, Calices pretioſi, cæteraque aurea & argentea vaſa, quibus utebantur olim Chriſtiani Pontifices, &c.

2. Patribus fuere ignoti.

3. Principibus Paganis incogniti.

Alia Ratio impugnandi Hæreticos.

1. Ex defectu Miſſionis.

2. Ex cauſa Reformationis.

Pari forma poteris impugnare Adverſarios ex aliis capitibus; unde ipſorum Reformatio rejicienda & nulla probatur; veluti quòd 1. Primi Reformationis Authores caruerint Miſſione, vel ordinaria vel extraordinaria, ad id perficiendum neceſſaria; neque enim probare poſſunt ſe à Deo immediatè, vel mediatè per alios Paſtores anteceſſores ad hoc miſſos & delegatos. 2. Eſto Miſſione deſideranda caruerint, gratis tamen ſuſcipiuntur, modò probent Eccleſiam Catholicam quam reformare aggreſſi ſunt indiguiſſe ejuſmodi Reformatione; At id nullatenus probabunt; nam illa Eccleſia quam ſuſcitare moliti ſunt, erat Eccleſia Chriſti, non verò Diaboli; ideoque erat infallibilis, quia erat Domus à Chriſto artifice ſapientiſſimo fundata, ſupra Petram ſolidiſſimam, adverſus quam portæ Inferi prævalere non poterant; illa, inquam, Eccleſia Chriſti opus & ſponſa, Spiritus ſancti regimine præſervata, datur à D. Paulo Chriſtianis tanquam fidei conjugalis integerrimum exemplar: ergo debuit eſſe indefectibilis & in fide incorruptibilis; propterea non indiguit Reformatione quam Adverſarii ſuſcitavere; ideo iterum, intentum illud inſtaurandi Eccleſiam, erat vanum, falsò allegatum & nullum, quia nulla erat Eccleſiæ Chriſtianæ ruina, &c. 3. Sed concedo rurſus gratis, quòd Eccleſia fuerit collapſa & indiguerit Reformatione, Quæro ab Adverſariis, qua ratione & qua Fidei Regula velint difficile negotium perficere? Reſpondebunt, id fieri debere per ſolam Scripturam ſacram. Ad hoc Catholici reſpondere ſolent, ſe quidem probare Scripturam ſanctam, veluti verbum divinitùs inſpiratum, quod nihil niſi verum contineat; ſed huic præterea adjungere Traditionem Apo-

3. Ex defectu Regulæ Fidei.

Apoſtolicam, ſeu Verbum non ſcriptum, Eccleſiæ definitiones ac interpretationes, item Sanctorum Patrum ſenſus, &c. Ideoque hæc adjicere ajunt, quia Scriptura eſt in pluribus locis explicatu difficillima, nec de ipſiuſmet certitudine conſtare poteſt, niſi Eccleſiæ teſtimonio probetur, &c. Sed rurſus ultrò Adverſariis cedo Scripturam ſolam eſſe Fidei Regulam, modo illa tres conditiones habuerit, videlicet quòd nos faciat certos de ſua veritate, hoc eſt, ut non dubitemus, eam Scripturam quam tenemus, eſſe illam quam Scriptores ſacri tradidere, & non aliam ipſius loco ſuppoſitam: Deinde, quòd evidens ſit omnibus Chriſtianis eam conſulentibus; Ac tandem quòd omnes Articulos controverſiæ complectatur & planè dirimat. At in his omnibus deficit Scriptura, prout ab Adverſariis proponitur. Non moror quòd ſit in locis infinitis corrupta, ſed etiamſi admittatur, non poteſt nos facere certos, tum de Scripturæ Originalibus, quæ noſtrum nemo vidit, tum de Tranſſumptis, quæ vitiari potuerunt, tum de Verſionibus quæ corruptelæ ſuſpicionem minimè tollunt. Supereſt igitur ut Scriptura prout ab Adverſariis ſola recipitur, nullam certitudinem præ ſe ferat quoad nos: certitudinem, inquam, Fidei neceſſariam, de errore nullatenus ſuſpectam; ſed, ut patet, tota erit dubia, non alio principio fulta quàm authoritate humana, quæ errare potuit in exſcriptionibus aut verſionibus, &c. Deinde, Scriptura præfata non poteſt evidentiam & certitudinem circa Fidem præbere ignorantibus, illiteratis & cæcis qui eam legere nequeunt, ideoque egent Miniſtrorum ope, qui cùm ſint homines errori obnoxii, errare & in errorem inducere poſſunt. Adde quòd antequam Scriptura foret codicibus mandata, tunc non poterat eſſe Regula Fidei, &c. Tandem illa nequit omnes Controverſiæ articulos ſolvere, cùm de pluribus non loquatur explicitè, veluti de Trinitate, Conſubſtantialitate, &c. nec etiam doceat qui & quot ſint Libri Canonici quibus habenda ſit fides, quod tamen caput eſt non minimi ponderis, &c.

Scriptura ſola eſt judex inſufficiens.

4. Eſto adhuc, quòd Scriptura ſola definire poſſet motas vel movendas circa fidem lites, nondum tamen aſſequerentur intentum Adverſarii; duo enim haberi deberent ex Scriptura ſola, abſque Gloſſis, Interpretationibus aut conſequentiis. Primum eſt, ut evidenter & perſpicuè damnentur Articuli quos profitetur Eccleſia Catholica; Alterum eſt, ut ſuppoſita ejuſmodi damnatione, probentur ita omnes Reformatæ Fidei articuli per ſolam Scripturam, ut inducatur Catholicus ad amplexum Religionis novæ, cùm poſſet quamlibet aliam ſuſcipere, v. g. Judaicam, Turcicam, &c. niſi evidenti demonſtratione revocetur ad Reformatam, &c. At, (quod mirum videri omnino debet) Adverſarii nequeunt vel unum Catholicæ Fidei articulum improbare per ſolam Scripturam; nec iterum per eamdem ſolam probare Articulos quibus Confeſſio Fidei ab ipſis propoſita conſtituitur. Res ſanè admirationem meretur, ſed ſola experientia patebit cuilibet

4. Neutra pars probari aut improbari poteſt per ſolam Scripturam.

ſe-

ſeriò examinanti, &c. Ergo ſupereſt ut Adverſariorum Eccleſia, quæ Reformationem Catholicæ Fidei aggredi auſa eſt, ſit omnino de falſitate & nullitate ſuſpecta. Sic enim argumentari licet; Religio quæ Antiquam Eccleſiam inſtaurare attentat, abſque Authoritate ordinaria vel extraordinaria, abſque neceſſitate Reformationis, abſque Regula certa, ſufficiente & omnibus perſpicua; quæ etiam Regula non poteſt antiquos articulos improbare, aut probare ſuos quos ſubſtituere deſiderat; illa temeritatis, falſitatis & nullitatis argui debet; nec in ea ſalus fieri aliquatenus poteſt; nec etiam ſapiens aliquis de ſua ſalute ſollicitus debet in ea commorari quacumque de cauſa fuerit eam amplexus: At ejuſmodi eſt Religio quæ Reformata ſe jactitat, ut liquet ex præfatis, Ergo, &c.

Argumentum ſummarium adverſus Hæreticos.

Hæc quæ paucis exhibeo poſſunt facillimè dilatari, & aliquibus ornamentis Didaſcalico generi propriis veſtiri. Deinde Epilogus texitur, quo diſſuadetur Hæreticus ab errore, & pellicitur ad veritatis amplexum. Rationes diſſuaſionis & ſuaſionis ducuntur à magnitudine rei de qua agitur, in qua nempe decernitur æterna Salus, quæ penſari debet ſupra omne aliud cujuſcumque ponderis negotium. Statuantur ex duplici parte Catholicus & Hæreticus coram judice Deo; rationes quas uterque pro ſua Fide afferre poterit perpendantur attentè & abſque animi præoccupatione; Cur ſcilicet Catholicus permanſerit in Religionem quam novit Sanctam, unam, univerſalem, antiquam, incorruptibilem, &c. Quare verò Calviniſta deſtrueret Eccleſiam præfatis notis inſignem, ut amplecteretur ſectam Novam, particularem, ab Inſtitutoribus nebulonibus & perduellibus traditam, ex cujus doctrina impietas omnis ſuaderi poteſt, &c. His & ſimilibus æqua lance examinatis, apparebit quæ ſententia expectanda ſit adverſus utramque partem à Deo perſpicaciſſimo, ſed integerrimo Judice: immo ſi quiſque ſubeat hìc vices Judicis æquitatis ſtudioſi, citiſſimè pro Catholico adverſus Hæreticum pronuntiabit. Vide Leſſium Tract. Quæ Religio ſit capeſſenda, in concluſione Deliberationis. Conſule & Raphaelem Deppenſem Capuccinum, in Methodo qua Hæreticos fortiſſimè expugnat ex præmiſſis rationibus. Paria verſant quicumque de Controverſiis agunt; Concluſionis verò forma non diſſimilis eſt ab ea quæ præſcribitur Deliberativo Generi. Hanc brevitatis cauſa illuc remitto.

Epilogus.

§. II.

Idea Polemica veritatem Catholicam exponens.

HAC Controverſiæ forma uſus eſt Illuſtriſſ. DD. Boſſuet Condomenſis Antiſtes, in opuſculo cui titulus eſt, *Explicatio Doctrinæ*

ctrinæ Catholicæ, &c. In quo ita feliciter Religionis aſſertiones exponit, ut ſola lectione eas ſuadeat Homini intelligentia mediocri donato.

Artificium autem hujus Methodi in hoc ſtat, ut ſit abſque arte, ſed veritatem nudè, ſimpliciter, & perſpicuè, politè tamen, eruditè, ac eleganter explicet. Quod ut bene fiat, diſtingui debent ac ſeparari Articuli præcipui, qui de Fide ſunt & præcisè ad ipſam ſpectant, ab iis qui ad illam accedunt; nec tamen de illius ſubſtantia ſunt. V. g. de Fide Catholica eſt, quòd Chriſti Corpus ſit realiter, & ſecundùm ſubſtantiam contineatur ſub ſpeciebus Panis conſecrati; Modus autem quo id fit, acceſſorius eſt ad Fidem, & conſequenter tantùm ad illam pertinet: Si igitur Acceſſoriis dimiſſis in aliam occaſionem, præcipua Catholicæ Religionis fundamenta, prout à Concilio Tridentino ſtatuta ſunt, proponantur & explicentur, maxima Controverſiarum pars reſecabitur, fietque locus præcipuis rebus, quæ ſola explicatione patebunt intelligenti, eumque ſuadebunt; cùm fortaſſe ob Miniſtrorum depravatam & implicatam propoſitionem viſæ fuerint aliquando improbandæ. Ratio hujus methodi eſt, quia veritas hujus eſt conditionis, ut pelliciat humanum intellectum in ſui amplexum, ſtatim ac eidem conſtiterit; vixque aliis egeat ornamentis ac illecebris quàm ſeipſa, ſimplici & ingenua declaratione propoſita. Ideo eſt de Controverſiſtæ ſapientis ſolertia, ingenioſam ejuſmodi explicationem tradere de ſolis præcipuis Fidei articulis; hanc eruditiſſimè perfecit Antiſtes præfatus, Formam & Methodum quibus ille uſus eſt poterit ſtudioſus quiſque ab ejus libro deſumere, ut eas imitetur: Aliud imitationis exemplar proponere ſuperfluum arbitror.

Artificium Controverſiæ Expoſitoriæ.

§. III.

Idea Polemica veritatem Catholicam aſſerens ac probans.

De Realitate Corporis ac Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Panis quem ego dabo, Caro mea eſt. Joan. 6. 52.

Ex omnibus Fidei Catholicæ articulis quos Hæretici ſolent ardentiùs impetere, ſolemnis eſt qui Humanitatem ſimul ac Divinitatem Chriſti verè & realiter ſub Euchariſtici Panis ſpeciebus latere aſſerit: Hunc Adverſarii totis viribus convellere nituntur, &c. hunc ego, licet impar, tueri conabor, &c. modò Spiritus ſanctus auguſti Myſterii artifex faverit, &c. Exordii communis & ſimplicis exemplum dedi, quia iſtud ſolet à data occaſione deſumi, quam antevertere nemo poteſt. Duci etiam poterit ab excuſatione Oratoris, eò quòd Articulum tot ac tantis argumentis, per ſæcula plurima olim ſtatutum probare aggrediatur, dicetque Eccleſiaſta id præſtare, non quaſi dubitet de veritate, aut de illa dubita-

Exordium à viſceribus rei.

re Auditores credat; ſed ut Myſterium aliunde certiſſimum explicet, ac nihil in eo contineri quod non ſit ſanæ rationi conſentaneum demonſtret, &c.

Introductio à Præoccupatione.

Introductio poterit uti aliqua præcautione ad tractandum ejuſmodi Myſterium neceſſaria; vel ſtatim apertè incipiet à propoſiti controverſi perſpicua declaratione. Prioris formæ iſtud ſit exemplum.

Antequam propoſitum attingam, mihi liceat adhibere aliquas præcautiones huic omnino neceſſarias. Prior eſt, ut profitear me hujus articuli veritatem probandam ſuſcipere, non quaſi velim iſtam haberi veluti dubiam, probabilem & nondum ſatis firmatam: injurioſum enim prorſus foret iſtud intentum Myſterio abundè jam conſtituto, &c. Altera præcautio eſt, ut vos moneam non deberi à me talem deſiderari hujuſce veritatis demonſtrationem, quæ rem ſenſibus ſubjiciat; nec eſt iterum mea mens iſta; cùm enim de Myſterio Fidei agatur, non ſenſibus aut ratione humana res tractanda eſt, ſed Eccleſiaſticis argumentis, &c. Ita nihilominus Fidei obſequar hodie, ut etiam ſapienti rationi oſtendam, nihil à Catholicis hìc credi, quod prudens quiſque non debeat amplecti, &c. Tertium quod præmonere debeo, mea refert, videlicet quòd ſi hac demonſtratione infirmum ac minùs probatum aliquid viſum fuerit, id meæ inſcitiæ ac infirmitati ſit imputandum, non verò Religioni, cujus veritas præſtat ſemper quacumque demonſtratione, &c. His præmiſſis propoſitum explico, &c.

Ab Expoſitione.

Altera Introductionis forma ſtatim aggreditur claram difficultatis propoſitionem, in his aut ſimilibus verbis. Ne tempus inutiliter abſumatur ſuperfluo præloquio, aperiam citiùs controverſiæ agitandæ propoſitionem. Agitur de Reali præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramenti, hanc aſſerunt Chriſtiani & credunt de Fide, negant Hæretici, & fictitiam putant. Quæſtionis ſtatus duobus Attributis Divinis ceu fundamentis nititur, Poteſtate nimirum Dei, & ejus Benevolentia; Catholici credunt, Deum potuiſſe, dein voluiſſe corpus Chriſti realiter ſub velaminibus ſacris tradere; Hæretici arbitrantur, id non potuiſſe Deum nec voluiſſe. Pro Catholicis ſto, ac evidenter probo hoc Deum potuiſſe & voluiſſe. Duplex igitur pars eſt iſtius Controverſiæ, Altera pro Divina Poteſtate militat, altera contendit pro Benevolentia, à priore auſpicor; Attendite.

Partitio.

I. Pars. Quòd Deus poſſit efficere ut Chriſti Corpus ſub ſpeciebus conſecratis conſtituatur, eo modo quo à Catholicis prædicatur ac creditur, ita videtur ſanæ rationi congruum, ut qui de hoc vel minimùm dubitaverit, injurioſus omnino ſit infinitæ Dei Poteſtati. Et certè injuria eſt maxima, quæ Divinam Poteſtatem metitur humana infirmitate, quaſi verò Deus iſtud efficere nequeat quod hominis ſuperat vires. Ergone ò vermicule homo, Deus non poterit Corpus ſtatuere ſub Euchariſticis velaminibus, quia hoc nullatenus potes? &c. Ipſius Dei ad Job verbis te com-

compello; *Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas?* Job 40. 4. An præſtare potes, quod ille præſtitit brachio potentiſſimo, & voce operoſiſſima? &c. Hinc diſce altiùs de Deo ſentire; hinc crede quod *apud ipſum non eſt impoſſibile omne verbum*. Lucæ 1. &c.

At propiùs accedamus ad propoſitum. Tria in Euchariſtiæ Myſterio videntur Adverſariis factu impoſſibilia. 1. *Tranſubſtantiatio*. 2. *Multiplicatio* ejuſdem corporis in pluribus locis. 3. *Spoliatio proprietatum* quæ ſolent corpus naturaliter conſequi: v. g. ut ſunt quantitas, gravitas, &c. At hæc ſingula explico & poſſibilia demonſtro. Subdiviſio.

I. Tranſubſtantiatio in eo ſtare creditur à Catholicis, quòd poſt conſecrationis verba, ſtatim ceſſet ſubſtantia Panis & vini conſecratorum, atque in illius locum ſubſtituatur ſubſtantia Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub Accidentibus cùm Panis, tum vini, &c. Hæc eſt Catholica Fides, quam inficiantur Hæretici, veluti aliquid ſupra Dei Poteſtatem: id prorſus oſtendo poſſibile. 1. Tranſubſtantiare poteſt Natura; ergo & Deus Author Naturæ. Quid aliud eſt Nutritio cùm Plantarum, tum corporis humani, niſi Tranſubſtantiatio? Scilicet Pluviæ ac Terræ ſubſtantia tranſit in ſubſtantiam Plantæ, &c. Alimenti ſubſtantia convertitur in ſubſtantiam corporis humani, &c. Ergone poterit Tranſubſtantiare Natura, non verò idem poterit Deus à quo illa ſuas vires ducit? &c. 2. Creatio eſt opus longè difficilius ipſâ Tranſubſtantiatione, quia illa jungit extrema remotiora, ſcilicet tranſit à non Eſſe ad Eſſe, iſta verò tantùm ab uno exiſtente ad aliud exiſtens: At Deus creare poteſt, ergo & Tranſubſtantiare. 3. Hanc in Deo poteſtatem agnoſcit Dæmon, cùm ſuadet ut pro Divinitatis argumento faciat ex lapidibus panes, virtute ſolius verbi, *Si Filius Dei es* (inquit) *dic ut lapides iſti panes fiant*. Matth. 4. 3. Quidni Hæreticus idem in Deo agnoſcat? &c. 4. Cæterum à Facto ad Poſſe valet conſequentia; Chriſtus in Cana Galileæ commutavit ſubſtantiam Aquæ in vinum Joan. 2. Ergo idem poterit præſtare iterum in Euchariſtia, &c. Ex iſtis argumentis ſummariè hìc verſatis, reſumi debet Epilogus, quo ſuadeatur Tranſubſtantiationis poſſibilitas. Tranſubſtantiationis probationes. 1. A Pari. 2. A Minori. 3. A Simili. 4. A Facto.

II. Multiplicatio ejuſdem Corporis fit in Euchariſtia, cùm in eodem tempore, ſuper Altaria innumera, idem Chriſti Corpus conſecratur ac reponitur: Hoc credunt Catholici, negant Hæretici, poſſibilem verò ejuſmodi multiplicationem demonſtro. 1. Ratione, quia Deus cùm ſit infinitè potens, continet infinities effectum finitum, qualis eſt productio corporis, ergo & poteſt illam infinities præſtare; atque jam productum corpus iterum producere, hìc & alibi, quantum placuerit, &c. 2. Chriſtus dicitur Joan. 4. paviſſe quinque millia hominum ex quinque Panibus, quomodo id præſtare potuit niſi multiplicatione panum? &c. Atque ne dubio relinqueretur locus, voluit ut poſtquam tot homines fuerunt abundè paſti, ſupereſſent duodecim fragmentorum cophini; quod certè non potuit aliter fieri, quàm multiplicatione, ut patet attendenti. Multiplicatio ejuſdem corporis probatur. 1. Ratione. 2. Ab Exemplo.

Jam verò ex præfato miraculo, licet inferre illud quod in Euchariſtia creditur à Catholicis; neque enim difficilius eſt Deo multiplicare corpus quàm panes, &c.

Non reſpondeo ad incommoda quæ Adverſarii objiciunt, nempe quòd ex multiplicatione unius corporis, diverſa & contraria idem corpus pateretur accidentia, v. g. arderet in uno loco, frigeret in alio; his enim & ſimilibus objectis faciunt ſatis Theologi Scholaſtici, mihi nunc ſufficit evincere, quòd miraculum iſtud multiplicationis ſit poſſibile, &c.

Proprietatum Naturalium ſeparatio. III. Tertia difficultas eſt, quòd in Euchariſtia corpus naturale privetur extenſione, gravitate; & quantitas ipſa careat ſubjecto; hæc quæ videntur Hæretico impoſſibilia, facilia Deo patebunt ex ſequentibus argumentis. 1. Suadetur Ratione. 1. Ex Philoſophia, Accidentia poſſunt à ſuo ſubjecto ſeparari; & quoties duo ita ſe habent, ut unum ſit prius, alterum poſterius, tunc poteſt Deus conſervare prius deſtruendo poſterius, ſaltem per negationem ſui concurſus, &c. At quantitas, gravitas, &c. ſunt accidentia corporis, & ipſo poſteriora; ergo poſſunt ab ipſo ſeparari, &c. 2. Exemplo. 3. A Majori. 2. Deus impedivit ignis activitatem in fornace Babylonica, Danielis 3. Petrum ambulantem ſupra mare ita ſuſtinuit, ut vel ejus corpus ſpoliaverit gravitate, vel undas firmitate donaverit, Matth. 14. 30. Item Chriſtus exivit ex utero Virginis, & ex ſepulchro abſque ulla corporum obſtantium læſione, ſed penetrativè (ut ajunt Philoſophi, non ſecus ac radius ſolis illæſum vitrum penetrat) ſed hæc miracula facta ſunt ſpoliando corpora proprietatibus inſitis, ut patet intuenti; ergo perperam negatur Chriſto quòd eadem aut ſimilia opera poſſit patrare in auguſtiſſimo Sacramento. Eſto ſint ſupra naturæ vires, at Chriſtus eſt author & Dominus Naturæ, ipſa infinities potentior, &c.

Concluſio. Adde quòd Deus credatur ab omnibus longè majora & difficiliora miracula poſſe operari. Quàm enim arduum eſt Creationis opus? quàm difficile Reſurrectionis Myſterium? hujuſmodi circumſtantiæ ſi benè penſentur, apparebit prorſus, quòd ejuſmodi qualitatum naturalium ſpoliatio, ferè nihil præ ſe ferat difficultatis, ſi comparetur cum Reſurrectione, de qua nemo ambigit, &c.

Cur ergo dubii hæreſis N. circa Poteſtatem Dei, quam Catholici reverentur in Euchariſtiæ miraculis? Quamobrem injurioſi eſtis celeberrimo Dei Attributo, videlicet Potentiæ Infinitæ? &c. Hanc ſincerè & meritò agnoſcite; ſed fateamini & voluntatis Divinæ placitum. Iſtud eſt quod 2. Pars demonſtrare ſuſcepit.

II. Pars. Indignum prorſus eſt homine, ac Deo planè injurioſum negare aliquid quod divinam in nos miſericordiam manifeſtet: Etenim cùm Præſumptio favere debet Divinæ in nos Bonitati. ille proprium Filium nobis conceſſerit Redemptorem, nonne cum Apoſtolo præſumere debemus, quòd cætera ſimul bona nobis aut dederit aut daturus ſit? Atque hinc eſt, quòd de Benevolentia Dei, quam in Euchariſtia credimus præſtitam, jure conjecturam ducimus; quia nimirum, illa

illa videtur ex Incarnationis dignatione meritò debere conſequi, &c. At quoniam res eſt nobis cum Adverſariis qui de bonitate Dei ſentire nolunt ex conjectura, niſi certis & indubiis argumentis firmata conſtiterit, eamobrem rationes afferimus ad propoſitum ita fidem facientes, ut de aſſertione dubitare nemo debeat, niſi ſanæ rationi renuntiaverit.

Potuit ergo Deus Euchariſtiam præſtare eo modo quo Catholici credunt, iſtud ex ſuperioribus liquet; at iſtud etiam voluiſſe debuit, neque enim ſumma Dei Poteſtas eſt ejus tota ratio agendi, nam non omnia operatur quæ poteſt, ſed accedere debet voluntas quæ opus decernat, &c. Quòd verò ejuſmodi voluntatis decretum de Realitate Corporis Chriſti in Sacramento intervenerit, oſtendo argumentis, quæ rem omnino probent, &c.

I. Ex comparatione utriuſque Legis, videlicet Moſaicæ & Evangelicæ ſic auguror. Si Panis Euchariſticus aliud non ſit quàm figura corporis Chriſti, profectò Lex Moſaica potior fuit Evangelica, & Judæi præcelluere Chriſtianis. Ratio evidens eſt; quia Lex Moſaica habuit pro figura Manna, quod donum Cœli, opus Angelorum, & omne delectamentum præbens, &c. extitit. Habuit etiam Agnum Paſchalem, &c. Quæ figuræ veteres fuere omnino præſtantiores, & ſignificantiores Pane Euchariſtico, qui terrenum eſt, hominum opus, nihil peculiaris ſaporis continet, nec etiam Chriſti mortem explicat, &c. At quis credat Moſaicam Legem potiorem eſſe Evangelica? &c. Maximè cùm illa fuerit iſtius figura, habueritque Elementa egena & vacua, &c. Evangelica verò lex ſit alterius complementum, perfectio, abundetque gratia, &c. Hæc ratio ſi benè verſetur, attendentem prorſus ſuadebit, ut credat Evangelicam Legem Moſaica potiorem in hoc, quòd hæc figuram ſolùm Corporis Chriſti habuerit, Evangelica verò præſentiam Realem, &c. Deus voluit Realiter ſuum corpus in Euchariſtia reponere. 1. Ratio.

II. Ex promiſſis à Chriſto factis, idem licet conjicere. Joan. 6. v. 52. Chriſtus ait, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*, &c. v. 56. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus, verè eſt potus*. Ubi prænotata voce, *verè*, quæ non ſine cauſa repetitur; quæro quonam tempore Chriſtus adimplevit promiſſum iſtud, quod ab ipſo Chriſto præponitur Manna Patribus olim conceſſo? &c. Adverſarii nobiſcum ſentiunt, pollicitationem compleri per Euchariſtiam, ſed diſſentiunt, quòd figurativè illud tantùm fieri opinentur, Catholici verò realiter & reali præſentia compleri credant. At quæro iterum ab Adverſariis, cur Chriſtus addiderit & repetierit vocem iſtam, *verè*, ſi ita ſit, ut volunt, quòd non niſi figurativè ſtet promiſſis? &c. deindè ſi per figuram ſolùm ſponſioni faciat ſatis, non eſt cur tantopere Chriſtus præferat conditionem Chriſtianorum Judæis; hi enim (ut ſupra adverti) potiores fuiſſent illis, quia excepiſſent Manna quod erat longè nobilius & ſalubrius Pane figurativo, &c. 2. Ratio.

Adde rationem magni ponderis, videlicet, quòd ex Joan. 6. 53. *Litigabant Judæi, dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*

ducandum? &c. Dixerunt, Durus eſt hic ſermo, &c. Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abierunt retro. Percontor jam, unde & ob quam cauſam illud murmur ortum eſt inter Judæos? cur viſus eſt Chriſti ſermo durus? Quare plures Diſcipuli à Chriſto, quem miracula patrantem viderant, deſciverunt? Cauſa certè fuit, quòd ſpopondiſſet ſe daturum ſuam carnem ad manducandum, & aſſeruiſſet illum vita æterna cariturum, qui hoc verè cibo cariturus eſſet. At ſic inde argumentor. Ea loquendi forma uſus eſt Chriſtus, ut intelligi vellet daturus ſuam carnem, vel in figura, vel in reali ſubſtantia: Si prius, non igitur erat cur murmurarent Judæi, cur ſermonem arbitrarentur durum, aut cur ab ipſo recederent Diſcipuli; nam illi ex antiquo Legis uſu, aſſueverant manducationi figurativæ, ideoque nullatenus durum fuiſſet viſum, quòd Chriſtus promitteret ſuam carnem in figura; & ſi aliquod ſuperfuiſſet dubium, Chriſtus abundè miſericors, potuiſſet illud brevi ſoluere, inquiens, quòd vellet intelligi ſolùm in figura, &c. Si autem Chriſtus loquebatur de realitate ſuæ carnis realiter manducandæ; nemini dubium videri debet, quòd Judæi ſenſibus carneis addicti, exiſtimantes quòd daturus eſſet ſuam carnem, modo quo in Macellis ſolet caro cruda vænire, fuerint arbitrati rem factu impoſſibilem; ideoque ob incredulitatem in Apoſtaſim fuerint lapſi, &c. Nec eos à caſu revocarit Chriſtus aliter, quàm adjecta nova difficultate circa promiſſam carnem, videlicet quòd poſt ſuam Aſcenſionem in Cœlum, res futura eſſet creditu difficilior. v. 63. Ex his ſeriò conſideratis, prudens quiſque intelliget, quòd Chriſtus promiſerit ſuam carnem realiter donandam & comedendam; quod factu poſſibile crediderunt fideles Diſcipuli qui ab ipſo non receſſerunt, impoſſibile verò æſtimaverunt alii qui propterea abierunt retro, &c. Sed Fidelibus Diſcipulis conſentiunt Catholici, Apoſtatas autem imitantur Hæretici de ſinceritate promiſſionis Chriſti ambigentes; Ergo, &c.

3 Ratio. III. Argumentum pro Realitate ducitur validiſſimum ex D. Paulo in 1. Cor. 11. 26. ubi deterret Chriſtianos ab indigna & metuenda communione. Nam cùm Adverſarii credant quòd Corpus Chriſti non ponatur in Euchariſtia niſi per Fidem ſumentis, quam putant non poſſe amitti cùm ſemel fuerit habita; aliunde verò, cùm iidem ſentiant, hanc indignam receptionem fieri per conſcientiam peccato maculatam quæ corpus Chriſti ſuſcipit, hinc certè patet, quòd nemo indignè manducabit hunc panem, quia nemo poteſt ſimul jungere Fidem qua fit Corpus Chriſti, cum peccato quo violatur. Vel enim habet Fidem, & tunc non poteſt habere peccatum, quia ex ipſis, Homo fit per Fidem Juſtus; vel habet peccatum, & non poteſt habere Fidem, quæ cum peccato non ſtat, nec etiam poteſt indignè ſumere corpus, quod ob defectum fidei in peccatore, non ponitur in Euchariſtia, &c.

4. Ratio. IV. Verba quibus utitur Chriſtus in Euchariſtiæ Inſtitutione, præſentiam realem indicant, quia cùm ſint verba Teſtamenti, Pacti, Rei

à qua

à qua ſalus pendet, &c. debent eſſe non ambigua, ſed clara, perſpicua, &c. Deinde verba Syriaca quibus uſus eſt Chriſtus, hunc ſenſum reddunt, *Hoc eſt ipſummet Corpus meum, productum per me agentem in meipſum.* Vide P. Raphaelem Deppenſem Capuccinum, libro ſupra citato, ubi habentur plurima cùm Conciliorum tum SS. Patrum teſtimonia de Realitate Corporis Chriſti, quæ brevitatis cauſa prætereo.

Concluſio debet argumenta præmiſſa ſummariè colligere, ut ſuadeatur Catholica Fides: poterit repræſentari in Judicio ex una parte Catholicus qui verbis Chriſti ſincerè credidit, quantumvis aliquid contrarium ſenſus renuntiarent, &c. Ex altera Hæreticus, qui non ſincerè credens Poteſtatem & Benevolentiam Dei, auſus eſt ejus verba interpretari, ipſis affingere figuram, &c. Tandem excitandi ſunt Catholici ut Fidem ſuam probent operibus, nimirum cultu, reverentia, frequentia, devotione, &c. erga SS. Euchariſtiam, &c. Amen. Peroratio per Hypotypoſim.

LIBER SECUNDUS.

EXERCITATIONES EPIDICTICÆ.

SEU

DE CONCIONANDI GENERE

Cujus Finis eſt Laus vel Vituperium.

PRÆLOQUIUM.

LAUDE non indiget iſtud Dicendi Genus, quod ad Laudem omnino compoſitum, ſeipſo eſt commendabile; ne tamen illaudatum penitus lateat quos Solis ſplendor forte fugit, ejus cùm excellentiam, tum utilitatem brevi demonſtrabo. Panegyricæ Orationis originem prophani repetunt à Cælo, atque (ut ſolent in cæteris) fabulosè veritatem enuntiantes, fictitios Deos Eloquentiæ præficiunt, modò Apollinem, Mercurium modò, aliàs Palladem & ſeu Minervam inſcribunt Artis bene Dicendi Antiſtites. Addunt Divinum iſtud Laudandi Bonum ac Inventum ideò à Diis conceſſum hominibus, ut hi variis rerum inferiorum viciſſitudinibus afflicti recreentur ac delectentur ex virorum factorumve illuſtrium commendatione.

De Encomio meliùs ſentit Orator Chriſtianus, fatetur certè, immo profitetur Deum Eloquentiæ primum parentem ſicut & bonorum omnium fontem; ſed ſpuriis Divinitatibus repudiatis, illum agnoſcit ſummum & unicum operis Concionatorii Præſidem ac Principem; nec etiam ad ſolam Auditorum delectationem inſtitutum hoc Dicendi genus credit, ſed maximè ob Dei Gloriam, virtutis Laudem, ac egregiè Geſtorum celebrationem, nec non ad eximiorum facinorum æmulationem inventum arbitratur; atque inde liquet Epidictici Generis præſtantia & utilitas: in hoc ſcilicet incumbit, ut laude virtutis ad ejus amplexum invitet, & vituperio vitii ab ejus affectu deterreat.

Pluri-

Plurima eaque eximia Epidictica orationis exempla occurrunt nobis paſſim apud Scriptores ſacros; Laudemus Viros Glorioſos & Parentes noſtros in generatione ſua, *inquit Syraci filius Eccleſiaſt.* 4. 41. *Machabæorum volumine prædicantur viri fortitudine præſtantiſſimi; Chriſtus ipſe laudavit Joannem Baptiſtam, Luc.* 7. *Panegyres ſcripſere, D. Gregorius Nazianz. de Athanaſio, Baſilio, de ſuo Patre Gregorio, de fratre Cæſario, ſorore Gorgonia, Cypriano, &c. D. Baſilius, de S. Julitta, de Barlaam, de Mamante. D. Chryſoſtomus, de Job, Elia, Machabæis, Suſanna, &c. D. Hieronymus prædicat virtutes Paulæ, Marcellæ, Fabiolæ, &c. Sileo de Prophanis oratoribus qui hoc Dicendi Genere plurimùm excelluere illudque frequentandum ſuaſere; Tyrones ſacros Eccleſiaſtas ſolummodò hortari velim, ut in ſcribendis pronuntiandiſque Panegyricis ſæpiùs ſeſe exerceant; inde enim fiet ut majoribus Eloquentiæ luminibus, Figuris ac leporibus, quibus Encomiaſtica oratio abundare debet, aſſueſcentes, ad cætera Dicendi genera evadant aptiores. Propoſitum iſtud deinceps tractandum ſuſcipio, Laudandi aut Vituperandi Leges ac methodos ex probatiorum Authorum ſenſu explicaturus.*

CAPUT PRIMUM.

De Genere Dicendi Demonſtrativo in Communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Panegyris & quotuplex. De ejus Materia & Forma, Figuris, Modo, Fine, &c.

I. VARIIS Nominibus appellatur iſtud Dicendi Genus, unde ipſius natura & uſus innoteſcunt. Dicitur *Epidicticum* ſeu *Demonſtrativum*, quaſi ſit ad inſpiciendum delectationis cauſa comparatum; ideo enim Orator laudare virtutem & virtuoſum, aut vituperare vitium ac vitioſos videtur, ut alterutrius propoſiti demonſtratione Auditorum attentionem & intelligentiam (quæ Animæ oculus eſt) pelliciat, ut ad rei laudatæ vel vituperatæ imaginem intendant. Vocatur *Oſtentativum Dicendi Genus & Oſtentatio*, quia res non oſtendit nudè & ſimpliciter, ac veluti detracta veſte, aut etiam rudi & familiari habitu indutas, quemadmodum fieri ſolet ab iis qui Hiſtoriam ſcribunt; ſed omni Eloquentiæ ornatu ac orationis elegantia inſtructas repræſentat, quaſi ad gloriæ jactationem, pompæque demonſtrationem. Solet dici *Panegyris ſeu Pa-* Denominatio.

negyrica oratio, eò quòd mos fuit antiquitus celebrare virorum illuſtrium eximia facinora in ſolemnibus Hominum ac civitatum Conventibus. *Encomium* nominatur, quia recitabatur in compitis urbium quò Civium cœtus convenerat ad audiendum. *Præconium* vocatur metaphora ducta à Præconibus quorum munus erat Leges, Decreta, cæteraque ejuſmodi placita publica promulgare, ac etiam laudare. Eſt denique *Elogium* ſeu *Laus & Exornatio*, cùm perſonæ aut Res ob rationem Boni commendantur: oppoſitum verò Laudi Genus orationis dicitur, *Vituperatio*, *Vituperium*, *Reprehenſio & Objurgatio*.

Definitio Demonſtrativæ orationis. Demonſtrativum Genus poteſt his verbis pingi, *Eſt Oratio quæ Perſonarum aut Rerum virtutes aut vitia, Perfectiones aut defectus, cum magno Eloquentiæ apparatu explicat*. Breviùs dicitur, Oratio qua utimur in Laudem vel Vituperationem alicujus Perſonæ aut Rei. *Demonſtrativum Genus eſt* (inquit Cicero 1. de Invent. 7.) *quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem aut vituperationem*, Idem ait, Partit. n. 69. additque, *Genus nullum eſt Orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis Orator in cognitione virtutum, vitiorumque verſetur, &c.*

Species. II. Duæ ſunt præcipuæ Demonſtrativi Generis Species, *Laus* & *Vituperatio*. Prior ex mox dictis liquet; altera ex oppoſita ratione innoteſcit, iiſdem enim gradibus aliquid vituperatur, quibus laudatur; ſed hæ ſpecies in alias inferiores iterum ſubdividuntur. Exornatio, ſeu Laus, pro variis rerum opportunitatibus varias induit Ideas. Cùm laudatur Puer recens natus, oratio dicitur *Genethliaca* ſeu *Natalitia*; Si res ſit de ſolemni ſacri Baptiſmatis ceremonia, *Luſtricum* dicendi genus eſt: ſi de Conjugio, *Epithalamicum* ſeu *Nuptialis oratio*; ſi opus ſit ſalutare Principem in adventu ſuo, habetur *Proſphoneticum* ſeu *Salutatorium*: in felici rerum eventu, dicitur *Epinicium*, ſeu *Gratulatorium*: cùm petitur aliquid, vel de acceptis Grates penduntur, priori debetur Oratio *Petitoria* ſeu *Poſtulatoria*; alteri *Eucharíſtica*, ſeu *Gratulabunda*; cùm agitur de celebratione promotionis ad aliquem honoris gradum, fit *Inauguratio*: Si Defunctus celebrandus vel deflendus eſt, inſtruitur *Oratio Lamentatoria* & *Concio Funebris*, vel *Apotheoſis*. Quæ variæ Laudum ſpecies, cùm ſæpe occurrant, diverſaſque orationis methodos expoſcant, Concionatoris maximè intereſt noſſe quo artificio indigeant ut bene & laudabiliter fiant. Eamobrem de his poſtea dicemus in particulari, ſicut & de Vituperationis ſpeciebus.

Materia Generis Demonſtrativi. III. Materia Demonſtrativi Generis tam latè patet quàm ea quæ laudari poſſunt, aut vituperari; Ideoque complectitur virtutes & vitia quæque illis ſunt conjuncta. Ita Tullius Partit. n. 71. *Omnia* (inquit) *ſunt profecto laudanda quæ conjuncta cum virtute ſunt; & quæ cum vitiis vituperanda*. Verum quidem eſt, quod (uti ait Philo Judæus) Deus ſolus lau-

laudari mereatur, quia eſt omnium perfectionum aggregatio, ſeu potiùs origo abſolutiſſima; at cùm uberrimus ille Bonorum fons in ſubjectas Creaturas diverſimodè diffundatur, inde etiam his veluti Bonitatis primariæ rivulis ac participibus, laus ſecundaria, hoc eſt, à Deo dependens & in Deum tandem referenda, ſolet impendi.

Ex Ariſtotele, Quatuor cadunt in laudationem, *Deus*, *Homo*, *Animalia* & *Inanimata*. Ad illius aliorumque Oratorum mentem, Materia Laudis aut Vituperationis duabus claſſibus continetur, quarum prima complectitur Res, ſecunda Rerum Attributa. Rerum nomine ſignificantur quæ mox enumeravi, ſcilicet Deus, Homo, Animalia & Inanima; Attributa verò dicuntur Rerum proprietates & quæcumque his contingunt, quæ Boni aut vitii ſpeciem præ ſe ferunt. 1. Rhet. c. 9.

Paulò explicatiùs & ad Tyronis intelligentiam apertiùs, Demonſtrativi Generis Materiam diſtinguimus in duo capita, quorum prius *ad Perſonas* ſpectat, alterum *ad Res*. Perſonæ appellantur quæcumque intellectu & ratione præſtant *ut Deus*, *Homo*, *&c.* Huc referuntur Dotes Animi, Corporis & Fortunæ; cæteraque ejuſmodi quæ Perſonis attribui poſſunt. Res dicuntur, quæ ratione carentia, ſolummodo ſentiunt, aut vegetant, aut gradum aliquem inter Inanima obtinuere, *ut Locus*, *Tempus*, *&c.* Prima ergo Claſſe Perſonarum laudandarum, intelliguntur *Deus*, ejuſque Attributa cùm Abſoluta tum Relativa; *Chriſtus*, ejuſque Myſteria; *Beata Virgo*, cum iis quæ ad eam pertinent; *Angeli* cùm in genere, tum in ſpecie; *Homo*, Hominiſque variæ ætates, conditiones, & actiones; deinde virtutes & vitia. Secunda Claſſe continentur *Animalia*, *Plantæ* & cætera quæ *Inanimorum* voce comprehenduntur. Quid in ſingulis Laudari vel Vituperari poſſit dicetur poſtea. Quæ res ſint laudandæ aut vituperandæ.

IV. Forma Epidicticæ orationis attendi primò debet ſecundùm *Quantitatem*; alio enim modo laudatur quod in privatis colloquiis, quaſi per occaſionem laudandum occurrit; alio quod juſta & integra concione commendandum eſt. Uterque quidem modus poteſt per omnia Laudativi Generis capita excurrere, niſi ratio poſcat aliter fieri; ſed privata commendatio longe breviori & minori apparatu inſtituitur quàm publica; indiget tamen artificio non modico ut artificium celet, ne ſcilicet ſuſpecta habeatur de Adulatione, aut laudatione plus nimio affectata. Secundò in hoc Orationis Genere ſpectatur *Qualitas*, quæ tria potiſſimùm complectitur, Verba, Figuras, atque quæ ex his eſurgit, Concinnitatem: De his Cicero in Orat. n. 96. ita ſcribit; ***Eſt quoddam etiam inſigne & florens, pictum & expolitum Orationis Genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores, &c.*** Forma orationis Laudativæ.

Verba ſunt quoddam Eloquentiæ initium, horum ſcilicet beneficio ſuaviter illabitur Auditorum animis propoſitum Oratotis; ideoque illorum delectus haberi debet maximus: De quibus ita Tullius in Partit. Verba quæ Panegyri conveniunt.

num. 72. fatur. *Quoniam in his cauſis, omnis ratio ferè ad voluptatem Auditoris & ad delectationem refertur, utendum erit his in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habeant plurimum ſuavitatis, id eſt, ut* factis verbis, *aut* vetuſtis, *aut* Translatis *utamur*. Tria verborum genera Panegyribus idonea commemorat Cicero. *Facta*, id eſt, quæ ab Oratore artificiosè & prudenter finguntur ad pompam & elegantiam orationis; *Vetuſta*, quæ grandius & altius aliquid ſonant; *Translata*, quæ illuſtrant & ornant. De his abundè dictum eſt in 1. P. l. 4. cap. 2. & l. 5. cap. 1. art. 3.

Quæ Figuræ in Panegyricis adhibendæ.

V. Figuræ Demonſtrativo Generi debentur, quæ orationi lumen, decorem & ornamentum faciant. En quid hac de re ſentit Fabius Inſtit. 8. cap. 3. *Illud genus Oſtentationi compoſitum, ſolam petit Audientium voluptatem, ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit. Quare quidquid erit ſententiis populare, verbis nitidum, Figuris jucundum, Translationibus magnificum, Compoſitione elaboratum, velut inſtitor quidam Eloquentiæ intuendum dabit*. Figurarum igitur habendus eſt etiam delectus, hæque potiſſimùm valere ſolent apud eximios Panegyriſtas: Proſopopœjæ, Hypotypoſes, Ethopœjæ, Apoſtrophes, Suſtentationes, Conceſſiones, Præteritiones, Sermocinationes, Antitheſes, aliæque ſimiles, quæ in 1. P. l. 4. c. 3. explicantur.

Concinnitas quæ, & quomodo fiat.

Concinnitas tertia eſt Formæ Demonſtrativæ proprietas, quæ ex verborum & Figurarum ingenioſa uſurpatione, ac ex totius orationis eleganti ſtructura conficitur ad Audientium delectationem & guſtum. Hanc autem tribus modis fieri docet Cicero in Orat. num. 165. ſic loquutus, *Sed finiuntur aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipſis Concinnitas ineſt: quæ ſibi Caſus habens in exitu ſimiles; ſive Paribus Paria redduntur; ſive opponuntur Contrariis Contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiamſi nihil eſt factum de induſtria*. Quid ſint hæc ſimiliter cadentia & Antitheta; Vide 1. p. l. 4. c. 3. art. 2.

Modus in Laude ſervandus.

VI. Ad Formam Epidicticæ orationis ſpectat Modus in laude texenda ſervandus; nimirum ne excedat. Apage Adulatrices orationes, quibus aſſentatores Garruli ſolent vanitati aliquorum blandiri, ut eorum benevolentiam ac beneficia ſibi concilient. Mendaces illæ Laudationes inſipientiam Oratoris produnt, ac Auditoris, ſi his delectetur; ſatius eſt enim ob legitimam rationem modicùm celebrari, quàm fallacibus & fictitiis coloribus ultra meritum depingi, *Nuſquam* (inquit Eraſmus Rhet. l. 2.) *oportet locum eſſe adulationi, non dicam inter Chriſtianos, ſed nec inter viros eruditos: attamen, ſi quid ineptiendum, ad eam rem Theatrum aptius eſt quàm Templum, Aula quàm Eccleſia*. Seneca ridet ineptam Panegyrim quæ Claudio Imperatori tribuit eximia facinora de quibus ne vix cogitaverat; Quis non rideat Stratonicem Seleuci uxorem, quæ deformis & capite depilis, Poetæ talentum pen-

pendi juſſit, eò quòd illi comas Hyacinthinas mendosè affinxiſſet? Hæc & ſimilia quæ exorbitant à vero, indigna ſunt Oratore prophano, ſi ſapiat, nedum ſancto, qui in verioribus etiam ipſis moderationem adhibere debet. Ablegandæ ſunt iterum pueriles ſuperjectiones, quæ per omnes Locos communes volitant; ut inde farraginem ſupellectilis Encomiaſticæ conquirant ad alicujus laudem, nec ſatis laudaſſe ſibi viderentur niſi quæcumque collegerunt, in præconium compingendum contulerint. Infantem Oratorem, vel Logodædalum Sophiſtam hæc ſapiunt, ab his abſtineat Eccleſiaſta prudens; optimè laudabit, ſi vera tantùm & eximia facinora cum judicio & moderatione amplificet. Hæc potiſſimùm ſpectant ad Laudatorias Orationes, quæ viris præcipuis ac inſignioribus habendæ aliquando occurrunt, dum illi degunt inter nos. De iis autem qui è vivis exceſſere, & maximè de Divis, adjicio pauca notatu non indigna. Laus vivorum Hominum.

Non hìc res eſt de Deo, quem conſtat laudandi omnem modum infinitè ſuperare; nec item de Chriſto, in cujus laude metus eſt ne minor ſit ipſo, nuſquam vero ne ſit major. De Virgine prædicari poteſt quodcumque excellit infra Deum: in cæterorum Panegyricis modum tenere opportet. Tutius eſt laudare vita functos quàm vivos, quorum laus obnoxia eſt invidiæ. Eccleſiaſtic. 11. 30. dicitur, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir*. De Viventibus mox dictum eſt, verè & moderatè eſſe laudandos: turpe enim videtur & indignum Evangelico Miniſterio, ſi vanitati mundanæ obſequatur: in quo peccare plurimùm ſolent qui Mortuis parentaturi Orationes Funebres texunt ex Gentilitiis Dignitatibus ac ſtemmatibus, quaſi pretio conducti ut ſuperſtitum parentum ſuperbiæ litent. D. Paulus Timotheum monuit ut ejuſmodi venales Eccleſiaſtas prohiberet. 1. Timot. 1. 4. *Rogavi te* (inquit) *ut denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent Fabulis & Genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, &c.* In laudandis Divis etiam modus ſervandus eſt, unicuique enim ad præconium ſufficiunt propria & vera merita, nec fictas quocumque prætextu laudes illi probant, tantum abeſt ut aliorum Divinorum demiſſione velint attolli. Sed de his l. 4. art. de Syncritica forma ſeu de Parallelis. Quomodo Defuncti laudari debent.

VII. Finis Remotus Epidictici Generis, ſicut & totius Eloquentiæ Chriſtianæ primarius, eſt (ut dixi ſæpius) Dei Gloria: Secundarius verò hominum Salus. Specialis autem Finis, duplex eſt, *Laudare*, vel *Vituperare*. Nec iterum in hoc ſiſtit Chriſtianus Orator, progreditur enim ad rei laudatæ amplexum, vel improbatæ fugam: Prophani quidem Rhetores vix aliud intendunt, quàm laudem vel vituperationem, atque ex priore æſtimationem alicui comparare, cæteris delectationem; ex altera vitioſum infamare, indeque ipſum apud cæteros in invidiam adducere. At Panegyriſta ſacer, tria potiſſimùm in votis habere debet, Dei Finis Epidictici Generis.

Lau-

Laudem, & virtutis & virtuoſi commendationem, aut vitii & vitioſi vituperationem, Boni denique ſuaſionem & imitationem; Mali verò deteſtationem & averſionem. In primis ergo ſatagat commendare Dei Gratiam, benignitatem, liberalitatem, &c. Unde cùm virtutis laudatæ beneficium, tum virtuoſi laudati inſtitutio fluxere: *Mirabilis* (ſanè) *Deus in Sanctis ſuis*. Pſ. 67. 36. Ideoque in Auditoribus ciendus eſt affectus admirationis & gratitudinis erga Deum tot beneficiorum fontem. Deinde juſtis laudibus extollendus eſt ille qui virtute & ſanctitate præſtitit; hæc enim gloria multis titulis debetur Sanctis qui piè & perfectè vixerunt: hunc ex operibus bonis metunt fructum; iſtam ex filiis ſuis progeniem ſuſcipiunt Sancti, ut ait D. Auguſt. in Pſ. 65. Denique ad Imitationem Sanctorum provocandi ſunt Auditores. D. Paulus Hebræ. 13. 7. ſic fatur, *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem*. D. Chryſoſtomus concinit his verbis, *Nemo eſt qui neſciat Martyrum glorias ad hoc divino conſilio à Dei populis frequentari, ut & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla monſtrentur*, &c. Ser. 1. de Mart. *Solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum ſunt* (ait Auguſt. ſer. 49. de SS.) *ut imitari non pigeat quod celebrare delectat*. Hanc partem communem cum Deliberativo Genere habet Demonſtrativum apud Chriſtianos, ut ſuadeat aut diſſuadeat, id eſt, ut non in ſola vel laude vel vituperatione ſiſtat Eccleſiaſta; ſed ſtatim poſt ſufficientem propoſiti Epidictici explicationem, accedat ad ſuadendum aut diſſuadendum, prout priùs dicta expoſcunt. Nec etiam ſtare debet in Deliberationis propoſito univerſaliori, quod adhuc à ſpeciali praxi diſtat, ſed ſingularis modus imitationis urgendus eſt, impedimenta tollenda ſunt, ac remedia idonea indicanda & ſuggerenda.

Gloria Dei.

Honor Sancti.

ARTICULUS II.

Varia de Panegyri obſervatione digna.

Differentiæ inter Hiſtoriam & Panegyrim.

I. Ex præfatis adverte plurimum diſtare, Hiſtoriam & Panegyrim, illa enim facta reſque declarat nudo & dilucido ſtylo, qui Narrativo Generi convenit; iſta verò idem propoſitum verſat, ſed floridiore methodo, adhibitis amplificationibus & figuris elegantioribus, aliiſque dicendi formis quæ Narrationis legibus non illigantur: illa veritati & ſinceritati præcipuè ſtudet, iſta pompæ & oſtentationi.

Quomodo celandi defectus.

II. Adverte, motus in Panegyricis excitandos debere eſſe lætitiæ, admirationis & honorarii cultus, quibus Chriſtiani addunt Gratitudinem,

nem, Invocationem & Imitationem. Adverte item, quòd ſi in Perſonis laudandis occurrant defectus, qui aut præceſſerint aut eodem tempore inſint quo laudantur, magno artificio opus eſt, ne revelentur ad earumdem opprobrium. Igitur, vel celare oportet ejuſmodi vitia, præſtatque imitari Pictorem qui Regem Antigonum altero oculorum carentem exhibiturus, hunc ex alia parte videndum pinxit; ita Orator commemoret virtutes, vitia verò ſileat, aut ingenioſo velo obnubat: vel ſanè ſi diſſimulari nequeunt quæ vitioſa ſunt, eadem idonea tegat excuſatione, quæ peti poteſt à fontibus unde crimen minui ſolet; attollantur verò virtutes, ut inde quæ probroſa ſunt compenſentur: vel denique Juſtorum defectus convertantur ad Auditorum inſtitutionem. Hinc ſcilicet diſcere poſſunt, primò, Diffidentiam de propriis viribus, ſi enim *qui ſerviunt Deo non ſunt ſtabiles*, (ut ait Job cap. 4. 18.) ſi (ut ait idem cap. 26. 11.) *Columnæ ſi contremiſcunt*; ſi Aſtra de cœlis cadunt; ſi de Libano Cedri ruunt, quis audeat præſumere ſe à caſu immunem futurum? Secundo, hinc monentur Auditores de occaſionibus ac periculis vitandi, ab iis enim cavere debent qui aliorum exemplo ſapere deſiderant. Tertiò, Miſericordia aut Juſtitia Dei celebrantur ex aliquorum caſu, quem vel ille permiſit juſtas ob rationes, quamvis fortè nos lateant, vel inſtauravit, gratia nimirum & miſeratione errantem revocante. Quartò ex commemoratione lapſuum ex quibus Sancti reſipuere per pœnitentiam, diſcant cæteri qui id legunt vel audiunt, priſtinum vel novum Sanctitatis gradum recuperare, eandem ſcilicet ſequuti viam, qua illi rediere ad frugem.

III. Neſcio quo naturæ noſtræ vitio fit ut expeditiores ſimus ad vituperationem quàm ad laudem, faciliuſque objurgationes inſtituamus quàm Panegyres. Cauſa forſitan hujuſce rei eſt malevolus hominum Genius, qui alios laudari vix patitur, quin citiùs dicto ſentiat ſe alterius gloria offendi; contra verò ita friget erga proximum, ut ſtupeat ad illius incommoda, niſi lætetur. Alia fortaſſe ratio eſt Bilis, quæ ex odio & averſione incaleſcens, ardentem affectum, igneaque verba ſuggerit objurganti; ut liquet in rixantibus mulierculis, quæ abſque arte eloquentes ſunt, ubi incanduere. Difficilius ergo eſt cæteris paribus, laudare quàm vituperare. Præter has quæ occurrunt difficultates in conficiendis Orationibus Laudatoriis, ad honorem viventium; aliæ obſunt cùm agitur de laudandis mortuis, maximè Sanctis, ita ut Orator qui in cæteris propoſitis tractandis ſufficeret, ſæpiùs naufragetur in Panegyribus. Hujus difficultatis hæ videntur cauſæ. Prima ipſiuſmet rei excellentia, quæ verbis humanis non poteſt ſufficienter exprimi; quis enim facinoris alicujus eximii ſpeciem pingere queat coloribus æquis? Opus certè Dei ejuſque Gratiæ eſt, quod vires eloquii naturalis ſuperat. Altera ratio huic confinis, eſt Generis Epidictici forma, quæ cùm ad pompam & elegantiam compoſita ſit, plurima in hunc finem deſiderat, eaque excel-

Natura ad vituperationem promptior, quàm ad laudationem.

Difficultatum quæ in Panegyricis faciendis occurrunt cauſæ.

lentia

lentia quæ à paucis Oratoribus præſtari poſſunt. Tertia ratio ducitur ab occultis Sanctorum Geſtis, quæ cùm ignorantur ut plurimùm, fortaſſe quia ipſi Sancti latuerunt; vel quia temporum injuria ad nos non pervenerunt; difficillimum eſt proinde abſcondita vel deperdita reſtituere, & laborioſiſſimum propriam ſingulorum Divorum differentiam deſignare.

Character Sanctorum obſervandus.

IV. Advertunt hìc Oratorii Principes, Eccleſiaſtam debere proprias virtutes, ſeu perfectiones Sancti laudandi veſtigare atque ex his ſingularem ejus Characterem quo à cæteris diſtinguatur ſecernere. Hinc non probant translatitias conciones, quæ ex locis communibus corrogatæ, plurima de Virtute in Genere dicunt, pauca verò de Sancto in particulari, ut V. g. quæ de Amore divino, de Fide, aut Spe, &c. prolixum ducunt ſermonem, de Divo autem quem his dotibus præſtitiſſe aſſerunt, vix verbulum quo ferè tantùm nominatur. Ejuſmodi Concionum formas appellat *deſultoria Ephippia*, *tralatitias claves*; immò & cervicibus lupinis quas Circulatores vicatim deferunt ſimiles dicunt, ut eaſdem elevent & minuant: Ideoque docent poſt præmiſſa nonnulla de virtute aliqua in Genere, ſtatim accedendum eſſe ad ſpecialem rationem, qua Sanctus virtutem memoratam exercuit, quæ ſi lateat, ajunt debere præſumi ac ſubſtitui. Verùm (ut quod ſentio liberè dicam) prodeſt habere in memoria vel codice repoſitas ejuſmodi aliquas Conciones Verſatiles, quæ facilè poſſint, cùm opportunitas urget nec tempus datur, ad quemlibet Sanctum accommodari; peritiores quidem Eccleſiaſtas minùs decent, ſed Novitiis ac etiam provectioribus conſulerem, ut his non carerent: ſunt enim maximæ utilitatis, modò ingenioſè aptentur; ſæpius æquant, niſi ſuperent, quæ de induſtria & ex profeſſo inſtruuntur. Artificium omne in hoc ſtat, ut communes loci appoſitè fiant ſingulares, & ad laudem Sancti contrahantur, ne ſcilicet videantur malè aſſutæ veſtium partes, ſed unius texturæ & ad corporis formam compoſitæ.

Utilitas Concionum communium applicandarum.

V. Non me piget monere Tyronem de hujuſmodi propoſitis, quæ parata debeat habere ad datam occaſionem: hæc ni fallor frequentiùs occurrunt, De Amore Divino; De Fide; De Sanctitate. De Sanctis in Genere, V. g. quòd præcellant virtutum dignitate quæ mereatur honorari; polleant Authoritate apud Deum, quæ invocantibus gratias polliceatur; præſtent Religionis exemplar, quod laudantes ad imitationem provocet. De Gratia, de Salutis Negotio; De ſimilitudine cum Solis Ortu, Meridie & Occaſu, ideſt de Nativitate, Vita & Morte; de Zelo; de Martyrio; de Patientia ſeu Malorum tolerantia; de Conformitate cum Beneplacito Divino. Hæc & ſimilia quæ continent Theſes communiores cuivis Sanctorum ferè convenientes, & (ut ajunt) applicabiles, non modicum ſubſidii afferunt junioribus ſi de his paraverint conciones, quæ cùm opus fuerit revocentur ad Hypotheſes & ſingulares Perſonas.

VI.

VI. Supereſt ut caput iſtud claudam Panegyreos deſcriptione, quæ ex præmiſſis exurgit, *Eſt oratio quæ magnificè & ſplendidè attollit eximias dotes Propoſiti illius quod laudandum ſuſcipitur.* Vituperatio autem contraria methodo amplificat defectus vitioſi Propoſiti. Ex quo patet Temporis ſpeciem, quæ ab hoc dicendi Genere ſpectatur, eſſe præteriti; vix enim aliquis aut laudatur aut vituperatur niſi de rebus antea geſtis. Deffinitio Panegyreos.

CAPUT II.

Promptuarium Epidictieæ Eloquentiæ in ſpecie. Seu de Fontibus unde Res ſingulæ laudari vel vituperari poſſint,

PRÆLOQUIUM.

COMMUNES locos ad Panegyres conficiendas & locupletandas huc coacervare, non eſt meum nunc intentum, iſtud enim operis hujus ſcopum limiteſque excederet. Occurrunt paſſim libri Collectanei in quibus ejuſmodi ſuppellex abundat: mihi mens eſt ſolummodò præcipua delibare & indicare capita, unde Panegyriſtes debeat rationes & materias (ut ajunt) depromere ad tractanda ſpecialia propoſita, ſeu ex quibus Perſonæ aut Res poſſint ſpeciatim laudari vel vituperari. Quamquam enim (ut ſæpè dictum eſt) Laus aut Vituperatio eruere queant argumenta ex fontibus Univerſalibus omni dicendi Generi communibus, de quibus fusè dixi in 1. part. l. 2. ſingula tamen Genera ſuos habent Locos ſibi proprios, ex quibus ſua propoſita probent & dilatent: Atque hoc eſt quod Promptuarium Epidicticum appellamus, quod in varios Articulos, pro varietate ſcilicet Perſonarum aut rerum partimur.

ARTICULUS PRIMUS.

Promptuarium Divinum; ſeu Fontes Oratorii peculiares Deo, Chriſto, B. Virgini, Angelis, Divis, &c.

SECTIO PRIMA.

De Deo.

Loci Communes de Deo fœcundiſſimi.

UBERRIMUS eſt Fons iſte qui ad Deum ſpeciatim attinet, ac infinitam Dicendi materiam ſuggerit Eloquentiæ; ſed ampliſſima illa ſeges decerpi ac tractari debet maxima cum reverentia & Religione: ſi enim metus eſt, ne *ſcrutator Majeſtatis opprimatur à gloria*, Proverb. 25. 27. qui Divina verſat indignè & temerariè, periculum init experiundæ ultionis divînæ, quæ prophanas & ſacrilegas odit ac plectit manus. Ideo conſulitur Eccleſiaſtæ, ut religioſè & quantùm poterit dignè de Deo loquatur, magnam de Deo æſtimationem, ſeu potiùs fidem apud Auditores faciat, ut admirantis potiùs quàm Panegyriſtæ vices obire videatur; ac tandem poſt ſufficientem explicationem eorum quæ dicenda fuerunt, qualia ſunt v. g. collata in nos beneficia, &c. ſtatim ſuccendere conetur Affectus gratitudinis, amoris, metus, cæterorumque Debitorum, prout opportunitas popoſcerit. Conſulendi ſunt hac de re Theologi, qui de Attributis Divinis agunt ex profeſſo; D. Diony. Areop. cap. 4. de Cœleſti Hierarch. & cap. 4. de Divin. Nominibus. D. Thomas 1. p. Leſſius, de Perfectionibus Divinis, &c.

Quomodo de Deo Loquendum eſt.

Triplex modus loquendi de Deo.

Ampliſſima illa de Deo materia ad tria capita revocari poteſt. Primum complectitur quicquid ad Dei Naturam ſeu Eſſentiam ſpectat; Alterum eſt de Dei Perfectionibus ſeu Attributis: Tertium eſt de Cultu Deo exhibendo: ſed hæc in alia plurima iterum dividuntur, ut ex ſequentibus liquet.

1. Dei Natura explicatur.

Dei Natura pluribus modis expenditur. Primò quidem per Definitiones conglobatas; Ita Syneſius in Hymnis vocat Deum, *Datorem gratiarum*, *Radicem Mundi*, *Centrum Entium*, *&c.* Maximus Tyrius Orat. de Deo, appellat Pulchrum & pulchrorum omnium pulcherrimum. Gregorius Nazianzenus non diſſimili ratione Deum prædicat. Quicquid ergo Perfectionis & ornamenti quod in Creaturis eminet, & nullam Deo labem inurit, varias ſuggerere poteſt Deſcriptiones quibus Deus adumbretur, tanquam bonorum omnium Fons abſolutiſſimus. Secundò pingitur Deus multis nominibus, quæ Theologi in tres Claſſes diſtribuere ſolent. Prior continet Nomina *Poſitiva*, quæ perfectionem poſitivam de Deo affirmant, ut Sapiens, Juſtus, &c. Sapientiam & Juſtitiam enuntiant, & Nomina *Negativa*, quæ imperfectionem aliquam à Deo

remo-

Digitized by Google

removent, ut Infinitus, Immenſus, &c. vendicant Deum à limitatione. Altera Claſſis diſtinguit Nomina Dei Poſitiva in *Abſoluta* & *Relativa*. Primi Generis ſunt, quæ Deum explicant abſque ordine ad Creaturas, veluti, quod ſit Bonus, Sanctus, Perfectus; Relativa verò dicunt ordinem ad res creatas, ut quòd Deus ſit Creator, Dominus, Judex, Redemptor. Tertia Claſſis rurſus eſt cùm Nominum Relativorum *ad Intra*, hoc eſt, quæ ordinem dicunt ad Deum ipſum & ad ea quæ intra ſe operatur Deus, ut quæ Perſonæ SS. Trinitatis appellant, v. g. Pater, Filius, Spiritus S. tum etiam Relativorum *ad Extra*, ſeu quæ ab operatione in Creaturas ducuntur, ut quòd ſit Creator, Redemptor. Item alia mnlta Nomina ſolent attribui Deo quibus illius Natura innoteſcit, veluti vox Hebræa *Elohim*, quæ initio Geneſeos ponitur, notat Deum cum aliqua pluralitate; unde aliqui inferunt pluralitatem Perſonarum ſubobſcurè indicatam his verbis; *Creavit Dii Cœlum & Terram*, quaſi diceretur; Tres Perſonæ creationi vacabant; ſignificat etiam eadem vox *Judices*, ex quo nonnulli advertunt Deum voluiſſe ab incunabilis mundi Homines freno juſtitiæ continere. Tertiò repræſentatur Deus per Induſtrias, Imagines, Icones, Similitudines & Hieroglyphos, quibus aliqua ex divinis perfectionibus declaratur: ut cùm per Solis figuram exprimitur Dei beneficentia communis, &c.

Immenſum iſtud Divinitatis Pelagus, infinitos propoſitorum utiliſſimorum rivos profundit, quibus Eloquentia Chriſtiana locupletatur ad inſtruendas innumeras Conciones. Quàm fœcundus Elogiorum campus aperitur, ſi religioſa meditatione ponderentur ac diſcutiantur ſingulæ Dei Perfectiones ſeu Attributa? v. g. Dei Exiſtentia, Simplicitas, Perfectio, Infinitas, Immenſitas, Immutabilitas, Æternitas, Omnipotentia, Sanctitas, Vita, Unitas, Scientia, Sapientia, Bonitas, Amor, Miſericordia, Juſtitia, Providentia, Prædeſtinatio, Reprobatio, &c. Hæc inquam Adjuncta ampliſſimam ſuggerunt dicendi ſegetem, ex qua non modò plures Conciones, ſed & Eccleſiaſtica penſa per Adventus aut Quadrageſimæ tempora poſſunt ſuppeditare. Quæ autem ſoleant à Prædicatoribus uſurpari frequentius, mox annotabimus. 2. Quomodo Orator utetur Attributis Divinis.

Tertium Panegyris Divinæ caput conſtat ex cultu vario, qui Deo debetur, ut ſunt Fides, Spes, Charitas, Adoratio, Obedientia, Timor, Oratio & ſimilia quæ Deo exhibenda ſunt ab Homine Dei ſervo, factura; &c. 2. Officia Deo debita.

SECTIO II.

De Chriſto.

Chriſtus manifeſtandus eſt, Prædicatorum miniſterio.

ALTER Dicendi fons iterum uberrimus aperitur in Chriſto, quem Eccleſiaſta ſemper in ore habere debet, ut omnibus & quacumque data opportunitate eum manifeſtare ſtudeat. *Hæc eſt enim vita æterna* (inquit ipſemet Chriſtus ad Patrem) *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ideo autem omni diligentia revelare oportet quæ Chriſti ſunt, ut inde Homines agnoſcant Beneficia innumera quibus ab illo cumulantur, eamque ob rem iterum agnoſcant Chriſtum, ut eum, à quo priùs dilecti ſunt, redament, ipſum colant, ipſique effectu & imitatione penitus adhæreant. Eſt enim *Via, Veritas & Vita*. Joan. 14. 6. Via non errans, Veritas non fallens, Vita non deficiens; Via tutiſſima quæ ducit ad Deum Patrem; Veritas certiſſima quæ docet nos omnem ſalutis ſcientiam; Vita perfectiſſima, per quam Gratia nobis conceſſa eſt, & ſine qua vivere nec poſſumus, nec debemus. Quàm bene Paulus, in hoc, ſicut & in cæteris ſapuit, qui nihil ſe ſcire aut prædicare velle profitetur, præter Jeſum Chriſtum; propterea ſe ab utero matris ſegregatum ait, ut inveſtigabiles Chriſti divitias verbo & opere revelet, ac diſpenſet. Utinam Pauli exemplo, idem propoſitum unicè intendant ac totis viribus exequantur ſacri pulpiti Oratores. Floreret certè Chriſtiana Religio, & his fulta præſidiis uberes virtutum fructus proferret; quæ languet ſterilis ac ferè ſemianimis, quia Concionatorum plurimi aliud omnino ſciunt ac prædicant quàm Chriſtum: dereliquerunt ſcilicet *Fontem aquarum viventium perennem, ut foderent ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Jerem. 2. 13.

Quatuor capitibus continetur quidquid de Chriſto dicere poteſt Eccleſiaſta: Primum ſpectat ad *Ingreſſum* Chriſti in mundum: Alterum ad ejuſdem *Progreſſum*. Tertium ad illius Egreſſum è Mundo: Quartum denique Titulos quibus ſolet Chriſtus inſigniri complectitur. Unumquodque caput in plura alia inferiora diſtribuitur.

Incarnationis cauſæ.

I. Ingreſſus Chriſti in Mundum, ſuggerit primò materiam dicendi de quibuſcumque quæ ad Incarnationem attinent, ut ſunt hujus Myſterii rationes motrices, V.g. ut clarerent Dei Attributa præcipua, qualia ſunt *Miſericordia*, quæ contra Juris ordinem requirit offenſores & indignos; *Sapientia*, quæ difficilem invenit modum, quo extrema nuberent extremis, finito infinitus, mortali immortalis, pauperi dives, Homini Deus, &c. *Juſtitia*, qua offenſæ infinitæ penderetur juſta & æqua compenſatio. Item Incarnatus eſt Deus, 1. *Ut homo fieret Deus*. 2. *ut Homo agnoſceret quantum diligeretur à Deo*. 3. *Ut ſuum videret ac ſequeretur Ducem & Paſtorem*.

rem. 4. *Magnus* è Cœlo venit *Medicus*, quia magnus in terra jacebat *Ægrotus* (inquit Auguſtinus) id eſt, Chriſtus venit ſalvare hominem qui perierat. Vide Barradium in Evangelia tom. 1. qui plures rationes ad hoc propoſitum profert; de quibus etiam omnes Theologi in hoc Tractatu de Incarnationis cauſis ſolent agere, quos conſulere oportet.

Cur Prima Perſona Trinit. non eſt Incarnata? Secundò ad Ingreſſum Chriſti ſpectat diſcutere cauſas ob quas Trinitatis ſecunda Perſona potiùs quàm Prima aut Tertia, Hominis Naturam ſuſcepit. 1. Non decuit ut Pater id muneris obiret (inquiunt Sacri Doctores) ne daretur occaſio Hæreticis opinandi, quòd Trinitas Perſonarum Divinarum non eſſet realis, ſed tantùm nomine & officiis tenus; nempe quòd unica tantùm in Deo Perſona diverſas vices ſubiret, modò Patrem, modò Filium, modò Spiritum agens; cui errori faveret Deus, ſi prima Perſona Hominem induiſſet, eadem enim diceretur Pater & Filius; Pater quidem ut Deus, Filius verò ut homo; ne igitur fieret errandi periculum, decuit Patrem abſtinere ab Incarnatione. 2. Nec Spiritui ſancto convenit Incarnari, ne ſcilicet confunderentur Proprietates Perſonarum Divinarum; Hoc certè accidiſſet in opinione hominum, ſi Spiritus ſanctus fuiſſet Incarnatus, hanc enim ob cauſam diceretur Filius, ratione Humanitatis, ac propterea Homines vix ſecreviſſent Filium Deum à Filio Homine, ſed ſimilitudine nominis decepti, unum pro altero coluiſſent. 3. At horum nihil metuendum ex Incarnatione ſecundæ Perſonæ, quia eadem tutò & ſine erroris periculo dicitur Filius Deus & Filius Homo, Verbum ſcilicet Hominis Natura indutum. 4. Proferuntur aliæ rationes pro ſecunda Perſona peculiares; veluti, quòd congruerit ut eadem quæ Creator dicitur, fieret etiam Redemptor; Verbo enim Divino attribuitur Creatio Hominis; conducebat igitur ut idem Redemptionis onus ſuſciperet, ne (inquiunt SS. Doctores) divideretur Hominis gratitudo, hinc Creatori, inde Redemptori. *Qui creavit te redemit te, ne amorem tuum divideres, partem Creatori, & partem tribuens Redemptori*, inquit D. Anſel. l. cur Deus Homo. 5. Deinde Homo factus ad Dei Imaginem & Similitudinem, ſed per peccatum deformatus, debuit per illam Perſonam quæ Dei abſolutiſſima eſt Imago reformari, & in priſtinam conformationis ſpeciem reſtitui. 6. Alteram rationem addit Auguſtinus: Ipſum (inquit de Filio Dei) tangebat ratio; decuit ut ille ad debellandum in terris Sathanam veniret, cujus dignitatem iſte conatus fuerat uſurpare in cœlis. Hoc eſt, dum ait Lucifer: *Aſcendam & ero ſimilis Altiſſimo*, præſumebat invadere gloriam Filii, qui eſt ſimilitudo & Figura ſubſtantiæ Patris: at perduellis Angelus ob ſacrilegam audaciam è Cœlo pulſus, iterum in terris conabatur Dei ſimilitudinem iniquè occupare, ſibi aras templa & ſacrificia, quæ Deo ſoli conveniunt, ſuffuratus; ex congruo videbatur, ut appareret verus Dei Filius ac vera Dei Imago Chriſtus, qui Diabolo Divinitatis larvam detraheret, ſubſtitueretque

Cur Spiritus Sanct. non eſt Incarnatus?

Cur ſecunda Trinit. Perſona Incarnata eſt?

ho-

hominibus Deum viſibilem quem illi colerent, audirent ac imitarentur. Mitto cæteras ejuſmodi rationes. Hac de re conſulendi ſunt Theologi, tract. de Incarnatione. O quàm uberes & utiles propoſitum iſtud poteſt ſuppeditare Conciones! quàm ardentes affectus in hominibus ſuccendere poterit Ingreſſus Chriſti in Mundum, ſi optimè verſetur. Ad ejus Progreſſum accedamus.

Vita Chriſti tribus continetur. II. Progreditur Chriſtus per mundum, nobiſque ad Prædicandum præbet innumera propoſita. Hæc ad tres Claſſes quibus vita Chriſti explicatur revoco: Myſteria ſcilicet, Verba & Exempla. De his aliqua ſpeciatim adnoto, quæ poſſunt utiliſſimè in Concionibus tractari.

1. Complectitur Myſteria. Hæc Myſteria vitæ Chriſti præcipua celebrari ſolent: Nativitas, Circumciſio, Impoſitio Nominis, Adoratio per Magos, Oblatio in Templo, Prædicatio, Oratio, Paſſio, Reſurrectio, & Aſcenſio, de quibus conſule D. Thomam, Suarem de Myſteriis Chriſti, & alios Theologos.

Conceptio & Nativitas Chriſti. 1. In Nativitatis Myſterio hæc poſſunt conſiderari. Primùm Formatio Corporis Chriſti, Creatio Animæ Chriſti, & utriuſque ad Verbi Divini Perſonam conjunctio. Corpus quidem ex puriſſimo ſanguine Virginis, per ineffabilem Spiritus ſancti obumbrantis virtutem, abſque temporis conſueto Naturæ intervallo formatum eſt in utero immaculato. Hic, præter Admirationis & Gratitudinis affectus, excitari poteſt Puritatis amor, exemplo ſcilicet munditiei Virginalis. D. Auguſtinus

Corporis formatio. ſerm. 9. de Temp. *Diligamus* (inquit) *præ omnibus Caſtitatem, quia, ut placere hanc ſibi Chriſtus oſtenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit.* Similia prædicat D. Leo ſerm. 2. de Nativit. Anima verò Chriſti per-

Animæ creatio. fectiſſima fuit, in ipſo Creationis inſtanti infuſa corpori, ac eodem momento ſimul cum corpore à Verbo Divino aſſumpta: Ah quantis dotibus illa ſtatim cumulata fuit! quàm pretioſis gratiæ odoribus perfuſa! Ex D. Paulo diſce, *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Coloſſ. 2. 9. *In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi; ibid.* num. 3. Sed quàm feliciter id nobis

Gratia Chriſti. contigit! nam *de Plenitudine ejus omnes accepimus*. Joan. 1. 16. Hìc Theologi diſtingunt varias Gratiæ ſpecies quibus Chriſtus dives fuit à primo Conceptionis inſtanti; ſed quæ ad nos maximè ſpectat, dicitur Gratia Capitis, qua Chriſtus ita conſtitutus eſt Angelorum ac Hominum Princeps, ut Gratiæ influxus in ipſos, veluti Caput ſpiritus in membra, refundat. O quanta diligentia cavendum eſt nobis, ut huic adhæreamus, nec ab ipſo unquam divellamur! Dum inhæremus, fruimur vitæ divinæ beneficio; dum avellimur, deficimus à vita pretioſa quæ mortuos non ſecus ac ramos exſiccatos aut membra revulſa, deſtituit.

Nativitatis Chriſti utilitas. 2. Secundò in Nativitate Chriſti attenditur hujus Myſterii utilitas, quæ multiplici ratione poteſt effingi. *Apparuit* (inquit D. Paulus ad Tit. 2. 11.) *Gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, &c.*

Et

Digitized by Google

Et cap. 3. num. 4. *Benignitas & Humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, &c.* O mira Benignitas, quæ Deum hìc ſiſtit, *Salvatorem* perditis, *Præceptorem* errantibus, & Debitoribus *Fidejuſſorem: Plane ſummus omninm factus eſt imus omnium;* ait D. Bernardus ſerm. ſer. 64. in Cant. *Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius, dignatione dives; quid Amore violentius? de Deo triumphat Amor, &c.* Naſcitur ut homines faciat Divinæ Filiationis per Adoptionem participes ac Patrimonii cœleſtis cohæredes. *Agnoſce homo dignitatem tuam* (ait D. Leo ſerm. 1. de Nativ.) *& Divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri converſatione redire, &c.* Vides quàm latus hìc dicendi campus aperitur; numeroſa ex his exurgunt incentiva cùm gratitudinis & amoris, tum imitationis, tum cæterorum affectuum, qui Chriſto varias formas pro nobis induenti debentur; ſed de his poſtea.

3. In Circumciſionis Myſterio, perpendi debent primò Chriſti Obedientia, Humilitas, & Amor. Nihil *obedientius* Chriſto, qui Legi de Circumciſione duriſſimæ & probroſiſſimæ non obſtrictus, voluit citiſſimè obſequi; Nihil *humilius* Chriſto, qui Ceremoniæ, qua ſoli peccatores tenebantur, ſe ſe ſubjecit, cum proprii honoris ac de Innocentia æſtimationis periculo; reorum ſcilicet Charactere inuri paſſus, qui eſſet per omnia ſanctiſſimus. Nihil denique Chriſto amantius, qui ſtatim ab utero ſanguinem fundit pro indignis, benevolentiæ & amoris erga ipſos vadem. Secundò Myſterium iſtud repræſentat Impoſitionem Nominis ſanctiſſimi Jeſu. Quid de hac Ceremonia ſenſerint celebriores Eccleſiaſtæ mox videbimus. Interea notandum quòd Auguſtiſſimum illud Nomen ab alio non potuit imponi, quàm à ſolo Deo Patre, qui in Humanitatem Filii authoritate ſuperioris pollebat, quique ſolus noverat ipſius perfectiones. Deinde in Filio fuit, 1. Profundæ *Humilitatis* opus, ſuam ſcilicet Infinitudinem permittere limitationi, quæ à Nomine ſolet fieri. Olim quidem Ineffabilis, & Innominabilis Deus, nunc autem innoteſcit ex Nominis impoſitione. 2. Fuit laborum, dolorum, opprobriorum ac ipſius mortis oppigneratio: ideo enim Chriſtus hæc omnia paſſus eſt, quia Nominis (quod Salvationem pollicetur) implere voluit munera & vices. 3. Hominibus ſpem innumerorum bonorum facit iſtud Nomen, Jeſus, cùm non ſit aliud in quo ſit ſalus & ab illo fluat quidquid ſubſidii vel commodi expetere voluerint Mortales. 4. Plurimarum virtutum exemplar præbet hoc Nomen; *Cùm* enim *nomino Jeſum* (inquit D. Bernardus ſerm. 15. in Cantic.) *hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni denique ſanctitate ac honeſtate conſpicuum, eumdemque ipſum Deum, qui ſuo me exemplo ſanet, ac roboret adjutorio. Sumo itaque mihi exempla de Homine, & auxilium à Potente, &c.* Bernardus plurima & eximia in idem propoſitum habet citato loco.

Circumciſio Chriſti.

Nominis Jeſu Impoſitio.

4. Ado-

Adoratio Chriſti à Magis.

4. Adoratio Chriſti facta à Magis, primas Gratiæ Salvatoris recens nati victorias exhibet, Gentium ſcilicet vocatione ad Fidem. Magnum certè & fructuoſiſſimum nobis iſtud Myſterium; nam, ut ait D. Leo ſerm. 1. de Epiphan. *Agnoſcamus dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, Vocationis noſtræ Fideique primitias*, &c. D. Auguſt. ſerm. 2. de Epiphan. loquutus de Magis, ait: *Illis dies iſte primus illuxit, aniverſaria nobis feſtivitate redit. Illi erant primitiæ Gentium, nos populus Gentium*, &c. In hoc igitur plurima poſſunt attendi notatu digniſſima. V. g. Miſericordia Divina omnes homines ad ſalutem liberaliter invitans; Humanæ Voluntatis diligens erga Gratiam vocantem obſequium; Hominum durities inexcuſabilis, quæ vocanti Deo non paret, &c. Hæc & ſimilia colliguntur apertè ex Stellæ ductu, Magorum obedientia, & Herodis & Judæorum obſtinatione.

Fuga in Ægyptum & Infantia.

5. Fuga Chriſti in Ægyptum, patientiæ, tolerantiæ & humilitatis exemplum præbet. Amiſſio Chriſti in comitatu & inter Parentes; ejuſdem inventio in Templo ubi Magiſtrum agebat adhuc Duodennis; deinde ipſius in Nazareth ſeceſſus, ibidem privatum & ignotum vitæ genus, ac ſumma Parentibus ſubjectio, amplam ad dicendum materiam ſuggerunt Concionatoribus.

Triennium manifeſtationis Chriſti.

6. Tribus potiſſimùm rebus celebratur illud Triennium quo Chriſtus Mundo innotuit; nimirum Doctrina, Miraculis & Exemplis. Prædicatione docuit ignorantes; miraculis uſus eſt ut Doctrinam firmaret ac Incredulos revinceret: adhibuit Exempla ut tepidos & negligentes ſtimularet. Hinc Concionator poterit hortari Homines, ut Chriſtum docentem audiant, ipſi Miracula patranti credant & obediant; ipſum denique virtutum opera exercentem imitentur.

Mors Chriſti.

III. Egreſſus Chriſti è Mundo quatuor capitibus poteſt explicari. 1. Neceſſitate ſeu cauſa moriendi. 2. Modo, quo Mortem paſſus eſt. 3. Reſurrectione per quam de Morte triumphavit. 4. Aſcenſione, in qua meritas poſt victoriam palmas Cœlo reſtitutus meſſuit. His adde pretioſum ſui Amoris pignus quod mundo valedicturus dedit Hominibus, Corporis videlicet ſui in Euchariſtia largitionem. Ex his (inquam) capitibus, Concionator uberem dicendi copiam habebit, unde varios affectus ſuſcitet in cordibus hominum. Ex cauſis ob quas Chriſtus mortem obire voluit, accendi debet gratitudo in Benevolum Redemptorem, deinde odium peccati quod tanto pretio conſtitit ut deleretur. Ex Mortis forma, quæ potuit eſſe mitior & honoratior, diſcimus præter affectum gratitudinis imitari Redemptorem; ut noſtris paſſionibus peculiaribus peccata noſtra purgantes adimpleamus Paſſionem Chriſti; nam (ut ait Auguſtinus, *quod adimpletum eſt in capite, reſtat adimplendum in membris*. In Reſurrectione & Aſcenſione miramur Chriſtum, de Morte, de Mundo, de Inferno triumphantem; nos eumdem tot modis ac de ſimilibus adverſariis victorias re-

Reſurrectio, Aſcenſio.

por-

portantem imitari debemus; in his etiam metus ſubeſſe poteſt, ne Judicis perſonam Chriſtus induat, poſtquam ille compererit Redemptoris officia nobis fuiſſe inutilia.

IV. Pluribus Titulis inſignitur Chriſtus, ex quibus etiam plurima duci queunt ad dicendum argumenta. Præcipuos ſolùm indico. Tituli Chriſti.

Primus qui occurrit in Chriſto Titulus, eſt ut ſit Exemplar Chriſtianorum ad quod illi ſe ſe conformare debeant, ſi de Salute fuerint ſolliciti. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri Imagini Filii ſui, &c.* ait Paulus Rom. 8. 29. Chriſtus ergo ipſe eſt, qui juſtam & legitimam Dei ſimilitudinem, cujus occaſione Angelus & Homo ob malam & perverſam æmulationem perierant, exhibuit talem, quæ poſſet fieri ſalubris imitationis typus. D. Bernardus ſerm. 1. de Advent. inducit Filium Dei his verbis colloquentem, *Ecce occaſione Creaturas ſuas Pater amittit .... Ecce venio & talem iis exhibeo meipſum; ut quiſquis videre voluerit, quiſquis geſtierit imitari fiat illi æmulatio iſta in bonum.* Ubique per Scripturæ ſeriem inſonant hortationes ad Imitationem Chriſti; veluti cùm Paulus ſæpiùs monet, ut exuentes veterem hominem induamus novum, ſcilicet Chriſtum; adeoque perfectam poſſe fieri Imitationem Chriſti docet D. Gregorius Nyſſenus, ut Chriſtianus vocetur alter Chriſtus. Decurrat igitur Eccleſiaſta omnium virtutum coronam, qua Chriſtus emicuit dum in terris viveret, v. gr. Sanctitatem, Patientiam, Mortificationem, Humilitatem, aliaſque ſimiles Animæ Chriſti dotes eximias perpendat; indeque pro data opportunitate proponat exemplar Chriſtianis imitandum. Verbum eſt abbreviatum, volumen & liber vitæ, Idea & forma perfectionis cujuſcumque Chriſtus, quem imitari debet qui ſalutis ſtudioſus eſt. Tribus autem modis Chriſtianus formam Chriſti ad ſe transferre poteſt, nimirum pro triplici methodo qua Imago ſolet affingi, aut à Sculptoribus, aut à Pictoribus, aut ab Hortulanis Topiariis. Prioris Generis Artifex ſupervacaneum à Materia detrahit, ut imaginem formet; Pictor, adjicit colores; Hortulanus utrumque imitatus, detrahit & adjicit, deinde nativos ramos ad formam propoſitam inflectit. Ita qui Chriſtum in ſe formare deſiderat, detrahere debet inutilia & vitioſa, adjicere virtuoſa & perfecta, indolem denique ad rectitudinis ſtatum componere. Exemplar imitandum.

Secundus Titulus quem in Chriſto reveremur, exhibet nobis Mediatorem & Advocatum. De his conſule Paulum 1. Timot. 2. 5. *Unus eſt Deus, unus & Mediator Dei & Hominum Homo Chriſtus Jeſus*, inquit, *qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, &c.* Hebræor. 9. 11. & paſſim per omnes Epiſtolas Chriſtum prædicat Redemptorem. Sed hinc Eccleſiaſta ducet occaſionem ſuſcitandi plurimos affectus in Auditorum cordibus. V. g. Amoris, *Amavit utique hominem quem magno redemit*, ait Tertull. lib. de Car. Chriſt. cap. 4. D. Anſel. lib. 2. cur Deus homo. *Quid* Mediator & Advocatus.

miſericordius intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis pœnis deputato, & unde ſe redimeret non habenti, Deus Pater dixit, Accipe Unigenitum meum & da pro te; & ipſe Filius, Tolle me & redime te? &c. Hic poſſunt exaggerari omnes circumſtantiæ quibus Amor ille Dei ad nos, commendabilis eſt. Quis enim eſt qui Redemptionis opus molitur? Deus. Sed quamobrem? An illud aggreſſus eſt aliqua erga nos obligatione devinctus? An propter prævia hominum merita? An fortaſſe indiguit Redemptione, ut ſuæ Majeſtatis gloriam hinc augeret? Nullatenus. Hæc omnia ſi optimè penſentur, Amoris Divini beneficentiam extollent. Deinde, Charitas Dei ex indignitate noſtra major elucet. Roman. 5. *Commendat Deus Charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* In quem ſenſum D. Bernardus ſerm. 1. de Advent. *Qui Nos? nos perjuri; nos adulteri; nos homicidæ; nos raptores; purgamenta utique mundi hujus? &c.* Adde ponderationem pretii quod pro nobis Chriſtus exolvit, hinc ſummum Redimentis amorem oſtendes. Poterat enim Hominem redimere per Angelum aliamve Creaturam, ſi voluiſſet; poterat minimo voluntatis nutu, ictu oculi, gutta ſudoris, lachrymarum, ſanguinis, vel aliis ſimilibus modis facilioribus, facere ſatis pro delictis Mundi etiam nocentioris; &c. Noluit tamen, ſed ſemetipſum, non alium; non ſui particulam, ſed totum ſe pro nobis, hoſtibus ſuis, tradere voluit. *Amori nihil ſatis eſt* (inquit Gilb. Abb. ſer. 19. in Cant.) *nulla ſatis ſunt amoris officia.* Unde Bern. ſerm. 30. in Circonciſ. *Totus mihi datus eſt, & in meos uſus expenſus.* Certè, ut ait idem ſerm. 64. in Cant. *Triumphat de Deo amor.*

Animę Humanæ valor & dignitas.

Alter affectus hinc cieri poteſt, nimirum Animæ humanæ æſtimatio quæ tanti conſtitit Deo. *Tam pretioſo munere ipſa Redemptio agitur,* ait Euſeb. Emiſſ. hom. 20. de Symb. *ut homo Deum valere videatur.* Quanto igitur ſtudio de tua ſalute debes eſſe ſollicitus, ò homo Chriſti exemplo ſtimulatus? Ille per triginta tres annos aſſiduè & laborioſè omnem impendit operam ut te ſalvaret; tu verò cujus res agitur, ſtertis & torpes? &c. Item Peccati gravitas ex Redemptionis pretio æſtimari debet: De hac re Auguſtinus ſerm. 29. de Temp. ſic fatur. *Ut hinc intelligamus, quàm graves apud ſe æſtimet Deus noſter humanorum criminum cauſas; propter quas non Angelum, non Archangelum, ſed Deum miſit ad terras.* Id tract. 25. in Joan. *Ut cauſa omnium morborum curaretur, id eſt, ſuperbia; deſcendit & humilis factus eſt Filius Dei.* Id ſerm. 41. de Verb. Dom. *Medicina tumoris hominis, humilitas Chriſti.* De Lazaro ait Chryſolog. ſer. 121. ideo habuiſſe corpus ulceribus ſaucium, *ut in admonendo Divite, tot eſſent Pauperis ora, quot vulnera.* Hoc de Chriſto toties vulnerato quis non jure dixerit? unde Rupertus cap. 13. in Joan. *Singulæ plagæ vel percuſſiones, grandem habuerunt vocem.* Laurent. Juſtin. pariter ſentit, dum ait, *Clamant ſputa, Clavi, irriſiones & ver-*

Peccati gravitas.

& verbera, ut ipſe toto corde, totiſque viribus diligatur, qui pro dilectione noſtra, talia ac tanta pati dignatus eſt.

O quantum Spei ducere poſſumus ex Chriſti Advocati clientela! *Filioli*, ait Joan. 1. 2. *ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Eamobrem cicatrices corporis inflictas ſervaſſe, & in cœlum tranſtuliſſe dicitur ille à Patribus, ut his, ceu tot linguis eloquentibus cauſam noſtram agat apud Deum Patrem; has oſtendit Patri obedientiæ & exinanitionis pignora, atque in compenſationem poſtulat pro peccatore veniam. D. Ambroſ. lib. 10. in Luc. *Vulnera ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri pretia noſtræ libertatis oſtenderet.* Spes ex Chriſto.

Longiùs protenderetur Liber iſte, ſi quæcumque Chriſto aliiſque Propoſitis Epidicticè & exornativè tractandis conveniunt proferre ſatagerem, Codices ampliſſimos locupletaret, pauca tantùm delibavi, ac deinceps deguſtabo, ut leviter præmoneam candidatum Eccleſiaſtam, quæ debeat verſare dum de ejuſmodi rebus agitur. V. g. quoniam de Chriſto res nunc eſt, ſuperſunt plures tituli ponderandi, ut quòd ſit *Rex*, *Paſtor*, *Sponſus*, *Doctor*, *Amans*, *Redemptor*, *Frater*, *Lux*, *Fons*, *oſtium*, *via*, *veritas*, *&c.* Item, Dives fuit Chriſtus innumeris virtutibus, quæ in ipſo nobis præluxere. v. g. *Charitas*, *Miſericordia*, *Patientia*, *Humilitas*, *Sapientia*, *&c.* Hæc inquam, & ſimilia plurima poſſunt de Chriſto digniſſimè prædicari, ideo Eccleſiaſta prudens poterit pro data opportunitate ſingula hæc Attributa expendere, atque quid ſingulis iterum conveniat ponderare, deinde ex collectionibus ſeu promptuariis quæ pro his peculiaribus paravit educere, quæ valeant ad Conciones, ſeu concionum partes inſtituendas. Cætera patebunt poſtea cùm de Diviſionibus agetur. Chriſti plures alii Tituli.

SECTIO III.

De B. Virgine, de Angelis, & Divis.

1. EN Cœlum tribus his capitibus ſuas divitias explicat, aperitque Concionatori ampliſſimam dicendi ſegetem. Prior occurrit B. Virgo Maria, quæ ut primam poſt Deum obtinet meritorum claſſem, ita & præconiorum; vixque periculi aliquid facit Panegyriſtis, ne in ea laudanda excedant, modò ipſam à Deo infinitè ſemper diſtantem pingant; ita enim eſt, ut cùm Creaturæ ordinem non ſuperet, Creatori nuſquam debeat aut poſſit æquari; adeo tamen ad ipſum accedit, ut Creaturas omnes præcedat. *Matre Dei nihil nobilius & præſtantius, Deoque conjunctius*, ait D. Ephrem, orat. de laud. Beatæ V. *Excepto Deo ſolo, eſt omnibus altior*, inquit B. Andræas Cret. de Aſſumpt. B. V. B. Virgo Maria.

Quæ de B. Virgine poſſunt generatim prædicari, ad tria capita revocantur: ſcilicet ad *Honorem*, *Invocationem & Imitationem*. Cultus & honor ad illius dignitatem ſeu meritum ſpectat; Invocatio ad Authoritatem ſeu Poteſtatem; Imitatio ad Sanctitatem ſeu exemplum pertinet. Innumeris pene titulis B. Mariæ Dignitas explicatur, v. g. quòd ſit Patris Æterni Filia, Filii Dei Mater, Spiritus Sancti Sponſa; Quòd præſit triplici Eccleſiæ, Triumphanti, Militanti, & Patienti. *Merito quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in ſingulis, totum habetur in Maria*, inquit Laurentius Juſtin. ſerm. de Aſſumpt. Authoritas ſeu Poteſtas B. Virginis non paucioribus nominibus commendatur; Huc SS. Patres referunt, quod initio Geneſeos dicitur Deus feciſſe duo Luminaria Mundo profutura, Luminare majus quod præeſſet diei, Luminare minus quod præeſſet nocti. Hoc, inquam, ajunt præmonſtrari Chriſtum & Mariam; illum quidem qui affulgeat cœlis in quibus diem conſtituit veſperi neſcium; hanc verò, quæ Terris criminum caligine obvolutis luceat.

B. Virginis Dignitas.

Authoritas.

Benignitas.

Hinc appellari ſolet Advocata Peccatorum, Mater Miſericordiæ, Theſaurus Gratiarum, Afflictorum Aſylum, aliiſque ſimilibus inſignitur nominibus, quæ benignitatis pollicitatione, ſpem faciant invocantibus conſequendi quidquid per Mariam à Deo poſtulaverint. Certè prius quàm Deus virgineo ſtetiſſet in utero, videbatur ſeverius agere cum hominibus, ideoque dicebatur Deus Exercituum, Deus Ultionum, Leo, ignis conſumens, &c. quibus titulis quaſi auſterior innoteſcebat ante Incarnationis myſterium; at ubi per novem menſes apud Virginem delituit, miteſcere viſus eſt; & quemadmodum Juriſconſulti ajunt quòd *Partus ſequitur ventrem*, ille Materni ſinus Miſericordiam ſuxit, unde verbis Job uſus, dicere poteſt Chriſtus: *Ab Infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum*. Job 31. 18. Hinc in Lege Gratiæ geſtit vocari Pater miſericordiarum, ambitque viſcera miſericordiæ, adeo ut dicatur ejus eſſe proprium miſereri ſemper & parcere. Undenam illa deſiderabilis commutatio in Deo immutabili? ex B. Virginis alvo, ita ut qui olim erat Leo terribilis, & Faſciculus myrrhæ acerbiſſimus, factus ſit in Matre Agnus amantiſſimus, & inter Ubera Mariæ commoratus ſuavitatem & dulcedinem hauſerit. Tertium de Maria caput eſt ejus Imitatio, quæ ubertimam ad dicendum copiam fundit. Eſt enim, ut ait D. Ambroſ. lib. 2. de Virg. *Forma Virtutis & exemplar, unde ſumuntur magiſteria expreſſa Sanctitatis*. *Si diligenter attendas* (inquit D. Hieronym. ſerm. de Aſſumpt.) *nihil eſt virtutis, nihil eſt ſplendoris, nihil gratiæ & nihil candoris, quod non reſplendeat in Virgine Glorioſa*. D. Chryſologus, eam vocat *Collegium Sanctitatis*. D. Thomas à Villanova conc. 8. de S. Mar. ſic ſcribit: *Sicut in Creatione mundi, in Homine collecta eſt omnis Creatura, ideo Microcoſmus; ſic in reformatione Mundi, in Virgine collecta eſt*

Imitatio.

Maria omnium virtutum archivium.

omnis

Digitized by Google

omnis Eccleſiæ Sanctorum perfectio, unde Microcoſmos Eccleſiæ dici poteſt. Quidquid in quolibet Sancto fuit illuſtre, in illa fuit. In illa Patientia Job, Manſuetudo Moyſis, Fides Abrabæ, Caſtitas Joſeph, Humilitas David, Sapientia Salomon, Zelus Eliæ, &c. Huc refertur illud Eccleſ. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare.* Quod D. Bonaventura in Spec. cap. 3. interpretatur de Chariſmatibus & virtutibus omnibus quæ ex omnibus Sanctis ad Mariam revocantur, Quæcumque igitur Gratiæ dotes in ſanctioribus Divis emicuere, hæ in Maria nobiliori modo effulſere, unde illa poteſt Chriſtianis exhibere Sanctitatis exemplaria: Solent autem hæ potiſſimùm notari Virginis virtutes, profundiſſima Humilitas, exquiſitiſſima Puritas, Charitas ardentiſſima, religioſiſſima in Deum Pietas; promptiſſimum legi obſequium; Patientia invincibilis, oratio ſine intermiſſione; Paupertas, rerumque mundanarum abnegatio, &c. Ex his aliiſque virtutibus, quæ in B. Virgine claruere, quæque ab illa plus ſplendoris duxere quàm ab iis ipſa, poteſt fieri Florilegium Mariale, ſeu Sertum ex Dotibus Mariæ compactum, quod Chriſtianis de perfectione ſtudioſis præſtituatur æmulationis Typus commodiſſimus. Hinc plures Octavæ ad Mariæ honorem poſſunt emanare. Verbis D. Hieronymi de Aſſumpt. V. utor, ad Marianos imitatores converſus; *Dilectiſſimi, amate Mariam quam colitis; colite quam amatis; tunc enim verè colitis & amatis, ſi imitari velitis quod amatis.*

Virtutes Mariæ.

Ad primum de Virgine caput referuntur Sacra quæ ad illius honorem ſolet Eccleſia celebrare Myſteria; ut ſunt ejus Conceptio, Nativitas, Præſentatio, Annuntiatio, Viſitatio, Purificatio, Compaſſio, Mors, Aſſumptio, Coronatio, &c. His feſtis propria accomodantur Promptuaria, quæ ſingulis appoſita ſint ad explicationem, laudem & Imitationem. Rupertus lib.6. in Cantic., ſcribit Mariam, *in ſua prima Sanctificatione fuiſſe ut Auroram, in Filii conceptione ut Lunam, in Morte ut Solem.* Cum D. Anſelmo lib. de Excell. Virg. cap. 8 metam figo, *Immenſitatem gratiæ tuæ, ò Domina, conſiderare incipienti, & ſenſus deficit & lingua fatiſcit.* Partitiones de myſteriis Marialibus, infra conſulito.

Myſteria de Virgine.

II. Angelorum Dominæ Angelos aſſeclas ſubjungimus, ceu alteram Eccleſiaſtici agri ſegetem. Tria de hoc propoſito dicenda occurrere poſſunt, videlicet de Angelis in Genere; deinde de Angelis in particulari, ut de Cuſtodibus, de D. Michaele, Gabriele, Raphaele, &c. ac tamdem de Angelis etiam Rebellibus.

Promptuarium pro Angelis.

1. Operæ pretium eſt, repoſitam habere ſupellectilem oratoriam de Angelis in genere, quia ſæpe de iis dicendi fit occaſio, ſeu ipſi verſentur in propoſito, ſeu cum illis aliquæ inſtituantur comparationes, ut in parallelis Sanctorum qui ad Angelicam perfectionem acceſſiſſe dicuntur. Huc ſpectant quæ ſunt de Angelorum Exiſtentia, Nobilitate, Virtutibus

bus

bus, dotibus, officiis, ac etiam de cultu iis exhibendo, nec non & de ratione qua Homines queant cœleſtes ſpiritus in terreno corpore imitari. De his Auguſtinus ſer. 1. in pſ. 103. ſic ait, *Spiritus ſunt Angeli, & cùm Spiritus ſunt, non ſunt Angeli; cùm autem mittuntur ſunt Angeli. Angelus enim officii nomen eſt, non Naturæ. Quæris nomen hujus Naturæ? Spiritus eſt; quæris officium? Angelus eſt. Sicut in homine, nomen Naturæ, homo: nomen Officii, præco; non qui erat præco, fit homo. Sic ergo, qui erant jam Spiritus conditi à Creatore Deo, facit eos mittendo nuntiare quod juſſerit.* Huc adjeci nonnulla quæ præfato propoſito conveniant. Primùm quidem de Angelis in communi, deinde de Cuſtodibus, poſtea de aliquibus in particulari.

De Angelis in communi. Varia quæ de Angelis bonis poſſunt generatim proferri, his maximè capitibus definiuntur, Eorum Exiſtentia, Dignitate, Officiis; totidem ferè rebus explicantur quæ ad Angelos malos ſeu Dæmones ſpectant.

Exiſtentia. 2. Exiſtentiam Angelorum ſtatuunt Eccleſiæ ac Patrum Decreta, Theologorum ſententiæ, ac rationis authoritas. D. Thomas lib. 2. contra Gentil. 49. *Oportuit* (inquit) *ad perfectionem univerſi, eſſe Creaturas intellectuales*. Hoc eſt, quandoquidem aliquæ ſubſtantiæ ſunt omnino corporeæ, ut lapis, lignum &c. aliquæ ex corpore & ſpiritu conſtantes, decuit ut crearentur quæ omnino eſſent corporis expertes: Alias hujus aſſertionis rationes vide apud Scholaſticos, qui etiam de Natura, Gratia, virtute, modo agendi & colloquendi ac cæteris Angelorum proprietatibus fusè diſſerunt. *Angelus* (inquit Auguſt. tract. de cognit. veræ vitæ cap. 6.) *ſubſtantia incorporea eſt, intellectualis & immortalis*. Eſt, inquit Damaſcenus, *Eſſentia intelligens, corporis expers, naturæ immortalitatem divinitùs conſequuta; ſecundarium ſpiritale lumen, ex primario illo ac ſempiterno lumine ſplendorem hauriens*. Dignitas Angelorum liquet ex

Dignitas. nobilitate cùm ſubſtantiæ, ſeu naturæ, tum Virtutis ſeu Gratiæ & Gloriæ, tum etiam ex officiis quibus funguntur. En plures SS. Patrum de hac re ſententiæ; D. Hieronym. in cap. 2. Zachar. *Horum tanta eſt dignitas, ut omnis humana natura illis comparata, pueritia nuncupetur*. D. Ambroſ. lib. 2. de Fide. *Homo Angelorum comparatione, mutum videtur eſſe jumentum*. D. Auguſt. lib. 11. Civit. cap. 35. *Tanta eſt Angelicæ naturæ excellentia, ut omnia quæ Deus condidit, Naturæ dignitate præcedat, &c.* Angeli dicuntur Job 1. *Filii Dei*, à Clemente Alexand. l. 6. Strom. *Primogeniti*, ab Ezech. cap. 28. *Signaculum Similitudinis*, à Michael. Syncel. *Divina Specula*, à Sophronio, *Cognitionis fontes & ſcaturigines*, *Illuminatores & viæ duces*, à Gregor. Nazianz. orat. 38. *Secundi ſplendores procreati, primi ſplendoris adminiſtri*. D. Ambroſ. in cap. 12. Luc. *Mundi Flores*.

Officia. 3. Officium Angelorum multiplex eſt, præcipuum verò, Creatoris Laudes celebrare. Sunt ergo Panegyriſtæ Dei: ſunt ex Job 38. *Aſtra matutina*; à D. Bernardo vocantur *Cœli cantores*, ab aliis *Cœleſtes Aves &*

Divi-

Divini præcones. Sunt Miniſtri Dei. Petrus Bleſenſis de illis ſic ſcribit, *His principaliter & propriè, Angeli deſerviunt officiis, ut vel ad Deum venientium inquirant mentem, propoſitum & meritum. Officii ſui certe eſt & dignos intromittere & indignos extrudere: bene meritos cum reverentia ſuſcipere, immeritos cum injuria rejicere*. A Petro Damiano ſerm. 40. appellantur *Cœlorum officinæ*, quaſi quidam divini inſtitores, qui merces in officinis ſuis repoſitas habeant in uſum Viatorum. Decretis cùm miſericordiæ, tum juſtitiæ exequendis præponuntur. Tertullian. lib. adverſ. Judæ. cap. 9. Angelos (inquit) miniſtros ſuæ virtutis Deus præfecit, ita Cherubim cuſtodiendo vitæ ligno præponitur Geneſ. 3. Gomorrham ſuccendunt ſpiritus vindices, Geneſ. 19. Exercitus Sennacherib delent, 4. Reg. 19. & Matth. 13. dicitur, *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum*. Quàm promptè illi mandata divina exequuntur! Tertullian. Apolog. cap. 22. *Omnis ſpiritus ales eſt; hoc Angeli igitur momento ubique ſunt, totus orbis illis locus eſt*. Ut horum oſtendat celeritatem ait Pſaltes Regius, pſalm. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Miniſtros tuos ignem urentem*. Citiùs obſequuntur Deo quàm illi milites, de quibus gloriabatur Centenarius Matth. 8. inquiens, *Dico huic, Vade & vadit, veni & venit*. Unde pinguntur Symbolis Seraphim volantium & ſtantium, Iſai. 6. Animalium & rotarum ambulantium, Ezechiel. 1. Ignis, fulguris, Lucis & aliarum rerum ſimilium quarum motus eſt velociſſimus.

4. Angelica Natura eſt humanæ amantiſſima, ut ait D. Bernardus ſer. de S. Michael. *In ſupernis illis ſpiritibus non ſolùm admirabilis dignitas; ſed dignatio amabilis*. Hujus dilectionis triplicem cauſam ille affert, dicens, *Diligunt enim nos, propter Deum, propter ſeipſos & propter nos*. Et quidem propter Deum, quia Dei Characterem in homine intuentur; Deum homines amantem imitantur; ac ipſius denique præcepto de Charitate obſequuntur. Diligunt propter ſeipſos, quia in hominibus amant inſtauratores Rebellium, atque ab iis ſperant Gloriæ addititium, Societatis incrementum. Denique Homines propter eoſdem diligunt, ob triplicem ſimilitudinem quam in hominibus conſpiciunt, cùm in Natura, tum in Gratia, tum in Gloria. O quàm illi lætantur cùm aliquid his fœliciter ceſſiſſe norunt! Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. De quo D. Bernardus ſerm. 30. in Cantic. *Gaudium eſt in converſione & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominum ſitientes; Lachrymæ pœnitentium vinum Angelorum*.

Amor Angelorum erga Homines.

5. Triplici debito erga Angelos obſtringimur. Prius eſt Amor in Benefactores, *Redamemus eos* (inquit D. Bernardus ſer. in pſal. 91.) *quantùm poſſumus, quantùm debemus affectuosè, &c.* 2. Deinde debemus Reverentiam ſubſtantiæ nobiliſſimæ. D. Bernard. ibid. ait, *In quovis diverſorio, quovis angulo, reverentiam exhibe tuo Angelo, &c.* Denique in Angelis

Debita Hominum erga Angelos.

gelis plurima nobis occurrunt imitanda, ut ſunt, amor puritatis, celeritas in obſequio Creatori præſtando, Pacis affectus, &c. D. Bernard. ſerm. 1. de S. Michaele, *Plurima ſunt quæ Angelis placent, & quæ in nobis invenire delectat; ut eſt ſobrietas, caſtitas, paupertas, cum lachrymis & cordis intentione, attamen, ſuper omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis, &c.*

Hominis ſimilitudo cum Angelis.

6. Hominis eſt gloria non mediocris, quòd ad Angelorum ſimilitudinem poſſit accedere, ut futurum poſt reſurrectionem Chriſtus aſſerit. Matthæi 22.30. *Erunt ſicut Angeli in cœlo*, & Lucæ 20.36. *Æquales Angelis ſunt, &c.* Quæ verba triplicem poſſunt habere ſenſum, ut nimirum ea ſimilitudo ſtet vel in incorruptibilitate ſubſtantiæ, vel in puritate affectus, vel denique in Beatitudinis æqualitate. De immortalitate ſunt quæ ſequuntur Luc. 20. 36. *Neque enim mori poterunt*, ait Chriſtus de hominibus ſuſcitatis. Tertull. lib. de Reſur. carn. *Similes enim erunt Angelis, quia non nupturi, quia non morituri; ſed quia tranſituri in ſtatum Angelicum, per indumentum illud incorruptibilitatis, per ſubſtantiæ tamen reſuſcitatæ demutationem.* Id. ibid. cap.62. *Erunt tamquam Angeli, ſi non nubendo, quia non moriendo; utique nec ulli neceſſitati ſuccidendo corporalis conditionis.* Id. lib. adv. Valentin. cap. 32. *Poſt exceſſum omnino non obnubitur, ubi & ſi deſpolior ſexui meo, deputor Angelis, non Angelus, non Angela.* Chriſtus æqualitatem in puritatis affectu apertiùs explicat, dum ait Matth. 22. 30. *In reſurrectione neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli, &c.* Tertull. lib. de Reſur. car. cap. 62. *Non dixit, erunt Angeli, ne homines negaret: ſed tamquam Angeli, ut homines conſervaret; non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit.* Ex D. Ambroſio dictum eſt ſupra, quod *Angeli verè ipſius mundi flores ſint, quod eorum claritatibus ornatur mundus.* Quæris cujus ſpeciei flores ſint? ſunt lilia agri, hæc enim *non laborant, neque nent.* Luc.12.27. hoc eſt, nihil novi meriti conſequuntur, quia ſunt extra ſtatum merendi, vel ob candoris puritatem, quæ carnis maculas neſcit, ideoque fulgent: His ſimiles erunt Homines poſt Reſurrectionem, quia tunc fient à corpore immunes; *ſeminatur corpus ſpirituale*, inquit Paulus 1. Corin. 15. immo & qui virginitatem in terris colunt Angelos vix non adæquant. Tertullian. lib. 1. ad Uxor. cap.4. *De familia Angelica deputantur.* S. Petr. Chryſolog. ſerm. 145. *Semper eſt Angelis cognata virginitas, in carne enim præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis; & ſi vultis ſcire, Angelicam gloriam acquirere majus eſt quàm habere: eſſe Angelum, felicitatis eſt, virginem eſſe, virtutis. Hoc habet virgo ex viribus quod habet Angelus ex natura.* D. Ambroſius lib.2. de Habit. Virg. ait: *Major eſt victoria Virginum quàm Angelorum: Angeli ſine carne vincunt, Virgines in carne triumphant.* Sponſus *paſcitur inter lilia*, Cantic. 2. *quia proculdubio* (inquit D. Gregorius) *Animarum caſtitate delectatur, quæ munditiam carnis cuſtodiunt.* De ſimilitudine Hominum cum Angelis in Gloria, res videtur liquere, ex eo

Virginitatis ſtatus cum Angelis comparatur.

quod

quòd ſentiant Theologi, Hominum beatorum plurimos, primis Angelorum ſedibus adſcribendos.

7. Angelorum aliquorum Hominibus cuſtodiendis deputatio aſſeritur, ex communi Patrum ac Theologorum ſententia; videtur liquere ex Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei &c.* Actor. 12. *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis.* Quod D. Chryſoſt. homil. 26. in Act. interpretatur de Angelo cuſtode. Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Hebræor. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* D. Hieronym. *Magna* (inquit) *dignitas Animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis ſuæ, in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* D. Bernardus ſerm. 12. in Pſ. Qui habitat: *An præſentem Angelum eſſe dubitas, quem non vides? fidem conſulas, ea tibi Angelicam probat præſentiam non deeſſe. Adſunt igitur, & adſunt tibi non modò tecum, ſed etiam pro te: adſunt ut proſint.* Plura vide apud D. Bernardum ibid. ſed quæris quorſum hi Angeli à divina Providentia nobis deputentur? Triplex ſtatim occurrit neceſſitas quæ Angelicum officium erga nos provocet; intellige quæ ſit hominum viatorum conditio; cæcitate laborans periclitatur inter præcipitia; infirma eſt, inter adverſarios quibus continuò impugnatur; miſera eſt, inter ærumnas innumeras quibus affligitur. His omnibus proſunt Angeli Cuſtodes, videlicet, ſunt *Duces*, & ducatum præſtant Cœcis; ſunt *Protectores*, & auxiliantur Infirmis; ſunt *Amici*, & afflictos ſolantur. D. Bernardus loco citato, ſerm. 11. ait: *Multæ ſunt viæ, multa genera viarum; magnum profectò periculum viatori. Quàm facile in multarum rerum occurſu erravit in via ſua, qui viarum diſcretione caruerit, &c.*

Angeli Cuſtodes.

Angelorum cuſtodum officia erga homines.

8. Variis nominibus appellantur à Patribus ejuſmodi ſpiritus hominum Cuſtoſtes. A D. Dionyſio, *Ductores noſtri*, ab Athanaſio *Mortalium Præceptores*, à D. Bernardo *Paranymphi & Pædagogi*; frequentiori titulo innoteſcunt; *ut Tutores, Protectores, Mediatores, &c.* Videntur Paganis obſcurè cogniti, nomine Geniorum, Larium, Penatum, Præſtitum, Tutelarium, Hoſtiliorum, Dœmonum, & aliorum ſimilium ſpirituum domeſticorum, quos publicis & privatis rebus diverſimodè præeſſe arbitrabantur. Veriùs, immo veriſſimè, Chriſtianis habentur ut Cuſtodes, quos (ut ait Eccleſia) ineffabilis Dei Providentia ad noſtram cuſtodiam mittere dignatur. De his ſic fatur Tertullianus l. de Rapt. c. 6. *Angelus Baptiſmi Arbiter, ſuperventuro Spiritui Sancto vias dirigit, ablutione delictorum, &c.* Hi ſunt igitur, quibus Deus mandavit ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris: quod mandatum triplici modo exequuntur, vel ſcilicet per modum ſuadentis bona, & mala diſſuadentis; vel paſſiones appetitus ſentientis cohibent, occaſioneſque peccati ac pe-

Quomodo illa, exequantur.

ricula etiam corporis & Animæ removent; vel poteſtate ſibi à Deo facta ipſos Dæmones comprimunt, ne noceant. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Pſ. 25. Illa inquam vox eſt, quæ Domini authoritate fulta Dæmonis furentis non ſecus ac maris frementis impetus compeſcit his fortaſſe verbis, *Huc uſque venies*, *& ibi conteres tumentes fluctus tuos*. Job. 28. *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui Cuſtodes*, inquit Deus, Iſai.62. 6. Ad quæ Verba D. Bernardus attendens, ſer. 14. in Dedic. Eccleſ. hos vocat Angelicas Excubias. D. Auguſt. in Pſ. 124. *Ambiunt* (inquit) *Eccleſiam Angeli*, *& quaſi murum faciunt*. *Nocturni vigiles*, vocantur ab Origene, *&c.*

Angeli, qui ſunt nobis notiores. D. Michael.

9. Angelorum aliqui præ cæteris innotuere nobis; quales ſunt D. Michael, Gabriel, Raphael, &c. D. Michael dicitur Danielis 10. *Unus de Principibus primis*; à D. Baſilio, *Angelicarum Copiarum Dux*; à Sophronio, *Sacræ Militiæ Princeps*; ab Eccleſia, *Primas cœleſtis exercitus*. Multis nominibus ac laudibus celebratur à D. Pantaleone in Encomio apud Lippomanum: ſed hoc maximè titulo ſolet commendari, quòd Dei Gloriam tuitus aliquando fuerit adverſus Luciferum ejuſque in defectione ſacrilega ſocios; quòd olim Synagogæ, nunc Eccleſiæ Præſes, Chriſtianorum regimini advigilet; quòd denique ſingulorum hominum ſaluti videatur præpoſitus, ac tandem in extremo Judicio pro ſalvandis pugnaturus cum Dracone invido præſumatur.

Gabriel.

Cur Angelus miſſus eſt incarnationis nuntius.

10. Gabrielis Archangeli notitia hominibus facta eſt præſertim ex Myſterio Incarnationis cujus ille Nuntius fuit, ut liquet ex Lucæ 1. capite. Hujus delegationis rationes hæ ſolent à Patribus indicari. *Propter tria puto Deum noſtræ ſaluti interpoſuiſſe Angelum nuntium* (inquit Albertus Magn. Luc. c.) *quòd videlicet tanto gaudio Angelica Natura quoad miniſterium non privaretur*; *& quia Angelorum ruina ex hoc reparatur*; *& quia*, *circa hominem cuſtos & miniſter Angelus deputatur*. S. Ildephonſus L. de Virginit. Mariæ c. 10. ſic ſcribit: *Et hanc quidem tantæ Nativitatis gloriam*, *dignum erat*, *ut Angelus nuntiaret*. *Tantæ dignitatis oraculis opportunum erat ut Angelus inſerviret*; *jam novæ Generationis opus conveniebat ut Angelus indicaret*. *Tanti ſecreta miraculi*, *competebat ut Angelus reſeraret*; *Ita quoque decorum fuit*, *ut humilitatem Dei Angelica ſublimitas enarraret*, *&c.* Ex quibus habes ideo Angelum interfuiſſe Incarnationis negotio, vel quia ſolet in rebus quæ Creatorem inter & Creaturam tractandæ occurrunt tamquam Mediator adhiberi; vel quia honoris quo Deus Hominem donabat, debuit Angelus particeps fieri; ſaltem ut Nuntius & miniſter; vel quia decuit, ut miraculorum maximum & ſecretorum omnium altiſſimum reſeraretur ac evulgaretur ab excellentiori præcone; vel quia, ipſius Naturæ Angelicæ intererat ejuſmodi negotium, quo ſcilicet Angelorum caſus inſtaurandus erat per homines beandos; vel denique, ut Talionis pœna mulctarentur Angeli, & quorum aliqui fuerant

rant hominibus perditionis occaſio, horum etiam aliquis foret ſalutis recuperandæ Negotiator, unde D. Chryſolog. ſer. 142. ait, *Audiiſtis agi, ut homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit cum Maria Angelus de Salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina; ut noſtræ perditionis initio, conveniens noſtræ reparationis principium reſponderet.* Aliam ejuſdem rationem adjicit D. Hieronymus, dum ait ſerm. de Aſſumpt. *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas, &c.* Cur autem ex Angelorum numeroſa multitudine Gabriel fuerit ad tantum negotium præ cæteris electus, diſce ab ipſius virtute, quæ, nomine prodente, conjicitur Incarnationis ſcopo convenire. D. Hieronym. l. 1. in Dan. 8. *Gabriel* (inquit) *lingua noſtra vertitur Fortitudo Dei, vel Robuſtus Dei; unde & eo tempore quo erat Dominus naſciturus & indicturus bellum Dæmonibus & triumphaturus de Mundo, Gabriel venit ad Mariam.* D. Gregorius hom. 34. in eandem abit ſententiam, inquiens, *Per Dei Fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus & potens in prælio, ad debellandas Poteſtates aereas veniebat, &c.*

11. Raphaelis Archangeli charitas celebratur in Tobiæ junioris pædagogia & ſenioris curatione, quique de ſe ita teſtatus eſt, *Ego ſum Raphael Angelus* (inquit) *unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* Tob. 12. 15. Idem de aliis aliquibus Angelis proditum legimus, unde ipſos tenemur 1. *Diligere*, ut Benefactores. 2. *Audire*, ut Præceptores. 3. *Revereri*, ut Superiores. 4. *Imitari* denique, ut Sanctitatis, virtutis ac perfectionis Typos; Atque hæc ſunt quæ ſolent potiſſimùm ab Eccleſiaſta tractari, dum agendi de Angelis opportunitas occurrit. Raphael.

12. De Divis, ſeu Hominibus quos ſanctè vixiſſe ac in cœlum exaltatos fuiſſe credimus, agunt ſæpiſſimè Concionatores, atque inde ampliſſima dicendi ſeges aperitur: ſed quia de iiſdem plurima dicta ſunt in ſuperiori libro, cùm Catechiſticè verſaretur iſtud propoſitum, cap. 2. art. 3. ac etiam in pluribus conveniunt Homines, quos Beatorum nomine appellamus, cum iis, quos Viatores dicimus, de quibus in ſequente Promptuario agetur; ideo ſtudioſum Eccleſiaſtam illuc remittimus, ut inde paratam ad Panegyres ſupellectilem habeat. Præmonebo ſolùm, tria in Laudatione Sanctorum debere attendi. Primum eſt, ne quis titulo Sanctitatis proponatur colendus, niſi Eccleſiæ Catholicæ, ſedíſve Romanæ judicio, aut ſaltem recepto uſu fuerit probatus; ſi verò aliquis occurrat Laudandus qui de Beatorum numero declarandus ſperetur, interim celebrari poterit, adhibita cautione, quòd ex panegyri non debeat certò haberi Sanctus, donec acceſſerit Eccleſiæ Romanæ calculus. Idem eſto judicium de Miraculis quæ ſolent venditari; nemo Catholicus inficiari poterit illa nonnunquam Sanctorum ſuffragio fieri, cùm ſcilicet ita Dei gloriæ Hominumque ſaluti expedit, ſed plebecula plus nimio credula ſæpius fingit opera ſupra Naturæ vires, in quibus cau- De Hominibus Beatis. Tria in Beatorum Panegyribus obſervanda.

Digitized by Google

tior eſſe debet Eccleſiaſta, ne his citiùs fidem adhibeat, aut eadem imprudentiùs evulget, donec illa probatis teſtibus conſtiterint; malunt quippe Divi meritis laudibus carere, quàm ex ſuppoſititiis operibus extolli. Alterum monitum eſt, duplici ratione Panegyrim Sanctorum poſſe confici: vel Abſolutè vel Comparatè. Prior methodus Dotes ac virtutes alicujus prædicat, prout in ipſo autore emicuere, abſque collatione cum aliquo ſimili; Altera ratio Comparationem inſtituit unius Sancti cum alio, vel re aliqua ſimilitudinem exhibente, diciturque ejuſmodi Concionis forma, Parallelus, vel Syncritica Idea, de qua poſtea, Lib. 4. Tertium denique advertendum eſt, quod jam pluries notavi, Tria debere in Sanctorum Panegyribus tractari, *Cultum*, *Vota*, *& Imitationem*; hoc eſt, Honorandi ſunt ob virtutes quibus laudem meruere; Invocandi ſunt ob gratiam qua pollent apud Deum; Imitandi ſunt, ob perfectionem qua præſtantes cæteris viam ad ſimilia Religionis facinora patefecere: Atque in hoc ultimo capite vis facienda eſt, quia ad morum formationem plurimùm valet Anteceſſorum Exemplum. Euſebius Emiſſi. hom. de S. Maximo, ad propoſitum hæc ſcribit: *Præclari ſancti, & diſcipulos nos eſſe meminerimus & Filios. Rapiat unuſquiſque quod poteſt de bonis inteſtati Parentis; hic Margaritam compunctionis; theſaurum caſtitatis ille invadat, &c. Licèt enim locupletiſſimus ille Chriſti amicus, quidquid habuit, integrum ſecum tulerit, nobis tamen ſi volumus totum reliquit. Ita ergo agamus bona illius conſectantes, ut qui in æternam gloriam ſuſcitandus eſt, ſub fine ſæculorum redditus Eccleſiæ ſuæ, per rediviva in filiis merita jam ſurrexerit.* Duas alias rationes idem addit cur Sanctorum feſta celebrentur, homil. 1. de S. Stephano, his verbis: *Etſi Sancti humanis non indigeant laudibus, tamen hominum ſtudiis celebrantur, ut dum in exemplum proponuntur, etiam gloriæ eorum currat augmentum; deinde ut antiquus ille Religionis Inimicus, etiam ante Judicium ſentiat pœnam malitiæ ſuæ, per quam ſe Sanctorum gloriæ intelligit militaſſe: ut cùm totus celebrat mundus interempti coronam, neceſſe habeat interemptor propriam lugere victoriam*, &c.

ARTICULUS II.

Promptuarium Humanum Panegyricum, ſeu Loci Oratorii, ex quibus Hominum Laus duci poteſt.

I. IN prima hujus operis parte Lib. 2. c. 3. art. 1. & 2. dicta ſunt plurima quæ ad propoſitum mox tractandum ſpectant; ibi enim recenſentur Loci ſeu Circumſtantiæ ex quibus cùm Perſonæ, tum Res poſ-

poſſunt penſari: Adjunctorum Perſonis propriorum tres Claſſes tunc fecimus. Prior Fortunæ bona exhibebat: Secunda Corporis diſpoſitionem; Tertia Dotes Animi complectebatur. Hæc eſt ſolemnis Fontium Laudativi generis partitio, quam communi Oratorum ſenſu probatam hìc ſequimur, quamque diximus *Humanum Promptuarium*, quia ad Hominum Laudationem vel vituperationem dumtaxat pertinet. Fortunam hìc non ſtricta, ſed latiore ſignificatione intelligimus, quodcumque eſt extra hominem, ipſique aliunde accidit quàm à Corpore vel ab Animo. Ejuſmodi ſunt Patria, Parentes, Conditio, Divitiæ, Dignitates, &c. Corporis bona ſunt, Forma, Robur, ætas, &c. Animi verò Dotes conſtant ex virtutibus innatis, acquiſitis & infuſis; aut certè contrariis vitiis infamantur. Verùm, ut hi Demonſtrativi Promptuarii fontes liquidiùs pateant inquirentibus, illos paucis immutatis in tres alias claſſes partimur. Prior ea continet bona vel mala quæ ad Perſonam ipſam privatim attinent, diciturque Privatum & ſingulare Promptuarium: Secunda convenit eidem homini, prout Domeſtici ac familiaris Regiminis pars eſt, ideoque Domeſticum vocatur; Tertia Publici miniſterii diverſos ſtatus ac Gradus complectitur, eſtque Laudis in hominem Reipublicæ datum refundendæ Theſaurus. Præfatis addi poſſet quarta Claſſis virtutum & vitiorum unde aliquis laudaretur aut vituperaretur; ſed quia hæc Deliberativum genus ſapiunt, idcirco illa in proximè ſequentem librum remittimus. Promptuarii Humani diſtributio.

SECTIO I.

Promptuarii Humani Fontes, qui ad Hominem Privatum, vel laudandum vel vituperandum ſpectant.

§. I.

A Bonis Extrinſecis.

I. A Bonis Externis, quæ Fortunæ beneficia dici ſolent, aperimus Theſaurum iſtum ſingularem, unde homo Privatim ſpectatus laudari vel vituperari poſſit. Non adeo tamen homini Privato proprius eſt Locus iſte, quin ad eundem in quovis ſtatu poſitum traduci debeat, cùm opportunitas iſtud poſcit, immò ferè ſemper ita fieri conducit, cùm ſcilicet Demonſtrativi Generis oratio altiùs repetitur. Hujus igitur capita præcipua breviter deguſtamus.

1. *Natio & Patria* non modicum ad Laudem vel vituperium conferunt; videlicet ſi illarum gloriam propriis virtutibus auxerit aliquis, vel è contra vitiis privatis dehoneſtarit. Prior Gentem populumve unde quis ſatus eſt, explicat; altera Soli Natalis qualitates attendit. In Natio- Natio.

tione tria maximè penſentur. Primum eſt, an Clara ſit virtutibus, aut vitiis puteſcat; an Gentilitiæ laudi aliquid adjecerint, vel ab eadem detraxerint aliquid privati mores. Ita laudandus eſt qui Nationis claritatem adæquat, aut ſuperat, aut etiam ex infami loco clarus evadit; contra verò vituperium meretur, qui Gentis decus probro afficit, vel ejuſdem ignominiam imitatur. Secundò ſpectatur in Natione, quos viros illa protulerit; An Inſignes, an infames, an ſordidos, an Pios vel Impios, &c. *Magnum eſt & Urbi & Genti, primum aliquem virum protuliſſe*, ait Ariſtides orat. funeb. pro Alexand. Sic Tullius orat. pro Archia, ſcribit, *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum; Chii ſuum vendicant, Salamini repetunt, Symrnæi verò ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum ejus in opido dedicaverunt permulti; alii præterea pugnant inter ſe atque contendunt*. Tertium Demonſtrationis in Gente caput eſt, Publicæ rei adminiſtratio bona vel iniqua; Huc referuntur Leges, Decreta, aliaque ſimilia quæ Juris obſervantiam vel negligentiam oſtendunt.

Patria. 2. *Patria* conſimilibus ferè titulis ponderatur, ſed cum pro Natali Solo ſæpius uſurpetur, in ea ſolent attendi Situs, Fertilitas, Ædificia, Templa, Fora, Portus, Academiæ, Arma, Propugnacula, Antiquitas, Conditores, &c.

Parentes. 3. *Parentes*, ut ex radice arbor, ex origine rivus, ex præmiſſis concluſio, ita ex Parentum qualitate ſolent Filiorum mores conjici; ſeu illorum affectus in hos cum ſanguine transfundantur, ſeu hi aliorum ſimilitudinem referre ambiant, veluti effectus ſuas cauſas, tabellæ typos, imagines rem, ſpecula perſonam videntur ſtudioſiùs æmulari. Non eſt igitur modica laudis ratio, cùm aliquis ex claris ortus Anteceſſoribus horum virtutem, & præſtantiam aut imitatur aut excedit; ſi etiam Parentum vilitatem proprio decore illuſtret, hinc maximè laudandus. Contra, ſi à natalitia dignitate recedat, vel paternam indignitatem augeat; diciturque malus corvus ex ovo malo progenitus. Item ſtimulus eſt ad eximia facinora. *Par eſt* (inquit Ariſtoteles 3. Polit. c. 13.) *meliores eſſe, qui ſunt è melioribus oriundi*. Idem ſuperiùs l. 1. cap. 4. dixerat, *Sicut ex hominibus hominem, ex beſtiis beſtiam, ſic ex bonis bonum generari*. Cicero 2. Verr. n. 52. *Circunſtant te ſummæ authoritates, quæ te oblivиſci Laudis domeſticæ non ſinant: quæ te noctes dieſque commoneant, fortiſſimum patrem, Sapientiſſimum Avum, graviſſimum Socerum fuiſſe*. Contra in degenerem Piſonem ille invehitur his verbis: *O vilitas animi, lucem ſplendoremque fugientis! ò lutum! ò ſordes! ò paterni generis oblite, materni vix memor! Ita neſcio quid iſtud fractum, humile, demiſſum, ſordidum inferius eſt, quàm ut Mediolanenſi præcone Avo tuo dignum eſſe videatur*.

Nobilitas. 4. Alterum eſt Oſtentativi Generis caput *Nobilitas*, ſeu Patriæ, ſeu Parentum, ſeu etiam propria virtute conquiſita, in alterutram partem

ver-

Digitized by Google

verſata magnam aut laudis aut vituperii materiam ſuggerit. Hæc de Nobili Genere ſolent in laudem proferri. Primùm, quòd cultiores ſpiritus & affectus à Parentibus cultioribus in Filios tranſmitantur, ideoque iſti ad majora facinora expeditiores evadant. Sic Conſtantinum laudans Eumenius, ita illum alloquebatur: [Tanta eſt Nobilitas Originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris Imperium, nec poſſit fortuna Numini ſuo imputare quod tuum eſt, omiſſo habitu & ſuffragatione; non fortuita hominum conſenſio; non repentinus aliquis favoris eventus te Principem fecit, imperium naſcendo meruiſti; quod quidem mihi Deorum immortalium munus & primum videtur & maximum, in lucem ſtatim te felicem venire, & ea quæ vix alii totius vitæ laboribus conſequuntur, jam domi parta ſuſcipere. &c.] Deinde Nobiles ſtimulantur ut plurimùm, ardentioribus & honeſtioribus ad virtutem incitamentis, ipſoſque vehementiùs pudere ſolet ſi ab Anteceſſorum gloria deflectant. Adde quòd Chriſtus ipſe exinanitionis amantiſſimus, voluit in Evangeliſtis commendari ex Majorum Regia ſerie. Ita etiam Joannes Baptiſta prædicatur à D. Chryſologo ſer. 88. *Antiſtes de Antiſtite, ſacramenti filius inter ſacramenta conceſſus, Angelus de ore Angeli ſancta delatus in viſcera.* In Nobilitate laudatur Antiquitas longo Majorum Nobilium nexu illigata. Sic Decium laudat Caſſiodorus l. 3. Var. c. 6. his verbis, [Maximis luminibus Deciorum Sanguis irradiat, qui tot annis continuis ſimul ſplendet claritate virtutum. Et quamvis rara ſit gloria, non cognoſcitur in tam longo ſtemmate variata. Sæculis ſuis producit Nobilis vena primarios; neſcit inde aliquid naſci mediocre, tot probati quot geniti, &c.] Item virtute & probitate Nobilitas clareſcit, ſicut & viciſſim illæ per hanc illuſtrantur. Gradus honoris ac Dignitates potiores, Liberaliores Diſciplinæ, aliaque ſimilia, ſi in Nobilibus occurrerint, eos commendant: contra verò, minus bene audit apud aliquos Nobilitas, cenſeturque vitiorum plurimorum ſeminarium. Ariſtoteles l. 5. Polit. cap. 1. ſic ait, *Qui revera Nobiles & boni ſunt. nuſquam centum reperies.* Nobilitas vocatur à D. Fulgentio *ſuperbiæ fomes*. Epiſt. 2. Sed hæc non niſi de Nobilitate tantùm degenere ſcripta cenſentur. *Philoſophia ſtemma non inſpicit*, inquit Seneca Epiſt. 44. D. Cyrillus Alexand. ſcribit, *Apud Deum Nobilitas cenſentur boni mores*. S. Paulinus Epiſt. 50. ait; *Religio noſtra, ſervum & Nobilem de moribus pronuntiat*. Ex D. Hieronym. Epiſt. 14. *ſumma nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus*.

De Loci hujus uſu ſic D. Baſilius orat. in laud. Gordii Cæſar. ait, *Sacra Schola præcepta Rhetorum aut inſtituta non ſequitur. Encomiorum lex eſt oſtendere Patriæ dignitatem, Genus, originem, educationis incunabula; noſtrum verò dogma, hæc tamquam ſuperflua dimittit, &c.* Idem cenſent plurimi SS. Patrum, cum quibus etiam debet ſentire Eccleſiaſta ſacer, ut vanam prophanæ Nobilitatis oſtentationem, quæ nihil præter Uſus hujus Loci.

am-

ambitionem ſapit, evitet. Ejuſmodi Genealogias prohibet Paulus 1. Timoth. 1. 4. Quia (inquit) *quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei*. Et Titi 3. 9. ſcribit, *Stultas quæſtiones & Genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ*. Apage ergo à Concionibus curioſiores ſtemmatum Gentilitiorum, ac dignitatum Avitarum diſquiſitiones; nec adducantur in pulpitum ſacrum, niſi admodum ſobriè, & ad Religionem traduci queant. Poſſunt nihilominus adhiberi, ſi ut mox dixi, parcè, religiosè & appoſitè uſurpentur, conferantque ad alicujus Sancti laudem. Ita D. Cyprianus eximiè prædicat Nobilitatem cognationis in Celerino Martyre, & S. Ambroſius l. 1. in Luc. c. 1. ſcribit encomia debere à Parentibus duci, *Veluti* (inquit) *tranſmiſſa immaculatæ puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare præcellat*.

Nativitas. 5. *Nativitas* attendi debet maximè ſecundùm triplicem temporis ſpeciem, Præteriti, Præſentis & Futuri; atque ſecundùm bona vel mala, quæ cum his connectuntur. Ex Præterito Tempore habentur præmiſſa Naſcentis indicia, ut v. g. Chriſti Nativitas prænuntiata eſt per Figuras, ſponſiones & vaticinia, unde à D. Ambroſio dicitur, quòd *profuit antequam fuit*. Natus eſt ille multis prodigiis ac miraculis Nativitatem comitantibus, unde D. Chryſologus ſer. 143. ait, *Natura non habet & uſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, ſtupet terra, Creatura miratur, &c.* Item, plurima Nativitatem Chriſti conſecuta ſunt quæ ad Futurum tempus ſpectabant; ut Angelorum concentus, Paſtorum reverentia, Magnorum adoratio, &c. Idem in Natalitia B. Mariæ Virginis, D. Joannis Baptiſtæ, D. Dominici, D. Franciſci Aſſiſiatis, ac plurimorum aliorum obſervari poteſt. In his nimirum tres illæ temporis circunſtantiæ, inſignem Sanctitatis gradum pollicentur. Gloria igitur vel infamia conciliabitur homini ex Nativitate, ſi in ea penſentur *Præcedentia* Nativitatem; *Comitantia*, veluti quæ cum ipſa concurrunt notatu digna; tum, modus & ordo quibus res peracta eſt; *Conſequentia*, quæ videlicet recens natum attingunt. Ex his, inquam, præmiſſis velut de Joanne, poterit quiſque meritò, dicere, *Quis putas puer iſte erit?* Lucæ 1.

Novitas. 6. *Nomen* ſcrupuloſiores trutina, non oportet expendere, cùm ſæpe fallax ſit, & inani pollicitatione ludat obſervatiores. Non vacat nihilominus omni laude vel vituperio, ſi moderatè & prudenter obſervetur; præſertim cùm ex ratione & cauſa impoſitum eſt; veluti quod Divinum eſt & cœlitùs datum, ut auguſtiſſimum Nomen Jeſus, & ſimilia. Pſaltes Regius Pſalm. 47. ait, *Secundùm Nomen tuum, Deus, ſic & Laus tua*. Tertullianus Apologet. 21. vocat *Nominis Cenſum*, quaſi opes & divitiæ in appellatione, velut in Theſauro recondantur. Idem l. 3. adverſ. Marcion. c. 16. *Nominis Sacramentum* appellat, quaſi in eo vis aliqua non ſecus ac in Sacramentis lateat; vel illud ſit Eſſentiæ Teſſera,

ra, aut virtutis occultæ publicum ſymbolum. Ab aliquibus Nomina dicuntur Eſſentiarum vehicula, valamina, cortices, &c. Caſſiodorus l. 6. Var. c. 7. *Grata ſunt* (inquit) *omnino nomina, que deſignant protinus actiones; quando tota ambiguitas audienti tollitur; ubi in vocabulo concluditur quod geratur*. D. Ambroſius l. 1. de Virginib. prædicat S. Agnetem, *cujus ne Nomen quidem eſt vacuum luce laudis*. D. Auguſtinus ſer. 19. de temp. ſic de Moyſe fatur, *A fluctibus myſtica lingua Moyſes nomen accepit, & Pharaonis vocem quam preparaverat in Nomine, in flumine maris invenit*. Idem ſer. 2. de S. Stephano: *Jam corona nomen habebat, & ideo palmam martyrii ſuo Nomine præferebat*. Facile eſt bene augurari ex Nominibus ſimilibus, qualia ſunt, Michael, Vincentius, Laurentius, &c. De his vide ſuperiùs 1. p. lib. 2. ſect. 2. & Cauſſinum l. 4. cap. 33.

Ad hujus Loci uſum, quatuor in Nominum obſervatione attendi debent, 1. Nominis ipſius ſignificatio. 2. à quo impoſitum eſt. 3. qua cauſa. 4. An per effecta fuerit completum. Solitum fuit apud veteres ea deligere Nomina, quæ fauſti & magni aliquid exprimerent; qualia ſunt Alexander, Pompejus, Theodoſius, &c. Fugiebant verò, quæ ſordida, diminuentia, & infauſta viderentur. Authoritatem & Dominium in ipſo appellante notat impoſitio Nominis, ſic Patres filiis, Domini ſervis nomina, ex innato vel acquiſito imperio faciebant. Deſideratur etiam rei appellatæ cognitio, ut ejus virtutes ac proprietates ex ipſa voce deſignentur. Ita Adam rebus nomen proprium indidiſſe dicitur, cùm ob imperium quo his præerat, tum ob ſcientiam qua fuerat donatus. Geneſ. 2. Impoſita ſunt autem nomina aliquando abſque ulla ratione, ſed temerè fortuitò; alias ex caſu ſeu inopinatè, ſeu conſultò occurrente, ut Moyſes ab aquis ipſum puerum excipientibus, Cæſar à cæſo matris utero, dicti ſunt: Aliquando ſuperſtitioſè imponuntur, veluti quod D. Chryſoſtomus in cap. 4. 1. ad Cor. ſcribit factitatum ſuo tempore à nonnullis, qui è pluribus nominibus quæ tot cereis accenſis inſcribebantur, illud puero imponebant, quod cereo vel priùs, vel poſteriùs conſumpto fuerat commiſſum. Præſtant verò, quæ habent impoſitionis rationem, quæ iterum diverſiſſima eſſe poteſt. Plato in Cratylo aſſerit determinatas eſſe rerum eſſentias, earumque Ideas mentibus ineſſe, atque ipſarum Idearum imagines nominibus pingi; unde ait nomina debere imponi à ſapientioribus, apud quos puriores rerum Ideæ aſſervantur. Idem ex Socratis ſenſu ait, Paternæ ſolicitudinis eſſe, ut filiis pulchra imponantur nomina, quibus hi ad virtutem accendantur. Ita cognomini cuidam ignavo dixiſſe fertur Alexander, *Aut Alexandrum te præſta, aut Alexandri nomen depone*. Ad recognoſcendos ſingulos, nomina ſunt inventa publico conſenſu, ait L. 10. C de Ingen. manum, ideoque rebus convenire debent. §. 3. Inſtit. de Donation. Ex D. Thoma, nomina ducuntur ex aliquibus rerum proprietatibus; ſi divinitùs inſtituta ſunt, ſignificant

Uſus hujus Locis.

ficant aliquod Gratiæ donum collatum vel conferendum. In his ergo penſandis prudens & ſobrius ſit Eccleſiaſta; Laudabit ſcilicet quem ſciverit Nominis ſponſionem adimpleviſſe; poterit verò vituperare, quem noverit ab ipſa appellatione deſciviſſe.

Indoles ſeu Natura. 7. *Indoles & Educatio* affines ſunt & magnum ſeu laudis ſeu vituperii campum aperiunt Oratori. Prior naturæ donum, poſterior Induſtriæ beneficium notat, utraque eſt ex Dei benevolentia ejuſque indiget Gratia unde perficiatur. Ingeniorum varietatem attigimus 1. P. l. 1. cap. 3. a. 2. Indolem verò ab Ingenii ratione hìc nonnihil ſecernimus, illa quippe nobis videtur, [Certa Humorum Temperatio ſeu ad æquitatem conſœderatio, ut ex nulla parte excedens, inclinet veluti ſponte in rectitudinis affectum & amplexum.] Grande prorſus eſt Naturæ vel potiùs Creatoris munus, virtutis Seminarium ferax, meliorum quarumcumque rerum ſpecimen ac præjudicium, vix non certiſſimum. Etenim cùm ex Galeno, mores animi ſequantur corporis temperamentum, & uſu conſtet homines in eam propendere partem, quæ qualitati Dominatrici affinior eſt; inde ſæpius licet præſagire vel bonum vel malum, prout Indoles pollicetur. Hinc ſe beatum prædicat Salomon Sap. 8. 19. his verbis, *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, &c.* Ex D. Thoma 1. 2. q. 51. a. 1. virtutes morales ſunt in Nobis à Natura, ſecundùm aptitudinem & inchoationem, quaſi in ſemine. non autem ſecundùm perfectionem. Ariſtoteles l. 2. Ethic. cap. 1. probat virtutem nobis non eſſe penitùs naturalem, ſed more & conſuetudine acquiri. Seneca verò ait, [Ut Dii immortales nullam didicere virtutem, cùm omni ſint prædìti, & pars naturæ eorum eſt eſſe bonos: Ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent perveniunt, ſine longo magiſterio.] Quàm meritò gaudere debent bene nati, in quibus relucet imago & ſignaculum Dei ac pietatis, de quibus dici poſſit quod de Sponſo dicitur in Canticis, *Ego flos campi, qui* (ut ait D. Bernardus ſer. 47. in Cant.) *ſine labore provenit*, ita nimirum videntur ad virtutem ex ipſa origine formati: hinc Deo authori grates maximas pendant, & inſita boni germina excolant ſtudioſiſſimè; *Naturæ induſtria numquam in nobis dormitet, grande profectò in nobis donum Natura ipſa eſt*, dicit Bernardus ibid. ſerm. 83. Contra eſt onus grave ingrata indoles de qua Poeta:

Naturam expellas furca, tamen ipſa recurret.

Educatio. Ejus utilitates. 8. *Educatio* eſt altera poſt Naturam Parens; in qua duo maximè occurrunt ab Oratore penſanda, 1. Educationis neceſſitas, 2. Educandi modus. Educari oportere Juvenes, liquet ex triplici capite. Primum eſt Dei ac Naturæ præceptum; ſecundum eſt communis Reipublicæ utilitas; tertium eſt Generis ipſius ſeu familiæ commodum. Dei mandatum decla-

Digitized by Google

declarat Paulus Epheſ. 6. his verbis, *Patres, educate filios in diſciplina & correptione Domini, &c.* Naturæ lex eſt ut qui dederit eſſe, addat ea quæ conſequuntur eſſe, id eſt, Educationem procreationi. Ratio idem ſuadet, cùm enim duplici malo laboret hominis infantia, Ignorans eſt & ad vitium proclivis, magna indiget cura, ut illuſtretur & reformetur. De hac re ita ſcribit Seneca l. 2. de Ira c. 18. *Ad deteriora faciles* (Juvenes) *quia nec Dux poteſt, nec Comes deeſſe, & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite præcedit: non pronum iter eſt tantum ad vitia, ſed præceps, &c.* Id. l. 3. Natural. qq. c. 30. *Citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inventu eſt, rectorem ducemque deſiderat, etiam ſine magiſtro vitia diſcunt.* Id. *Non dat Natura virtutem; Ars eſt bonum fieri, virtus non contingit niſi animo inſtituto & edocto. Ad hoc quidem, ſed ſine hoc naſcimur, & in optimis quoque antequam erudias, materia virtutis, non virtus eſt.* Reipublicæ utilitas exigit Juvenes educari; nam cùm illi ſint pars imperii aut Civitatis, talem poſtea hominem experietur Reſpublica, qualem formavit Juvenem educatio. Hinc in more poſitum fuit apud omnes Gentes pueros maxima ſolicitudine educare. Tacitum refero hæc ſcribentem Dialog. de Oratorib. [Jampridem apud Majores, ſuus cuique filius ex caſta parente natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio & ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri eum & inſervire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis ſpectatiſque moribus, omnis cujuſpiam familiæ ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur; ac nec ſtudia modò cujuſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum ſanctitate quadam ac verecundia temperabat.] Heu pudeat parentes Chriſtianos, ab Infidelibus hac in re ſuperari! Gentiliati a utilitas omnino reperitur in Educatione Puerorum, hi enim ſi tunc negligantur cum excoli poſſunt, ad pejora deinceps prorruentes, tandem evadunt Parentum ipſorum infamia & ſupplicium. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea*, inquit Sapiens Proverb. 22.

Educationis modus tria deſiderat. Primò ut citò, deinde ut à bonis præceptoribus, ac tandem extra perverſorum ſocietatem fiat. 1. Citam Educationem ratio ipſa probat, cùm enim ætas ſit tenerrima, ſtatimque increſcendo induretur, niſi manum admoveris ab initio, priùs quàm in perverſos abierit mores, fruſtra tentabis poſtea correctionem adhibere. Corallium (inquiunt) molle eſt & tractabile, cùm è mari recens extrahitur; at ubi aerem hauſit, adamantis duritiem induit, ita homo, &c. *Quo ſemel eſt imbuta recens conſervat odorem Teſta diu*, inquit Poeta, ſic de homine. Item Album quoddam pictorium eſt Ingenium hominis, quod primò inſcriptos colores altè ſugit. *Eſt in nobis uber ætatis ipſa juventus*, ait Clemens Alexand. l. 1. Pædag. c. 5. hoc eſt, cæteræ hominis ætates bonum aut malum ſugunt ab Infantia, quaſi ab ubere lactante, &c.

Educationis methodus.

&c. D. Hieronym. l. 2. in Jovin. *Niſi vitia adoleſcentis & Pueri prudentia Pædagogi repreſſerit, omnes conatus ejus & impetus ad laſciviam properant.* 2. Plurimum intereſt ad Educationem, bono uti Præceptore, tranſmittit enim ille conditionem ſuam in pueros quos inſtituit. Talem igitur eligito, qualem vis tuum filium fieri. Theodoſius Imperator Arcadium filium Arſenio inſignis pietatis viro committens, ait, *Tunc prolem ſuam verè dignam imperio fore, ſi cum ſcientia, æquè fuiſſet pietate conſpicua.* 3. De ſocietate, non habenda eſt minor cura, facillimè enim alter alterius exemplo fit bonus aut malus, virtutem aut vitium ebibit.

Uſus hujus Loci. Ad uſum igitur hujus loci; laudandus eſt aut vituperandus aliquis, ab iis conditionibus quæ in educatione adfuere, vel ei defuerunt.

Fortuna. 9. *Fortuna* magnam ad dicendum ſupellectilem Promptuario humano ſuggerit, atque ut paucis multa complectar; hæc in Fortuna poſſunt conſiderari. Primò, an illa fuerit ſecunda & proſpera; an verò contraria & adverſa, cùm in rebus privatis, tum in publicis. Deinde: qualiſcumque fuerit, modus ejus perpendi poteſt; ſcilicet, qua ratione fortuna ſucceſſerit, an citiore, an tardiore progreſſu; num caſu; num ex induſtria; quæ iterum ſe ſola creverit, aut decreverit, vel Amicorum ſuffragio; vel renitentibus & obſtantibus in caſſum adverſariis. Item, conſtanſne fuerit fortuna in beneficiis aut injuriis, ſeu alternantibus vicibus hominem verſaverit. Tertiò attendi debet Fortunæ uſus, id eſt, ratio, qua quis diverſas Fortunæ vices excepit; an benè an malè; An patienter, an æquo, vel iniquo animo adverſam tulerit fortunam; An ejus beneficiis uſus fuerit modeſtè, magnificè, inſolenter, prodigè, &c. An denique bona aut mala Fortunæ diſpenſatio priùs excepta, felici aut infelici poſtea fine deſierit. Hæc (inquam) & ſimilia, ſi Oratoriis circunſtantiis bene ponderentur, fuſam laudis aut vituperii materiam ſuppeditabunt.

Quid in ea ſit ſpectandum.

Adde varia Fortunæ beneficia vel mala; quæ poſſunt ſigillatim pro data opportunitate & Oratoris prudentia verſari. Ejuſmodi ſunt Honor aut Infamia, Divitiæ aut paupertas, Deliciæ aut labores; &c. de quibus Seneca Epiſt. 47. ſic ait, *Hanc imaginem animo tuo propone, Ludos facere Fortunam, & in hunc Mortalium cœtum, Honores, Divitias, Gratiam diffundere, &c.* Quàm laudandi ſunt qui honoribus & divitiis utuntur ad Dei Gloriam, proximorum commodum, propriamque ſalutem? quàm vituperandi qui eadem in pravos uſus convertunt? Eccleſiaſtæ igitur conducet obſervare, in quo ſtet bonus aut malus Fortunæ ſeu faventis ſeu adverſantis uſus. V. g. quæ ſit divitiarum legitima diſtributio, quæ diſpenſatio iniqua; quæ vitia metuenda ſint in culmine honorato, quæ virtutes rariores ſed deſiderandæ: quemadmodum de Humilitate ait D. Bernardus, *Magna prorſus & rara virtus*

Humi-

Humilitas honorata. Ser. ſup. miſſus eſt. Sic ex Comitate Trajanum ad Imperii apices evectum, ſed non immutatum, laudat Plinius his verbis, *Reverſus Imperator qui Privatus exieras, agnoſcis, agnoſceris; eoſdem nos, eumdem te putas, par omnibus; & hoc tantùm cæteris major, quo melior, &c.*

§. II.

Promptuarium Humanum, à Privati hominis Corpore, vel Animo petitum.

I. PArtem habet bonorum vel malorum operum Corpus, Animæ comes & miniſter; eſt enim velut organum ac inſtrumentum ſenſibile, quo illa virtutes aut vitia operatur; Ideo particeps eſſe etiam debet Laudis aut vituperii, quæ ad corpus ipſum ſpectare cenſentur. Triplicis autem generis ſunt Corporis Attributa; Alia explicant conſtitutionem, Ætatem alia; Alia Sexum ſignificant. Ad Conſtitutionem pertinent Pulchritudo vel deformitas, valetudo integra vel infirma, Robur vel debilitas, &c. Corporis humani Attributa.

1. *Pulchritudo* deſcribitur, *Apta membrorum proportio, cum quadam coloris ſuavitate;* In viris Dignitas, in fœminis venuſtas ſolet appellari. De Forma Corporis diverſimodè ſentiunt Scriptores. Alii in malam partem ferè ſemper interpretantur, in bonam ſemper alii, media opinio videtur æquior. Laudem omnino meretur Pulchritudo, ſi Dotes cæteræ adfuerint, ſecùs verò, magnam vituperii materiem ſuggerit. Hæc ad Pulchritudinis decus proferi ſolent. Tertullianus de cultu fœm. c. 2. vocat pulchritudinem *decentem Animæ veſtem.* Maxim. Tyrius diſſert. 9. *Pulchritudo corporis, nihil eſt aliud, quàm futuræ flos virtutis, & majoris quaſi pulchritudinis præludium.* Deinde illam comparat ſplendori Solis ſummitatem montium in ortu illuſtranti, ſed majoris luminis ſpem facienti; *Sic Animæ gratus decor, in ſuperficie corporis affulget, quo plurimùm recreantur philoſophi, quòd aliud ex eo venturum præcognoſcant.* Eumenius in Panegyrico Conſtantini, ait ex opinibne Sapientiorum, *Naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrarit habitator.* Eſt igitur virtutis indicium, immo & Divinitatis ſimulachrum, ut de facie decora dici fortaſſe poſſit iſtud: Pſ. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, &c.* Hac in D. Cypriano laudat D. Nazianzenus, Veluti Naturæ opus eximium & admiratione dignum. Theodoſio Pacatus ajebat, *Virtus tua meruit imperium, ſed virtuti addidit Forma ſuffragium: illa præſtitit ut oporteret te Principem fieri; hæc te deceret.* Pulchritudo.

2. In contrariam partem trahi poteſt Corporis deformitas, ut cenſeatur Naturæ errantis Monſtrum, vitii latentis præſagium, Reipubli- Deformitas.

blicæ probrum, &c. De Vatiniano deformi ſic fatur Vellejus l. 1. *Vatinianus nulli homini non poſthabendus, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii; adeo ut animus ejus diriſſimo domicilio incluſus videretur*. Quamquam oppoſitum aliquando eveniat ut mens pulchra in deformi corpore, veluti gemma in luto recondatur; quaſi Natura quæ corporis dotes negavit, has reſtituat pulchritudinis ſpiritualis compenſatione. Forma etiam elegantior, ſi non adhibuerit comites virtutes, quales ſunt, pudicitia, modeſtia, humilitas, &c. multis vitiis obnoxia eſt. A Socrate dicitur, *Temporis exigui Tyrannis*; à Carneade, *Regnum ſine ſatellitio*; à Theophraſto, *tacita deceptio*. Grande periculum imminere ab inſigniore forma omnes aſſerunt, immo & ipſa Scriptura ſacra idem videtur perhibere. Ad uſum hujus Loci, notandum eſt, quòd, etſi in formæ aliicujus deſcriptione ea ſint memoranda quæ ad pulchritudinem conferunt, non tamen deceat minutiora proſequi quæ nullius ſunt momenti; puerile enim eſt illa recenſere.

Valetudo & infirmitas. 3. Valetudo bona Donum eſt Dei, ſed eo fine conceſſum, ut in uſum legitimum impendatur; qui verò ea abutitur, is iniquæ diſpenſationis reus haberi debet, ac in pœnam eadem privari, ſecundùm Regulam Juris, *Privilegium meretur amittere, qui conceſſa abutitur poteſtate*. Ne tamen deſpondeat animo qui adverſam experitur valetudinem; ea enim ſi cum patientia & acceptatione feratur, docebit infirmum varias virtutes, pœnas peccatis debitas exſolvet, ac tandem Cœli coronam merebitur.

Robur. 4. Robur Corporis non mediocriter æſtimatum eſt à variis Nationibus, quæ imperium ſolebant deferre iis qui proceritate ac fortitudine cæteris præcellebant. Ex fortitudine cùm corporis tum animi commendantur, Samſon, Saul, David, &c. inter ſacros Heroes; de prophanis autem laudantur Aiax, Achilles, Hercules, &c. Sed Roboris appendices & ornamenta ſunt, Animi fortitudo, Benignitas, Religio, &c. Improbantur ob Impietatem Gigantes Babylonii, Goliath, & ſimiles, qui carnei montes, vaſtæ corporis moles, plerumque ferocitate & crudelitate immaniores extitere.

Exercitationes corporeæ. 5. Optimam Corporis conſtitutionem conſequuntur laudandæ Corporis Exercitationes aliquæ, V. g. Agilitas & peritia in Currendo, Jaculando, Luctando, Equitando, Venando, in campeſtri & militari Diſciplina, &c. Ab his (inquam) moderatè, decenter & legitimè uſurpatis, duci poteſt Laus hominis, ſi nimirum ipſius conditioni convenerint. V. g. ſi fuerit Princeps, Dux, Nobilis, &c. Gratianum Imperatorem Chriſtianum Auſonius commendat his verbis, *In exercendo corpore, quis curſum tam pernititer incitavit? quis palæſtram tam lubricus expedivit? quis ſaltum in tam ſublime collegit? Nemo abductiùs jacula contorſit; nemo ſpicula crebriùs conjecit, aut certis deſtinata percuſſit, &c.*

Venatio. 6. Venationem plurimi fecere qui de ea ſcripſerunt, eamque militaris di-

diſciplinæ Tyrocinium appellarunt. Xenophon l. 3. Cyrop. eam dicit, *veriſſimam bellicarum rerum meditationem*. Ariſtot. 1. Polit. c. 8. *Partem Militaris ſcientiæ*. Lycurgus ſanxit, *pulcherrimum eſſe venationibus indulgere*. Hinc ejuſmodi Exercitatio erat familiaris Regibus & Ducibus à bello vacantibus, ne ſcilicet quietæ remiſſionis otio torpentes ad vitia diffluerent; immo erat futuris Ducibus, committendæ expeditionis bellica prælúdium, & ferè præjudicium. Nobiles maximè decet Venatio; ſi prudentiæ Legibus temperetur, illa conferet ad corporis animique bonum; fugabuntur, mollities, voluptates & cætera ſæpiùs damnanda, quæ otioſum hominem ſolent frangere. Plinius in laudem Trajani ſic ait, *Quod ſi quando cum influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem Laboris; quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adjutum, atque inter hæc pia mente adire & occurſare Numinibus? &c.*

7. Exercitationes Militares à nullo non laudantur, veluti honeſtiſſimæ & utiliſſimæ, cùm Reipublicæ, tum privatis hominibus. Ac primùm quidem Honeſtate commendabiles ſunt, quæ Nobiles, & liberos decent, vix enim aliis militare olim erat licitum, ex D. Chryſoſtomo hom. 21. ad pop. *Oportet* (inquit) *liberum eſſe atque honeſtæ conditionis qui belligerat*. Utile eſt Reipublicæ cives ſuos à ſegnitie revocare per ejuſmodi exercitationes, quæ milites formant ad prælia, cùm occaſio popoſcerit, fortiter & graviter gerenda. Privatis etiam proficiunt (ut dixi) ad ſanitatem & virtutem. Laudandus ergo maximè Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XIV. qui à Civilibus negotiis nonnihil ſeſe recreaturus divertit ad Exercitationes campeſtres & Armiluſtria, quibus fortiſſimum aliunde Genium ad fortiora facinora ſuſcipienda accingit, & florentiorem Galliæ Juventutem erudit, ſtimulatque ſuo exemplo ad grandiora propoſita, quæ ipſe maturo conſilio meditata ſemper molitur. Ita Romanos totius orbis Dominos egiſſe legimus, ii nuſquam à militaribus Exercitationibus, etiam nullo adverſario laceſſente, vacabant, ſed in ipſa urbe, in Campo Martio, bellica diſciplina ſuos Juvenes inſtituebant, ſummis Ducibus eò ſe conferentibus, qui cæteros verbo & exemplo excitaret ac formarent. Principi convenit quod Plinius de ſuo Trajano ſcribit his verbis. *Quid apud milites? quam admirationem, quemadmodum comparaſti; cùm tecum inediam, tecum ferrent ſitim; cùm in illa meditatione campeſtri, militaribus turmis, Imperatorium pulverem ſudoremque miſceres, nihil à cæteris niſi robore ac præſtantia differens? &c.* Sic Marium, & Pompejum laudat Plutarchus, ſic Othonem Tacitus, ſic Oſorius l. 7. de Inſtitut. Regis ſuadet fieri ad otii fugam, vitiorum præcluſionem, virtutis præſertim militaris conſequutionem, Reipublicæ gloriam & fortitudinem, Juventutis formationem ad Labores, & vitæ ſeverioris voluptates aſpernantis diſciplinam.

Militares Exercitationes.

11.

Ætas.

11. *Ætas*, varia hominis ſignat tempora, ex quibus duci poteſt laudis aut vituperii fœcunda ſeges, nimirum, ſi præcellat aut careat Dotibus expetendis. Ætatis circumſtantias expendi p. 1. l. 2. c. 3. a. 1. & l. 5. c. 2. a. 3. ſect. 2. Eaſdem hìc iterum verſamus, quantùm propoſito noſtro congruit. Quatuor Ætatis partes hìc facimus, Pueritiam, Adoleſcentiam, Virilitatem & Senectutem; unicuique conveniunt virtutes quibus decoratur, aut vitia quibus ſordet.

Pueritiæ Virtutes.

1. In Puero ſolet deſiderari, Pietas ad Deum, Reverentia ad Proximum, & Modeſtia ſeu temperantia ad ſeipſum. Ab omni puerili levitate abſtineant, ut Tobias & D. Joannes Baptiſta, de quo D. Auguſtinus l. 2. in Luc. ait: *Tempus ſiletur Infantiæ, eò quia Infantiæ impedimenta neſcivit*. Aſſueſcant Chriſtianis exercitiis, ut audiendis ſacris, confeſſionibus faciendis, &c. Revereantur Parentes, Præceptores, Senes, &c. iiſque ſe docillimos præbeant. *Fili* (inquit Eccleſiaſtic. 12.) *à Juventute tua, excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam*. Puer fugiat impietatis & nequitiæ magiſtros, ne ipſe eadem fugat vitia, quæ in ætates futuras tranſmittat. Mirabile eſt, ſi puer aliquid ſupra ætatem audeant, veluti ſi antevertat præceptorum inſtitutionem, ſi polleat doctrina quæ nec à viro ſperari poſſet. Ita Chriſtus Duodennis, viſus eſt in Synagoga docere ipſos Legiſperitos Lucæ 2. 42. D. Nicolaus Pietatis & Sanctitatis præjudicia dedit ab uberibus; De D. Athanaſio Sozomenus l. 2. c. 1. ſic ſcribit: *Athanaſius ille magnus, puer adhuc, in agmine puerorum ad mare, ſe Epiſcopum eſſe finxit: Epiſcopi more baptizavit; alios Diaconos; alios Præsbyteros fecit*. Contra verò in malum de puero ominamur, ſi in prima ejus ætate apparuerint impietatis, irreverentiæ, intemperantiæ, &c. ſemina.

Adoleſcentiæ Dotes, & maculæ.

2. Adoleſcentis Dotes notantur Eruditio, Comitas, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Exercitiones & ſtudia, quæ ſtatui vel electo vel eligendo conveniant. His omnibus adſit, immò, præſit Religio & Pietas. Oppoſitis vitiis corrumpitur hæc ætas, quam Demades apud Athenæum, l. 3. c. 1. ait, eſſe *Ver populi*, ſicuti Ver eſt Juventus mundi. D. Ambroſius in laud. Valentinian. dixit, *A vitiis Juventutis abſtinere magnum eſt, vel ea relinquere ſtatim in ipſo Juventutis veſtibulo*. Idem de Abel & Cain l. 1. c. 3. ſcribit Juventutem variarum illecebris paſſionum fervere. D. Chryſoſtom. Epiſt. 3. ad Olympiad. ait, hac ætate, ingentem eſſe libidinum tempeſtatem, magnam verò rationis imbecillitatem. D. Baſilius in cap. 3. Iſaiæ, Juventutis mores fusè pingit. Idem præſtat Plato l. 7. de Legibus. Eccleſiaſta igitur laudabit Adoleſcentem, qui non modò vitiis Adoleſcentiæ metuendis caruerit, ſed & virtutibus hanc ætatem ornantibus excelluerit.

Virilitatis Attributa.

3. Virilitas exuit ætatis prioris ſenſus & conſilia, his enim majus aliquid audet. Commendatur Fortitudine, Prudentia, rerum ac negotiorum peritia, Gravitate, & Modeſtia, Rei cùm privatæ tùm Publicæ adminiſtratio-

tionem gerit, aliaque ſimilia præſtat, quæ feriam ætatem & maturum animum redoleant; unde laudem meretur vir qui in his præſtiterit, aut ſi defecerit vituperatur.

4. Senectus à D. Paulo Epiſt. ad Tit. c. 2. ſic commonetur. *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia, &c.* Solet hæc caduca ætas multis infirmitatibus vexari, ac etiam vitiis aliquibus ſordere, ut ſunt Avaritia, moroſitas, &c. Laudantur qui ab ejuſmodi defectibus immunes fuerint, ut v. g. qui ſupra ætatem fuerint vegeti, faciles, fortes, &c. Senectus.

III. Sexus habet etiam peculiares Demonſtrativi Generis fontes; alia ſunt enim de quibus laudatur aut vituperantur vir, alia quibus Muliebris Sexus. De viris ferè ſemper actum eſt nominatim huc uſque, ac poſtea, cùm de variis ſtatibus res erit, agetur fuſiùs. De Mulieribus pauca dicimus, quia utrique ſexui communia ſunt plurima, hiſque attribui poſſunt non ſecus ac viris. Addimus igitur ea ſolùm quæ fœmineo ſexui propria ſunt. Quadruplex in Mulieribus conſiderari poteſt ſtatus: *Puella* quæ primos ætatis annos init; *Virgo* quæ adoleſcit & pubertatis decurrit annos, qui conjugium præcedunt, ſuntque aut cenſentur ab omni corruptione expertes; *Conjux* quæ per maritale jugum alligata eſt viro. *Vidua* eſt, quæ morte aut religioſa profeſſione viri ſoluta eſt à conjugio. In Puella deſiderantur Devotio, Docilitas, Modeſtia, &c. In Virgine, Solitudo, Caſtitas, labor, &c. laudantur. In conjuge, expetuntur Amor & reverentia ad Virum, Educatio prolis, Rei familiaris cura, &c. In Vidua Pietas, Caſtitas, Solitudo, occupatio, &c. attenduntur. Hæc igitur præcipua ſunt ex quibus laus mulierum duci poteſt, ſi adfuerint; contra verò, ſi defuerint, vel adverſis vitiis maculentur, hinc conciliabitur ignominia. Sexus. Puellæ, Virginis, conjugis & viduę dotes.

IV. Uberrimus eſt laudis aut vituperii ſons, qui oritur à virtutibus aut vitiis, quæ in Animo (altera ſcilicet Hominis parte) ſpectantur. De his ex profeſſo agetur libro ſequente, qui de Deliberativo Genere eſt tractatque de iis quæ ſuadere aut diſſuadere convenit: hìc deguſtamus tantùm aliqua communiora, quæ ſint ad cætera quaſi proluſiones. Præſtat igitur homini hac potiore ſui parte præcellere quàm altera; hæc eſt nempe, qua diſtat à Brutis & ad Angelos accedit; cætera quæ extrinſecus homini adveniunt, vix ad ipſum ſpectant, niſi quatenus iis bene vel malè uti poteſt; hæc verò (virtutum intelligo dona) ipſi propria ſunt aut fiunt, veramque & potiſſimam laudis materiam ſuggerunt. En quid ſenſerit Seneca de Bonis ejuſmodi externis, Epiſt. 76. *Nemo* (inquit) *ex iſtis quos purpuratos vides, felix eſt; non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum & clamydem in ſcena fabulæ aſſignant: cùm præſente populo elati inceſſerunt & cothurnati ſimul exierunt, excalceantur & ad ſtaturam ſuam redeunt. Nemo iſtorum quos divitias honoreſque in altiore faſtigio ponunt magnus eſt. Quare ergo magnus videtur? Cum baſi illum* Animæ Attributa.

ſua metiris. Parvus pumilio licèt in monte conſtiterit; coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit in puteo. Hoc laboramus errore; ſic nobis imponitur, quòd neminem æſtimamus eo quod eſt, ſed adjicimus ei & ea quibus adornatus eſt. Atqui cùm voles veram hominis æſtimationem inire, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice. Ponat Patrimonium, ponat honores & alia fortunæ mendacia; corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis quantuſque ſit, alieno an ſuo magnus. Ita benè opinatur de hominis dignitate Philoſophus Gentilis; ita optimè ſcribit eam non eſſe, niſi à Dotibus Animi penſandam; quæ enim aliunde ſunt, cenſeri debent aut ſuperflua, aut noxia, aut periculoſa.

Animi Bona virtutibus conſtant; hæ verò in varias ſpecies diſtingui ſolent: Aliæ ſunt Morales atque ab ipſa Natura recta & ordinata fluunt, ut Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia, & aliæ plurimæ quæ his veluti Cardinibus innituntur. Aliæ dici poſſunt Chriſtianæ & præter Naturam, quæ ab Evangelio præcipiente aut conſulente ſanciuntur & docentur, ut Humilitas, Paupertas, Tolerantia, Inimicorum Dilectio, &c. Aliæ Theologicæ vocantur, Naturamque omnino excedentes, alium à Deo parentem non habent; ut ſunt Fides, Spes, Charitas. De his poſtea fuſiùs.

SECTIO II.

Promptuarium Humanum Domeſticum, quod ad Hominem, prout eſt Pars Domus, ſpectat.

MEDIAS ferè vices Privatum inter & Publicum init Homo Domi ſpectatus; à privata ſcilicet perſona videtur ad publica negotia gradum facere, per diverſos Status qui Domeſticam adminiſtrationem conſtituunt, vel ab ea derivantur. Eſt enim Domus veluti Reipublicæ fons & ſeminarium, indeque formantur priùs quotquot poſtea prodeunt ad Societatis bonum vel malum. Quæ ſingulis convenire poſſunt unde laudentur aut vituperentur, ſummatim aperio.

Conjugium.

I. *Conjugium* ſeu Matrimonium occurrit primo decurrendum, quia fons eſt & origo capitum quibus Reſpublica aut nititur, aut locupletatur. *Eſt autem Conjunctio Maris & Fœminæ, inter perſonas legitimas vitam individuam retinens.* In conjugio poſſunt attendi quæ ſequuntur. 1. Differentia. 2. Neceſſitas. 3. Præſtantia. 4. Bona. 5. Incommoda. 6. Ratio, ſeu Modus in Conjugio ineundo ſervandus.

1. Triplex Conjugiorum genus diſtingui poteſt. Aliud *Naturale* quod virum & mulierem communi carnis jugo nectit; *Myſticum*, quod eſt

eſt inter Chriſtum & Eccleſiam; *Morale* quod eſt inter Deum & Animam, &c.

2. De Morali ſeu Spirituali Conjugio, intelligitur iſtud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, &c.* Item, *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*. 2. Cor. 11. In hoc tria notantur. Primum ex parte Animæ, nimirum *Sanctitas* & munditia quibus illa præparatur; ſecundum ex parte Dei, ſcilicet, *Gratiæ Dotes* quibus illa locupletatur & honoratur; tertium, ex parte utriuſque, nempe *opera bona* quibus, tamquam prole, iſtud conjugium fœcundatur. Spirituale inter Deum & Animam.

3. De Conjugio Myſtico, eſt iſtud Epheſ. 3. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, &c. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico de Chriſto & Eccleſia*. Hic tria poſſunt attendi, quæ mox in Spirituali notavimus, nimirum, 1. Eccleſiæ Sanctitas. 2. Chriſti Largitio. 3. Proles, ſeu Chriſtianus populus. Item tria miracula quæ obſervantur à D. Auguſtino. 1. Ex latere morientis Sponſi oritur Sponſa. 2. Statim atque naſcitur illa, Sponſo nubit. 3. Ex mortuo Sponſo viventem Prolem ſuſcipit, &c. Myſticum inter Chriſtum & Eccleſiam.

4. De Conjugii Naturalis *Neceſſitate* conſtat; iſtud enim *utile eſt*, 1. *Privato* homini, tum quia eſt Societatis conjugalis ſolatium, Concupiſcentiæ remedium, & ſeneſcentis alterutrius partis ſubſidium, vel ab alterutro ſuperſtite, vel à filiis ſperandum. 2. *Reipublicæ* neceſſarium eſt, quia cives Civitati, ſubditos Regi, & variorum munerum miniſtros Regno ſuggerit. 3. *Cœlo* denique prodeſt, quia inde fiunt Beati, Panegyriſtæ Dei, Angelorum Socii, cohæredes Chriſti, &c. *Sanctitas* Conjugii patet, 1. quia illud inſtituit Deus Geneſ. 1. deinde Sanctiores Patriarchæ in veteri Teſtamento fuere conjugati, ac tandem iſtud Chriſtus ſua præſentia Sanctum declaravit & ad Sacramenti dignitatem ſublimavit. 2. Hoc Eccleſia pluribus commendat ritibus ad Sanctitatem conducentibus, hoc Apoſtoli, hoc Sancti Patres probavere, ut Sanctum, adverſus Hæreticos Nuptiarum etiam legitimarum hoſtes. 3. Deinde ejus Sanctitas conjicitur ex eo quòd ſit Conjugii Myſtici & Spiritualis figura, quòd ſit Appetitus ſentientis frenum, & cùm viri, tum uxoris ad pietatem ſe mutuò provocantium opportunitas facilis. Non tamen Conjugium præponi debet Virginitati; immo hæc illi præfertur. Id liquet, ex Scriptura Virginitatem tamquam melius & perfectius bonum ſuadente. 1. Corint. 7. 33. ex SS. Patrum ſenſu, & ex ipſa ratione, quæ Virginum ſtatum Conjugio præcellere oſtendit: tùm quia ille expeditior eſt ad ſerviendum Deo; tum quia Chriſtus in Matre Virgine, ac in ſeipſo Virginitatem conſecravit. Conſule D. Paulum Epiſt. 1. Cor. 7. & Epheſ. 5. Naturalis Conjugii utilitates. Sanctitas.

5. Eſto, Matrimonium ſit laudabile, ut revera eſt, multis nihilominus abundat incommodis. 1. A Deo nonnihil dividitur conjugatus, ob conjugalem affectum fortaſſe vehementiorem: Apoſtolum audi 1. Cor. 7. 32. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus* Conjugii incommoda.

eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. 2. Pluribus negotiis diſtrahitur ac torquetur, qui ex conjugii vinculo tenetur ea ſatagere quæ ad Domeſticam adminiſtrationem ſpectant. O quantæ curæ! quanti labores! Petrarcham conſule, *de Conjugii claritate* Dialog.65. vix alterutra pars non eſt alteri plurimùm incommoda, aut etiam ex multis rebus metuenda. 3. Si prole caret conjugium, hinc fiet mœſtitia; ſi abundaverit, inde ſollicitudo, dolor, ruina, & Parentum fortaſſe probrum. Vide D. Paulum 1. Cor. 7. 3. & cap. 11. v. 2. & 10. Epheſ.5. v.22. Coloſſ.3.18. Tit.4.1. & Timot.2. v.11. Ex quibus conjicere licet Conjuges indigere maximo gratiæ ſubſidio, ut onera Matrimonii ſubeant, expleantque feliciter.

Obſervanda in matrimonio ineundo.

6. In Matrimonio ineundo tria ſunt potiſſimùm obſervanda, quorum alia præcedunt, comitantur alia, alia conſequuntur. In iis quæ præcedunt notatur Intenti puritas; in Comitantibus deſideratur Societatis ſanctitas; in cæteris expetitur conjugii fœcunditas. Intentionis puritas tribus conſiſtit, ſcilicet ut expers ſit Paſſionis, Indiſcretionis, & Avaritiæ; Gallicè diceremus, *Chaſte ſans Paſſion*; *prudent ſans Temerité*, *libre ſans Intereſt*. Ex appetitu libidinis, ejuſque appendicibus oriuntur damna plurima; vix etiam non errat, vel non citiùs pœnitebit, qui præcipitanter & inconſideratè nupſerit; non ſtabit diu affectus, qui opes tantùm in conjuge quæſivit. Matrimonii Comites ſunt tria ejus Bona, *Proles*, *Fides*, *Sacramentum*. In Prole attenduntur Poſteri; in Fide individua & integra Societas; in Sacramento probitas, & utriuſque conjugis ad virtutem mutua provocatio. Quæ verò Matrimonium conſequuntur, ſpectant ad Educationem prolis, ad Domeſticam adminiſtrationem & ad Reipublicæ utilitatem: Atque ex prænotatis licet conjicere qualitates ſeu Dotes, quas vir in muliere, iſta in viro deſiderare debet. Hæ triplici capite continentur, Bonis Corporis, ut ſunt elegantia vel deformitas formæ, valetudo, &c. Bonis Animi, ut ſunt, Probitas, Virtus, Induſtria, &c. Bonis Fortunæ, ut ſunt Divitiæ, Dignitates, &c.

Mariti debita Officia.

II. Ex Conjugio prodeunt cùm Mariti, tum Uxoris Debita. Hæc ſunt præcipua quæ priori conveniunt. *Pietas* erga Deum; *Amor* erga uxorem; *Solertia* erga Familiam. Maritus debet eſſe Pietate commendabilis, quia cùm ſit Familiæ caput, ab ipſo in illam derivatur omne bonum aut malum quod Deo largiente vel ulciſcente, illi accidit: Scelus enim Patrum in Filiorum punitione perennatur: Deinde Patrum Religio ferè ſemper transfunditur ad Poſteros, fidem cum ſanguine & alimento ab illis excipientes. Unde D. Paulus 2. Cor. 6. 14. ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*. Maritus diligere debet uxorem, Amore ſcilicet legitimo, hoc eſt, non merè libidinoſo, ſed honeſto & temperato, humano, fideli, &c. Apage imperioſos & tyrannicos maritos, qui uxorem verbis injurioſis ac etiam verberibus impetunt; *Natura* (inquit

quit D. J. Chryſoſtomus Hom. 26. in 1. ad Cor. 3.) *ſubjecit fœminam, non ut ſervam, ſed ut ſociam; non ad mancipium, ſed ad vitæ libertatem.* Tertia Mariti conditio eſt, ut Domui ſuæ bene præſit, & curam ſuæ Familiæ gerat, quantum intereſt tam ſalutis animæ, quàm terrenæ utilitatis. Uxoris conditiones potiſſimæ tres notantur. 1. *Pietas* ſeu devotio, quæ res Dei ac ſalutis curet. 2. *Fides* quæ Marito reverentiam, obedientiam & amorem præbeat. 3. *Diligentia*, in adminiſtratione Domus, ut ſunt educatio Filiorum, Servorum inſtitutio, & rerum temporalium cura. Uxoris officia.

III. Reciproca ſunt Parentum ac Filiorum debita. Eſto enim quòd, Diis, Patriæ ac Parentibus nulla ſit impoſita Juſtitiæ lex ad ſubditos; eſto etiam quòd hi nequeant illis rependere ad juris æqualitatem; eſt nihilominus aliqua Juſtitiæ ratio, qua Parentes & Filii mutuis quibuſdam officiis colligantur. 1. Hæc ſunt, quæ ad Parentes ſpectant; fluuntque ab innato affectu, quo quiſque ſeipſum in filiis, ſeu Totum ſe in ſuis partibus cenſetur diligere. Primum eſt *ſubſidiarium Alimentum*; in quo cavendum eſt, cùm ab exceſſu, ne quid ſcilicet ultra conditionem concedatur; tum à defectu, ne quid minus quàm par ſit; tum etiam ab inæqualitate, plus nempe uni, minus alteri, quàm æqualis affectus expoſcat. Qui excedunt, *Parentes Idololatræ* poſſunt vocari; qui deficiunt, *inhumani & crudeles*; qui ab æqualitate recedunt, *Partiales* ſunt & ob iniquam diſpenſationem ſæpiùs puniuntur in ipſis filiis, quorum alter alteri invidet & fortè mortem machinatur; ut de Jacob & Eſau, quorum ultimus indignabundus de Prælatione fratris, ajebat, *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Geneſ. 27. 41. *Educatio* eſt alterum à Parentibus officium filiis debitum: quò enim præſtat Animus corpore, eò præcellit nutricationi Educatio, quam proli neceſſariam & meritam ſupra diximus. Ah quot ſunt, qui defectu ſollicitudinis paternæ in damnandos proruunt caſus! ut de iis dicat quis jure quod de Juda perdito dictum eſt, *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Math. 26. 24. Tertium debitum eſt *Exemplum*, ſunt enim filii Parentum ſimiæ, & ſpecula, ab his ducunt ſceleris imitandi formam & authoritatem.

Parentum debita erga Filios.

Educatio bona.

Exemplum.

2. Filiorum Debita tribus conſtant rebus. 1. *Amore*. 2. *Obedientia*. 3. *Officiis*. Cur non ament Parentes à quibus tot & tanta excepere beneficia, vitam, educationem, ſuſtentationem, &c. Verum quidem eſt quòd affectus nuſquam ad ſuam refluat originem æqualiter, hoc eſt; non æquè amant Parentes ac ſunt ab ipſis amati, aut ſaltem non poſſunt reſtituere vitam quam ab iis acceperunt: aliquatenus tamen reddunt cùm ex gratitudinis affectu ad ipſos inclinantur, & beneficia prout poſſunt, pendunt. Obedientiam tenentur filii exhibere Parentibus, honorem & reverentiam: hoc ſancit omnis Lex, Naturalis, Civilis, Eccleſiaſtica & Divina. Officioſi eſſe debent Filii erga Parentes, ideſt, ſuis ope- Filiorum debita.

operibus ac opibus obſequium, & ſuſtentationem, aliaque ſubſidia præſtare.

Dominorum debita.

IV. Dominus & ſervus ſeu Famulus, ſuum obtinent gradum in Domeſtico Promptuario, quo indicantur virtutes aut vitia quibus illi laudari vel vituperari poſſunt. En debita quibus Dominus commendatur. Debet ille ſuis Famulis *Affectum*, *Mercedem & Inſtitutionem*. 1. Debitor eſt *Affectus*, ſeu benevolentiæ, quia etſi famuli permittente Deo, & ex inconſtantia fortunæ defluxerint ad famularem ſtatum, ſunt tamen proximi, Fratres, Chriſtiani, Sanguine Chriſti redempti, & fortaſſe Deo acceptiſſimi. 2. *Merces*, debita eſt famulis & quibuſcumque operariis, ex Juſtitia commutativa. Hic delinquunt plures Domini qui famulorum labores & miniſteria, non alia mercede compenſant, quàm verberibus aut demiſſione, levem vitrei cyphi confractionem fortaſſe cauſati. *Eruditio* ad fidem & Religionis opera Chriſtiano neceſſaria, debetur famulis, hancque iis tenentur præbere Domini, tum verbo, tum exemplo, ex charitate & juſtitia.

Famulorum debita.

Famulus vel quivis alius Conductitius, tria ſuo Domino debet. 1. *Obedientiam*, ſeu reverentiam in iis quæ ad miniſterium ſpectant, nec propriam conſcientiam offendunt. 2. *Fidem*, ſeu fidelem in rerum commiſſarum adminiſtratione curam: ita ut nihil pereat aut ex negligentia, aut ex conſilio aut ex conſortio cum iis qui Domino injuriam inferunt. 3. *Miniſterium* & labor famulorum debetur Dominis, propterea enim conducuntur pretio, & ſi hac in re deſides fuerint, ad reſtitutionis compenſationem tenentur.

Viduitatis ſtatus.

V. Viduitas, ſtatus eſt medius inter conjugium & Virginitatem, illud videtur præcedere, ut ad iſtud accedat; ita Philo Judæus l. 2. de Cherub. *Eam*, inquit, *quæ mulier fuerat*, *reſtituit in Virginitatem priſtinam*. Clemens Alexandr. l. 7. Strom. *Eſt rurſus Virgo per temperantiam*. Viduæ vocabulum alii ducunt à *Ve* & *duo*, hoc eſt, *ſine & duobus*. Ita Juriſconſulti ff. *de verbor. ſignific.* Aliis vidua eſt quaſi Idua, ſeu diviſa & ſeparata, nimirum à mortuo marito; at quidquid cenſeatur de nomine; res conſtat, quatenus explicat privatam perſonam à conjugio per conjugis mortem ſolutam. D. Antoninus in Summa parte 3. cap. 3. Viduarum triplex genus facit, *Quædam* (inquit) *ſunt Diaboli*, *quædam Mundi*, *quædam Dei*. Primi generis, appellat eas quæ ſe non continenr, de quibus Apoſtolus 1. ad Timot. 5. ait: *Adoleſcentiores viduas devita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto*, *nubere volunt*, *habentes damnationem*, *&c.* Mundanæ ſunt, quæ etſi contineant, vanis tamen Mundi negotiis ac converſationibus delectantur, de quibus dictum putat illud D. Pauli 1. Tim. 5. *Vidua in deliciis vivens*, *mortua eſt*. Vidua verò Dei, quam Apoſtolus vocat verè viduam, eſt quæ Continentiæ propoſitum ſtatuit deinceps ſibi obſervandum, abſtinetquè ab iis omnibus quæ huic propoſito videntur vel minimùm noxia. Tres dumtaxat virtutes in Vidua deſi-

Virtutes.

Digitized by Google

deſiderantur; *Caſtitas*, *Pietas*, *Solitudo*. Caſtam eſſe debere Viduam omnia cùm Scripturæ, tum Patrum teſtimonia proclamant : & certè hoc eſt iſtius ſtatus præcipuum ornamentum, quo præcellit & ſecernitur à conjugata. Caſtitas autem duplex in Vidua eminere debet. Alia Corporis quæ virum nullatenus experitur, alia Mentis & affectus quę corruptelā nec patitur nec deſiderat. Hæc *verè Vidua eſt*. 1.Timoth. 5. Huic non modica cautio adhiberi debet, ne vitietur; facillimum eſt enim ex legitimæ quondam voluptatis memoria, ad illicitæ concupiſcentiam provocari. Hinc Apoſtolus ætatem viduitatis laudandæ deſignat 1. Timot. 5. 3. quæ autem ſint ab Eccleſiaſtico miniſterio rejiciendæ, docet ibidem, ubi laſcivientes juniores repudiandas ſcribit. *Pietas* & devotio, Viduam maximè decent, ut pote quæ Mariti deſtituta ſubſidio, iſtud à Deo ſperare ſolùm poteſt; eſt enim ille Viduarum & pupillorum Patronus & protector. Ideo Paulus, ait : *Speret in Deum & inſtet obſecrationibus & orationibus die ac nocte*. 1. Timoth. 5. *Solitudo*, alterum eſt Viduæ veræ ſtudium; ſecedat ab omni ſocietate præſertim liberiòre, quæ vanitatem & petulantiam ſapit; in ſeceſſu gemat Columbæ viduæ inſtar, vacet lectioni, mortificationi, cæteriſque Sanctitatis operibus dedatur. Ita ſancit D. Paulus loco citato. Apage igitur, non verè viduas, *quæ otioſæ diſcunt circumire domos, verboſæ, curioſæ, loquentes quæ non oportet*.

Verè vidua erat Judith quæ virtutibus magis quàm veſtibus ornata præcelluit. Illa *in ſuperioribus domus ſuæ fecerat ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis morabatur, habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*. Judith 8. 5. Ejuſmodi etiam *erat Anna Propheteſſa, quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens die ac nocte*. Luc.2. D.Hieronymus hortatur ad Viduitatem ſervandam Epiſt. ad Gerundiam, ad Furiam qua ratione poſſit Viduitas cuſtodiri docet ep. ad Salvinam. Addo quòd rectè Viduis magnus honos ſit ſemper exhibitus; olim ſtipendiis publicis maximè Eccleſiaſticis ſuſtentabantur: Iſaiæ. 1. dicitur, *Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite Viduam, &c.*

VI. *Virginitas* ſeu in puero ſeu in puella, privati hominis bonum eſt, quod eidem in quolibet alio ſtatu laudem conciliare poteſt. In hac virtute tria potiſſimùm ſpectantur; 1. *Nobilitas* ſeu pretium. 2. *Utilitas* ſeu fructus, 3. *Cuſtodia* ſeu exercitatio. Virginitate ſcilicet nihil eſt digniùs; nihil Deo acceptius; nihil diligentiùs obſervandum. Dignitas Virginitatis in hoc ſtat, quòd humanam Naturam excedat, Angelicam adæquet, & ad Divinam accedat. Naturam ſuperat virtus, quæ carnem domat, & quæ in carne poſita non ſecundùm carnis deſideria ambulat. *Supergreditur Virginitas conditionem naturæ humanæ* (inquit D. Ambroſ. lib. de viduitate) *per quam homines Angelis aſſimilantur: major tamen eſt victoria Virginum, quàm Angelorum; Angeli enim ſine carne vivunt, Virgines*

Virginitatis ſtatus.

Dignitas & excellentia.

nes verò in carne triumphant. Tertullianus ad Uxor l. 1. *Sic æternum ſibi bonum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo, de familia deputantur Angelica*. S. Chryſolog. ſer. 143. ait: *Angelum eſſe felicitatis, Virginem eſſe, virtutis; hoc habet Virgo ex viribus, quod habet Angelus ex natura*. D. Cyprian. l. de bono pudicit. *Virginitas æquat ſe Angelis, immo excedit in carne luctata, &c.* Idem ibid. *Virginitas eſt opus integrum, imago Dei reſplendens ad Sanctimoniam Dei, &c.* Etenim *Prima Trias virgo eſt*, inquit Nazianzenus, ſumma & perfectiſſima in Deo puritas eſt: *Hanc imaginem portat Virginitas quæ de cœlo eſt, non luxuria quæ limoſa eſt*, ait Hugo Cardinalis. D. Ambroſ. l. de offic. *Quanta eſt Virginitatis gratia, quæ meruit à Chriſto eligi ut eſſet corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis! Virgo genuit mundi ſalutem, Virgo peperit vitam univerſorum*. Virginitatem ſemper amavit Deus, hanc elegit & coluit Chriſtus, in ea vixit B. Maria, hac præſtitit D. Joan. Baptiſta, pro eadem, innumeri ex utroque ſexu vitam dedere. *Utilitas* certè maxima è Virginitatis ſtudio naſcitur; Appetitus ſentientis affectus & motus illicitos comprimit; vitiorum eſt mors ac ſepulchrum; virtutum ac gratiarum origo & Seminarium; Gloriæ & felicitatis ſpecimen & prægustatio, quæ Chriſto Sponſas, Agno Aſſeclas ex Virginibus conſtituit. Hinc Auguſtinus ſer. 60. de diverſ. *Nec propterea vos ſteriles deputetis, quia Virgines permanetis, nam & ipſa integritas carnis, ad fœcunditatem pertinet mentis*. Id. in Pſal. 17. *Quæ eſt Virginitas mentis? integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas*. Non minima opus eſt cura, ut pretioſus iſte Virginitatis theſaurus in vaſis fictilibus ſervetur, plures enim prædones huic perpetuò inſidiantur ut rapiant, præſertim *ſuperbia, converſatio liberior, otioſitas*. *Virginitatis* autem *Cuſtodes* optimæ, ſunt *Humilitas, ſeceſſus, exercitium*. S. Bernardus ait ſer. ſup. Miſſus: *Virginitas ſine humilitate, gratiam habet apud homines, ſed non apud Deum*. S. Auguſtinus l. de virginit. *Melius eſt humile conjugium, quàm ſuperba virginitas; nubere noluiſti, quod licet, extollere te vis quod non licet*. Seceſſus ſuadetur virginibus à D. Ambroſio l. de virgin. & ſuper Lucam cap. 1. *Trepidare* (inquit) *virginum eſt, ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri, &c.* Otium fugere debet virgo, & convenientis laboris exercitio mentem occupare, carnem jejuniis domare, animumque Deo precibus & orationibus conſecrare.

Utilitas.

Cuſtodia.

SECTIO III.

Promptuarium Humanum Publicum, ſeu Fontes & Loci ex quibus Homo publici Juris factus Laudari aut vituperari poteſt.

Bifariam dividitur caput iſtud, in *Sacrum & Civile Promptuarium*. Prius ſpectat ad varios ſtatus qui ad Deum immediatè ordinantur, ut

ut ſunt Chriſtianus, Apoſtolus, &c. Alterum Politicos & Reipublicæ Gradus complectitur: tales ſunt Princeps, Magiſtratus, &c. Quid utrumque deceat vel dedeceat, duobus Paragraphis aperimus.

§. I.

Status Sacri, & Fontes quibus Homo in Republica Eccleſiaſtica conſtitutus commendatur aut vituperatur.

I. CHriſtianus communi ſignificatione notat hominem Baptizatum, Chriſti, Legiſque Evangelicæ aſſeclam; quo titulo varii gradus intra ejuſdem Fidei profeſſionem diverſimodè ordinati continentur. Tria ſunt quæ hac de re generatim tractanda occurrunt. 1. Chriſtiani *Status Præſtantia*, 2. *Debitum* ſeu obligatio. 3. *Nota* ſeu Signum. Chriſtiani Attributa.

1. Chriſtiani Nominis hoſtes illud infamare conati ſunt, variis dicteriis uſi ad irrogandam contumeliam, odiumque conciliandum Chriſti ſequacibus. Hos vocabant *Galilæos*, *Meſquinos* (voce nimirum corruptè deducta à Chriſto Meſſia) *Cruciarios*, *Patibularios*, *Buſtuarios*, *&c.* At qui rem altiùs & ſapientiùs ſcrutati ſunt, longè aliter de hoc Nomine ſenſere: nempe illud cæteris veluti nobilius & ſublimius præferentes, hoc ſolùm gloriati ſunt, quia forent Chriſtiani. Sic cenſuit illuſtris Calliopus, de quo Surius in menſe Aprili refert quòd pluries à Tyranno Præſide interrogatus de Nomine, Chriſtianum eſſe, toties reſpondit. Idem præſtitere quamplurimi ſapientiorum prioris ætatis Fidelium, qui opes, vitamque profudere, ut auguſtum nomen ſibi vindicarent. Et certè meritò cenſetur nobiliſſima ejuſmodi nuncupatio, quæ à Chriſto authore derivata, ejus empta ſanguine, præcellit ambitioſioribus titulis, ut de illa jure dicas, quòd ſit *ſuper omne Nomen*, admirandum Angelis, formidandum Dæmonibus, Hominibus prætioſiſſimum. Glorientur ergo Mundi ſectatores de vana rerum terrenarum ſupellectile qua fortaſſe abundant, ideo, ut ait Pſalm. 48. 12. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis;* tota gloria Chriſtiani ſit eſſe Chriſtianum: hoc enim nomine prædicatur, Dei filius, Chriſti frater & membrum, Spiritus ſancti Templum; *Homo Spiritualis* Animali oppoſitus 1. Cor. 2. 14. 14. & Epheſ. 4. 17. 18. *Novus homo & nova Creatura*, Epheſ. 2. 15. & 4. 24. & 2. Cor. 5. 17. & Galat. 6. 15. Item *Homo interior*, Epheſ. 3. 17. & 2. Cor. 4. 16. & Rom. 7. 22. *Abſconditus cordis homo* 1. Petr. 3. 4. His & ſimiles tituli quibus inſignitur Chriſtianus, tot ſunt Chriſtiani Nominis præconia. Unde jure dixeris cum D. Leone ſer. 1. de Nativit. *Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire: Memento cujus corporis ſis membrum, &c.* Angeli ergo mirantur iſtud Nomen, quòd Incarnationem Divini Verbi ſubindicans, notat gratiam Hominibus factam, quæ nuſquam ipſis Angelis

Nomen.

Dignitas.

gelis conceſſa eſt. Hebræor. 1. 4. & 2. 17. Ex hoc ipſo terrentur Dæmones, Chriſtiani virtutem & ſubſidium ex appellatione ſuſpicati. An igitur aliquid pluris fieri debeat quàm ejuſmodi vocitatio?

Chriſtiani Debita.

2. D. Auguſtinus l. de Vita Chriſtiana ſic ait: *Chriſtiani nomen ille fruſtra ſortitur, qui Chriſtum minimè imitatur. Quid enim tibi prodeſt vocari quod non es, & nomen uſurpare alienum? ſed ſi Chriſtianum te eſſe delectat, quæ Chriſtianitatis ſunt gere, & meritò tibi nomen Chriſtiani aſſume, &c.* Quænam virtutes & qualitates Chriſtianum deceant, iſtud fuſè & diſertè docetur à R. P. Senaut Congregationis Oratorii nunc Præpoſito, in libro cui titulus eſt, *L'Homme Chreſtien*, ibi de Fide, Spe, Charitate aliiſque virtutibus Hominis Chriſtiani abundè diſſerit. Item qualis eſſe debeat, videlicet ſit Sanctus, Peregrinus, Miles, Martyr. &c. Ex his poſſunt ſeligi quæ placuerint, atque ex iis conſtitui Chriſtianorum Debita; v. g. *Sanctitas* quæ Perfectioni ſtudet, *Militia* quæ adverſus domeſticos & externos Hoſtes pugnat, *Martyrium*, quod perpetuæ mortificationi deditur, &c.

Notæ Chriſtiani hominis.

3. Chriſtianus ſuis dignoſcitur Notis, quæ ipſum ab Infideli ſecernunt. Tribus autem rebus explicatur Chriſtiani Teſſera. Prior eſt repudiatio peccatis data, hanc quidem ille profitetur in Baptiſmate, dum Mundi ac Sathanæ pompis renuntiat, ſed præſtat eandem profiteri actibus, unde Tertullianus ad Scap. cap. 2. *Chriſtiani non ſunt aliunde noſcibiles, niſi de emendatione vitiorum.* Et Apolog. cap. 44. *deſinunt apud nos haberi Chriſtiani, ſi mali ſunt.* Alterum ſignum, eſt præceptum divinorum, ac maximè de Dilectione obſervatio; unde ait ipſe Chriſtus, *In hoc cognoſcent omnes quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Joan.* 13. 35. Tertium ſignum, eſt Conſiliorum Evangelicorum adimpletio, vel ſaltem adimplendi deſiderium, aut eorum qui eadem profitentur æſtimatio: hac enim perfectionis ſumma carent Hæretici, apud quos nullus eſt qui ex profeſſo renuntiet omnibus quæ poſſidet ut Chriſtum ſequatur. In Chriſtianos ſpurios invehitur D. Chryſoſt. hom. ad Pop. dum ait, *Dic mihi, inquam, unde potero deprehendere te Chriſtianum? an à loco? an à veſte? à ſermone? à cibo? à negotiis? Non à loco, quia locus Chriſtiani eſt templum Dei, tua autem frequentatio in ludo, platea, taberna. Non à veſte, quia indumenta prophana & cum luxu vana geris. Non à ſermone, quia perpetuò gaudes juramentis, detractione, adulatione. Non à cibo, quia in menſa ob intemperiem & ingluviem, magis Epicuri quàm Chriſti videris eſſe diſcipulus. An à Negotiis? minimè, quia quæ tractas plena ſunt dolis & injuriis quibus proximum circumvenire ſoles.* Salvianus l. 4. de Provident. Chriſtianos à ſanctitate declinantes acerrimè pungit. Pauca tantùm verba refero quibus infideles de Fidelium ſceleribus ſcandalum paſſos inducit hæc objicientes, *Sancta fierent à Chriſtianis ſi Chriſtus ſancta docuiſſet: Æſtimari de cultoribus ſuis poteſt ille qui colitur; quomodo enim bonus magiſter eſt, cujus tam*

Sanctitas.

Obſervantia Præceptorum.

Conſiliorum.

Perverſi Chriſtiani.

malos

malos videmus eſſe diſcipulos? Vide Chriſtianos quid agant, & evidenter potes de ipſo ſcire quid doceat, &c.

II. *Pontifex ſummus*. Huic D. Antonin. part. 3. tit. 22. cap. 1. aſſignat verba Pſal. 8. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis; gloria & honore coronaſti eum & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, quæ quidem de Chriſto propriè dicta, ad Summum Pontificem Chriſti vicarium transfert; nam, ut ait Hoſtienſis, Papa eſt minor Angelo, quia mortalis eſt, ſed major homine, quia ex delegatione Chriſti eſt caput viſibile Eccleſiæ Militantis, habetque poteſtatem ſolvendi & ligandi in Cœlo & in Terra, qua cæteris hominibus major eſt. Ex mente ejuſdem D. Antonini, Pontifex triplici corona redimitur. Prior eſt *Cæleſtis*, qua cœlum aperit vel claudit, poteſtate ſcilicet facta per Claves commiſſas ligandi aut ſolvendi; Altera, *Eccleſiaſtica* eſt, quæ Eccleſiæ ac Terris præeſt; Tertia *dominatur Inferis*, tum quia Animabus Defunctorum in Purgatorio ſuffragatur, tum quia authoritate ſibi à Chriſto conceſſa Dæmones comprimit, ipſiſque impios rebelles anathemate perculſos tradit, quemadmodum ait D. Paulus 1. Cor. 5. 5. *in interitum carnis ut ſpiritus ſalvus ſit*, & 1. Timot. 1. 20. *ut diſcant non blaſphemare*. Idem Antonin. Pontifici ſuggerit quæ olim D. Bernardus ad Eugenium ſcripſerat, nimirum ut attendat ad quatuor maximè ponderanda. 1. Ad ea quæ habet in ſe. V. g. quid ſit in Natura, quis in Perſona; qualis in vita. 2. Ad ea, quæ ſunt ſub ſe. V. g. ad Mundum & Eccleſiam, quibus debet curam, prædicationem & exempla. 3. Ad ea quæ ſunt circa ſe. V. g. Clerum & Miniſtros quibus Pontifex utitur. 4. Ad ea quæ ſunt ſupra, hoc eſt ad Deum & ſupernam patriam. Innumera ſunt quæ de Pontificio Apice poſſunt afferri, & afferuntur à Theologis. Oratori vero ſatis eſt ponderare, 1. Pontificis Dignitatem eximiam: 2. Adminiſtrationem integram. 3. Vitam probatiſſimam, &c.

Papa. Triplex ejus Corona.

III. *Apoſtolus* Dignitate antecellit ferè omnia Eccleſiæ munera; quid enim ſublimius excogitari poteſt gradu Apoſtolico, qui vices Chriſti agens Eccleſiæ fabricam ſuſtentat & tuetur? Apoſtoli dicuntur *Dei adminiſtri* 1. Cor. 3. 19. *Diſpenſatores Myſteriorum Dei* 1. Cor. 4. 1. *Legati Chriſti* 2. Cor. 5. 20. Epheſ. 6. 20. *Judices Mundi*, Math. 10. 28. *Meſſores*, Joan. 4. 38. *Lux Mundi & Sal terræ*, Math. 5. 13. 14. *Teſtes Chriſti*, Luc. 24. 48. Joan. 15. 27. Actor. 1. 2. & 28. *Principem Populorum* Pſalm. 46. In Apoſtolico viro tria poſſunt ſpectari. 1. *Vocatio*. 2. *Zelus*, ſeu adminiſtratio. 3. *Eventus*, ſeu res feliciter geſtæ. Ad Deum pertinet Apoſtolos eligere ac vocare, quia Domini eſt Operarios in vineam ſuam, & Meſſores in ſuam meſſem mittere. Ita Chriſtus elegit Apoſtolos, Luc. 6. 12. ſed præmiſſa oratione, oſtendens quanta opus ſit diligentia, ut digni tanto miniſterio ſeligantur. Sed cur illitera-

Apoſtolus. Apoſtolicæ Dotes. Vocatio.

tos vocavit? Auguſt. tract. 7. in Joan. *Chriſtus*, inquit, *Idiotas elegit; unde confunderet mundum, volens ſuperborum cervices frangere, non quæſivit per Oratorem Piſcatorem, ſed de Piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Nullus nobilis primò electus eſt, nullus doctus; quia infirma mundi elegit Deus ut confunderet fortia, &c.* Id. de Civit. Dei l. 18. cap. 49. *Elegit Chriſtus diſcipulos humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum eſſent & facerent, ipſe in eis eſſet & faceret, &c.* D. Gregor. l. 9. Epiſt. ep. 58. *Chriſtus prædicatores ſuos, quos in mundum miſit, ſine litteris elegit, ut Mundum oſtenderet non ſapientia hominum, ſed ſua ſe virtute convertere.* Ita ſentiunt SS. Patrum plurimi, quorum teſtimonia citat Barradius in Evangel. t. 2. lib. 3. cap. 5. Vocationi divinæ ſuccedere debet Hominis *obſequium*, quod eò fuerit laudabilius, quò promptius, & majora cùm carnis, tum mundi impedimenta ſuperaverit, ut Deo pareat. *Zelus* in Apoſtolos deſideratur, ut ſcilicet commiſſam adminiſtrationem fideliſſimè gerat. Multa Zelum in Apoſtolos ſuccendere poſſunt, ſed maximè id præſtat triplex Amor, Dei, Proximi, ac ſui ipſius. Quid non poterit Amor Divinus ſi cordi adhæſerit? Magna prorſus efficiet ſi magnus fuerit, &c. Apoſtolis convenit illud pſalm. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*: Igneo enim Zelo illi ſuccenſi velociſſimè & fortiſſimè demandatum miniſterium exequuntur, quia Dei quem amant intereſt. Adde quòd Proximi dilectio, vehementer urgeat Apoſtoli Zelum; agitur enim de Animæ rationalis ſalute, quam novit pretioſiſſimam ſcitque Deo magni conſtitiſſe, &c. Nec minùs ſtimulat Apoſtolum propria utilitas, quam ex fideli adminiſtratione conſequitur, nempe Gratiæ & Gloriæ incrementum. Huc accedit quod à Deo conceſſum eſt Apoſtolis, ut eximiè ſuo fungerentur officio, nimirum *Vis Eloquendi* ſupra omnes oratoriæ artis leges, quæ cœlitùs accepta efficacia, vilioribus etiam verbis indita, ſuadebat quoſcumque eruditiores & in errore obſtinatiores. Item *virtus patrandi miracula*, ut expellendi Dæmones, ac reſtituendi ſanitati ægrotos & vitæ mortuos, &c. Hæc, inquam, & ſimilia, quæ Gratiæ Gratis datæ vocantur à Theologis, neceſſaria & conceſſa fuere Apoſtolis, ut delegatas ſibi vices adimplerent. *Succeſſus* ſeu Eventus ſuſcepti operis, patet ex ipſis rebus quas Apoſtoli in tam modico tempore, cum viribus adeo imparibus confecere; in omnem terram exivit ſonus eorum, & univerſum orbem Sathanæ ereptum, Deo ceu legitimo Domino reſtituere.

Zelus. Incendia Zeli. Succeſſus fœlix.

Evangeliſta. 4. *Evangeliſta* proximus eſt Apoſtolo. Illo nomine appellantur, qui Spiritu ſancto docente ac dictante Sacram Hiſtoriam de Chriſti vita & doctrina ſcripſere. Sunt igitur Scriptores Divini; Spiritus S. Actuarii; Interpretes Cœli; Secretorum altiſſimorum participes; Eccleſiæ Doctores; Religionis Chriſtianæ Tabularii; Archivii Sacri Cuſtodes;

des; Annaliſtæ & Scribæ Eccleſiaſtici, &c. His & ſimilibus titulis exprimitur Evangeliſta, cui cum Apoſtolo plurima ſunt communia; ut, quòd ſint Imperii Eccleſiaſtici Principes, qui idem regunt; Chriſtiani Gregis Paſtores, qui eumdem paſcunt & tuentur; Ædificii Spiritualis Fundamenta & fulcimenta; Cœli inferioris Aſtra, &c. Hinc Evangeliſtæ dignitatem licet conjicere; Dotes verò ſeu virtutes quæ in hoc officio ſpectari debent, ſunt potiſſimè, 1. Religio incorrupta, 2. Veritas inconcuſſa, 3. Charitas indefeſſa, &c.

5. *Martyr* eſt qui pro Chriſti Fide ſanguinem cum vita fundit. Martyrium triplex diſtingui poteſt: Aliud eſt Effectus ſine affectu; tale eſt Puerorum Bethleemiticorum, qui rationis & voluntatis uſu carentes, pro Chriſto periere. Aliud eſt, Affectus ſine effectu; quale eſt D. Martini Turonenſis, de quo dicitur, *ò Martyr deſiderio!* Ita plures alii expetivere pro Chriſto mori, nec tamen votis potiti ſunt. Aliud denique Martyrium eſt Affectus & Effectus, quod voluntate & opere conſummatur. Martyr.

1. De primo Martyrii genere rarum eſt exemplum præterquam in SS. Innocentibus, niſi dixeris ſimilem coronam deberi pueris, qui unà cum matre prægnante necantur in utero pro Chriſti cauſa. De SS. Innocentibus ait D. Cyprianus ſerm. de Stella & Mag. *Teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibebant paſſione; ſufficit cauſa teſtimonio, licet non diſtinguatur eloquio.* Martyrium multiplex. Ex Effectu.

2. Alterum Martyrii genus iterum duplex eſt: aliud quod Affectu tantùm perficitur, veluti de iis aſſeritur qui vehementer optaverunt pro Chriſto mori, ut præfatus D. Martinus, D. Dominicus, D. Franciſcus, & alii plurimi, quorum voluntas Martyrio non defuit, ſed voluntati Martyrium. De his Cyprianus ait, *In ſervis Dei apud quos cogitatur Martyrium & mente concipitur; animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. Duo ſunt Martyrii genera* (teſte D. Gregorio l. 3. Dialog.) *Unum in occulto, alterum quoque in publico: Nam etſi perſecutio deſit exteriùs, martyrii meritum in occulto eſt, cùm virtus ad paſſionem prompta flagrat in animo, &c.* Martyrii ex affectu altera ſpecies eſt carnis maceratio voluntariè aſſumpta. D. Gregor. hom. 3. in Evang. ait; *Quamvis occaſio Martyrii deſit, habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum; quia etſi colla ferro non ſubjicimus, ſpirituali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.* D. Chryſoſtomus 11. hom. in cap. 6. ad Hebræ. poſt plura, ſcribit, *Mortifica corpus tuum & crucifige, accipies & tu coronam martyrii, &c.* D. Bernard. in Cantic. ſerm. 20. explicans iſtud, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam,* ſubjicit: *Perdet eam, dixit ſive ponendo eam ut Martyr, ſive affligendo eam ut Pœnitens. Quamquam genus martyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare; illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Idem ait, *Quòd Martyrium gravius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas pretioſas al-* Ex Affectu. Martyrium per mortificationem.

ge-

gere, paupertate premi inter divitias, quas offert Mundus, quas oſtentat Malignus, quas deſiderat appetitus noſter.

3. Ex D. Antonino parte 3. Tit. 31. cap. 9. §. 2. Triplex eſt Martyrium iſtud quod ex affectu ſeu metaphoricum vocatur; Aliud Patientia rerum moleſtarum; Aliud commiſeratione afflictorum, ut ait B. Gregorius, *Qui dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portat in mente:* Et Apoſtolus 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Aliud quod dilectione Inimicorum perficitur. Ex illo Greg., *Ferre contumelias & odientem diligere, eſt martyrium in occulta cogitatione.* Aliud Martyrii genus habes in iis qui ſe Peſte laborantium ſubſidio mancipavere, vel etiam convertendis Infidelibus operam navant. Martyrologium Romanum ad diem 28. Februar. ſic ad propoſitum loquitur, *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Præsbyterorum, Diaconorum & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere; quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Idem ſcribit D. Dionyſius Alexandrinus epiſt. ad Hierac. apud Euſeb. l. 7. c. 17. *ut iſtud mortis genus quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à Martyrii ſplendore abeſſe videretur.* Compaſſionis Martyrium videtur ſubjiſſe B. Virgo, cui dictum eſt, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Luc. 2. 15. D. Hieronymus ſer. de Aſſumpt. B. V. *Rectè dixerim* (inquit) *quòd Dei Genitrix Virgo Martyr fuit, licèt in pace vitam finierit.* Vide D. Bernardum ſer. de Aſſumpt.

Cauſa Martyrii Quadruplex.

4. Martyrium propriè dictum, eſt actus quadruplicis virtutis, ſcilicet *Fortitudinis*, ut elicientis principaliter; *Patientiæ* verò, ut elicientis conſequenter; *Charitatis*, ut imperantis; *Fidei*, ut Finis. D. Thom. 2. 2. q. 124. a. 1. Eſt actus maximæ perfectionis. Ex eodem ibid. a. 3. Mors eſt de ratione Martyrii; ibid. a. 4. Hæc in Martyrio conſideranda occurrunt, 1. *Cauſa*. 2. *Pœna*. 3. *Charitas*. 4. *voluntas*. 5. *præſtantia*. 6. *utilitas*. Cauſa Martyrii alia non eſt quàm Chriſti & Chriſtianæ Religionis. Unde Auguſtinus in Pſalm. 32. ait, *Martyres non facit pœna, ſed cauſa:* quod confirmat ex verbis Pſalm. 37. 23. *Exurge Domine, & intende judicio meo, Deus meus in cauſam meam, non in pœnam meam, ſed in cauſam meam; non in id quod mecum latro habet commune; ſed in illud quod beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Hæc enim cauſa diſcreta eſt; nam pœna communis eſt bonis & malis.* Idem ſcribit ad Bonifac. Comit. epiſt. 50. & in Pſalm. 68. *Laus Martyrii eſt in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate.* Pœna, quam mors ſequatur deſiderari videtur ad Martyrium, ideo comparatur ſacrificio holocauſti, quo victima integra abſumebatur; quanquam B. Cypriani tempore cenſebantur etiam inter Martyres, qui tormenta fuiſſent experti, licet iis non periiſſent. Charitas in Martyre neceſſaria eſt, nam, ut ait D. Paulus 1. Cor. 13. 3. *ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam; Charitatem autem non habuero, ni-*

Digitized by Google

nihil mihi prodeſt. D. Fulgentius l. de Fide ad Pet. D. Gregorius l. 18. Moral. c. 15. docent non niſi in Eccleſia Catholica veros Martyres fieri. Voluntarium eſſe debet Martyrium, cùm enim ſit Actus humanus virtuoſus, libertatem & voluntatem ſaltem in acceptatione requirit. De bono Latrone ait D. Hieronymus, *Chriſtus de cruce in Paradiſum Latronem tulit; & ne quis aliquando ſeram putaret converſionem, fecit homicidii pœnam martyrium*. Nemo tamen ſe ultro offerat ad Martyrium, ne temeritatis mulcta, fiat defectus à fide; Iſtud ex profeſſo docet D. Cyprianus Epiſt. 83. & l. de Moralitate & l. de laude Martyrii, ait *Dominicæ eſſe promiſſionis & muneris, nec capi niſi ejus imperio*. Si aliqui leguntur antevertiſſe tortorum manus, ut ſe ultro in ignes aliaque tormenta, nullo vim faciente conjecerint, iſtud adſcribendum eſt Spiritui Sancto peculiariter ſuadenti, ſed nullatenus, in exemplum trahi debet. Martyrii præſtantiam omnes SS. Patres prædicant; ſatis ex Chriſti verbis commendatur, dum ait Joan. 15. 12. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Utilitas Martyrii ex omni parte proditur; nam Deum colit ſupremo cultu dum vitæ ſacrificio illum agnoſcit vitæ authorem; Eccleſiæ plurimùn prodeſt, quia, ut ait Tertullianus, *ſanguis Martyrum ſemen Chriſtianorum*, hoc rore fœcundatur Ager Dominicus, iſtud eſt *Granum cadens in terra, quod niſi mortuum fuerit, nullum fructum affert*, Joan. 12. ipſique Fideles exemplo Martyrum invitantur ad Martyrium. Ita docet Auguſtinus ſerm. 4. de Sanctis. *Solemnitas Martyrum*, inquit, *exhortationes ſunt martyriorum, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat*. Martyri denique utiliſſimum eſt pro Chriſto pati, hinc ſcilicet Gratiam & Gloriam coram Deo, honorem verò & reverentiam ſibi comparat apud homines. *Mors*, (inquit) Auguſtinus l. 3. de Civit. c. 6. *pœna naſcentis*. Id. ibid. l. 13. c. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis Lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte Baptiſmatis*. Vices igitur Baptiſmatis obit Martyrium in tribus, 1. quòd conformet hominem Chriſti Paſſioni & morti. 2. quòd remittat omnia peccata, etiam originale; Ita *cenſet* Bellarminus l. 1. de Baptiſ. c. 6. Tertiò, quòd remittat omnem pœnam cùm temporalem tum æternam peccatis debitam, unde ait Auguſtinus ſerm. 171. de Verb. Apoſtol. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*.

Cautio in Martyrio exquirendo.

5. Rationes quibus Martyrium ſuaderi poſſet, ſunt, 1. quia vitam omnino debemus Deo, ita ut pro illo mori, aliud ſit nihil quàm acceptum beneficium reſtituere. 2. quia cùm debitores ſimus erga Juſtitiam divinam ob plurima peccata, quorum pœnas luere oportet, prius quàm cœlum ingredi poſſimus, iſtud omne exolvitur per Martyrium. 3. quia dolores Martyrii paucis horis finiuntur, at præmium illi certiſſimè conſequentur immenſum & æternum. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus tem-*

Rationes ad ſuadendum Martyrium.

po-

poris (ait Paulus Rom. 8. 18.) *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et 2. Cor. 4. 17. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Hinc Tertullianus l. ad Martyr. ait, *Nihil Crus ſentit in nervo, cùm animus in cœlo eſt*. 4. Alia ratio Martyrium ſuadens, eſt Chriſti voluntas, Calicem ſuum ille porrigit amicis ſuis. *Prior bibit medicus ſanus, ut bibere non dubitaret ægrotus*; inquit Auguſtinus ſer. 18. in Math. Quintò, Expiationis Sacrificium inchoavit Chriſtus ac in ſemetipſo conſummavit ſupra Calvariæ montem, ſed debet iſtud continuatione adimpleri per Chriſtianos: unde Auguſtinus ait, *adimpletum eſt in capite, reſtat adimplendum in membris*. Martyr jure dixerit cum Paulo Coloſſ. 1. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea*. 6. Chriſti denique exemplo Martyrium ſubire invitamur, quia *paſſus eſt nobis reliquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus*. Et, *Si compatimur, conglorificabimur*. Rom. 8. 17. *Quare amas quod Chriſtus, ſi times pati quod Chriſtus?* ait Auguſtinus in pſ. 96.

Martyrium Diabolicum.

6. Martyres ſuos habent Mundus & Diabolus, qui pro his eadem patiuntur, quæ Paulus gloriabatur pati pro Chriſto. 2. Cor. 11. *In vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, &c.* Unde Petrus Bleſenſis Epiſt. 14. appoſitè & ad rem noſtram ſcribit, *Gloriam martyrii mererentur, ſi hæc pro Chriſti nomine ſuſtinerent; nunc autem ſunt martyres ſæculi.*

Epiſcopus quid ſit.

7. *Epiſcopus* quid ſit, ex voce ipſa, quæ ſuperiùs conſtitutum inſpectorem ſonat, licet conjicere; ſcilicet, Homo eſt Chriſti Paſtoris vices in terris agens, qui commiſſis ſibi Gregis curam gerit, ideoque huic invigilat ſedulò, non ſolùm ne quid mali in demandatam Diæceſim irrepat, ſed ut neceſſaria & utilia ad ſalutem pro viribus ſuppeditet. Paulus ſic alloquitur Prælatos Act. 20. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Non hìc attexo plurima quæ de hoc Miniſterio paſſim apud SS. Doctores leguntur, ea tantùm capitatim oſtendo, ex quibus Orator ducat Laudationum ſemina. Ex duplici autem capite videtur potiſſimùm petenda Epiſcoporum Panegyris. Primum eſt ex parte Chriſti, alterum ex parte Eccleſiæ. Chriſti quidem ſunt *Legati, vicarii, vicem ejus ſubeuntes, ſubſtituti, Corredemptores, Adjutores, Socii, Angeli ſeu Nuntii, Miniſtri, &c.* eaſque dotes habere debent quæ præfatis titulis conveniunt. Ex parte verò Eccleſiæ varia ſuſcipiunt nomina, prout ipſamet Eccleſia variis figuris explicatur. V. g. Eccleſia dicitur Sponſa, Epiſcopi ſunt ejus *Sponſi*, ideo annulo conjugali inſigniuntur & plurimis gratiis gratuitis, ceu tot Dotibus muniuntur, eamque fidem Eccleſiæ tenentur exhibere, quam Sponſus ſponſæ, &c. Eccleſia, eſt 1. Civitas, Epiſcopi ſunt ejus *Præſides, Cuſtodes, vigiles, &c.* Illa eſt 2. Exercitus, ſeu Caſtrorum Acies, hi ſunt *Duces*. 3. Eſt Grex, hi *Paſtores*. 4. Corpus

Epiſcoporum inſigniores Tituli.

pus Myſticum Chriſti, hi ſunt membrorum *caput*. 5. Ædificii Spiritualis *Fundamenta*, *ſuſtentacula*, *ſubſidiariæ partes*. 6. Cœlum eſt illa, hi *Aſtra & Angeli*: 7. ſunt *Evangelici Satores*, 8. *Patres*, *præcones*, *Athletæ*, *Doctores*, *&c. Religionis*. Si horum titulorum proprietates rurſus examinentur, inde patebunt virtutes quæ in Epiſcopis eminere debent. Vide Prælatum ſequ.

7. *Prælatus*. In hoc poſſunt plurima ſpectari, ac maximè quatuor quibus continentur quæcumque ad ſuperioritatis apicem attinent; 1. *Status Dignitas*. 2. *Vocatio legitima*. 3. *Officia debita*. 4. *Dotes requiſitæ*. Prælatorum ſtatus.

1. Sublimitas Prælaturæ conjicitur ex triplici capite. 1. ex origine unde manat. 2. à Fine quem intendit. 3. à præmio quo coronatur. Prælaturæ authoritas non aliunde oritur, quàm à Deo, *à quo omnis Poteſtas*. Roman. 13. 1. Epheſ. 4. & Actor. 20. 28. Chriſtum Paulus Paſtorem magnum vocat, Hebræ. 13. 20. Secundò colligitur ejuſdem ſtatus dignitas ex fine quem intendit, videlicet, Gloriam Dei promovere, Eccleſiam tueri, cœlum fœcundare, mediationem Deum inter & homines negotiari, ac denique hominum ſalutem procurare. D. Chryſoſtom. hom. 4. & 5. ait: *Regi quæ hic commiſſa ſunt, mihi cæleſtia: Regi corpora, Sacerdoti Animæ; major hic principatus, &c.* Tertiò, eadem præſtantia evincitur ex præmio Prælatis promiſſo, his enim videtur præcipuè dictum, quòd ſeſſuri ſint ſuper Thronos ac judicaturi Tribus Iſrael. Et certè quo ſtatus iſte dignior eſt, utilior & laborioſior, eò etiam erit præmiis cumulatior. Dignitas Prælaturæ.

Sublimitatem Prælaturæ conſequitur difficultas quæ in hoc miniſterio adimplendo reperitur. Illa autem ex tribus rebus deſumitur. 1. ex parte Subditorum. 2. ex parte Regiminis. 3. ex ipſis Superioribus. Ex ſubditis oritur Prælaturæ difficultas, quia ſuſcipit regimen cordis humani, quod eſt incognitum & inſcrutabile, quod eſt varium & inconſtans, quod eſt indomitum & ſæpiùs rebelle. Ex Regimine magna oritur difficultas, quia ad hoc ſpectat curare de bonis ſubditorum, tam quæ Fortunæ quàm quæ Corporis & Animæ dicuntur. Paulus hìc exclamat 1. Cor. 4. 2. *Jam quæritur inter Diſpenſatores, ut Fidelis quis inveniatur*. Hinc veriſſimè Nazianzenus dixit, *Ars Artium Regimen Animarum*. Prælaturæ Difficultas.

Periculum ex Prælatura maximum imminet. Iſtud conjice ex eo quod Prælatus vix non peccabit aut in Deum, aut in Proximum, aut in ſeipſum. O quot & quantis delictis in Deum obnoxius eſt Prælatus! quot nimirum ipſi à Deo primo Paſtore ſunt impoſita mandata. Nec propriis ſolùm delictis reus eſt, ſed etiam alienis, quæ ipſi imputantur Ezech. 33. Unde Sap. 66. dicitur, *Judicium duriſſimum his qui præſunt fiet*. *Ad tam magnum tonitruum qui non expergiſcitur* (inquit Auguſtinus tract. de Paſtor. in cap. 34. Ezech.) *hic, non dico dormiens, ſed mortuus eſt*. In proximum & ex proximo delinquere frequenter cogitur Prælatus; vel Periculum Prælaturæ.

Digitized by Google

enim ſibi conciliat aliorum invidiam ex ſublimiore gradu, vel odium ex correptione quam tenetur præſtare verbo aut opere; vel denique ſi huic officio ex nimia indulgentia defuerit, in Deum ipſum & ſuperiores majores delinquet. Seipſum tandem ſæpiſſimè lædit Prælatus, tum quia plurimis & importunis vexatur ſollicitudinibus; tum quia exactiſſimam tenetur reddere rationem de Animabus ſibi commiſſis; ita ut, quamvis aliunde probitate morum ſit commendandus, ex ipſius tamen muneris incurioſa, aut aliunde iniqua adminiſtratione fiat coram Deo maximè reus & ab ipſo puniendus. Inde D.Chryſoſt. in Acta Apoſt. hom. 3. ſcribit: *Non temerè dico, ſed ut affectus ſum ac ſentio; non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant, ſed multo plures qui pereant, &c.*

Vocatio Prælatorum triplex.

2. Vocatio Prælatorum triplex eſſe poteſt, 1. à Seipſis. 2. ab Aliis. 3. à Deo. A ſe ipſo vocatur, qui ex affectu ſuperbiæ, avaritiæ, otii, &c. appetit Prælaturas, eas ſibi procurat directè vel indirectè, officiis, obſequiis, verbis, muneribus, amicis, &c. aut eaſdem acceptat, quamvis ſe ſe aliunde his indignum noverit. Ab Aliis vocatur, qui promovetur ab iis, qui non quærunt niſi ſua, eligunt ſcilicet indiſcretè, amicos, fautores, partiales, incapaces, inexpertes, vel alio modo inhabiles. A Deo vocatur, qui feligitur à juſtis & legitimis Electoribus, in quibus tria deſiderantur ad hoc ut laudabiliter eligant, nempe Puritas Intentionis, nihil aliud attendentis quàm Dei ac Eccleſiæ bonum; Diſcretionis prudentia, accuratè perpendens difficultatem Prælaturæ vacantis, Dotes perſonæ eligendæ, aliaſque ejuſmodi circumſtantias; Juſtitia Diſpenſationis, quæ officia diſtribuat, tantùm pro merito Perſonarum & Eccleſiæ utilitate; cæteris omnino poſthabitis. Item, à Deo iterum vocari poſſunt aliqui immediatè, & per inſpirationem, ſed hoc vocationis genus, cùm ſit extraordinarium, magna cautione, conſilio, & ponderatione indiget, ne ſcilicet, æſtimetur aſſumptio & opus Dei, quod eſt ambitionis, & zeli imprudentis, proprii commodi, &c. damnabile artificium. *Nec*, inquit Apoſtolus Hebræ. 5. 4. *quiſquam aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*. Roman. 1. 1. Ille Galat. 1. 15. gloriatur, quòd non fuerit ab hominibus aſſumptus, ſed à Deo ſegregatus ex materno utero. Conſule D. Gregor. Nazianzenum, Orat. 1. num. 79. & ſeq. Salvianum l. 1. ad Eccleſiam. D. Cyprianum Epiſt. ad Fabianum. Iſte Prælatos inhabiles & indignos appellat *Simias*, quæ cum homines non ſint, humanas tamen actiones conantur effingere.

Prælaturæ officia.

3. Officium Prælati tribus maximè rebus conſiſtit, *Regere*, *Docere*, *& Corrigere*; ſeu Regimine, Doctrina, & Correctione. Regimen non debet inniti propriis Naturæ affectibus, hoc eſt ſequi naturalem humorum temperiem, veluti cùm quis ad iram propenſus eſt, is violento & præcipite utitur regimine; qui ſuperbus, imperioſo; qui mollis, remiſſo, &c. Opus Dei eſt, quod ad amuſſim divinam debet ſedulò per omnia conformari. Vigilantia, Reſidentia, & ſimiles præſentis Prælati

ti ſunt conditiones neceſſariæ ne ſi fortè aliquis pereat ob abſentiam, dicatur Prælato, *Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Docere debet Paſtor, verbo & Exemplo; habeat formam ſanorum verborum, ut poſſit ignorantes inſtituere & contradicentes arguere. Prælati omnia ſint vocalia, præſertim opera quæ efficaciſſimè ſuadent inferioribus quæcumque à Superioribus fiunt; ideoque qualis eſt Sacerdos, talis eſſe ſolet Populus. Paſtores verò ad Docendum inhabiles vel deſides, ſolent paſſim à Scriptura ſacra & Patribus appellari, *Paſtores picti*; *Paſtores nihili*; *Idola*; *Canes muti, latrare non valentes*. Corrigere tandem tenetur Prælatus & in delinquentes animadvertere, ſed ut hoc bene ſuccedat, multæ deſiderantur circumſtantiæ, aliis rejectis. Correctio ſit non mollior & indulgentior, ſed fortis & conſtans: non acrior & ſeverior, quæ iram vel odium ſapiat; ſed ſuavis quæ amorem & charitatem ſpiret: non imprudens & intempeſtiva, ſed diſcreta & ad juſtas circumſtantias accommodata; non partialis, quæ parcat amicis, fautoribus, &c. ſed æqualis quæ nihil præter Dei Gloriam & hominis ſalutem quærat; nec etiam plus nimio æqualis, quæ omnes pari methodo excipiat; ſed prudens, quæ Medicorum more, noverit correctionis remedium appoſitè adhibere.

Prælatorum Dotes & conditiones.

4. Dotes in Prælato deſiderantur plurimæ, quas hìc recenſere longiùs eſſet, potiores tantùm indico. Hugo Cardinalis in illud Geneſ. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c.* ait: *In hoc autem quòd tota Trinitas facit hominem, notatur, quòd Prælatus debet in tribus maximè præpollere: in Potentia, quæ refertur ad Patrem; in Sapientia, quæ refertur ad Filium; in Benignitate quæ refertur ad Spiritum Sanctum*. Requirit igitur ille, *Poteſtatem* ſeu Authoritatem, qua præſit Paſtor; *Sapientiam*, qua doceat & dirigat; *Charitatem*, qua provideat, protegat, compatiatur, &c. Plures aliæ Dotes ſolent in Prælato expeti, v. g. ut ſit irreprehenſibilis coram Deo & hominibus; forma gregis fiat in bonis operibus; zelo ardeat pro omnibus quæ ad ſuum officium ſpectant; eſt enim Tutor legum, quas infringere aut innovare non debet, ſed tueri ac obſervare; non ad otium aut ad proprium commodum ſeſe vocatum arbitretur, ſed ad laborem & onus Angelicis humeris formidandum. Sit igitur Sanctus, immaculatus, Pius, Devotus, Juſtus, Sobrius, &c. Conſule Paulum, 1. ad Timoth. c. 3. & ad Titum cap. 1.

Clericorum ſtatus ac Mores.

8. *Clericus*, vox eſt communis, quæ ſortem ſonat, & quemcumque in Eccleſiaſtico gradu conſtitutum appellat, propriè tamen Minoribus Ordinibus initiatum ſolet explicare. D. Antoninus parte 3. titul. 13. c. 2. tria in Clericis deſiderat. 1. ut abſtineant à Sæcularibus negotiis & occupationibus. 2. ſe ſe exerceant in ſacris eloquiis & virtutibus convenientibus. 3. vacent Divinis officiis ac orationibus. Idem autem c. 3. explicat virtutes quibus Clericus debet præcellere, juxta regulam ab Apoſtolo traditam 1. ad Tim. 3. & ad Tit. 1. videlicet quod ſit 1. *Sine crimine*; 2. *Unius uxoris vir*, hoc eſt, Bigamus viduus non admittatur ad Clericaturam. 3. *So-*

brius, veſtibus non curioſioribus ſed ſtatum ſapientibus indutus. 4. *Hoſpitalis*, charitatem exercens in peregrinos & pauperes. 5. *Pudicus*, moribus & verbis verecundus, ab omni turpiloquio vel ſcurrilitate abſtinens. 6. *Doctor* & ſufficienter eruditus. 7. *Non percuſſor*, aut manus violentas cuiquam inferens. 8. *Non litigioſus*. 9. *non Cupidus* aut Avarus pecuniis & lucris inhians. 10. *Domui ſuæ bene præpoſitus*, hoc eſt, Domeſticam familiam, vel etiam Eccleſiaſticam (ſi ſit Prælatus) ſapienter & religioſè adminiſtret. D. Bernardus l. 3. de Conſid. ad Eugen. ſic de Clericis aliquibus ſcribit. *Miror cujus ordinis ſint noſtri Clerici, nam in congregatione temporalium ſe habent ut Laici; in apparatu nobili, ut Milites: in acquiſitione redituum, ut Clerici: ſed non laborant ut Laici; neque pugnant ut Milites; neque evangelizant ut Clerici; & cùm utriuſque ordinis eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt, &c.* In Clericis deſideratur, 1. Vocatio legitima. 2. Aptitudo ſeu capacitas ſufficiens. 3. Fidelis Adminiſtratio, quæ diligenter ſuas expleat vices.

Sacerdotalis ſtatus conditiones.

9. *Sacerdos* ex præfatis penſandus eſt, ſed maximè ex officio peculiari, quod eſt ſacrificia peragere, unde nomen ducit, quaſi ſacris dandis deditus. In eo, 1. requiritur *vocatio* ad hunc ſublimem gradum: 2. *Devotio* & Pietas, in celebrandis Sacris, & Horis exolvendis: 3. *Zelus* pro Gloria Dei promovenda, decoratione Templorum, Altarium, &c. 4. *Exemplum* & ædificatio in bonis operibus, &c. Cæteras dotes quæ in Sacerdote eminere debent, expendunt fusè SS. Doctores, ac præſertim D. Chryſoſtomus, de Dignitate Sacerdotali, D. Gregorius in Paſtorali. D. Auguſtinus, de Singularitate Clericorum. D. Chryſoſt. l. citato, ſic fatur, [Non homo, non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non Virtus, ſed ipſe Spiritus Sanctus hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne, miniſterio fungi præſtitit Angelorum.] Id. Ibid. [Multi Sacerdotes & pauci Sacerdotes; multi nomine & pauci opere, &c.] D. Bernardus in Ep. 2. ſic ait de Bonis temporalibus quæ manibus Sacerdotum verſantur ex Beneficio Eccleſiaſtico. *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de Altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, Sacrilegium eſt, &c.*

Prædicatorum ſtatus ac conditiones.

10. *Prædicator* ſatis pingitur per totum iſtud opus, ut jam neceſſe non ſit varias ejus conditiones explicare, cùm in Partis 1. cap. ultimo ſint fuſiùs expenſæ. Addam ſolùm aliqua à quibus ſibi cavere debet, ex ſenſu D. Antonini par. 3. tit. 10. c. 4. videlicet, 1. *à Falſitate*, mendacio & errore, quia eſt veritatis præco. 2. *Ab Adulatione*, hoc eſt, ut Adulatorum laudes fugiant nec ipſi Auditorum delictis adulentur: quia ſunt Medici, qui malum curare, non verò ſolùm palpare & demulcere debent. 3. *A Jactantia*, & vana gloria, quia illi ſunt tantùm Gratiæ inſtrumenta, quibus utitur Chriſtus ad beneplacitum. 4. *A Detractione*, præſertim Prælatorum. 5. *à Scandalo*, ne ſcilicet aliquid dicant quòd rixas excitare poſſit. 6. *A Contentione* & æmulatione cum aliis Prædicatoribus. 7. *A Fabulis &*

rebus

rebus vanis. 8. *Ab indiſcretis correptionibus*, *&c.* Ibid. cap. 5. Concionis Formas plures docet, nec non c. 6. Methodum amplificandi Conciones tradit, quæ omnia ſunt utilia & commoda. Locum conſule. Addo ſolùm ex D. Auguſtino, in Pſ. 35. quòd Prædicatores comparentur Nubibus quæ ſuo ſinu continent *Lucem*, *Fulgur*, *Pluviam*, ita illi debent Illuſtrare ignorantes, Terrere rebelle, Rigare dociles, &c.

II. *Religioſus* ſtatus notiſſimus eſt, plures in hanc rem ſcripti ſunt libri qui commendent Religioſos ac eorumdem conditiones pingant. Ex D. Thoma 2. 2. qu. ult. tria poſſunt in Religioſo ſtatu conſiderari. 1. Status in ſe qui eſt excellens. 2. Perſonæ Religionem deſiderantis vires ac qualitates. 3. Religio in peculiari, quis ex pluribus ordo ſit deligendus. Item in Religioſa profeſſione attendi debent tria vota ſolemnia Obedientiæ, Caſtitatis & Paupertatis, quibus ceu triplici fune Deo alligamus. D. Antoninus, parte 3. tit. 16. c. 10. plurima & utilia ſcribit in Religionis laudem, refertque illud Bernardi dicentis, [In Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, quieſcit ſecuriùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, remuneratur copioſiùs, &c.] Hæc Religionis privilegia ille explicat & dilatat, aitque ex his tria priora ſpectare ad Ingreſſum in Religionem; tria ſequentia ad Progreſſum; tria ultima ad terminum. Locum conſule & uberrima ſupellectili ad propoſitum frueris.

Religioſorum ſtatus.

§. II.

Promptuarium Humanum Civile, ſeu Loci qui ſpectant ad hominem, prout eſt pars Reipublicæ.

I. PRINCEPS eſt qui cæteris hominibus præeſt, ſeu ſit Imperator, ſeu Rex, ſeu alio Dignitatis genere præcellat. Dotes præcipuas quæ his gradibus conferunt ad laudem, breviter delibo; qui caruerit his virtutibus vel oppoſitis vitiis fuerit deditus, inde vituperationis ſegetem dabit. Princeps igitur laudabitur, 1. *A Beneficentia* ſeu Liberalitate, quę à parſimonia & prodigalitate recedat. 2. *A Benignitate*, Clementia & manſuetudine, quæ ita condonet injurias, ut delicta non permittat aut probet ſciens. 3. *Ab Eruditione*, quæ Diſciplinas quidem exquiſitiores poteſt complecti, ſed maximè quæ Principem deceant. 4. *A Facilitate* & Humanitate, quæ ita ſublimitatem temperet, ut omnes amanter & gratioſè excipiat. 5. *A rebus feliciter geſtis*, quamquam enim iſtud non omnino pendeat ab induſtria, vel prudentia Principis, videtur tamen Donum Numinis faventis, ad laudem illius conceſſum. 6. *A Juſtitia* & æquitate, quæ unicuique quod ſuum eſt reddat & reddi ſatagat. 7. *A laboribus*, quibus ille ab otio & ignavia declinans, utilem ſe præſtat ſuis ſubditis. 8. *A Magnanimitate*, quæ omnis temeritatis aut puſillanimitatis

Principis ſtatus.

Materia laudandi aut vituperandi Principem.

Digitized by Google

tatis expers, hoſtes etiam metuendos fortiter aggreditur & ſuperat. 9. *A Prudentia*, quæ ſe à difficilioribus negotiis feliciter expediat, detque appoſita in occaſionibus reſponſa, &c. 10. *A vivacitate* & perſpicacitate ingenii, quæ occultiora etiam conſilia penetret ac inveſtiget. 11. *A Secreto*, quod nullis niſi pauciſſimis, iiſque probatiſſimis intentum aperiat. 12. *A Vigilantia*, quæ ſuis rebus opportunè & tutò provideat. Aliæ ſunt permultæ virtutes in Principe laudandæ, ac præſertim eæ, quæ officia Deo ac Proximo reddenda ſuadent; in quibus etiam Exemplum maximè deſideratur. Ut enim tritus ille verſus ait; *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, & quemadmodum ad virtutem toti imperio ſuggerendam validiſſimum eſt incentivum Imperatoris nota probitas, ita & iniquitas; *deſinunt* ſcilicet *haberi probro purpurata flagitia*, & Reipublicæ primarius fit cæterorum norma.

Nobilitas ac ejus virtutes.

2. Nobilitas *eſt quædam Majorum ſplendor, & claritas*, ex Ariſt. l. 2. Rhetor. De hac re plura diximus ſupra in Promptuario Humano art. 2. ſect. 2. §. 1. Nobilibus plurimæ Dotes conveniunt, quæ ad Principes etiam ſpectant, ſi apicem ſummum quem hi obtinent abſtuleris. In iis potiſſimùm laudantur, 1. *Humilitas*, quæ ex ſublimitate non ſuperbit. 2. *Pietas*, quæ Dei omnium Bonorum largitoris non obliviſcitur. 3. *Sobrietas*, quæ Divitias in Gulæ damnandos ſumptus non expendat. 4. *Juſtitia*, quæ nemini creans injuriam, unicuique quod ſuum eſt pendat. 5. *Miſericordia*, quæ alienis malis compatiatur, feratque ſubſidium, ſi poſſit. 6. *Protectio inferiorum & minorum adverſus* æmulos & perſecutores, &c. *Vera Nobilitas à probis moribus nata eſt, firmaque & ſtabilis dignitas virtute comparatur*, inquit Iſidor. Peluſ. l. 2. Epiſt. 291.

Magiſtratus Tituli ac Dotes.

3. *Magiſtratus* dicuntur homines in dignitate aliqua Civili, & Reipub. adminiſtrationem ſpectante conſtituti. Variis titulis præſtantiam gradus, & officii debita explicantibus inſigniuntur. *Dii* appellantur in Sacra Scriptura, Pſalm. 92. *Principes, Duces, Gubernatores, Præfecti, Magnates, Judices, Patres, Paſtores populorum, afflictorum Tutores, Procuratores boni Publici, &c.* Laudantur à Pietate & Religione erga Deum, Eccleſiam, ceteraque quæ ad ſalutem ſpectant. A Fide Regi debita, & obſervantia Legum, quas tueri omninò tenentur adverſus infractores. A cura & ſollicitudine pro rebus publicis. A Juſtitia, commiſeratione, integritate, &c.

Judicis conditiones.

4. *Judex* ille eſt cui demandata eſt Provincia Jus dicendi & unicuique reddendi. D. Antoninus part. 3. tit. 9. cap. 1. expendit verba Pſ. 8. *Deus Juſtus Judex, fortis & patiens, &c.* advertitque octo perfectiones in Deo Judice, quæ in homine judicandi authoritate donato deſiderantur. Debet igitur eſſe, 1. *Juſtus*, id eſt, non ſit vitioſus, ne eidem ſententiam de Reis laturo dicatur quod olim Chriſtus Phariſæis mulierem Adulteram accuſantibus, Joan. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*. 2. ſit *Fortis*, id eſt, conſtans ad reſiſtendum Potentioribus,

bus, amicis, muneribus, cæteriſque corruptelis. 3. *Patiens*, tum quia non citiùs quemcumque delinquentem punire debet, nec etiam præcipitem ferre ſententiam. 4. *Tranquillus* in diſcutiendo cauſas, id eſt, non iratus & odio aut invidia incenſus: unde jam ſtatuunt debere Judicem ſedere dum fert ſententiam, ut ipſa ſeſſione & quiete corporis moneatur de tranquillitate mentis. 5. *Judex* debet eſſe *Rigidus* in comminationibus, ſic Deus minas intentat, inquiens, *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit*. Pſalm. cit. 6. ſit *Æquus* in decernendo. Ita de Deo dicitur Iſai. 11. *Judicabit in Juſtitia pauperes*. 7. *Maturus* in diſcutiendo, diligenter & accuratè circumſtantias & Formas juris obſervando. 8. *Ultor* & vindex ſit Juſtitiæ, meritas pœnas in Reos decernendo. D. Thomas 2. 2. qu. 40. art. 2. ait tria eſſe requiſita ad rectum judicium proferendum; 1. ut procedat ex Juſtitiæ inclinatione. 2. ut ex legitima Juriſdictionis poteſtate. 3. ut ex prudentia & recta ratione, Sententia poteſt peccare ex triplici ratione: ex Animo, ex Ordine, ex Cauſa. Ex Animo, cùm non fertur ex zelo Juſtitiæ, ſed ex odio, vindicta, livore, &c. quamvis aliunde poſſit eſſe juſta. Defectu Ordinis peccat, cùm non ſervantur ea quæ ſunt de ſubſtantia judiciarii ordinis. In Cauſa delinquitur, cùm quis punitur ob peccatum quod non fecit, licèt alio modo ſed incognito ſit reus. Ex D Gregorio quatuor modis humanum judicium pervertitur. *Timore*, ſeu metu Poteſtatis alicujus. *Cupiditate*, ſeu pecuniæ & munerum deſiderio aut acceptatione. *Odio*, dum res eſt cum homine inviſo & adverſario. *Amore*, dum Parentibus, Amicis, Benefactoribus, &c. Judex favere ſtudet. Virtutes igitur in Judice requiſitæ, ſunt 1. *Scientia* & notitia ſufficiens cùm Juris, tum Facti. 2. *Probitas* vitæ & Intentionis. 3. *Vigilantia*, & attentio in diſcutiendis cauſis. 4. *Æquitatis & Juſtitiæ affectus*. 5. *Integritas*, cujuſcumque corruptelæ neſcia. 6. *Fortitudo*, quæ ſuas vices obeat abſque formidine, &c. Hic de Advocatis, Procuratoribus, aliiſque Statibus qui aliqua ratione ad Juſtitiæ miniſteria pertinent, agendi locus eſſet; ſed Caſuiſtarum opus iſtud eſt. Hos conſule; habebis quæ in ejuſmodi perſonis laudem aut vituperium merentur.

Sententiæ Judiciariæ conditiones, & defectus.

5. *Militia* multis nominibus commendabilis eſt, ſed hinc præcipuè, quòd ad Reipublicæ conſervationem ſit neceſſaria. Status iſte probatur cùm à Scriptura ſacra pluribus in locis, ut Luc. 3. 14. 1. Cor. 9. 7. 2. Cor. 10. 3. Epheſ. 6. 11. 12. 1. Timoth. 1. 18. tum à SS. Patribus, præſertim D. Auguſtino Epiſt. ad Bonifac. [Noli, inquit, æſtimare neminem Deo placere poſſe, qui armis bellicis miniſtrat. In his Sanctus David, cui Dominus tam magnum teſtimonium perhibuit, &c.] Item l. de verb. Dom. ait: [Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare, peccatum eſt, &c.] In Milite deſideratur, ut 1. Cauſa Belli ſit juſta. 2. Intentio ſit recta; 3. Fides erga Principem ſit integra. 4. Fortiter & graviter ſe gerat. 5. Ducibus & Superioribus alacriter obediat. 6. Commiſ-

Militiæ ſtatus ac cōditiones.

ſas

Digitized by Google

ſas vices etiam cum ſui periculo prudenter exequatur. 7. Pietas in primis requiritur, ſaltem quantùm per exercitia militaria licuerit, Deus enim eſt Dominus exercituum, cujus eſt victoriam præſtare cui voluerit, etiam cum inæqualibus armis. 8. Abſtineat ſe à Rapinis, Luxuriis, comeſſationibus, Blaſphemiis, Rixis, aliiſque ſimilibus vitiis quibus infici ſolet ſæcularis Militia.

Medicorum ſtatus ac conditiones.

6. *Medicina* honore digna prædicatur Eccleſiaſt. 38. [Honora Medicum propter neceſſitatem; etenim creavit illum Altiſſimus.] In Medico requiruntur, 1. *Scientia*. 2. *Peritia*. 3. *Prudentia*. 4. *Diligentia*. 5. *Vigilans obſervantia*. 6. *Humanitas*. 7. *Secretum & Fides*. 8. *Charitas & commiſeratio erga pauperes*. *Officium Medici eſt* (inquit Celſus) *ut celeriter & jucundè curet*. D. Ambroſius in cap. 1. ad Epheſ. addit, *Gloria Medici eſt, ut multos curet*. Inde tribus rebus potiſſimùm laudatur Medicus. 1. Si omnes ægrotos reſtituat ſanitati. 2. ſi citò & promptè id præſtet. 3. ſi jucundè & ſuaviter illud efficiat. Sed hæc eſt præcipua laus Chriſti Medici, qui curabat, 1. omnes ad ſe venientes. 2. dicto citiùs. 3. ſolo nutu aut verbo. 4. ut ait D. Bernardus, *Quorum ſanabat corpora, ſanabat & mentes*. Auguſtinus addit, *Salvator adjutorium eſt languidi, & præmium ſanatis*.

Grammatici laudandi materia.

7. *Grammaticus* commendatur à ſequentibus capitibus. 1. Si quid circa litteras adinvenerit. 2. Si vocum proprias ſignificationes, & Etymologias calluerit. 3. Si purè ac eleganter loquatur & ſcribat. 4. Si plures linguas didicerit; Authores legerit, docuerit viva voce vel ſcripto. 5. Si in multiplici Scriptionis genere ſoluta vel ſtricta oratione fuerit verſatus.

Rhetoris Laus.

8. *Rhetor* laudabitur ab enumeratione partium Rhetorices, quibus præcellere dicitur. 1. Ab Ingenioſa & fœcunda Inventione. 2. A Diſpoſitione apta & prudente. 3. Ab Elocutione pura, culta, florida & gravi. 4. A Pronuntiatione venuſta & decora; Geſtu appoſito, voce ſonora, &c. 5. A Memoria felice, tenaci, facili, &c. 6. Ab Orationibus in quovis genere, quas dixit aut pronuntiavit cum laude, corona, ſucceſſu, &c.

Philoſophi Laus.

9. *Philoſophus* commendatur, à diverſis hujus Scientiæ partibus, quarum aliquæ vel omnes in homine laudando excelluere. V. g. 1. Logicus optimus, ſubtilis eſt in mediis excogitandis, reſponſis ſuggerendis; perſpicuus eſt in ſolutionibus & fundamentis explicandis; acer eſt & gratus in Diſputationibus agitandis. 2. Phyſicus penetrat rerum Principia, Cauſas, effectus, cæteraque quæ Naturæ ſinu continentur. 3. Idem non mediocrem meretur laudem, ſi in Mechanicis fuerit verſatus. 4. Ethicus de ſummo Bono, de Affectibus humanis, eorumque Auxiliis & Impedimentis, virtutibus & vitiis, prudenter & ſcitè philoſophatur. 5. Metaphyſicus ex contemplatione cauſarum ſublimium laudatur.

10. *Ma-*

Digitized by Google

10. *Mathematicus* eximius, laudem merebitur, prout verſatus fuerit: 1. In Muſica, Perſpectiva, Mechanica, Coſmographia, Geometria, &c. 2. In Aſtrologia, ejuſque obſervationibus peculiaribus, intra Eccleſiæ præſcripta. 3. In Arithmetica & Numerorum ſupputationibus; atque iterum in his plurimæ ſunt partes, in quibus ſi aliquis primas obtinuerit vices, ex his laus poterit inſtitui. Mathematici Laus.

11. *Theologus* multipliciter ſpectari poteſt, Scholaſticus, Poſitivus, Moralis, Myſticus. De his abundè dictum eſt in 1. part. lib. 2. Addo quòd laudabitur ſi, 1. Scholaſticos Authores audierit vel legerit, eorumque Methodos & Argumentationes didicerit. 2. Si calluerit ſcripta Patrum, Decretorum, Conciliorum. &c. 3. Si ſublimes & difficiles quæſtiones fuerit interpretatus verbo aut calamo, feliciter, piè, dilucidè, ſubtiliter, diſertè & orthodoxè. Theologi Laus.

§. III.

Promptuarium Humanum, Morale, Panegyricum, ſeu de virtutibus præcipuis, unde aliquis laudari poteſt.

I. JUSTITIA primam in hoc virtutum Choro ſedem obtinet, quandoquidem, cæterarum omnium Parens eſt, nutrix & ornamentum. Triplex eſt; Alia Naturalis quam ipſa Natura ſtatuit; Legalis altera, quæ ſtatutis & legibus præſcribitur; Tertia conſuetudine & uſu, ſine ſcripto aut Edicto obſervatur. Eſt autem Juſtitia, *Virtus quæ unicuique quod ſuum eſt reddit*. Naturalis Juſtitia in ſex Partes diſtribuitur. 1. Eſt Religio in Deum. 2. Pietas in Patriam, Parentes, Affines, Amicos, &c. 3. Gratitudo, & bonorum Officiorum memoria ac remuneratio. 4. Vindicatio, qua Juſtitia, vim aut injuriam propulſat, vel in ſcelera animadvertit. 5. Obſervantia & veneratio Majorum, Principum, Sacerdotum, Seniorum, &c. 6. Veritas in dictis, Simplicitas & Fides. His opponitur Injuſtitiæ peſſima ſoboles: 1. Impietas & ſuperſtitio. 2. Inobedientia & Rebellio. 3. Ingratitudo. 4. Abjectio. 5. Contemptus Legum. 6. Mendacium, Fraus, Diſſimulatio, &c. Civilis verò Juſtitia & Conſuetudinaria in varias iterum partes ſubdividuntur, de quibus D. Thomas in 2. 2. Juſtitiæ Laus, Partes, & his contraria.

1. Religio ex Auguſt. l. de quantit. Animæ eſt, *qua Anima uni Deo, unde ſe peccato ſeparaverat, reconciliatione ligat*. Attendit ad ea omnia quæ ad Deum ſpectant, veluti, Fidem, Spem, Charitatem, Adorationem, reverentiam, Cultum, Sacrificia, Officia Divina, Templa, Altaria, Sacramenta, Myſteria, Leges, Præcepta, &c. Qui ergo in his rebus ſeſe diligentem præſtiterit, ille ex Religione laudabitur. Celebre eſt quod de Theodoſio Juniore Imperatore refertur Tom. 5. Concil. cap. 21. Is Templa revereri profitetur his verbis, [Nos qui legitimi im- Religio in Deum & ejus officia.

perii armis cincti ſumus, Dei templum ingreſſuri, foris arma relinquimus, & ipſum etiam Diadema Regiæ Majeſtatis inſigne deponimus; ſacra Altaria munerum tantùm offerendorum cauſa accedimus; quibus quoque oblatis, ad extimum, communeque atrium mox nos recipimus.]

Pietas in Patriam. 2. Pietas in Patriam ſollicitat unumquemque: eſt enim, ut ait Cicero 1. offic. Communis omnium, antiquiſſima & ſanctiſſima Parens, omnes omnium charitates complexa; Dea quoque mortalium, quam obſervare magis & colere debeant omnes, quàm matrem, pro qua nemo bonus dubitet mortem oppetere, modò ſit ei profuturus. Patriam igitur diligere tenemur, pro ea laborare, pugnare, mori, ſi neceſſe fuerit.

Pietas in Parentes. 3. Pietas in Parentes, in Fratres, Præceptores, Senes, alioſque aliqua ſuperioritate præſtantes, aut vinculo affines; ſtimulat bonam mentem, eamque ſuadet plurima reverentiæ, amoris & obſequii officia exhibere; hincque laudantur qui illa præſtiterint; qui verò his defuerint inde vituperationis anſam præbent.

Gratitudo in Benefactores. 4. Gratitudo eſt virtus ſpecialis reddens gratiam Benefactori. D. Thom. 2. 2. qu. 106. art. 1. In referenda gratia, ſi modo Heſiodo credimus (inquit Cicero 1. Offic.) debemus imitari agros fertiles, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt, &c. quæ ſi ad Deum transferantur, hominem tot illi titulis devinctum exhibebunt, ut nuſquam poſſit facere ſatis. Gratias agere Deo poſſumus, referre non poſſumus, ait Caſſiod. in pſalm. 47. Cæterum Gratitudo debet eſſe *Prompta*, ideſt, fieri citò, non tardè & ſegniter; *Integra*, & quantùm fieri poteſt ad æqualitatem: ſi dignitatem & valorem Doni ſuperet, eò erit laudabilior.

Vindicatio in ſcelera. 5. Vindicatio pars eſt Juſtitiæ cùm Naturalis tum Civilis; utraque enim jubet Reos plecti & Infenſos propulſari. Severitatis quidem vultum induit hæc virtus, ſed eam Reipublicæ omnino neceſſariam probat Caſſiodorus, Lib. 9. Epiſt. 2. Moderatione tamen indiget, ne in crudelitatem declinet; *Quid enim* (ait idem Caſſiod. l. 1. Epiſt. 10.) *diſcrepat à peccato, qui ſe per exceſſum nititur vindicare?*

Fortitudinis laus, & Species. II. Fortitudo, ex D. Thom. 2. 2. qu. 123. art. 2. eſt Firmitas animi in ſuſtinendis & repellendis his, in quibus maximè eſt difficile firmitatem habere, propter bonum virtutis. Fortitudinis quatuor ſunt ſpecies. 1. *Fiducia*, per quam in arduis & periculoſiſſimis rebus, promptum & expeditum quis habet animum, auſpice tamen Deo, cujus præſidio ſemper nititur. 2. *Magnanimitas*, qua fortis perſiſtit in executione eorum quæ cum fiducia inchoavit, etiam circa mortis pericula. 3. *Patientia*, qua fortis animus non frangitur; aut decidit à ſua magnitudine, ob difficultatem imminentium malorum. 4. *Perſeverantia*, qua fortis hominis animus non frangitur, aut decidit à ſua magnitudine, non modò difficultate, ſed inſuper diuturnitate tolerantiæ & imminentiæ malorum.

Eſt

Digitized by Google

Eſt igitur Fortitudo terroris neſcia , immo audax eſt aliquando & provocatrix, prudens tamen & à temeritate abſtinens. *Fortitudinis mater prudentia* (inquit D. Bernardus l. 1. de Conſid.) *non enim fortitudo , ſed temeritas eſt quilibet auſus , quem non parturivit prudentia .*

Fortitudinis partes ſunt, Moderatio in utraque fortuna, Aggreſſus rerum periculoſarum, ut hoſtium , Latronum , &c. Defenſio urbium , armorum , vexillorum, &c. Tolerantia Laborum , Inediæ , algoris, paupertatis , Ignominiæ, Injuriæ , &c. Ejus partes.

III. Prudentia ſecundùm Auguſt. lib. 2. de lib. Arbit. eſt appetendarum & vitandarum rerum ſcientia. Alia eſt vera, alia falſa; alia Spiritus , alia Carnis . Actus ejus ſunt , conſilia inquirere ad agendum; deinde inventa & inquiſita ſolerter applicare. Octo virtutes ceu tot adminiſtræ vel partes ſubjiciuntur Prudentiæ. 1. *Memoria*, quæ eſt cognitio rerum præteritarum . 2. *Intelligentia* præſentium. 3. *Docilitas*, in conſiliis audiendis. 4. *Solertia*, ſeu ingenii ſagacitas in inveniendo & conjiciendo. 5. *Ratio* , quæ argumentatione & ratiocinatione utitur. 6. *Providentia*, eſt ipſa diſpoſitio rerum ad finem conſequendum idonearum. 7. *Circumſpectio*, quæ ad omnes circumſtantias attendit. 8. *Cautio*, quæ impedimenta conatur amovere. Objectum Prudentiæ complectitur agenda, cùm in privatis, tum in publicis negotiis. Prudentia falſa quæ cum vera prudentia ſimilitudinem habet, eſt per aliquem malum finem diſpoſitio rerum congruentium illi perverſo fini. Eſt autem ſextuplex , Aſtutia , Dolus , Fraus, Prudentia carnis, Sollicitudo temporalium ſuperflua , Sollicitudo inquieta & nimia futurorum , &c. Prudentiæ deſcriptio & virtutes. Prudentiæ falſa ſpecies.

IV. Temperantia, ſecundùm Auguſt. de liber. Arbit. eſt *Affectio coercens & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur* . Verùm latiùs ſumi debet etiam pro cujuſcumque appetitus non recti moderatione. Partes ejus ex D. Thoma ſunt, 1. *Verecundia*, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam. 2. *Honeſtas* , per quam aliquis amat hujus virtutis pulchritudinem. 3. *Abſtinentia à cibo*. 4. *Sobrietas à potu*. 5. *Caſtitas* , quæ ſpectat ad actum venereum. 6. *Pudicitia*, quantùm ad circumſtantes delectationes, ut in oſculis, tactibus & amplexibus . 7. *Continentia*, quæ cohibet voluntatem ab appetitu tentatam , ne immoderatæ concupiſcentiæ obſequatur. 8. *Humilitas*, quæ frenat motum ſpei, audaciæ & ſuperbiæ. 9. *Manſuetudo* ſeu Clementia , quæ continet motum iræ tendentis in vindictam. 10. *Modeſtia*, quæ motus & actus corporis moderatur. 11. *Ornatus*, quo aliquis obſervat decentiam in eo quod agit . 12. *Ordinatio recta* , ad quam ſpectat diſcernere , quid ſit faciendum, quid dimittendum, atque quo ſit ordine agendum. Temperantiæ ſpecies.

V. Clementia eſt virtus moderativa pœnarum ſecundùm legem. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 158. art. 1. qui ait qu. 175. Clementiam differre à Clementiæ Laus.

Manſuetudine, in eo quòd illa ſit Lenitas ſuperioris ad inferiorem, hæc verò cujuslibet ad quemlibet. Dei propria eſt hæc perfectio, ſed hominem ipſa ornatum, reddit omnibus amabilem. Illa omnino abhorret à ſanguine. Devictis ignoſcit, punit coacta, victis vitam & libertatem concedit; Hoſtibus ipſis proprias condonat injurias.

Liberalitatis conditiones.

VI. Liberalitas, eſt virtus bene diſpenſandi divitias in uſus bonos ſibi, Suiſque & aliis, ex D. Thom. 2. 2. qu. 117. art. 1. *Nihil* (inquit Cicero 1. Offic.) *Liberalitate, eſt naturæ hominis accommodatius.* Principis eſt proprius Character ait D. Ambroſ. in pſalm. 100. *Principalis eſt virtutis inchoare à beneficiis & proſeminare gratiam: eatenus enim ſibi Rex eſt, quatenus ſubditis ſuis prodeſt.* Commendatur ab Effectis, in quibus conſiderantur ea quæ erogantur, & ii in quos erogantur, ac etiam modus quo munificentia adminiſtratur; ita enim recedere debet à parcitate, ut à prodigalitate abſtineat. Effectus Liberalitatis notantur maximè in operibus publicis ſeu inſtruendis ſeu inſtaurandis, veluti ſunt urbes, Fontes, Pontes, Xenodochia, vectigalia, Annonæ publicæ, Magiſtratus & officia conferre, &c. Illi autem in quos Liberalitas ſeſe effundere debet, ſunt maximè, Boni, Afflicti, bene meriti, Externi, Pupilli, Viduæ, Pauperes &c. aliquando etiam non merentes. Modus quoque ſervandus eſt in largiendo, non effuſè & inconſultò, ſed moderatè & prudenter prout danti & accipienti convenerit, hilariter & jucundè, promptè & celeriter, ultrò & gratuitò, & liberè & non coactè, &c.

Diutiùs immorari in recenſendis ac explicandis virtutibus unde homo laudari poſſit, nec ratio poſcit nec intentum patitur: alterius ſcilicet eſt Scriptoris hæc capita ſingulatim diſquirere, eaque congerere quæ à celebrioribus geniis dicta ſunt aut ſcripta ad propoſitum, ut inde fiat Promptuarium ampliſſimum Concionatori maximè profuturum: Illa tantùm ſummatim attigi, quia mihi hac in re ſatis eſſe debuit monere Candidatos Eccleſiaſtas, unde poſſint Panegyres inſtituere eaſque locupletare. Id nimirum fiet ſi virtutes in aliquo excellentiores ſecernant, & inveſtigent quæ ſint uniucujuſque virtutis Natura, proprietates, affectus, &c. Hinc uberrimus ad laudandum fons ſcaturiet. Quæ ad cæterarum infra hominem rerum laudem ſpectant, paucis expendo.

ARTICULUS III.

Promptuarium Panegyricum, Miſcellaneum de Animalibus, de Plantis, & de Inanimis.

I. ANIMALIBUS cum Hominis inferiore parte, plurima ſunt communia; veluti Temperies & compoſitio partium Corporis, ſanitas, robur, agilitas, &c. Ideo poſſunt ab Humano Promptuario repeti ſatis multa quæ ad inferiorum Animalium laudem conferre viſa fuerint. Laudari autem ſolent Animalia potiſſimùm, 1. *A Parentibus*, unde traxerunt originem, V. g. in Equis & Canibus plurimùm penſatur Stirpis conditio. 2. *A Loco*, ſeu Regione, hæc enim qualitates ſuggerit naturæ, quæ aliunde non habentur. 3. *A Conformatione* corporis pulchra & eleganti. 4. *A Fortitudine*. 5. *Ab Induſtria*, ſagacitate, ſubtilitate, agilitate, fidelitate, &c. quæ humanas imitentur. 6. *Ab utilitate* ad quodvis genus officii aut commodi. Cætera quæ ad rem pertinent excogitare poteſt quilibet Orator mediocriter induſtrius, atque inde Animalia depingere, deſcribere & laudare. Loci unde laudantur Animalia.

II. Plantis etiam ſuæ conveniunt laudes, quarum capita ſunt, Soli natura & conditio; Figura radicis, ſtirpis, caudicis, foliorum, fructus, ſeminis, &c. Pulchritudo, quantitas, virtus latens, occulta; utilitas, Medicina, ſuavitas, delectatio, venenum antidotum, &c. Plantæ unde ſint laudandæ.

III. Res Inanimæ ſunt aut Naturales, aut Artificiales, ut manufacta opera; aut Morales ut actiones hominum. Naturales ſunt Cœlum, Elementa, Metheora, Fontes, Lapides, &c. Artificiales, ſunt urbes, ædificia, Statuæ, &c. Morales, ſunt virtutes aut vitia, convivia, ſupplicia, &c. Res Inanimæ unde laudentur.

In laudandis Inanimis tria obſervari debent; prius ad Inventionem, alterum ad Diſpoſitionem, tertium ad Elocutionem ſpectat. *Inventio* diſcutit non modò partes præcipuas ſed etiam minutas, ſi ad rei laudem conferant: expendit genera, ſpecies, cauſas, effectus, cæteraque Adjuncta; ubi tamen judicio opus eſt, ut conducentium fiat delectus. *Diſpoſitio* rerum ordinem prudenter diſpenſat; priùs Eſſentiam deinde cauſas effectrices, poſtremò utilitates & commoda collocat ut abundè dictum eſt in 1. Parte l. 3. Denique *Elocutio* gaudet Stylo florido & ornato. Duplex eſt, *Hiſtoricus Stylus*, qui preſſior eſt, acrior & concinnior: *Epidicticus* ſeu Panegyricus, qui copioſior eſt, fuſior & uberior.

Imperium laudari ſolet ab his capitibus, Ab origine, Fundatore, Antiquitate, &c. A limitibus conſtitutis vi armorum, Imperatorum & copiarum fortitudine. A ſitu, à ſolo, fœcunditate, Aeris temperie, Aquarum ſalubrium ubertate, &c. A Genio Incolarum, Induſtria, ſubtilitate, magnanimitate, Eruditione, &c. A Religione, Pietate, Fide, &c. A Le- Laus Imperii.

Legibus, Statutis, Conſuetudinibus, &c. A Magiſtratibus; Ab operibus, Ædificiis, &c. A Copiis militaribus, terreſtribus, navalibus; A Munitionibus, urbibus, caſtellis, divitiis, &c.

Urbis Laus.

Urbis Laus ab iiſdem ferè capitibus ducitur, videlicet, ab ortu, duratione, Inſtitutore, Situ, munitione, &c. A Civium genio, ſolertia, fortitudine, & ab Ædificiis, Templis, Fontibus, &c. A Legibus, Magiſtratibus, &c. A Pietate, Fidelitate, &c. De his ſat dictum eſt in 1. Parte l. 2.

CAPUT III.

Uſus Præceptorum in Genere Demonſtrativo.

UT faciam ſatis propoſitioni mox inſcriptæ, quinque (ni fallor) præſtare debeo; Primum ſpectat ad Propoſitorum tractandorum electionem: Secundum ad Materiam coacervandam quæ ad intentum conducat; Tertium ad Formam quæ induci debeat: Quartum exhibet Panegyreos exemplum; Quintum profert plurimas Ideas Partitionum quæ de propoſitis variis fieri poſſunt. Iſta deinceps, qua potero brevitate explicabo.

ARTICULUS PRIMUS.

De Propoſitis ſeu Thematibus, de Materia, aliiſque notandis in Genere Demonſtrativo.

I. DE iiſdem rebus quæ hoc titulo continentur dicta ſunt in communi plurima initio hujus Libri, C. 1. Art. 1. & 2. Illa inde repeti debent & ad peculiares uſus accommodari.

Themata quando, & ubi debeant uſurpari.

Propoſita quidem, ſeu Themata, vix uſurpantur alibi præterquàm in Panegyricis Eccleſiaſticis; Panegyres enim alterius generis; v. g. de Imperio, Urbe, Academia, aliiſque rebus ſimilibus, non ſolent initium ducere à Thematibus ex Sacra Scriptura vel aliunde deſumptis, ſed inchoantur ab Exordio, quod rationem plerumque reddit cur tale propoſitum verſetur, vel ex alio Exordiorum fonte dicendi occaſionem, Auditorumque benevolentiam captat, atque inde Proœmium (ut ajunt) inſtituitur: In iis verò Panegyribus, quæ ſacræ ſunt, & de Sanctis aut ſimilibus propoſitis

tis apud Eccleſiam fiunt, Thema ſolet deſumi à Sacris Bibliis, quod Rei tractandæ (quantum fieri poteſt) omnino conveniat, & ex ipſa prolatione intentum Oratoris ferè aperiat, aut ſaltem ſuſpicandum ac conjiciendum tradat: eòque aptius cenſebitur, quò Panegyreos ſcopum propiùs attigerit, & propoſito magis congruerit. De Themate ſeligendo, diximus in 1. P. Lib. 3. c. 2. Art. 2. ubi de Exordiorum Artificio.

II. Materiæ nomine, duæ res intelligi poſſunt; nimirum, aut Propoſitum tractandum, quod eſt veluti *Materia in qua*, ſeu circa quam laborat Eloquentia; aut Argumenta & Rationes ex quibus inſtruitur Concio, ſuntque veluti *Materia ex qua*. De primo quidem Materiæ genere ſat dictum eſt paulò ſuperiùs, illud enim complectitur Deum, Homines, Animalia, Plantas, Inanima, cæteraque quæ laudari vel vituperari poſſunt. De altero autem Materiæ genere, ſeu ſupellectile unde conſtruitur Laudatio aut Vituperatio, nunc agitur, quæ ſcilicet debeat ad intenti aſſecutionem comparari, & quomodo iſtud fieri poſſit, explico duobus exemplis. Prius erit de aliquo Sancto, alterum de Virtute. En qua ratione, ipſe ad ejuſmodi opus me accingo.

Materia Panegyreon duplex, in qua, & ex qua.

Ut facta eſt Panegyreos inſtruendæ occaſio, hanc provinciam veluti à Deo demandatam revereor ac ſuſcipio; illa me indigniſſimum fateor, atque propterea, ut commiſſo negotio ſufficere valeam, à Deo Gratiam viresque neceſſarias humiliter expoſco; B. Virginem, Angelum Cuſtodem, ipſum denique Divum Laudandum, veluti Mediatores ad petitionis conſecutionem compello & adhibeo. Tum Hiſtoriam Sancti attentè lego, præcipuaque geſtorum ac virtutum capita ſummatim in Charta eam ob rem parata inſcribo; Item alios Panegyriſtas, quos habuero, ea de re conſulo, nec etiam piget eorumdem partitiones, ſenſus, rationes, Moralitates, iterum paucis annotare. Deinde ſedulò meditor quid mihi potiſſimum in præfato Sancto laudandum incumbat; quod ubi mihi conſtiterit, ex hoc partitionem inſtituo; tunc ex Promptuariis, vel ex mea memoria, vel etiam ex indicibus librorum repeto rationes, quibus conſtituta capita poſſint probari vel illuſtrari; quam ſupellectilem undequaque conquiſitam ſingulis partium conſtiturarum capitibus ſubjicio, iterum ſummariè annotatam; ne videlicet labor nimium operoſus faſtidium inducat. Poſtea uniuſcujuſque Claſſis Materiam ſeu rationes perpendo, num ſcilicet capitali propoſitioni cui ſubjiciuntur appoſitè conveniant, ſi enim alteri Claſſi meliùs quadrent, eas illi mox ſubſtituo. Item conſtitutas & probatas rationes rurſus examino, ut dignoſcam ordinem inter illas ſtatuendum, huncque Arithmetico Charactere deſigno, prout rerum natura, vel Artis ratio popoſcerit; hinc quæ exurgunt novæ argumentorum Claſſes, quæ materiam diverſam, ſeu varias probationes & illuſtrationes complectuntur, ſub peculiari ſuo capite ordinatas; tot nempe ſunt claſſes, quot Concionis Partes, quæ omnes in eumdem ſcopum ſingulis communem conſpirant. Tandem ubi hæc fuerint collecta, ordinata, & ſufficienter locu-

Methodus qua paratur Materia pro Panegyribus.

ple-

pletata, ſupereſt ut iiſdem Forma induatur quæ Panegyrica ſit & Panegyreos finem aſſequatur. Res patebit exemplo.

Uſus Peculiaris ad Panegyrim de aliquo Sancto inſtruendam.

Divus N. laudandus mihi occurrat; ex perlecta Hiſtoria intelligo eum poſſe laudari, vel ex diverſis Ætatibus vitæ quas laudabiliter decurrit. V. g. ex Juventute, ex Adoleſcentia, ex Virilitate, ex Senectute. Vel ex ſtatibus variis, in quibus ſe dignum laude præſtitit. V. g. fuit Judex, Religioſus, Epiſcopus, &c. Vel ex diverſis virtutibus, quibus excelluit. V. g. Religione in Deum, Pietate in proximum, Severitate in ſe ipſum, &c. Ubi, inquam, hæc aut ſimilia Laudationis capita conſtitui; quæro & perpendo iterum, quid in ſingulis capitibus laudabile occurrit, quod Divus meus geſſerit. V. g. in Juvene commendatur Pietas, Modeſtia, Docilitas, &c. Rurſus, quæ ſint virtutum mox notatarum partes & proprietates, examino; deinde attendo qua ratione Divus hæc omnia præſtiterit in Juventutis ætate, atque inde unam conſtituo Panegyreos partem, qua Juvenem abſolutum, ſeu Juventutis ſanctæ ſpeculum exhibeo. Idem perficio in aliis ætatis temporibus, inſpicio ſcilicet, quæ virtutes præcipuæ his conveniant & quomodo eaſdem expleverit Divus: tum ex omnibus ſingulatim expenſis exurget Panegyris integra, quæ Sanctum perfectum repræſentabit, & in ſingulis Ætatibus, Statibus, aut Virtutibus exemplar imitandum ſuggeret. Eadem methodus adhiberi poteſt in aliis Laudationum capitibus. V. g. ſi Divus fuerit Judex, Miles, Religioſus, Epiſcopus, &c. quærere oportet quæ ſint virtutes præcipuæ, quibus hi Status in peculiari ſint commendabiles, deinde, qua ratione Divus eas expleverit, tum ex virtutibus prænotatis, & ex iiſdem eximiè adimpletis, fiet Status perfectus in quo Divus ille ſe laudabilem præſtitit. V. g. quòd fuerit Judex oculatiſſimus, zelantiſſimus, integerrimus, &c. Par ratio cenſeri debet de virtutibus peculiaribus, in quibus excelluiſſe dicitur Sanctus, inveſtigare nimirum oportet, quæ ſint ſingularum virtutum partes eximiæ, atque quomodo in præfati Divi vita emicuerint.

Laus ab Ætate.

Laus à Statu.

Methodus ad inſtruendam propoſitionem capitalem, duplex.

III. Quæres quomodo unumquodque partitionis caput, ſeu propoſitio præcipua inſtrui debeat, ut ad virtutes huic ſubjectas progrediatur? Reſpondeo, id poſſe fieri duobus modis, vel brevi & aperta virtutum notandarum declaratione, vel præmiſſa aliqua propoſitione introductoria, quæ in ſuas partes deinde ſubdividatur. V. g. Laudaturus Juventutem ſanctam, poſſum abſque præloquio ſic apertè ingredi; [Tria ſunt ex quibus commendari ſolet Juvenilis ætas, Devotio, Modeſtia, Docilitas. Totidem virtutibus excelluit Juventus Divi N. Pietate, Modeſtia, Docilitate.] Hinc fit hujus Partis ſubdiviſio. Deinde uniuſcujuſque ſubdiviſæ partis caput conſtituatur per propoſitionem quæ contineat virtutis prænotatæ laudem, quatenus huic ætati congruit, tùm proferatur, qua ratione Divus ſe hac in re virtuoſum

præ-

præſtiterit. V. g. [Pietas ſanè deſideranda eſt in Juventute, ut vitæ conceſſæ Primitias Deo pendat, &c. Quàm pius fuerit Divus noſter, attendite, &c.] Idem fiat in cæteris virtutibus memoratis, videlicet Modeſtia & Docilitate, hincque abſolvetur primum punctum, quod de perfecto Juvene fuit. Alia ratione poteſt inchoari eadem prima pars, nimirum per propoſitionem pauló latiorem quæ virtutes prænotatas ſub ſe complectatur. V. g. priùs laudabo Juventutis ætatem in genere, dicamque rem eſſe magni momenti, ſi à primis initiis Deo ac virtutibus ſtatim conſecretur, antequam corruptelæ mundanæ virus ebibat, &c. Facillimè poteſt amplificari præfata propoſitio (ut intuenti liquet) deinde ſubjicitur Aſſumptio, ſeu ſecunda propoſitio in hac aut ſimili forma. [Tres duntaxat virtutes Juventutem maximè decent, vel Deo eandem conſecrant, videlicet Pietas, Modeſtia, &c.] Poſtea, nova & peculiaris propoſitio additur, quæ Theſim ad Hypotheſim contrahat. V.g. Hæ ſunt virtutes, quibus D. N. ſeſe in Juvenili ætate laudabilem præſtitit, fuit enim Pius, Modeſtus, &c.

Adverte, quòd ſæpiùs dixi, cavendum eſſe à nimia æqualitate ſtyli, hoc eſt, ne per eandem formam proferantur propoſitiones capitalem propoſitionem, ſeu punctum ſubdividentes, quia inde ob diuturniorem ſimilitudinem tædium fieret. Ut ergo vitetur, debent variari formæ, & diverſo modo enuntiari propoſitiones ſibi ſubordinatæ; Fit autem ejuſmodi variatio, per Tranſitiones & Figuras varias, quibus ab una propoſitione progreſſus fit ad aliam. Vide 1. P. L.4. cap.4. art.2. Cavenda eſt Styli æqualitas. Tranſitionibus ac figuris variandus eſt Stylus.

IV. Quæres iterum unde conquiri debeat Materia ex qua Propoſitiones ſingulæ locupletentur. Reſpondeo 1. ſupellectilem omnem Oratori neceſſariam haberi ex Promptuariis communibus, de quibus fusè actum eſt 1. P. Lib. 2. ubi aperiuntur Fontes uberrimi ad ſuggerenda argumenta, quibus propoſitio firmetur aut dilatetur. 2. Inſtruenda ſunt peculiaria Promptuaria, ſingulis rebus propria, vel ſi in libris reperiantur jam inſtructa, conſuli debent, atque ex his deſumere oportet Materiam ſeu rationes, quæ propoſito viſæ fuerint convenire. Promptuariorum ſingularium exempla ſuperiùs exſcripſi. V. g. agitur de Prælato, vel Sacerdote, &c. Conſule quæ dicta ſunt de his Gradibus; perpende quidnam ex Collectionibus ea de re factis, videatur propoſito convenientius, eoque pro libito, induſtria & oportunitate utere: ibi enim reperies multa de Prælaturæ Dignitate, Vocatione, officiis, &c. ex his ſelige aptiora. Idem eſto judicium de cæteris rebus, quæ in Promptuario Panegyrico continentur, inde ſcilicet eruere oportet Materiam propoſito idoneam. 3. Promptuarii Panegyrici magna eſt prorſus neceſſitas; ſi enim fuerit ſtudioſè compactum & abundè locuples; v. g. ſi in Collectaneo Codice habeatur quidquid eximium de Prælatura dictum eſt à SS. Patribus, vel aliunde deſumptum; facile eſt de Prælatura ſcribere aut dicere, quia citò conſulitur Locus communis hac de re inſtructus, atque ex Unde Materia ex qua locupletantur propoſitiones, exquiratur.

hoc, veluti, ex Theſauro, ſuppeditabitur omnis Materia propoſito neceſſaria. Sed ſi non habeatur ejuſmodi Promptuarium, debet inſtrui ſummarium pro data & occurrente occaſione. V. g. de Prælatura, repetere oportet quidquid vel memoria reſtituere poteſt ad propoſitum, vel libri ſuggerunt rei tractandæ conveniens. Ejuſmodi verò Collectiones ſufficit capitatim notare in charta, quas poſtea diligentiore trutina examinatas, ſapiens Collector in proprias & diſtinctas Claſſes diſtribuet, ut paulò ſuperiùs dictum eſt.

Quomodo ordinanda eſt Materia Concionatoria.

Alterum de corroganda Materia exemplum, ſpectat ad virtutem de qua occurrit fortaſſe agendi occaſio; nihil autem continere videtur peculiaris difficultatis, quod non clareſcat ex proximè dictis; rem tamen paucis explico ad majorem methodi perſpicuitatem. Eſto igitur res de Juſtitiæ virtute: Promptuarium olim ea de re conſtitutum conſulo, vel ſaltem recens inſtruo; hujus virtutis Naturam, Proprietates, Officia, Media, Impedimenta, &c. perpendo; quæ ad hæc capita pertinent, in diſtinctas Claſſes diſtribuo, & ſummariè notata per ordinem diſpenſo, eadem nimirum methodo quam ſuperiùs indicavi; deinde ex ejuſmodi ſupellectile ſeriò examinata, conſtituo Concionis partes ac earum Probationem, unde laus Juſtitiæ inſtruitur. V. g. Dicam de Juſtitiæ 1. Dignitate ſeu præſtantia. 2. De Utilitate, ſeu officiis. 3. De uſu ſeu mediis quibus obtinetur Juſtitiæ virtus. Inſcribo igitur chartæ ob id paratæ, pro capite primæ Claſſis, verba iſta, *Dignitas Juſtitiæ*, tum infra ſummariè noto quæcumque ſtudioſus labor ſuggeſſerit, quæ huic propoſitioni convenerint, ut ſunt Juſtitiæ definitio, ſymbola, proprietates, Apophthegmata, Sententiæ, aliave ſimilia, quæ de hac virtute fuerunt à Scriptoribus argutè pronuntiata in ejus laudem. Hinc locupletabitur prior iſta claſſis quæ ſpectat ad excellentiam Juſtitiæ; deinde ejuſmodi materia fortuitò collecta ordinabitur, ejuſque ſtatutus ordo notabitur numeris, qui debitum ſingulis rationibus vel argumentis ſitum indicent, ac ſuis tandem ornamentis poſtea veſtietur. Idem fieri debet in ſecunda & tertia parte; idem in quacumque ſupellectile Oratoria colligenda & diſponenda. Res eſt evidentior, quàm ut pluribus indigeat.

A R-

ARTICULUS II.

De forma Panegyricæ Concionis; ſeu variæ Methodi quibus Hominum, maximè Sanctorum, laudatio formari poteſt.

I. DIVERSAS Concionum formas trademus poſtea lib.4. hujuſce Partis, ubi habentur plures Ideæ quæ Panegyribus poſſunt accommodari; veluti cùm Sanctus aliquis laudatur per comparationem cum re altera, tunc proderit *Methodus Syncritica, ſeu Parallela:* Si aliquam videatur ſimilitudinem habere cum Sole vel alio ſydere, proderit *Horoſcopi forma*, qua præfati Sancti virtutes & caſus, per figuram eorum quæ in Aſtris attendi ſolent, ſymbolicè explicabuntur: Hæc inquam & ſimiles Concionum Formæ poterunt conſuli atque inde huc transferri, pro Concionatoris induſtria, & rei tractandæ neceſſitate. Aliud eſt nonnihil quod nunc doceo; videlicet, quot & quibus modis, ſeu Formis Panegyriſta queat Divum aliquem oratione laudare. Plures ſunt ejuſmodi Formæ, è quibus frequentiores, utiliores & probatiores profero. *Variæ Panegyricarum orationum Formæ.*

II. Prima Panegyreos Forma dicitur Hiſtorica, quæ nimirum Sancti geſta hiſtoricè narrat. Fit autem duobus modis; Prior poſt præmiſſum Exordium, & Invocationem peractam, more conſueto, Introductionem brevem præponit, qua profitetur Orator ſe in præſenti Concione recedere à methodo communi quæ partitionibus uti ſolet. Hujus rei rationem fortaſſe reddit, quia copioſior dicendorum materia non poſſit præfixis limitibus arctari, liberiorque ad laudandum campus aperiatur, per Hiſtoricam methodum. Deinde vitæ tempora percurret Panegyriſtes, non quidem molliore & languidiore ſtylo qui Hiſtoricæ narrationi conſuetus eſt; ſed Oratoris artificio, quod Eloquentiæ figuras & lepores omnes adhibeat. Seliget autem virtutes potiores ac præſtantiora geſta, in quibus vim ac moram faciet, immò & Concionis ſtationes; hiſque appoſitas moralitates identidem adjiciet, ac tamdem Epilogo ad Imitationem compoſito Panegyrim Hiſtoricam claudet. Utilis eſt iſta methodus, & ſi ingenioſè ac politè tractetur, à cæteris laudationum formis vix præſtantia & ipſa etiam elegantia diſtat. *Prima Methodus in Forma Hiſtorica fit duobus modis.*

Altera Hiſtoricæ Panegyreos Forma, Hominis vitam diſtinguit per diverſas Ætates, vel Status, vel Caſus ſibi per temporis ordinem ſuccedentes. V. g. [Vitam ac Geſta Divi N. tribus Tabellis depicta, ſuo Altari hodie appendo & pro mei voti parte conſecro. Prima quidem, exhibeo *perfectæ Juventutis, vel Religioſiſſimi Juvenis ſpeculum*. Secunda, *Sapientiſſimi Adoleſcentis, vel Adoleſcentiæ prudentiſſimæ exemplum*. Tertia, *Fortiſſimæ virilitatis, vel conſtantiſſimi viri Genium* repræſentabo.] Hæ nimirum ſunt tot vitæ Ætates, quæ totum hominem pingunt; & ſi addu- *Altera forma Panegyris hiſtoricæ.*

cantur virtutes, quibus illæ commendabiles eſſe poſſunt, ac Geſta quæ in his Divus præſtitit, fiet Panegyris abſoluta. Eadem methodus obſervanda eſt in cæteris ſtatibus aut Caſibus, qui humanam vitam partiri poſſunt. V. g. Oſtendam vobis hodie, *Puellam caſtiſſimam*, *Fidiſſimam Conjugem*, *Viduam ſanctiſſimam*. Vel, Prodigium fuit *in Nativitate*, *in Vita*, *in Morte*. Vel, Sanctitatem coluit, *in Academia*, *in Militia*, *in Aula*, *&c.* Fuit Sanctus, *in Exercitu*, *in Eccleſia*, *in Clauſtro*, *&c.* Fuit Fortis in Adverſis, Temperatus in Proſperis, Magnus in Minimis, Minimus in Magnis, Æqualis in omnibus. Hæc, inquam, & his ſimilia quæ totum Humanæ vitæ tempus partiuntur & exhibent, Hiſtoricas Panegyres conſtituunt, non mediocris, ut ſentio, utilitatis & delectationis, ſi exquiſitis & idoneis condiantur leporibus.

Secunda Methodus Panegyricæ formæ, revocat Locos communes ad peculiares.

III. Altera Laudationis Forma Locum Communem imitatur, cùm propoſita generalia & omnibus Sanctis convenientia, alicui Sancto ſingulariter attribuit. V. g. Incumbit mihi laudandus Divus N. pro Introductione potero dicere: [Quemadmodum experimur continuum inter Cœlum & Terram Commercium, quo illud perpetuas in iſtam Largitiones lucis & caloris effundit; hæc etiam aſſiduo rependat ſuo Benefactori fumos, vapores, &c. Ita conſpicimus inter Eccleſiam Triumphantem & Militantem, mutua exhiberi officia, &c. Atque ut paucis res diffuſiſſima limitetur, tribus rebus continentur debita quæ Homines mortales tenentur reddere Beatis, nimirum Honorem, Preces, & Imitationem, &c. Oſtendam igitur 1. *Sanctitatem eximiam quam debetis in N. revereri*. 2. *Poteſtatem apud Deum efficaciſſimam, quam rogare poteſtis*. 3. *Exemplum perfectiſſimum quod debetis imitari*.] Unumquodque caput ſuas adhuc continet materias proprias unde poſſit locupletari & amplificari. V. g. Sanctitas colenda complectitur eminentiores virtutes, quæ in Divo præfulſere; veluti ejus Vocatio, Scientia, Mortificatio, Miracula, &c. Poteſtas invocanda ſpem nobis facit ex Amicitia, qua Divus N. pollet apud Deum, ut ejus emolliat Iram, Miſericordiam provocet, Liberalitatem pelliciat, &c. Tertium denique caput, quod eſt de Imitatione, repræſentat media quibus uſus eſt Divus N. ut ad Sanctitatis apicem perveniret, ejuſque exemplum proponit, obſtantes difficultates ſeu excuſationes vanas diluens, unde Auditor incitatur ad ſimilia geſta. *Ab iis namque* (ait D. Auguſtinus ſerm. 47. de SS.) *Sanctorum in veritate feſtiva gaudia celebrantur, qui ipſorum exempla ſequuntur*, &c. Vide in hac P. 2. lib. 1. c. 2. art. 3. pag. 373.

Tertia Methodus per Introductionem Hiſtoricam.

IV. Tertia Panegyrium Forma Exordium præmittit ex aliquo Fontium Initalium deſumptum, ut docetur 1. P. lib. 3. cap. 2. pro Introductione Hiſtoriam compendioſè texit, pingitque paucis, ſed politis & elegantibus verbis vitam Sancti N. tum ea completa, inde eruit potiores virtutes, quas leviter tantùm priùs attigerat; ex his conſtituit Concionis partes, quas poſtea fuſiùs & elegantiùs explicat. V. g. ſit mihi agendum

dum de Franciſco Aſſiſiate; Epitomen de illius vita Introductionis loco ſubſtituo; deinde poſt exactam breviter hiſtoriam, dicam; [Ex Præfatis tres in S. Franciſco virtutes præſertim excelluiſſe colligo, vel intellexiſtis, videlicet, 1. Humilitatem profundiſſimam, 2. Paupertatem perfectiſſimam, 3. Orationem eminentiſſimam.] Hæ igitur aut ſimiles Dotes quæ in Sancto viſæ ſunt primas obtinuiſſe partes, fient Diviſionis capita, quæ deinceps formam cæterarum Panegyrium imitabuntur.

V. Quarta Methodus, Introductione hiſtorica omiſſa, aliam ſubſtituit Introductionem quæ ſit Partium tractandarum fons & caput, inde ducit ac ſeligit potiores virtutes ex quibus conſtituit Concionis Diviſionem. V. g. Intentum erit, D. Franciſcum Aſſiſiatem exhibere veluti labentis Eccleſiæ Inſtauratorem; pro Introductione, pingam miſerum Eccleſiæ tunc temporis ſtatum his aut ſimilibus Verbis. [Non miror quòd Humana Imperia varias patiantur ruinas, &c. Ea eſt nempè Mundi ac Hominis conditio, ut nuſquam ſibi conſtet, ſed inteſtinis bellorum fomitibus coaleſcens, in deplorandos perpetuò caſus diſſolvatur, &c. Nemini ergo videatur mirum, ſi Regna, Reſpublicæ, Civitates, &c. quæ Mundi ac Hominis opera ſunt, miſeram partium conſtituentium experiantur ſortem, &c. At quis non ſtupeat, cùm audierit Eccleſiam Chriſti paria ruinæ pericula ſubire? &c. Illa enim conſtat Principiis perpetuam integritatem promittentibus; inſtituta eſt à Chriſto, edocta à Spiritu S. &c. Unde ergo Eccleſiæ ruina? Ex illa ſcilicet parte qua ad Homines ſpectat; videlicet permittente Deo, deficiente Homine, Diabolo ſatagente, corruptio inducitur non quidem in Eccleſiam, ſed in Chriſtianorum mores, &c. Is erat Eccleſiæ Status, cùm natus eſt Franciſcus Aſſiſias; virtus tunc erat odio, colebatur ſcelus, & undique in omnes penè conditiones irrepſerat corruptio, &c.] Poſt explicatas Religionis miſerias (quòd breviter fieri debet, ne longiùs abeat Introductio.) Eccleſiaſtes indicare poterit, aut virtutes, quæ majorem paſſæ fuerint apud Homines ruinam, quas D. Franciſcus ſuo ſplendori reſtituerit; aut vitia, quæ tunc magis viguerint, & quæ D. Præfatus profligaverit. V. g. [Virtutes quidem omnes in hoc miſero rerum ſtatu non modò exoleverant, ſed communi ferè peccatorum conjuratione abierant in odium; atque in his præcipuè: *Humilitas*, *Paupertas*, *Mortificatio*, *&c.* Has Inſtauravit D. Franciſcus ex mandato cælitùs accepto, quo juſſus eſt Eccleſiam Dei reparare: Negotium igitur commiſſum ille aggreſſus, reſtituit hæc tria Religionis fundamenta; 1. ſui Abjectione, Humilitatem; 2. Paupertatem, Abdicatione rerum omnium; 3. Mortificationem, ſevera, in ſeipſum diſciplina. Vel, tria frequentiora vitia totidem virtutibus oppoſitis expugnavit; 1. Superbiam, per Humilitatem; 2. Avaritiam, per Paupertatem; 3. Voluptatem, ſeu Carnem, per Mortificationem. Vel tria hominum Religionem pervertentium genera expugnavit tribus modis iiſdem quibus Chriſtianam Legem Chriſtus inſtituerat; 1. *Doctrina erudivit Ignorantes*; 2. *Exem-*

Quarta Methodus per Introductionem quę fit partium fons & caput.

2. *Exemplo ſuſcitavit Tepidos ?* 3. *Miraculis , Rebelles devicit.*] Hæc igitur Methodus in hoc ſtat, quòd aliquas ſeligat virtutes, quibus ſe præſtitit excellentem Sanctus, ex his conſtituit diverſas Concionis partes, quarum unaquæque ex iis quæ eidem virtuti & Geſtis illius Sancti conveniunt locupletatur.

Quinta Methodus precipuam ex pluribus virtutibus deligit & laudat.

VI. Quintò, cùm aliqua in ſingulis Sanctis emineat ſemper virtus, aliis etiam minimè prætermiſſis; illa veluti ſignum præcipuum obſervationis tempore præſidens ſecernatur ex qua Concio ejuſque partes inſtituantur. Hæc methodus parùm à ſuperiore differt, in eo ſcilicet, quòd unica tantùm virtus ſeligatur quæ ſit totius Panegyreos fundamentum. Tractatur autem duobus modis; Prior, in Introductione explicat hujus virtutis Naturam, neceſſitatem aut quid ſimile propoſito conveniens, deinde ex proprietatibus vel officiis hujus virtutis conſtituit Concionis Partes. V. g. Res ſit de Miſericordia, Introductio poterit eſſe de Miſerationis præcellentia, quæ in Divo N. emicuiſſe ſupponitur, deinde declarabuntur Miſerationis Officia, ut ſunt, Pauperes levare, Infirmis compati, Ignorantes erudire; [Hæc ſunt (inquiet Encomiaſta) quæ abundè præſtitit Divus N. fuit enim 1. Pauperum Pater, 2. Infirmorum ſolatium, 3. Ignorantium Magiſter, &c.] Alter modus, in primo Puncto agit de virtutis, v. g. Miſericordiæ, præſtantia & neceſſitate. In ſecundo, explicat quomodo Divus N. Miſericordiæ perfecerit opera. In tertio; qua ratione Chriſtianus Auditor debet præfatum Sanctum in Miſerationis operibus imitari. Alii, primo loco ponunt rationes ob quas Sanctus præfatam virtutem tantoperè dilexit: Secundò, Naturam virtutis explicant & modum, quo Divus eam digniſſimè exercuit. Tertiò, Media quibus tantam virtutis excellentiam Divus attigit, & Incitamenta ut ad ejus imitationem plures invitentur.

Sexta Methodus communis.

VII. Sexta Methodus Panegyreon communis eſt & ex omnibus præmiſſis exurgit. Initium ſumit à Themate idoneo ex Scriptura deſumpto, quod virtute complectitur omnem Panegyreos ideam. Exordium explicat Thematis ſenſum, rationemque reddit cur Divo accommodetur; vel aliunde eruitur, ſcilicet ex Fontibus qui Exordiis inveniendis deputantur. Introductio, vel conſtituitur ex aliquo Fonte communi, ſeu Genere quod poſtea partes ſeu puncta Concionis è ſuo ſinu fundit. Vel prætermittitur Introductio, & mox ſtatuitur initium per Diviſionem, abſque alia propoſitione capitali, quàm ea qua ſit Partitio. Vel etiam præmittitur Diviſio in Exordii fine ante Invocationem. Exemplum Panegyris compendioſè collectum hic ſubjicio.

A R-

ARTICULUS III.

Exemplum Panegyricæ Concionis de S. Thoma Aquinate.

Thema. Mittam Angelum meum. *Exod.* 23. 20.

EXORDIUM brevem inſtituit comparationem inter D. Thomam & quatuor Eccleſiæ Doctores, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum & Gregorium, in eo quòd celebriores aliqui tituli quibus illi ſunt inſigniti, optimè conveniant D. Thomæ, ſintque ipſi cum illis communes; at D. Thomæ peculiaris titulus, & proprius Character eſt Angeli nomen; hæc eſt laus D. Thomæ præcipua & omnis præconii de illo celebrandi debet eſſe fundamentum. Invocatio dirigitur ad Mariam mediante ſalutatione Angelica. Exordium à Pari.

Introductio comparationem iterum inſtituit inter Angelicam & Humanam conditionem ſeu Naturam; quarum prima in multis alteram præcedit, adeo ut poſterioris gloria ſit ad prioris dignitatem accedere. Hæc eſt laus D. Thomæ, Angelum fuiſſe non tantùm nomine, ſed plurium perfectionum Angelicarum imitatione. Deinde partitio fit ex Dotibus Angelicis quas Sanctus iſte aſſecutus eſt. V. g. [Tria præcipuè notantur in Angelis. 1. Puritas Naturæ, 2. Intelligentiæ perſpicuitas, 3. Officii deputatio: Angelus fuit D. Thomas, quia has Angelorum Dotes imitatus eſt; videlicet, 1. Puritatem, 2. Intelligentiam, 3. Miniſterium. 1. Angelus fuit in Puritate, per munditiem corporis. 2. Angelus fuit in Intelligentia, per Doctrinæ ſublimitatem. 3. Angelus fuit in Miniſterio, per executionem fidelem Miſſionis demandatæ.] Potuit omitti Introductio & ſimpliciter inchoari per nudam & apertam Concionis partitionem. V. g. Tria ſunt quibus Angeli commendantur, Puritate nimirum, Intelligentia, & Miniſterio; hæc eadem ſunt, quibus D. Thomas ad Angelorum dignitatem acceſſit, &c. Introductio à comparatione. Diviſio per Proprietates rei.

Prima Pars extollit Virginum Puritatem eamq; Angelis cognatam aſſerit: Virgines enim ſunt Angeli terræ, ſicut Angeli ſunt cœli Virgines; deinde addit Virginum puritatem in pluribus ſuperare Angelicam caſtimoniam, quia nempe illæ vincunt in Carne Hoſtem potentiſſimum, Angeli verò nullum habent Adverſarium quo eorum puritas impugnetur; ideo Angelum eſſe ſine carne, felicitatis eſt; Virginem autem eſſe in Carne, eſt victoriæ. Vide ſupra Promptuarium Angelicum lib. 2. hujus Partis cap. 2. art. 1. & art. 2. ſect. 2. nu. 6. Jam ad D. Thomam oratio redit, dum ait: [Divus noſter, (ſi quis alius) Angelicam Puritatem aſſecutus eſt niſi ſuperaverit, &c. unum modò exemplum proferam, quo aſſertio planè conſtabit:] Tunc narratur factum, quo mulierem ſubingreſſam ad corrumpendam D. Thomæ puritatem, ipſe illam titione fugaſſe dicitur. I. Punctum. A Comparatis. Subdiviſio per Adjuncta.

Tum,

Tum, ut elevetur Puritatis victoria, tres circumſtantiæ obſervantur. Prior eſt Certaminis, ſeu potiùs Adverſarii expugnandi magnitudo. Secunda eſt, Armatura qua Thomas Adverſarium hoſtem expugnat. Tertia eſt, Certaminis ſucceſſus, hincque fit primæ partis ſubdiviſio.

Ab Antecedentibus & Concomitantibus.

1. Periculum prorſus grande ſubiiſſe dicitur D. Thomas, quod ut liqueat, exaggeratur & amplificatur diſcrimen, quod oritur ex Mulieris malitia qua uſus eſt Dæmon ut Adamum, Sampſonem, Davidem, Salomonem, Jobum, &c. aut proſterneret aut dejicere conaretur. Adde Juventutis ætatem in adoleſcente Thoma, æſtuantem temperiem ex ſanguine ac bile conſtantem, & ad Amoris appetitus propendentem, &c. Hic variis figuris, ac digreſſionibus exaggeratur ejuſmodi periculum. V. g. O quot & quanti naufragium paſſi fuiſſent in tanto diſcrimine! Comparatio inſtituitur inter eos qui ad minimam occaſionem labuntur; Ah quæ fuiſſet eorum integritas in hoc caſu! At quæ fuit Thomæ conſtantia! Non poteritis perfectè noſſe, donec arma quibus hoſtem impugnavit noveritis, &c.

Quibus Auxiliis.

2. Plurimorum Sanctorum Puritas tentantes hoſtes experta eſt. (Hic narrantur plures cauſæ, unde carnales tentationes oriri poſſunt.) At illi contrariis contraria opponentes, carnem devicere, D. Benedictus Spinarum pungentium doloribus; D. Bernardus Glaciato ſtagno; D. Franciſcus Nivis frigore, &c. Voluptatis ſenſum aut extinxere, aut compreſſere, &c. At quibus armis utetur Thomas? Titione accepto è foco, Titionem Inferni fugavit. Exaggeratur iſtud in hoſte expugnando ſtratagema, &c.

A Conſequentibus.

3. At, quis Certaminis eventus? Angeli deſcendentes de Cœlo in cellam Thomæ ut victori applauderent, eidem victoriæ præmium addidere, &c. Quodnam præmium? cingulum puritatis quo renes ejus circumdedere, ita ut voluptatis ſenſum nullum fuerit deinceps expertus, &c. Laudatur iſtud victricis puritatis præmium, ac deinde Auditores invitantur ad integritatis amorem, &c. tum fit tranſitio ad alteram Concionis partem, his aut ſimilibus verbis: Audiiſtis Angelum in Puritate, Angeli Scientiam miramini.

2. Punctum. A Pari ſubdiviſio, A Cauſis & effectis.

Secunda Pars explicat Angelorum ſublimem Intelligentiam, deinde huic comparat ſcientiam D. Thomæ, ubi tria notatu digna obſervat. 1. Scientiæ iſtius originem ſeu principium. 2. Amplitudinem. 3. Fructum.

1. Duplicem cum Auguſtino ex ipſo D. Thoma diſtinguit in Angelis Scientiam. Matutinam qua res creatæ in Verbo cognoſcuntur, & veſpertinam, qua in ſeipſis & ſtudiorum labore notæ fiunt: Ita D. Thomas didicit ſcientiam, ab ipſo Deo per orationem & ad pedes Crucifixi, quæ Doctrina vocari poteſt Matutina; didicit labore & ingenii facilitate, &c.

2. Quàm multa complexa eſt Doctrina D. Thomæ! Rurſus comparatur

ratur Angelicæ ſcientiæ amplitudo cum ſcientiæ Thomæ latitudine; ut de Thoma dici poſſit quod olim de Auguſtino dictum eſt, ***Legi deeſt, quod contigerit à S. Thoma ignorari.*** In omnibus penè Authoribus verſatus, omnium doctrinam ebibit, omnes difficultates exhauſit, & illuſtravit.

3. D. Thomæ Scientia fructum maximum ſortita eſt; illa ſiquidem fuit omnium Doctorum ſeminarium, ex plenitudine enim ejus omnes acceperunt, & Diviſiones videntur gratiarum, ſeu rivorum ex uno fonte Thoma ſcaturientium. Probata eſt à Chriſto dicente, ***Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam mercedem dabo tibi? Non aliam***, inquit Thomas, ***niſi teipſum Domine***. Iterum, quanti fieri deberet Thomæ ſcientia conſtitit in Concilio Tridentino, ubi Summa Theologica D. Thomæ, una cum Bibliis in eodem pulpito repoſita eſt, unde occurrentes difficultates enodarentur. Item à ſummo Pontifice dictum eſt quòd *ejus Articuli, tot eſſent miracula, &c.*

3. Punctum. A Comparatione.

Subdiviſio ab Effectis.

Tertia Pars exorditur à Miſſione Angelorum; omnes enim (ut ait D. Paulus) ſunt Miniſtratiorii Spiritus, propter eos qui capiunt hæreditatem ſalutis. Hic explicatur cura quam Angeli Cuſtodes ſuſcipiunt de rebus humanis; deinde ſubjicitur, quòd D. Thomas videtur admiſſus in partem cuſtodiæ cum D. Michaele, ut nimirum ambo Eccleſiam protegant. Probatur aſſertio ex Hoſtium adverſus Eccleſiam inſurgentium genere, quod ille ſuperavit; 1. verbo Judæos, Atheos, & Infideles expugnavit. 2. Scripto Hæreticos veteres & recentes, immo & futuros devicit. 3. Exemplo, Chriſtianos tepidos & delinquentes excitavit, aut ad meliorem vitam compulit, &c.

Moralis peroratio tria complectitur. 1. Grates penduntur Deo, qui eam de Eccleſia curam gerit, ut in ejus ſubſidium & ornamentum, mittat opportuno tempore Doctores veluti Angelos, Aſtra, Duces, Protectores, &c. qui eandem tueantur & illuſtrent. 2. D. Thomæ is honor defertur, ut habeatur veluti Angelus, Protector, &c. à Deo ad Eccleſiæ indigentiam miſſus, &c. 3. Imitandus proponitur omnibus, maximè Doctoribus: in omni etiam virtutum genere, ſed præſertim in Humilitate, quæ inflatam Scientiam comprimat, & zelo qui Doctrinam ad ſacros uſus, pro Gloria ſcilicet Dei, proximorum ſalute, ac propriæ Animæ bono convertat.

Moralitas.

Hic vides Ideam Panegyreos paucis verbis contractam, ne plures paginas occuparet, ita tamen diſtributam, ut Tyroni oſtendat, quomodo materia debeat ordinari, & qua ratione una pars ab altera ducatur. In Exordio, redditur ratio Thematis, & D. Thomæ peculiariter conceditur: in Introductione, ponitur ratio communis, qua Homines poſſunt cum Angelis comparari, quæ etiam D. Thomæ attribuitur; deinde notantur Dotes ſeu proprietates in quibus D. Thomas Angelos imitatus eſt, videlicet, Puritate, Scientia, Miniſterio. Hinc enim colligitur ille ſyllogiſmus:

Examen breve Concionis præfatæ.

mus: *Qui Angelos eſt imitatus in Puritate, Scientia, & Miniſterio, ille dicitur Angelus; At D. Thomas imitatus eſt Angelorum Puritatem, Scientiam & Miniſterium; quod ſupereſt niſi ut Angelus appelletur? &c.* Vide Sanctuarium Annuum, infra cap. 4. hujus Libri, Menſe Martio.

CAPUT IV.

Variæ Ideæ Concionum ſeu Partitionum Panegyricarum.

PANEGYRES formatas hic non profero, quia negotium iſtud non eſt hujus propoſiti, artem ſolummodo, vix res ipſas tradentis; Diviſiones tantùm ſeu Partitiones Concionum aperio ad Eccleſiaſtarum inſtitutionem, ut ad exempla quæ nunc exhibeo excitentur ipſi ad ſimiles, & his meliores divendendi formas excogitandas. Hæ autem quas ſubjicio, eductæ ſunt vel è Promptuariis ſupra traditis; vel è Concionibus aliquibus quas ipſemet habui; vel ex celebrioribus Oratoribus quos audire vel legere mihi contigit. At cùm exemplaria ſint Gallico idiomate aut dicta aut ſcripta, nonnihil Laboris occurrit, ut Diviſionum concinnitas & elegantia, quæ in patria Lingua præcellunt & exquiſitiſſimo palato ſapiunt, ſerventur apud Latinos; qua potui induſtria, non receſſi à germana venuſtate, ubi diminutionis periculum fuit Diviſiones in utraque Dialecto explicui.

ARTICULUS PRIMUS.

Ideæ Partitionum de Myſteriis Dei & Chriſti,

SECTIO PRIMA.

De Attributis Dei.

I. *Cognitio Dei.* I. *Neceſſitas* hujus Cognitionis petita, tum ab Honeſto, quia eſt prima Veritas cognitu digna; tum à Juſtitia, quia eſt Bonitas ſuprema quam noſſe jus gratitudinis poſcit; tum ab utili, quia inde multa commoda oriuntur. II. *Modus* cognoſcendi Deum. 1. per Fidem, quæ atteſtanti Eccleſiæ ſimpliciter credit. 2. per Rationem, quæ Deum demonſtrat ab Effectis, pingitque vel Negativè per amotionem omnis imperfectionis, vel Poſitivè per affirmationem omnis excellentiæ. 3. Conſenſu omnium hominum. III. *Uſus* hujus cognitionis in hoc ſtat, ut Dei recordemur ſemper, ipſum amemus, & colamus.

2. Item

2. Item Triplicis generis hoſtes Divinæ Cognitioni adverſantur. 1. *Impii*, qui nullum agnoſcunt Deum. 2. *Idololatræ*, qui plures Deo fingunt. 3. *Hæretici*; v.g. Ariani qui Deo detrahunt. Contra tot inimicos militat Religio Chriſtiana; ſuadet quippe adverſus Impios Exiſtentiam Dei, adverſus Paganos, Unitatem Dei; adverſus Hæreticos, Trinitatem in Deo probat.

3. Tribus modis Fidei actus explicantur. 1. *Credere Deo*, quia eſt prima veritas quæ nuſquam fallit. 2. *Credere Deum*, quia Deus & Divina ſunt Fidei objectum. 3. *Credere in Deum*, ſcilicet per amorem, quia ſummè bonus eſt, & rerum omnium finis.

4. *Perfectio Dei* triplici modo infinita concipitur. 1. *In Extenſione*, quia omnem omnino excellentiam complectitur. 2. *in Intenſione*, quia eſt in ſummo gradu. 3. *in Duratione*, quia eſt ab æterno & in æternum perſeverabit.

5. *Simplicitas Dei* triplex. 1. *Entis*, ſeu Naturæ quæ nihil habet impuri, vel Creati, & alieni. 2. *Cognitionis*, quæ nihil habet erroris, aut vani. 3. *Loquutionis*, ſeu verbi, ſeu promiſſi, quæ nihil habet mendacii aut infidelitatis.

6. *Præſentia Dei* tribus Attributis Divinis conſtare intelligitur. 1. *Immenſitate*. 2. *Scientia*. 3. *Poteſtate*. Dei Eſſentia omnia replet, ideo ubique honorem & reverentiam poſcit; Dei Scientia omnia novit, ideo ubique advertenda & metuenda; Dei Poteſtas omnia operatur nobiſcum, ideo ſemper in bonum uſum convertenda, Gallicè: *C'eſt un Eſtre ſouverain qui occupe tout, il le faut reſpecter par tout. C'eſt un œil eclaire qui voit tout, il le faut craindre par tout. C'eſt un pouvoir infini qui opere & concourt en tout, il faut en faire un bon uſage & le bien menager en toutes choſes.*

7. *Omnipotentia Dei* excitare debet in nobis, 1. *Reverentiam*, quia ſuperiorem revereri tenemur. 2. *Timorem*, quia poteſt Animam cum corpore perdere. 3. *Fiduciam*, quia ſi pro nobis ſteterit, cætera deſpicienda ſunt. Item à Deo manat omnis Poteſtas, Naturalis, Civilis & Eccleſiaſtica.

8. *Dominium Dei* in nos ſtat tribus titulis. 1. *Creationis*. 2. *Conſervationis*. 3. *Redemptionis*. Chriſtus redemit nos à triplici ſervitute, Peccati, Diaboli, & Mortis.

9. *Sapientia Dei*, cujus non eſt numerus Pſ. 146. tribus maximè rebus eluceſcit, 1. *quia educit contraria ex contrariis*, ut ex Igne Aquam, ex calore frigus, &c. 2. *ex minimis maxima*, ut mundum ex nihilo, fidei ſuaſionem ex illiteratis ſuaſoribus, ex humilitate gloriam, &c. 3. *extrema ab extremis*, ut ex Homine Deum per Incarnationem, ex Reo judicem, ex Servo Dominum, &c. Hæc à nobis exigit affectus, 1. *Admirationis*. 2. *Humilitationis* & 3. *Reverentiæ*. Vide Leſſ. de Perfect. D. l. 6. c. 3.

10. *Sanctitas* quæ maculam neſcit, eſt in Deo tamquam in Radice ſeu fonte; tamquam in Cauſa ſeu principio effectivo; tamquam in exemplari, ſeu Idea; tamquam in Fine, ſeu termino ad quem tendit. Sancti-

tas 1. in Deo floret, velut *in Trono*, ſeu proprio ſinu; Colitur in Mundo, velut *in Templo*; pingitur in homine velut *in Imagine*. Triplex eſt in Deo Sanctitas; Alia eſt *Eſſentiæ* ſeu Naturæ, quæ omnem Creaturæ immunditiam removet; Alia *Cordis*, quæ nihil præter integritatem verſat; Alia *Operis*, quæ nihil niſi perfectum molitur.

11. *Providentia Dei* ſpem facere debet, quia Deus eſt 1. *Totus oculus*, ut miſerorum penuriam ſciat. 2. *Totus Cor*, ut miſeris compatiatur. 3. *Totus Manus*, ut exequatur quod ſcierit & voluerit. Aliter; Eſt *Omniſcius, omnino Miſericors, & Omnipotens*. Providet abundè omnibus quæ ſpectant 1. *ad Naturam*. 2. *ad Gratiam*. 3. *ad Gloriam*.

12. *Prædeſtinatio* poteſt ritè concipi ſub triplici reſpectu ad Merita; nimirum pro triplici ejus ſtatu, V.g. in principio à quo, in via, & in termino: unde 1. incipit, ſeu *præparatur ante præviſa Merita*, quia omnes homines vocavit Deus ex mera liberalitate, iiſque propoſuit Beatitudinem aſſequendam, nullo merito ipſum ad hoc cogente, &c. 2. fit ſeu *progreditur cum Meritis*, hoc eſt, per opera quæ ex Gratia & voluntate humana oriuntur. 3. conſummatur & *perficitur*, *poſt præviſa Merita*, quia datur tamquam merces & corona.

13. *Reprobatio* tripliciter attendi poteſt. 1. *Secundùm ſuam Cauſam*, quæ alia non eſt quàm ipſemet homo reprobus, ſuæ perditionis author. 2. *Secundùm ſuos Effectus*, qui varii ſunt: v.g. Excæcatio, Induratio, &c. 3. *Secundùm ſigna* & indicia, quæ etiam plurima ſunt, & Effectis ferè ſimilia, ut Negligentia de Salute, incuria de Divinis, &c.

14. *Miſericordia* in Deo erga peccatores triplex eſt. 1. *Alia vocans*, & præveniens. 2. *Alia Expectans* & adjuvans. 3. *Alia Parcens* & juſtificans. Vocat indignos; expectat deſides; quærit fugientes; excipit redeuntes; Pœnitentes diligit.

15. *Amor Dei* in hominem eſt, 1. *Æternus*, quia charitate perpetua ipſum dilexit. 2. *Immenſus*, quia in omni loco ipſum actu diligit. 3. *Infinitus*, quia omnia fecit ob amorem ipſius. Deus eſt redamandus ſimili ferè amore. 1. *ſemper*. 2. *ubique*. 3. *per omnia*. Varios hujus Amoris Divini effectus habes in Natura, Gratia, & Gloria, ſcilicet per Creationem, per Juſtificationem, & Beatificationem.

16. *Juſtitia Dei* in tribus Tribunalibus exercetur. 1. *in Cœlo*. 2. *in Corde*. 3. *in Republica*. Primum Tribunal eſt Divinum, alterum Naturale, tertium Politicum & Civile. Juſtitia Dei eſt, 1. Incorruptibilis. 2. Decipi non poteſt, evitari nequit. 3. Remunerat ultra meritum; punit citra condignum, reddit intra congruum. Ibi Deus triplici titulo metuendus eſt, quia eſt *Pars, Teſtis, & Judex, &c.*

Digitized by Google

SECTIO II.

Ideæ Partitionum de Myſteriis Chriſti.

In Die Nativitatis.

Die 25. Decemb.

1. TRes Virgines partu celebrantur, *Eva*, quæ peccatorem hominem peperit; *Eccleſia*, quæ Chriſtianum genuit; *Maria*, quæ protulit Deum. Prior peperit errantem, ignorantem & mortuum; Poſterior Chriſtum protulit tot malis remedium, eſt enim *via*, *veritas & vita*; Eccleſia nos adducit ad Deum Infantem, ut nobis medeatur. 1. Errantes viatores reſtituit viæ. 2. Ignorantes tradit veritati in diſcipulos. 3. Mortuos reddit vitæ, ut filios & fœtus. Gal. 1. *L'Egliſe donne à ce Chemin des Voyageurs*, 1. *des Diſciples à cette verité; des Enfans à cette vie, &c.*

2. Deus tres à nobis ſimilitudines aſſumit, ut totidem ſimilitudines à ſe in nos transfundat. 1. Fit homo, ut nos faciat Deos. 2. fit ſervus, ut nos faciat filios. 3. fit ſimilis peccatori, ut nos faciat ſanctos. Gal. *Le Verbe Divin prend la forme d'homme, pour nous donner celle de Dieu*, Divinæ facti conſortes Naturæ. 2. *Il prend la forme d'Eſcave pour nous donner celle d'Enfans*, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri. 3. *Il prend l'apparence du peché, pour nous donner la verité de ſa grace.*

3. Præſepe factum eſt, 1. *Theatrum Gloriæ* pro Deo, quia ibi Trinitas ſupremum Adorationis cultum excipit. 2. *Exinanitio Chriſti*, quia ille ibi profundè humiliatur. 3. *Elevatio Humanitatis*, quia divinè exaltatur. 4. *Cathedra Doctoris*, quia ibi Chriſtiani ſapienter erudiuntur.

4. Triplex virtus in Cunis Bethlemiticis ſplendet. 1. *Amor*. 2. *Admiratio*. 3. *Obedientia*. Amor Virginis, Admiratio Angelorum, Obedientia Paſtorum. Horum exemplo Amemus cum Virgine Chriſtum ſummè amabilem & amantem: Admiremur cum Angelis, opus incomprehenſibilis Sapientiæ: Revereamur cum Paſtoribus, Poteſtatis infinitæ prodigium. Gal. *C'eſt un Amour infini digne de nos affections: C'eſt une ſageſſe eſtonnante, digne de nos admirations: C'eſt une puiſſance ſouveraine digne de nos ſoumiſſions.*

5. Amor fuit totius Incarnationis miniſter & artifex. Ille ipſe eſt, qui Deum ad hominem pellicit, ut in peccatorum corda ipſum invitet. Amore ergo Chriſtus expetitur, Amore colligatur. Vel Amore obtinetur, Charitas Patris æterni eſt hujus Myſterii Inventrix; Charitas Filii eſt Executrix; Charitas Virginis eſt diſpenſatrix. Gal. *La Charité du Pere Eternel invente ce bien-fait & le donne; la Charité du Verbe Divin l'accepte & l'execute; la Charité de la S. Vierge le reçoit & le diſpenſe.*

6. Ver-

6. Verbum Divinum fit noſter, 1. *Mediator* & Salvator. 2. *Sponſus* & Amans. 3. *Vas* & Fidejuſſor. Admiremur, Amemus, Imitemur.

7. Cunabula Chriſti ſunt, 1. *Cathedra Docentis*. 2. *Thronus Miſericordis*. 3. *Tribunal Judicantis*. Doctoris veritatem excipiamus cum Docilitate; Salvatoris gratias cum fidelitate tractemus; Judicantis placita cum tremore audiamus.

8. Homines ante Incarnationem erant, 1. *Servi*, & liberatore indigebant. 2. *Infirmi*, & Medicum expetebant. 3. *Inimici Dei*, Mediatore indigentes. Chriſtus homines liberavit à ſervitute; eorum Infirmitatem ſanavit; reconciliavit inimicos: atque quod in his mirum ſactu eſt, in hoc præcisè ſtat, quòd Chriſtus, 1. *Rex*, in vincula ſemetipſum conjicit ut captivos redimat. 2. *Sacerdos* ſemetipſum immolat, ut Reos ſalvet. 3. *Medicus*, Infirmorum ægritudines ſuſcipit, ut hos ſanet.

9. Charitas Deum demittit, 1. ad noſtram Abjectionem, ut eam exaltet per aſſumptionem. 2. ad noſtram ignorantiam, ut eam cùm verbo, tum exemplo erudiat. 3. ad noſtram Miſeriam, ut eam ſua gratia, tollat & locupletet.

10. In Incarnatione triplex Dei erga homines Amor ſplendet. 1. *Amor Tener*. 2. *Amor Præcipuus*. 3. *Amor Effectivus*. Tener, quia Deus compatitur homini, Miſero, Reo, Ingrato. Præcipuus, quia Deus dat pro homine Filium Naturalem, Dilectum, Unigenitum. Effectivus, quia Deus pro homine impendit Chriſtum ſuum in Vita, morte, poſt mortem.

11. Amoris induſtria Deus immutatur ex D. Chryſolog. ſer. 23. & ex eodem ſer. 35. de Deo convertitur in Hominem; de Domino in Servum; de Judice in Reum.

12. Deus Incarnari, 1. Potuit, ex D. Auguſtino Epiſt. 5. ad Volus. ſecundò, Voluit, ex D. Bernardo ſer. 64. in Cant.

13. Triplici titulo commendatur Præſepe Chriſti. Eſt 1. *Altari ſacrificii* in quo Chriſtus immolat ſublimitatem, Dei-Hominis, & Domini. 2. eſt *Theatrum Exemplorum*, quibus cum ſplendore, authoritate & illecebra, Chriſtus virtutem ſuadet. 3. eſt *Thronus Beneficiorum*, quibus adoptat Chriſtianos, reconciliat peccatores, inſtituit Eccleſiam.

Die 1. Januarii.

In Die Circumciſionis.

1. MYſterium iſtud eſt Finis Legis, exordium Eccleſiæ, Chriſtianiſmi ortus: in hoc Chriſtus, 1. *Innocens videtur Peccator*, 2. *Legiſlator & Dominus fit Servus*. 3. *Beatus affligitur ut Miſer*.

2. Chriſtus 1. obedit Legi. 2. patitur dolorem. 3. redimit Fratres; ut Chriſtianos doceat, 1. *Obedientiam*. 2. *Patientiam*. 3. *Commiſerationem*.

3. Triplicem Temporis ſpeciem Chriſtus optimè impendit. 1. *Præte-*

riti

riti delicta delet per Sanguinis effuſionem. 2. *Præſentis* ſpatium ſanctificat per obedientiam Legi præſtitam. 3. *Futuri* ſæcula prævertit per mortis ſponſionem. Similia nos facere docet, 1. ut inſtauremus Præteritum per dolores pœnitentiæ. 2. ut ſanctificemus Præſens per obedientiam Legi Divinæ. 3. ut antevertamus Futurum per meliora & fortiora perfectiùs vivendi propoſita.

4. Chriſtus eſt, 1. *Lumen*. 2. *Verbum*. 3. *Imago*. Ut his qualitatibus fruantur homines, debent 1. cum Affectu excipere Lumen quo illuſtrantur. 2. Cum attentione audire verbum iſtud quo docentur. 3. Cum ſtudio expingere hanc Imaginem qua reformantur.

5. Sanguis in Circumciſione Judaica fuſus non ſufficiebat ad placandum Deum, quia erat, 1. Figurativus. 2. Tributarius. 3. Noxius. At Chriſti circumciſi Sanguis tribus his defectibus medetur: eſt enim 1. *Purior ſanguis*, non Figuræ, ſed Veritatis. 2. *Purior ſanguis*, non Tributi, ſed Charitatis. 3. *Purior ſanguis*, non Criminis, ſed juſtitiæ & Innocentiæ ut impleatur illud Pſ. 44. 5. *Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam, &c.*

6. Amor quem Chriſtus nobis teſtatur in Circumciſione, eſt 1. Comis & *Gratioſus*, quia demittit Amantem uſque ad ſimilitudinem peccati. 2. *Generoſus*, quia difficultates quaſcumque ſuperat. 3. *Impatiens*, quia vix octo dies expectat, ut ſe prodat. Non diſſimilis eſſe debet noſter in Chriſtum Amor.

7. Chriſtus ut homines redimeret, 1. à Lege ſervitutis. 2. à Lege criminis. 3. à Lege Mortis; totidem vices in Circumciſione ſubit. 1. *Apparet Servus* ſub Lege Servitutis, ut ſervos liberet. 2. *videtur Reus* ſub Lege reatus, ut Reos ſalvet. 3. patitur tamquam *Mortalis* ſeu Damnatus ſub Lege Mortis vel Damnationis, ut Mortales ſeu Damnatos ſuſcitet ac vindicet.

8. Bethlehem fit per Circumciſionem Calvariæ figura & præludium; ideoque jure dici poteſt Circumciſio, Paſſio Infantiæ. Chriſtus hìc patitur, 1. *Summum opprobrium*, quia reputatur ut Reus. 2. *Summum dolorem*, quia in tenero corpore cruciatur. 3. *Extremam Mortis ſententiam* ſubit, quia pluribus tormentorum generibus ſe devovet. Hinc Chriſtus, opprobria paſſus, damnat homines ſub injuriis impatientes; Dolore afflictus, damnat impœnitentes; Morti addictus, damnat mortificationis & Crucis inimicos.

9. Jam incipiunt Amoris Chriſti largitiones, dum enim circumciditur, tria pro nobis offert. 1. *Sanguinem*. 2. *Gloriam*. 3. *Nomen*. Fundit ſanguinem ſponte, citò, abundè. Immolat Gloriam, tum per detractionem externi ſplendoris, tum per ſuſceptionem apparentis opprobrii. Nomen ſuum prodit, veluti Divinæ claritatis ſymbolum, memoriale geſtorum pro noſtra ſalute, & pignus futuræ Gloriæ.

10. Circumciſio reddit Chriſtum ſervum Dei ac Hominum; nam, 1. præ-

Digitized by Google

præbet illi vinculum quo cum Cœlo nectitur, fitque Dei Servus, 2. Cœlum dat illi Amorem, quo Terræ illigatur, fitque Hominis Servus.

De Auguſtiſſimo Nomine Jeſu.

Die 1. vel 14. Januarii.

1. IN Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nomen iſtud, 1. *jungit Majeſtatem & Amorem*, ut Pater æternus fiat Hominum Pater. 2. *unit Juſtitiam cum Miſericordia*, ut Filius Dei fiat Hominum Frater. 3. *Sociat Spiritum* cum Carne, ut Spiritus Dei fiat Spiritus Hominum.

2. Nomen Jeſu eſt 1. *Memoriale* eorum quæ Chriſtus pro ſalute hominum geſſit. 2. *Principium Gratiæ* Chriſtiano neceſſariæ Productivum. 3. *Pignus Gloriæ* Sanctos coronaturæ. Euchariſtiæ inſtar, præterita beneficia memorat, præſentem operatur Gratiam, futuram Gloriam pollicetur.

3. Nomen Jeſu factum eſt, 1. *Deliciæ Cordis Chriſti*. 2. *Inſtrumentum Gratiæ Chriſti*. 3. *Canalis Beneficiorum Chriſti*. Quàm fuerit in deliciis Chriſto, patet quia illud ſanguine comparavit, Sanctorum prædeſtinationi inſervire voluit, & per ipſum omnem cùm Divinitatis, tum Humanitatis magnitudinem explicuit. Iſtud Nomen Fortitudinem trahit à Corde & decreto Patris æterni, à Labiis B. Virginis, & ab Ore Archangeli. Canalis eſt, quia, ut ait Bernardus, non ſecus ac oleum, Lucet, Nutrit & Sanat.

4. Nomen eſt, 1. *Majeſtatis*. 2. *Pietatis*. 3. *Severitatis*. Adoremus illud quia plenum eſt Majeſtatis; Invocemus, quia plenum eſt Charitatis; Timeamus, quia plenum eſt Severitatis.

5. Nomen iſtud eſt, 1. *Sapientiæ opus*, quo Chriſti magnitudines repræſentantur. 2. *Inventio Amoris*, qua exhibentur nobis Beneficia Chriſti. 3. *Titulus Gloriæ*, quam ſuis meritus eſt triumphis.

6. *De Magnitudinibus Jeſu. Puſillum & magnum ipſe fecit*. Sap. 6. 8. Chriſtus triplici conſideratione Puſillus & magnus. 1. reſpectu ſui, nihil ſublimius, nihil abjectius, ſcilicet per Idiomatum communicationem. 2. reſpectu Patris, nihil ſublimius, nihil abjectius, quia ipſe erat æqualis & ipſius Servus. 3. reſpectu hominum, nihil ſublimius, nihil abjectius, quia horum Dominus & ſubditus.

7. Tres Perſonæ in unum Incarnationis opus convenere. 1. *Pater æternus*. 2. *Spiritus Sanctus*. 3. *Beata Virgo*. Pater hunc genuit, Spiritus formavit, Virgo concepit. A Patre habuit plenitudinem Divinitatis, cujus eſt principium; à Spiritu accepit plenitudinem Sanctitatis, cujus eſt cauſa effectiva; à Virgine ſuxit plenitudinem perfectionis, cujus eſt exemplar.

8. Infantia Pueruli Jeſu. *Parvulus datus eſt nobis*, Iſ. 9. Tria in Incarnatione voluit præſtare Chriſtus. *Humilitatem profiteri*. 2. *Amorem accendere*.

dere. 3. *Imitationem provocare*; ut noſtræ mederetur ſuperbiæ, ut noſtra corda ad ſe pelliceret, ut noſtra mereretur obſequia: Eadem ſplendent in Cunis Chriſti; 1. profitetur Chriſtus humilitatem, ut ipſam revereamur & honoremus: 2. ut Amans, affectum cordis noſtri expetit; 3. ut exemplar, Imitationem virtutum ſuarum jubet. Heu! quanta humilitas! Sapientia deprimitur ad ignorantiam; Poteſtas ad infirmitatem; Dominium ad ſervitutem. Triplicem amorem poſcit, *Teneritudinis*, pro magnitudini ſuæ debito; *Gratitudinis* pro beneficiis; *Fiduciæ*, pro Dominio. Chriſtus 1. Infantiam ſuam exemplar virtutum præbuit. 2. quænam ſunt exempla quæ docet? 3. Quomodo ſunt imitanda?

In Die Epiphaniæ.

Die 6 Januarii.

1. ISti primi Adoratores proferunt nobis veram Ideam perfectæ Adorationis, dum Infantia Chriſti in his triumphat de omnibus impedimentis, quæ juſtis erga Deum debitis obeſſe poſſunt. Erant enim 1. *Gentiles*. 2. *Magi, ſeu Sapientes*. 3. *Reges*. 4. *Divites*: At in his victor Chriſtus evadit, dum 1. Fides qua illuſtrantur, deſtruit Idololatriæ errorem. 2. Fervor ſeu zelus quo incenduntur, ſuperat vana ſapientiæ humanæ impedimenta. 3. Proſtratio corporis demittit mundanam Dignitatem ad pedes Chriſti. 4. Largitio munerum ſolvit divitiarum vincula.

2. Tripliciter erudimur in hoc Myſterio: 1. *Sapientia Dei* Adorationem noſtram poſcit. 2. *Sapientia Magorum* nobis tradit Adorationis veræ Typum. 3. *Falſa Herodis ſapientia* oſtendit propoſitum odio & terrore plenum.

3. Stella triplici modo conſiderata, tres Chriſtianorum Status repræſentat. 1. Latet in Bethleem. 2. movetur in via. 3. ſtat in præſepio. Ita 1. in aliquibus Fides deficit, his deeſt Deus. 2. in aliis eſt ardor accedendi ad Deum, ſed ii Deum nondum conſequuti ſunt. 3. In aliis firmatur Fides, ſtatque inconcuſſa gratia, apud hos manet ac hoſpitatur Deus.

4. Agnoſcamus in Magis Adoratoribus & Hominum capitibus tria officia noſtra Deo præſtanda. Hunc illi 1. *Inquiſierunt, inquiramus*; 2. *Invenerunt, invenire curemus*; 3. *Adoraverunt, adoremus*. In perquiſitione ſunt notanda, 1. impedimenta quibus retineri poterant. 2. Gratiæ ſubſidia quibus excitantur. 3. Fidelitas, qua obſequuntur. In inventione Chriſti, tria beneficia Magis conceſſa ſunt, 1. Fides cum affectu. 2. Gaudium de re qua fruuntur. 3. Conformitas cum voluntate Chriſti. Adoraverunt Chriſtum in tribus Thronis, 1. *in ſinu Patris ut Deum*, cui Thus obtulerunt. 2. *in ſinu Virginis ut Regem*, cui debebatur Aurum. 3. *in ſinu Crucis, ut Mortalem*, cui condiendo deſtinabatur Myrrha.

5. Dies hic Nuptialis in quo Chriſtus Naturæ humanæ vel Eccleſiæ Sanctæ nubit. En omnia quæ ſolent in Nuptiis adhiberi, 1. Tæda ſeu Faces,

in Stella. 2. odorata ſuffimenta in Incenſo. 3. Dos conjugalis in Auro. 4. Fides in Magis, &c. Hæc præcipuè attenditur, & in ea tres ſunt penſandæ conditiones. 1. eſt *Illuſtrata*, hoc ex Aſtri luce diſcimus. 2. eſt *Religioſa*, hoc ex Adoratione & proſtratione liquet. 3. eſt *Liberalis*, id patet ex oblatis muneribus. Attendamus & imitemur in Magis, Fidei Lucem, Obſequium, & magnificentiam. Gallicè: *Conſiderons cette Foy comme noſtre modelle; Voyons ſes Lumieres, ſes Hommages, ſes Largeſſes.*

6. Ecce Diem Revelationis, *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Luc. 2. 35. nimirum 1. *Gloria*, quæ latebat in corde Chriſti ſub infirmitatis velo. 2. *Pietas*, quæ latebat in corde Magorum, ſub Idololatriæ ænigmate. 3. *Furor*, qui latebat in corde Herodis, ſub Hypocriſis ſpecie. Manifeſtatur Gloria Chriſti per apparitionem Syderis, Pietas Magorum per donationem munerum, furor Herodis per apparatum gladiorum quibus Chriſtum trucidare in Innocentibus parat. Ita cenſet D. Maximus his verbis, *Chriſtus in Sydere fulgebat, Chaldæi munera afferebant, Herodes gladium præparabat*. Gal. *Paroiſſez deſſein de la gloire de mon Dieu en depit du voile de nos foibleſſes qui vous cachent. Paroiſſez deſſein de la Pietè de nos Mages, en depit du nuage de Paganiſme qui vous couvre. Paroiſſez deſſein de rage du cœur d'Herodes, en depit de l'hypocriſie qui vous accompagne.*

7. Dies iſte ſpecimen exhibet altiorum propoſitorum quæ Deus ſuſcipere poſſit; 1. *Glorificatur Chriſtus*; 2. *Convertuntur Infideles*; 3. *Reprobantur Judæi*. Diſcamus igitur. 1. ab Exemplo hujus Glorificationis, quomodo Chriſtum honoremus. 2. ab Exemplo Converſionis Infidelium, quomodo convertamur. 3. ab Exemplo Reprobationis Judæorum, quid nobis metuere & cavere debeamus.

8. Dies iſte non ſolùm eſt dies Luminum & manifeſtationis, ſed victoriæ & triumphi, vocaturque meritò Triumphus Infantiæ Chriſti; nam Chriſtus triumphum refert, 1. *de Magnitudinibus Terræ*; 2. *de Sapientia Mundi*; 3. *de Idololatria Gentilitatis*: atque, quod eſt mirum cogitatu & dictu, eligit 1. abjectionem ut triumphet de Magnitudine: 2. Silentium ut triumphet de Gentilitate, &c. Gal. *n'eſt-ce pas une choſe ſurprenante de voir un Enfant couchè dans une Creche triompher de la Grandeur des Roys? Eſt-ce pas une choſe eſtonnante de voir un Enfant dans le ſilence triompher du raiſonnement des Sages? Enfin eſt-ce pas une choſe admirable de voir un Enfant dans la foibleſſe triompher de l'Idolatrie & du culte des faux Dieux?*

9. Chriſtus hodie declaratur Rex, ſuſcipit Regis nomen, inſigne & vices; ideoque in ſinu Matris tria reperit officia: 1. militarem Campum & currum, quo victorias & ſpolia reportat. 2. Thronum illuſtrem, quo armis parta ſervat & tuetur. 3. Tribunal æquiſſimum, quo ſubditos rebelles damnat & punit. Gall. *Voyons Jeſus dans le ſein de Marie, 1. comme ſur un Char de triomphe faiſant de glorieuſes conqueſtes*, (ſcilicet Gentilium

lium vocatione) 2. *comme ſur un Throne eclatant, pour y conſerver le peuples conquis* (ſcilicet monendo Magos ut per aliam redirent viam.) 3. *Comme ſur un Tribunal de Juſtice, condamnant des Sujets rebelles*, Herodem & Judæos excæcatione multando.

10. Triplex hodie videtur Aula ſeu Curia, in qua regalis Chriſti Poteſtas fulget. 1. *Aula Idololatra Magorum*. 2. *Aula impia Herodis*. 3. *Aula Sancta Chriſti*. Regia Chriſti poteſtate inducti Magi 1. deſerunt Aulam Idololatram, atque in eorum vocatione attenduntur modus, effectus, & difficultas. 2. Tranſeunt per Aulam Impiam, atque ibi inquirunt Chriſtum, veluti Diſcipuli dociles, annuntiant veluti Apoſtoli Zelantes, tuentur veluti Martyres generoſi. 3. Subeunt Aulam Sanctam, atque ibi offerunt Chriſto imperium in ſuam Animam, per Fidem; in ſuum corpus per Adorationem; in ſuas opes per Largitionem.

In Paſſione Chriſti.

1. Attenditur Innocentia in triplici ſtatu. 1. Innocentia, inter Accuſatores invidos accuſata. 2. Innocentia, inter Judices iniquos damnata. 3. Innocentia inter Tortores inhumanos cruciata. Gall. *L'Innocence accuſée. L'Innocence condamnée. L'Innocence affligée, ou crucifiée.*

2. Triplex Paſſionis gradus diſtinguitur. 1. Proponitur in Horto. 2. decernitur in Aula ſeu Tribunali. 3. conſummatur in Cruce ſeu Calvaria.

3. Tres Paſſionis Authores. 1. *Juſtitia Dei*. 2. *Charitas Chriſti*. 3. *Hominum Malitia.*

4. Tres Patientis Chriſti Stationes doloroſæ. 1. *Hortus Olivarum*. 2. *Prætorium Judæorum*. 3. *Calvariæ mons*. In primo Traditur; in ſecundo flagellatur; in 3. crucifigitur.

5. *Dolores Inferni circumdederunt me*. Pſ. 17. Expertus eſt Chriſtus Innocens damnatorum tormenta. 1. *in corde*, vermis corrodentis figuram, per Amoris ſui varios affectus. 2. *in Corpore*, pœnam ſenſus, per varios Torquentium cruciatus. 3. *in Animo*, pœnalis damni ſimilitudinem, per conſolationis paternæ ſubſtractionem.

6. Paſſio Chriſti crudeliſſima. 1. *ex parte ſubjecti*. 2. *ex parte objecti*. 3. *ex parte Finis*. 1. Affligitur dolore in carne exquiſitiſſimi ſenſus; Triſtitia in Anima vivacioris apprehenſionis; opprobrio in fama commendatiſſima. 2. Torquetur à Juſtitia Patris irati, à livore Judæorum invidorum, à crudelitate Tortorum mercede conductorum. 3. anguſtiatur, à paucitate ſalvandorum, à damnatorum multitudine, &c.

In Die Paſchatis.

1. VErè Dies Tranſitus Chriſti eſt iſte, in quo Chriſtus tranſit 1. *à Figura* peccati, ad ſplendorem Sanctitatis. 2. *à Servitute* ſub Creaturis, ad Dominium univerſi. 3. ab *Imperio Mortis*, ad Immortalitatem.

2. In hoc Myſterio Chriſtus recuperat triplicem vitam, quam in Paſſione amiſerat. 1. *Naturalem*. 2. *Civilem*. 3. *Spiritualem*, ſeu ſupernaturalem. His ergo remuneratur ab æquitate Patris per triplicem Reſurrectionem. 1. inſtauratur vita Naturalis cum lucro, quia Mors mutatur cum Immortalitate. 2. Inſtauratur vita civilis, quia ignominia compenſatur per Gloriam. 3. Reparatur vita ſupernaturalis, quia defectio ſeu Infidelitas Apoſtolorum commutatur cum fide & Charitate. Gall. *Il reſſuſcite dans luy-meſme; Il reſſuſcite dans l'eſtime des hommes; Il reſſuſcite dans le Cœur des Saints.*

3. Per Reſurrectionem 1. *occiditur Peccatum*. 2. *vincitur Infernus*. 3. *Exarmatur Sathan*. Attenduntur ergo hujus Myſterii, 1. virtus ſeu *Fortitudo*, quia Chriſtus per illud hoſtes ſuos ſuperat. 2. *Integritas*, quia Chriſtus à Morte ad vitam perfectè tranſit. Hinc etiam diſcimus à peccato ad Gratiam tranſgredi. 3. *Fœcunditas*, quia nos docet ac ſuadet moralem reſurrectionem per pœnitentiam aliaſque virtutes, quarum ſemina & exempla nobis reliquit.

4. Reſurrectio Chriſti, eſt noſtræ, 1. *Pignus* ac ſponſio. 2. *Exemplar* & Typus. 3. *Decus* & ornamentum.

5. Chriſtus in tumulo tria oppoſita ex totidem oppoſitis producit. Sepulchra enim ſunt, 1. *Domus mortis*. 2. *Centrum Infirmitatis*. 3. *Sterilitatis ſinus*: At ille producit, 1. ex Morte novam Vitam. 2. ex Infirmitate novam virtutem. 3. ex Sterilitate fœcunditatem novam.

6. Pro multitudine dolorum ac malorum quibus in Calvariæ monte Chriſtus afflictus eſt, totidem præmiis donatur à Patre æterno in Reſurrectione; nam ibi perdiderat vitam morte, libertatem ſervitute, famam ignominia; nunc verò ipſi ſuſcitato reſtituuntur, 1. *vita pro morte*. 2. *Dominium pro ſervitute*. 3. *Sanctitas pro peccatoris ſpecie*.

7. Chriſtus reſurgens partitur nobiſcum immortalitatem, & unico Myſterio triplicem Reſurrectionem exhibet, præteritam, præſentem, futuram. 1. *Præteritam*, ſcilicet Reſurrectionem *Dei*. 2. *Præſentem*, ſcilicet Reſurrectionem *Animæ*. 3. *Futuram*, videlicet Reſurrectionem *Corporum.*

8. Inſtituitur comparatio inter uterum B. Virginis & ſepulchrum Chriſti, & præmiſſis his verbis, *Aperiatur terra & germinet Salvatorem*, pingitur Chriſtus glorioſior dum è Terra ſurgit quàm cùm è Cœlo deſcendit. Nam, 1. deſcendit in uterum Morti obnoxius, ſurgit è tumulo à morte im-

immunis, 2. deſcendit in uterum ſervituti dedendus, ſurgit à ſepulchro libertate & ſupremo Dominio donatus. 3. deſcendit in uterum futurus Homo miſer, ſurgit Deus Glorioſiſſimus.

9. Sepulchrum reſtituit Chriſto cum uſura quæcumque mors abſtulerat. Etenim viſus fuerat in cruce infirmus, infamis, ſterilis, tot damna reſarciuntur totidem præmiis. 1. Pro infirmitate virtutem, 2. pro abjectione authoritatem Dominii, 3. pro ſterilitate Fœcunditatem prolis ſuſcipit: Ideoque triplici titulo Chriſtus commendatur in ſepulchro, veluti, 1. *Victor* in curru triumphali, 2. *Judex* in Tribunali, 3. *Pater in* Thalamo. Gal. *Il ſort de ſon Tombeau, 1. comme un Conquerant qui a triomphe de la mort, 2. comme un Juge qui a receu un nouveau pouvoir ſur les hommes, 3. comme un Pere, qui s'eſt ſignalè par ſa fecondité, pour rendre ſes enfans participans de ſon Immortalitè & de ſa Gloire.*

10. Trium virtutum ſocietate ſubſiſtit perfecta Sanctitas. Hæ ſunt, Innocentia, Fortitudo & Zelus. Prior ſubjectum Sanctitatis ornat, altera expugnat Sanctitatis hoſtes, tertius Sanctitatem propagare nititur. Totidem virtutibus fulget Reſurrectio Chriſti: in ea ſplendet, 1. *Innocentia*, qua deteſtatur, omne quod vitioſum eſt, vel à vitio effectum, qualis eſt mors. 2. *Fortitudo*, qua ſeſe expedit ab omni Reſurrectionis impedimento. 3. *Zelus*, quo inſtaurat omnia mortis damna. Reſurrectionis noſtræ ſpiritualis per pœnitentiam efficiendæ traditur hìc modus ſeu exemplar. 1. per Innocentiam debemus peccati reatum deteſtari, 2. per Fortitudinem debemus peccati occaſiones & vincula ſolvere, 3. per Zelum debemus, peccati damna reſarcire.

11. In Reſurrectione noſtra duo ſunt maximè conſideranda; 1. nihil magis intereſt quàm certò credere Reſurrectionem eſſe futuram; 2. nihil magis intereſt, quàm Reſurrectionis qualitatem prænoſſe, ac modum ſcire quo poſſit feliciter adimpleri.

12. Omnipotentia Dei emicuit potiſſimùm in tribus rebus; 1. dum ſervavit vitam inter cauſas mortis, ut tres pueros in camino ignis; 2. dum vitam ipſam intulit in mortis domum, veluti cùm mortuos ſuſcitavit; 3. dum ex morte vitam mortis triumphatricem eduxit. Caſus iſte poſterior reperitur in Reſurrectione Chriſti, in qua reſtituuntur, 1. *Deo, vita* per mortem ſublata; 2. *Humanitati, Jura* Beatificationis per mortalitatem impedita; 3. *Divinitati, damna* impiorum malitia illata compenſantur.

In die Aſcenſionis Chriſti.

1. TRibus viis Chriſtus conſcendit cœlum, oppoſitis iis quibus à cœlo depelluntur, 1. Angelorum Princeps. 2. Hominum primus. 3. Mundanorum ſocietas. Scilicet, 1. Lucifer cecidit per ſuperbiam, Chriſtus exaltatur per exinanitionem. 2. Adam peccavit per appetitum

Dominationis & independentiæ, Chriſtus exaltatur per obedientiam. 3. Mundani ejiciuntur à Cœlo per delicias & voluptates, Chriſtus meruit ingredi cœlum per Patientiam & dolorem. Hunc ſequamur, hunc imitemur, &c.

2. *Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia*. Epheſ. 4. 10. Tria propoſita ſuſceperat Chriſtus. 1. Prius ſpectat ad Verbum divinum, cujus conjugium cum humana Natura celebraturus venerat Chriſtus, 2. alterum pertinet ad Homines, quorum reconciliationem cum Patre fuerat aggreſſus, 2. tertium eſt de Patris æterni juſtitia cui ſatisfacere voluerat: Hæc opera quæ Chriſtus in terris agens perficere tentaverat, eximiè adimplet dum aſcendit in cœlum. 1. Fœdus Verbi Divini cum Natura humana ſtatutum eſt. 2. Reconciliatio hominum cum Deo conſummata eſt. 3. Juſtitia Patris æterni eſt placata. Gal. 1. *L'Alliance du Verbe Divin avec Nature humaine eſt achevèe, 2. la Reconciliation des hommes avec Dieu eſt conſummèe, 3. la Juſtice du Pere Eternel eſt appaiſée.*

3. Sub eodem Themate. Tria vacua, erant in tribus locis differentibus: 1. in Cœlo. 2. in Terra. 3. in Inferno. In Cœlo erat vacuum Gloriæ, complendum; in Terra erat vacuum Gratiæ; in Inferno erat vacuum Formidinis, quia inſoleſcebat adhuc Dæmon de uſurpatione Mundi: At per Aſcenſionem hæc vacua implentur, 1. Cœlum, per præſentiam Humanitatis Chriſti, 2. Terra, per Spiritus S. Miſſionem. 3. in Inferno, per Victorias & triumphos, quibus Chriſtus Poteſtates tenebrarum contrivit.

4. Tribus Virtutibus Homo illigatur Deo, 1. Fide, 2. Spe. 3. Charitate. Hæ per Aſcenſionem Chriſti proficiunt. 1. *Fides ſit Purior*, quia credit Chriſtum, quem ſenſus carnei non jam experiuntur. 2. *Spes ſit Firmior*, quia quæ priùs innitebatur terrenis, jam verſatur circa cœleſtia. 3. *Charitas ardentior evadit*, quia in objectum amoris abſens vehementiùs fertur.

5. Tribus maximè rebus commendatur Aſcenſio Chriſti. 1. *Hominum Redemptor* eos à peccato liberat ut in Cœlum evehat. 2. *Juſtificator Hominum*, jam Gratias abundantiùs in eos effundit. 3. *Glorificator Hominum* ipſos antecedit in Gloriam, ut eandem illis paret.

6. Duplici corpore donatur Chriſtus, Naturali & Myſtico ſeu Eccleſia. Aſcendit ut utrumque perficiat; 1. perficit ac complet Corpus ſuum naturale. 2. Perfecit ac complet Corpus ſuum Myſticum.

7. Dies iſte eſt *Felix clauſula totius Itinerarii Filii Dei*. D. Bernard. ſer. 1. de Aſcenſ. In hoc Chriſtus conſummat omnia vitæ ſuæ Myſteria, abſolvitque ſua quæ noſtri reſpectu ſuſcepit officia. Eſt nimirum 1. Rex. 2. Sacerdos. 3. Exemplar. Triplici debito ipſi adſtringimur; debemus enim, 1. *Obedientiam Regi*. 2. *Reverentiam Sacerdoti*, 3. *Imitationem Exemplari*.

8. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Joan. 12. 32. Chri-

32. Chriſtus in Cruce exaltatus Centrum fuit ut ita dicam, funeſtum, quod ad ſe & in ſe accerſivit furorem cœli, ſcelus terræ, & pœnam inferni; ſed exaltatus ſupra cœlos per Aſcenſionem, ad ſe trahit 1. *Admirationem cœli.* 2. *Amorem Terræ.* 3. *Inferni terrorem.* Tres igitur uno die fiunt Exaltationes. 1. Exaltatur Chriſtus in ſinu Patris. 2. Exaltatur Homo in ſinu Chriſti. 3. Exaltantur Creaturæ in ſinu Hominis, quia, cùm ex iis Humanitas conſtet, exaltantur etiam illæ cum Humanitate, &c.

9. Conſcendens Chriſtus cœlum, tribus qualitatibus commendatur. Eſt quippe 1. *Doctor.* 2. *Triumphator.* 3. *Mediator.* Ut Doctor viam Beatitudinis monſtrat: ut Triumphator, bello parta tueri deſiderat; ut Mediator perfecturus eſt Mundi reconciliationem. Gal. *Ecoutons ce divin Maiſtre, qui nous montre par ſon Aſcenſion le chemin de la Felicitè. Suivons cet illuſtre Conquerant, qui va aſſeurer ſes Conqueſtes. Ne negligeons pas d'envoyer nos Prieres à cet adorable Mediateur, qui va achever la reconciliation des hommes.*

X. Chriſtus per Aſcenſionem fit Beatis, 1. Gloriæ novum principium, 2. Beatificæ unionis novum Decus, 3. Sacrificii nova oblatio.

In die Pentecoſtes.

1. SSpiritus Sanctus deſcendit in Apoſtolos, ac etiam quotidie in Fideles deſcendit, ſub triplici titulo. 1. Ut Spiritus Lucis & veritatis, hunc audiamus & ſequamur. 2. Ut Spiritus Gratiæ & Sanctitatis, huic cooperemur ad noſtram ſalutem. 3. Ut Spiritus Charitatis & ardoris, hoc accendamur; & ad ſuperandas quaſcumque difficultates excitemur. Gall. *Il deſcend ſur les Apoſtres, 1. comme Eſprit de veritè, & les fait parfaitement Chreſtiens, 2. comme Eſprit de Sainteté; & les fait excellemment Saints. 3. comme Eſprit de Charitè, & les eleve au plus haut degrè de l'Apoſtolat.*

2. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum.* Epheſ.4. Peccator Spiritum contriſtare poteſt duplici modo, 1. vel ei negando ingreſſum, eſtque obſtinationis ſcelus, 2. vel eum ejiciendo, eſtque Ingratitudinis ſcelus.

3. Triplici de cauſa venit Spiritus Sanctus. 1. *Pro Chriſto*, ut illius opera perficiat. 2. *pro Eccleſia*, ut ipſam doceat. 3. *pro Hominibus*, ut eos ſanctificet.

4. Spiritus ſanctus in triplici ſtatu conſideratur. 1. *In Æternitate* apud Patrem æternum. 2. *in Creatione*, cùm formatur Mundus. 3. *in Incarnatione* cùm naſcitur Chriſtus: atque quid in unoquoque horum ſtatuum operatur Spiritus S. exquiritur.

5. Ad ſimilem ferè modum, quo Spiritus S. eſt in Patre, ita eſt in nobis, ac quidem eſt in Patre veluti, 1. in Principio unde oritur. 2. in Centro, ubi permanet. 3. in Sinu in quo operatur. Eſt Donum reciprocum Patris ad Filium; eſt utriuſque nexus; ibidem eſt operans: Ita debet eſ-

ſe in Chriſtianis, 1. mutuum Dei & Hominis Donum, 2. utriuſque ad alterum indiſſolubile vinculum, 3. in nobis & pro nobis efficaciter operativum.

6. In aliquos deſcendit Spiritus S. ad eorum ſalutem; in alios deſcendit ad eorum reprobationem: Quantum intereſt damni quod innoxiè operetur Spiritus S. Tria ſunt peccata quibus offenditur, ſolentque Irremiſſibilia dici. 1. *Malitia* deliberatè affectata, quæ ſponte malum amplectitur. 2. *Scandalum*, quod Animas quarum ſaluti Spiritus S. ſtudebat, perdit. 3. *Induratio* voluntaria, quæ Spiritui S. pertinaciter obſiſtit.

7. Spiritus ſanctus eſt aut eſſe debet *in nobis*, 1. Principium operationis. 2. Principium ſenſationis ſupernaturalis. 3. Principium ſpiritualis incrementi.

8. Triplex hominum Genus Spiritu ſancto indiget. 1. Aliud eſt *Inſenſibilium*, ſeu ſenſu carentium, his Spiritus igneas linguas tradit, ut ſuadeat. Aliud eſt, *Pœnitentium*, his dona concedit ut doleant. 3. Aliud eſt *Amantium*, his largitur Divinitatis participationem.

9. Deus triplici prodigio commendat hodiernum myſterium. 1. Ignis loquitur. 2. Linguæ illuminant. 3. Ventus docet. 1. Deus per ignem inſpirat amorem, affectumque teſtatur. 2. Per Linguas, Conſcientiæ pacem operatur. 3. Per ventum, virtutem & fortitudinem tribuit.

10. Spiritus S. eſt Mundi renovandi, 1. Creator, quia ex D. Bernardo eſt Cor militantis Eccleſiæ. 2. Doctor & Director, quia ex D. Auguſtino eſt Eccleſiæ Lingua. 3. Conſervator & Protector, quia eſt Dextræ Dei Digitus. Gall. 1. *C'eſt ce Cœur, qui anime l'Egliſe*. 2. *C'eſt cette langue qui inſtruit l'Egliſe*. 3. *C'eſt cette main, qui ſoutient & conſerve l'Egliſe*.

11. Triplici ratione differt Spiritus Divinus à Mundano. 1. Spiritus Dei eſt Spiritus unionis & pacis, Spiritus vero Mundi eſt ſpiritus proprię utilitatis & diſcordiæ. 2. Spiritus Divinus eſt Spiritus veritatis; mundanus, mendacii. 3. Spiritus Divinus eſt Gemitus & doloris; Mundanus deliciis deditus.

12. Tria in Miſſione Spiritus S. ſicut & in omni largitione penſare oportet. 1. Principium à quo datur, hìc Deus eſt largitor. 2. Doni naturam; hìc Deus eſt ipſa largitio. 3. Doni effectum, hìc alius non eſt, quàm ut maneamus in Deo & Deus in nobis. Gall. *C'eſt un Dieu qui nous donne, o qu'elle doit eſtre noſtre reconnoiſſance! c'eſt un Dieu qui nous eſt donnè: quelle puretè nous eſt neceſſaire pour le recevoir! c'eſt pour nous faire demeurer en Dieu, & Dieu en nous; ò quel ſoin il nous faut apporter pour le conſerver!*

Digitized by Google

In Die SS. Trinitatis.

I. TRia in hoc Myſteria nobis manifeſtavit Deus, quæ totidem à nobis debita expoſcunt. Revelantur, 1. SS. Trinitatis *Veritas*, huic debemus ſacrificium noſtræ Fidei. 2. *Beneficia*, quæ à SS. Trinitate accepimus, his debemus ſacrificium noſtræ Gratitudinis. 3. *Perfectiones Exemplares* SS. Trinitatis, his debemus imitationem & conformationem.

2. Feſtum iſtud nobis exhibet Myſterium, Miraculum & Prodigium; huic reverentiam debemus maximam, 1. Quia eſt objectum noſtræ Fidei. 2. Quia eſt Religionis noſtræ ſcopus ac finis. 3. Quia eſt noſtræ Gloriæ principium. Gall. 1. *Parce que c'eſt l'objećt de noſtre Foy, il demande toutes les ſoumiſſions de nos Eſprit. 2. Parce que c'eſt la fin de noſtre Religion, il exige tous les hommages de noſtre Eſtre. 3. Parce que c'eſt le Principe de noſtre Gloire, il demande tous les deſirs de nos Cœurs.*

3. *Inviſibilia ipſius, à Creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Rom. 1. 20. Effigies & imago SS. Trinitatis lucet in Hominis tribus ſtatibus; ſcilicet 1. *Status Naturæ* nobis manifeſtat Eſſentiam Trinitatis. 2. *Status Gratiæ*, indicat nobis Ordinem, qui colitur inter Perſonas Trinitatis. 3. *Status Gloriæ* repræſentat nobis, quidquid Trinitas eſt cùm in motu, tum in quiete. Gall. *L'Homme nous fait voir en luy trois admirables portraits de la Trinitè. 1. Dans la Nature, il eſt, le portrait de l'Eſſence Divine. 2. dans la Grace il eſt le portait de l'ordre que les Divines Perſonnes ont entre-elles. 3. dans la Gloire il eſt le portrait de ce que la Trinitè eſt dans ſon mouvement & dans ſon repos.*

4. Feſtum hodiernum exhibet nobis, 1. Myſterium *Fidei* puriſſimæ, 2. Myſterium *Charitatis* perfectiſſimæ. 3. Myſterium *Spei* ſolidiſſimæ.

5. Duplex eſt SS. Trinitatis Speculum. 1. Aliud eſt ſpeculum Fidei, quod ſupra nos eſt, in quo tamquam in Exemplari Trinitas exhibetur admirabilis. 2. Alterum eſt Speculum Naturæ ſeu Animæ, intra nos, in quo exhibetur Trinitas velut in Extypo, imitabilis.

6. Tres SS. Trinitatis Perſonæ, peculiare in Divinitate officium gerunt. 1. Pater eſt veluti Cor Divinitatis, quia ejus eſt Principium. 2. Filius eſt veluti Lingua Divinitatis, quia eſt ejus Verbum & Loquutio. 3. Spiritus S. eſt veluti Manus, quia per eum Pater & Filius ſua largiuntur Dona.

7. Tribus tantùm modis noſſe poſſumus Trinitatem. 1. *per Ratiocinationem*, quæ intellectus eſt opus, & refertur ad Patrem qui fit intelligendo fœcundus. 2. *per Revelationem*, quæ eſt opus Fidei, ſpectatque ad Filium qui nobis myſteria fidei revelavit. 3. *per Veſtigia* Creaturis impreſſa, iſtudque opus ad amoris perquiſitionem, ac etiam ad Spiritum qui amor eſt Perſonalis, pertinet.

Digitized by Google

8. Ex D. Bernardo, Deum *ſcrutari temeritas eſt; credere, pietas; videre, vita æterna*. Item tribus modis res multiplicari poſſunt. 1. per Numerum, veluti Homo per homines filios. 2. per Mutationem, veluti cùm homo de juvene fit Senex, de malo probus & cenſetur ferè alter. 3. per Commixtionem, veluti corpus pluribus elementis conſtans cenſetur eſſe multiplex. At Deus eſt maximè unus, expers triplici multiplicationis præfatæ. 1. Eſt *unus, abſque Numero*, ob ſingularitatem, quia non ſunt plures Dii. 2. eſt *unus, abſque Mutatione*, ob Immutabilitatem, quia variari non poteſt. 3. eſt *unus, abſque Commixtione*, ob ſimplicitatem, quia nulli rei commiſceri patitur.

9. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Triplex Sanctitatis genus ex Trinitate ediſcimus. 1. Pater docet nos Sanctitatem Intellectus per cognitionem. 2. Filius docet nos Sanctitatem Oris per locutionem. 3. Spiritus Sanctus docet nos Sanctitatem Operis, per virtutes. Gall. 1. *Nous devons imiter ces trois eſpeces de ſaintetè, qui ſont approprièes aux trois perſonnes de la Trinitè. 1. la Saintetè de penſèes, qui convient au P. Eternel. 2. la Saintetè de parole, qui convient au Verbe Divin. 3. la Saintetè d'operation, qui a rapport au S. Eſprit*.

ARTICULUS II.

De Feſtis B. Virginis, Angelorum, ac Hominum.

SECTIO I.

Ideæ Concionum, ſeu Partitionum Panegyricarum in Myſteriis de B. Virgine Maria.

Die 8. Decembris.

De Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ.

1. SPECULUM *ſine macula Dei Majeſtatis*. Sap. 7. 26. Mariæ Conceptio eſt ſpeculum & imago Conceptionem æternam Verbi Divini repræſentans; utraque enim perficitur 1. *In Puritate* & Sanctitate. 2. *In Dominatione* & imperio. 3. *In Benignitate* & Liberalitate. Id eſt, quemadmodum Filius Dei concipitur, 1. in ſplendoribus Sanctorum. 2. ut Rex Regum. 3. ut Beneficus erga homines; ita Maria concipitur, 1. Pura & immaculata. 2. Domina & Regina. 3. Liberalis & benefica.

2. *Ave Gratia plena, &c.* Triplici affinitate cum tribus Perſonis Divinis illigata concipitur. 1. *ut Sponſa Patris*. 2. *ut Filii Mater*. 3. *ut Spiritus S. Templum;* ideo triplici dote ab his ornatur. 1. *Pulchritudine* præſtantiſſima donatur à Patre, ut ſit ejus Sponſa. 2. *Puritate* integerrima à Filio,

Filio, ut ejus ſit Mater. 3. *Sanctitate* abſolutiſſima à Spiritu Sancto, ut ejus fiat Templum.

3. *Tu Gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael; tu honorificentia populi noſtri. Judith* 15. 12. Maria Peccatum Originale ut Judith Holophernem devicit; illa igitur eſt, 1. Gloria Jeruſalem, quia concipitur *ut nova Mundi Regina*. 2. Honor Dei, quia eſt ejus *nova Victima*. 3. Lætitia Iſrael quia concipitur ut *novus Gratiarum* ac benedictionum *Fons* uberrimus.

4. *Vidit Lucem quòd eſſet bona, &c.* Geneſ. 1. 4. Hominum Conceptio tribus miſeriis obnoxia eſt. 1. Abjectioni & obſcuritati, quia fit in ſervitute & cæcitate. 2. Impuritati & putredini, quia in luto & ſordibus peragitur. 3. Confuſioni & peccato, quia contra Deum & abſque innocentia oritur: Maria ab his malis concipitur immunis, ideoque triplici *Mundo* proficit. 1. *Archetypo*, ſeu Deo, quia ſuam in ea Complacentiam conſtituit. 2. *Angelico*, ſeu Angelis, quia horum Regina naſcitur. 3. *Rationali*, ſeu Hominibus, quia fit horum Lætitia, Refugium, &c.

5. *Creator omnium qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Eccleſiaſt. 24. 12. Tribus Miraculis ornatur hæc Conceptio, fit enim 1. *Fœcunda ſine macula*. 2. *ſine gravitate Gravida*. 3. *ſine dolore Puerpera*. Gall. 1. *Fecondité ſans ſouillure*. 2. *Groſſeſſe ſans peſanteur*. 3. *Enfantement ſans douleur*.

6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens? &c.* Cantic. 6. 9. Conceptio V. tribus Privilegiis Hominum Conceptionem ſuperat. 1. concipiuntur iſti in Peccato, illa in Gratia. 2. iſti prorſus ſtupidi, illa verò Rationis uſu donata. 3. iſti abſque motu, illa in operatione Charitatis perfectiſſimæ. Gall. 1. *Marie eſt conceuë en Grace, lors que les autres ſont conceus dans le peché*. 2. *elle reçoit l'uſage de la raiſon la plus eclairée, lors que les autres ſont entierement ſtupides*. 3. *Elle eſt dans l'action de la plus ardente charité, lors que les autres ſont ſans mouvement*.

7. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Proverb. 8. 22. Homo non eſt Dei poſſeſſio, 1. Antiqua, quia priùs à Dæmone per peccatum poſſidetur. 2. Integra, quia per affectum ad Creaturas dividitur. 3. Pacifica, quia per appetitus commotiones turbatur. Virgo ſola dicere poteſt pleniſſimè: *Dominus poſſedit me*. 1. *Ab initio*, quia nuſquam in peccato fuit. 2. *Integerrimè*, quia tota Deo fuit dedita. 3. *Pacificè*, quia expers fuit à concupiſcentiæ tumultibus.

8. *Exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo*. Luc. 47. Tribus privilegiis Redemptio Mariæ commendatur in Conceptione. 1. *in Redemptionis Modo*. 2. *in Latitudine*. 3. *in Abundantia*, Id eſt, Mariæ Redemptio in Conceptione fuit, 1. *Nobilis*, quia prævertit peccatum. 2. *Admirabilis*, quia propenſionem ad peccandum abſtulit. 3. *Prodigium* fuit, quia eandem peccandi conſtituit impotem.

Die 8. Septembris.

De Nativitate B. Virginis.

1. N*Ox præceſſit, Dies autem appropinquavit, &c.* Roman. 13. 12. Tria in Nativitate Chriſti effulſere opera deſideratiſſima. 1. Immunitas ab omni peccato. 2. Gratiarum plenitudo. 3. Charitas ardentiſſima. Innocentia quidem Chriſti neceſſaria fuit ut nos emundaret à crimine; Plenitudo Gratiæ, ut paupertatem noſtram locupletaret; Charitas tamdem ſumma, ut noſtris mederetur infirmitatibus. Trium Privilegiorum Chriſti Naſcentis conjectura & proluſio habetur in Nativitate B. Virginis, quæ fuit benefici Solis orituri Aurora, miſeræ Noctis tenebrarum ſolutionem brevi futuram pollicita; Eamobrem in ejus Nativitate eadem Privilegia prægustantur, videlicet, 1. *Immunitas à Peccato*, 2. *Plenitudo Gratiæ*. 3. *Charitatis Ardor*.

2. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens?* Cantic. 6. 9. Tria in Nativitate Virginis ſunt obſervanda; 1. *unde naſcitur*. 2. *quomodo*. 3. *ob quem finem*. Ex Matre ſterili, per miraculum, ut ſit Prædeſtinatorum Mater: ideoque, 1. Magna eſt, per reſpectum ad Deum, qui ejus Nativitatem operatur miraculosè. 2. Magna eſt, reſpectu Gratiarum quas poſſidet. 3. Magna eſt, reſpectu ad beneficia, quæ in Mundum confert.

3. *Soror noſtra parva eſt, & ubera non habet*. Cantic. 8. 8. De puero naſcente tria ſolent inquiri, 1. cujus ſimilitudinem referat? 2. quæ ſit affectus illius propenſio? 3. quæ ſpes de futuro affulgeat? Si eadem de V. Maria quærantur, reſponſum in promptu erit; habetur enim in eo; 1. *Divinitatis purior Imago*. 2. *Charitatis nobilioris exercitium*. 3. *Beatitudinis excellentioris Pignus*.

4. *De qua Natus eſt Jeſus*. Matth. 1. 16. Quemadmodum Orator quidam Philippi Macedonis gloriam ex Cunis Alexandri deſumpſit; ita Mariæ gloria ex Chriſti cunabulis deſumenda eſt: hinc quippe magna ejus Laus duci debet quòd de ea natus eſt Chriſtus. Triplici igitur ex ſinu nata concipi poteſt Maria, 1. *ex Ideis Dei*, 2. *ex Sanguine Avorum*, 3. *ex Annæ utero*. In primo quidem ſinu naſcitur Chriſti ſanguine tincta, ſeu ejus meritis ab omni macula immunis. In ſecundo naſcitur illuſtri nobilitate inſignis. In tertio, naſcitur Sanctitate perfecta commendabilis.

5. *De qua natus eſt Jeſus*. Matth. 1. 16. Naſcitur hodie Maria, 1. *Fœcunda ex matre Sterili*, quia pariet Deum, ideoque eſt Ordinis naturalis Miraculum. 2. *Innocens ex Matre Peccatrice*, quia paritura eſt Authorem gratiæ, eſtque Ordinis ſupernaturalis Prodigium. 3. *Domina ex Captiva Matre*, quia datura eſt Dominum omnium Creaturarum, ideoque illa eſt Ordinis Civilis Miraculum. Gall. 1. *Elle naiſt feconde d'une mere ſterile, parce qu'elle doit eſtre la Mere d'un Dieu; merveille dans l'ordre naturel: 2. Elle naiſt Innocente d'une Mere coupable, parce qu'elle doit enfanter*

l'autheur

Digitized by Google

l'autheur de la Grace; Prodige dans l'ordre ſpirituel: 3. Elle naiſt Souveraine d'une Mere Eſclave, parce qu'elle doit donner naiſſance au Souverain de toutes les Creatures; Miracle dans l'ordre politique.

6. *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo Gaudium annuntiavit univerſo Mundo*. Ex ortu B. Virginis, 1. *Lætatur Deus*, quia ex illa Gloriæ externæ inſtaurationem recepturus eſt. 2. *Lætantur Angeli*, quia inde Sedium cœleſtium ob Luciferi crimen vacantium reſtitutionem proſpiciunt. 3. *Lætantur Homines*, quia inde præſentiunt Salutis ac Redemptionis exordium.

De Præſentatione B. Virginis.

Die 21. Novemb.

1. D*ilectus meus mihi & Ego illi*. Cantic. 1. Charitas B. Virginis perfectionibus excellit. 1. *Prompta eſt*, quia citò ſe Deo conſecrat, noſtram hac in re tarditatem damnans. 2. *Pura eſt*, quia ſeſe Deo dat integrè, noſtram accuſans infidelitatem. 3. *Perſeverans eſt*, quia ſe in perpetuum Deo mancipat, noſtram levitatem & inconſtantiam improbans. Diſcamus hinc, nos offerre Deo citiùs, & de mora pœnitere; puriùs, & Mundum in nobis extinguere; perſeverantiùs, & vota primùm facta ardentiùs renovare.

2. *Quàm pulchri ſunt Greſſus tui, Filia Principis!* Cantic. 7. 1. Triplex eſt Dei cum Creaturis nexus. 1. Magnitudinis & poteſtatis. 2. Providentiæ & regiminis. 3. Bonitatis & Amoris. Magnitudo deſiderat ſacrificia; Providentia, officia; Bonitas Corda expetit. Tribus his perfectionibus factura ſatis Templum ſubit Maria, 1. *ut victima*, Divinæ Magnitudini immolanda. 2. *ut Ancilla*, Providentiæ legibus obſequutura. 3. *ut Sponſa*, Divino Amori placitura.

3. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Exod 25. 40. Dictum ad Mariam puto, quod olim ad Moiſem his verbis dictum legimus, &c. Tres autem erant in Templo partes. 1. Sanctuarium, in quo Deus ſolus habitabat. 2. Sancta, ubi Sacerdotes. 3. Atrium, in quo Populus morabatur. O' B. Virgo hæc Templi officia imitare, &c. 1. *Eſto Sanctuarium Dei*, per virtutum plenitudinem. 2. *Sacerdotum Exemplar*, per integritatem puritatis. 3. *Populorum Aſylum*, per miſericordiæ largitionem.

4. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Exod. 23. 15. Ut in Natura, ita & in Gratia nullum vacuum fieri poteſt, quod citiùs non compleatur, &c. Deus reſtituit Mariæ illa & plura quàm ea, à quibus illa ſeſe vacuam fecerat. 1. renuntiarat Maternitati per Virginitatem. 2. Dominationi per humilitatem. 3. Divitiis per Paupertatem. Huic Deus reſtituit, 1. *Virgini Maternitatem* Divinam. 2. *Ancillæ, Dominium* divinum. 3. *Pauperi*, Divinum *Theſaurum* conceſſit.

5. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſ. 115. 12.

Ex

Ex Præſentatione Mariæ, tria diſcere debemus. 1. Illa ſeſe Deo vovet à prima Infantia, ut diſcamus non differre noſtram Deo conſecrationem. 2. ſe totam dedit ut doceat nos omnia Deo abſque exceptione dedere. 3. Plus illa recepit à Deo, quàm tribuit, ut hinc moneamur omnia ſperare ſi omnia fuerimus largiti.

6. *Adducentur Regi Virgines poſt eam.* Pſ.44. 16. Ex hoc Myſterio tria docemur, quæ ad votorum renovationem valent. B. Virgo triplicem ſpiritum hauſura præſentatur, ut triplicem Dei Perfectionem honoret. Ducitur 1. receſſus & *ſolitudinis Spiritu*, quo unitatem Dei colat. 2. *Spiritu Adorationis*, quo Dominium Dei veneretur. 3. *Spiritu Sanctificationis*, quo Sanctitatem Dei imitetur. Ita nos Virginis exemplo, ſecedamus, obediamus, emundemur, &c.

De Annuntiatione B. Virginis.

Die 25. Martii.

1. Fiat *mihi ſecundùm verbum tuum*: Lucæ 1. 38. Myſterium Incarnationis rerum ordinem ſanctè & mirabiliter pervertit, in hoc præcipuè, quòd Maria Deum per officia ei præſtita reddit ſibi debitorem. 1. *Patri* æterno *Sinum* virgineum commodat, in quo Verbum Divinum velo carneo tegitur. 2. *Sanguinem* ſuum *Filio* Dei commodat illa, quo iſte Redemptionis pretium ſolvat. 3. *Conſenſum* ſuum *Spiritui ſancto* præbet, quo ille ſterilitati æternæ per fœcunditatem temporalem ſubſidium ferat.

2. *Lætentur Cœli & exultet Terra.* Pſ. 95. 11. Dies iſte dies eſt lætitiæ Hominibus, Mariæ, Deo. 1. *Hominibus*, quia eos à miſeria ſolutos ad ſublimem fœlicitatem ſublevat. 2. *Mariæ*, quia ad gloriam Divinæ Maternitatis eam exaltat. 3. *Deo*, quia ejus perfectiones mirabiliter prædicat, &c.

3. *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Luc. 1. 49. Vas mirabile ex Virginis Anima Deus inſtituit. 1. *Operibus miraculoſis*, quæ ille in ſinu Virginis patravit. 2. *Gratiarum abundantia*, quas ille in Cor iſtius effudit. 3. *Excellentia virtutum, quas per Animam Virginis exercuit.*

4. Turbata eſt in ſermone ejus. Luc. 1. 29. Inopinata ſunt omnia in hoc Myſterio, ait D. Irenæus. 1. *Exinanitur Deus.* 2. *Virgo parit.* 3. *Homines fiunt Dii.*

5. *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Luc. 1. 31. In exinanitione Dei ſtatuuntur tria mirabilia. 1. *Deus factus ſervus*, Deum conſtituit Dei Dominum, ſcilicet Patrem æternum Chriſti ſuperiorem. 2. *Deus factus Hominis filius*, Creaturam conſtituit Dei Matrem. 3. *Deus factus Homo*, Homines conſtituit Divinitatis participes.

6. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, &c.* Luc. 1. 26. Angelus eſt Paranymphus nuptialis; Dies iſte dies eſt Fœderum, &c. Tria Fœderum genera videntur Deo cum Homine impoſſibilia; *Amicitiæ*, quia nulla eſt pro-

proportio; *Conſanguinitatis*, quia nulla eſt ſocietas; *Conjugii*, quia nulla qualitas intercedit, &c. Triplex nihilominus hodie fœdus contrahitur. 1. *Verbi Divini cum Natura Humana*, quam ſuſcipit. 2. *Patris Æterni cum Maria*, quam ſibi deſponſat. 3. *Hominum cum Deo*, cujus Divinitatis fiunt illi conſortes.

7. *Ecce Concipies, &c.* Luc. 1. 31. Commercium triplex hodie celebratur. 1. Deum inter & hominis Individuum quod aſſumitur Hypoſtaticè. 2. Deum inter & Homines, à quibus accipit Humanam Naturam. 3. Deum inter & Virginem, à qua ille carnem mutuatur. Maria plus à Deo accipit quàm Deus à Maria. 1. Illa tribuit eſſe Hominis Filium, iſte dat eſſe Dei Matrem. 2. Illa ſervi formam præſtat, iſte Dominam conſtituit. 3. Illa concedit eſſe Victimam pro peccatis Hominum, iſte largitur ut ſit Humanæ Redemptionis Coadjutrix.

8. *Factus eſt nobis Sapientia, & Juſtitia, & Sanctificatio & Redemptio.* 1. Cor. 1. 30. Homo ſua culpa perierat, ſed ſua virtute non poterat damna ſibimet illata inſtaurare: oportuit ergo ut Deus non quidem ſeipſo ſolo, ſed adjuncta Humanitatis abjectione reparationem ejuſmodi ſuſciperet; Ideo tria mala per peccatum facta, per totidem oppoſitas perfectiones delevit, 1. Deus apparentem ſtultitiam ſuſcepit, ut perditam Hominis ſapientiam repararet. 2. Deus, per apparentem Peccatoris conditionem, Hominis Juſtitiam reſtituit. 3. Deus, per Formam ſervi, Hominis libertatem inſtauravit.

De Purificatione B. Virginis.

Die 2. Februarii.

1. *Poſtquam impleti ſunt Dies Purgationis, &c.* Luc. 2. 22. B. Virgo tria ſimul ſacrificia offert in Templo. Prior Victima eſt Libertas, quam per Obedientiam ſacrificat. 2. eſt Honor ſeu gloria, per humilitatis ſacrificium. 3. eſt Filius unigenitus per Charitatem pro ſalute Hominum.

2. *Idem Thema.* Hodie inſigniores titulos obſcurat Maria per myſterium Purificationis. 1. Dominii gloriam, per obſequium Legi præſtitum. 2. Virginitatis puritatem, per Ceremoniam Purificationis. 3. Maternitatis decus, per oblationem Unigeniti. Trahi debet iſtud in exemplum, ut homines pareant Legi, mundent Crimina, mortificationem exerceant.

3. *Tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent illum Domino.* Luc. 2. 22. Tribus conditionibus quas Maria reſpectu Patris Æterni obtinet, hodie in Templo commendatur. 1. *ut Sponſa*, quæ Filium offert Sponſo. 2. *ut Serva* ſeu *Ancilla*, quæ Domino Servum offert. 3. *ut Peccatrix*, quæ Deo victimam expiatricem offert.

4. *Poſtquam impleti ſunt, &c.* Ibid. Maria Sacrificium ex omni parte abſolutum offert Deo. Offert 1. Filium ut immoletur. 2. Cor, ut gladio do-

doloris configatur. 3. Gloriam & honorem, ut peccatricis opinione minuatur. Gall. 1. *Elle fait un ſacrifice de ſon Fils, le preſentant aux Autels.* 2. *Elle ſacrifie ſon Cœur par la douleur & la compaſſion.* 3. *Elle ſacrifie ſa gloire par ſon obeïſſance & ſon humilitè.*

5. *Tulerunt Jeſum, &c.* Ibid. Triplex Victima per triplicem manum hodie ſacrificatur. 1. Chriſtus, per Matris manus. 2. Maria, per manus ſui Filii. 3. Simeon, per Charitatis ardorem. Gall. *Trois Victimes ſont ſacrifiées dans ce Myſtere. 1. Jeſus-Chriſt, comme une Victime naiſſante. 2. Marie, comme une Victime innocente: 3. Simeon comme une Victime mourante.*

6. *Lex Juſto non eſt poſita.* 1. Timot. 1. 9. Hi tres Juſti perficiunt ultra quàm Lex deſideret. 1. *Simeon* progreditur ultra Legem naturalem, quia mori optat, quod eſt Naturæ contrarium. 2. *Maria*, ultra Legem Moſaicam, quia eam implet abſque obligatione. 3. *Chriſtus*, ultra Legem Amoris, quia mortem ille prævertit.

De Viſitatione B. Virginis.

Die 2. Julii.

1. E*Xurgens Maria in diebus illis, abiit in Montana, &c.* Luc. 1. 39. B. Mariæ Charitas tribus effectibus ſeu motibus diffunditur. 1. ſeipſam dat Cognatæ Elizabeth. 2. Filium ſuum S. Joanni. 3. Spiritum & Religionem Ordini Viſitationis.

2. *Idem Thema:* Viſitatio B. Virginis docet nos virtutes quæ in noſtris converſationibus reperiri debent. 1. Viſitatio Mariæ perficitur ex Charitatis impulſu, ita noſtræ. 2. Colloquium mutuum fit de Deo ac ſalute, ita & nos colloquamur. 3. Joannes Baptiſta inde ſanctificationem excipit, nos etiam in aliorum ſalutem laboremus.

3. *Et intravit domum Zachariæ, &c.* Luc. 1. 40. Triplicem affectum operatur Spiritus Sanctus in tribus perſonis, eadem in nobis operatio perfici debet. 1. *Operatur Humilitatem* in Elizabeth, quæ ſe Deo indignam profitetur. 2. *Exultationem Animæ* Deum inquirentis, in S. Joanne Baptiſta. 3. *Pacem Animæ* Deum poſſidentis in B. Virgine.

4. *Exurgens Maria, &c.* Ibid. Tribus circumſtantiis peragitur totum iſtud Myſterium. 1. Egreditur Maria per Charitatem ad Zachariam & Elizabeth. 2. Regreditur reditque in ſe per Humilitatem, dum ſe Ancillam fatetur. 3. Progreditur ad Deum, per Gratitudinis exhibitionem. Gall. *La ſortie de la S. Vierge, ſon Entrée, ſon Elevation, ou bien la Charitè, l'Humilitè, la Reconnoiſſance, ſont l'ame de ce Myſtere.*

De Aſſumptione B. Virginis.

Die 15. Auguſti.

1. QUæ *eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora? &c.* Cantic. 6. 9. Tria debent attendi hodie: B. Virginis Mors, Reſurrectio & Aſſumptio; hæc ſunt tot miracula trium virtutum, quæ Mariam effecere Sanctam. 1. Charitatis quæ Animam à Corpore disjunxit, ut eam Deo conjungeret. 2. Virginitatis quæ corruptionis neſcia, Corpus à ſepulchro eduxit, ut illud Animæ reſtitueret. 3. Humilitatis, quæ Mariam demittens, dum viveret, eam poſt mortem ad primos Cœli gradus ſublimavit. Gall. *La mort de la S. Vierge eſt arrivèe par une ſainte violence de ſa Charitè. La Reſurrection de la Vierge à eſte reſervèe à ſa Puretè, ſon Aſſomption eſt una recompenſe de ſon humilitè.*

2. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, &c.* Pſ. 44. 14. Mariæ magnitudo tribus rebus conſtituitur. 1. Plenitudine Gratiarum. 2. Excellentia Maternitatis Divinæ. 3. Humiliationis profunditate. His tribus reſpondent Virginis, 1. *Mors.* 2. *Reſurrectio.* 3. *Aſſumptio.* Primo quidem Mortis inſtanti Anima ejus fit Beata; Secundo, Corpus fit Glorioſum; Tertio utrumque ſimul junctum in Cœlum ſublimatur. 1. Plenitudo Gloriæ, quæ Animam ornat in primo mortis inſtanti, debetur Plenitudini Gratiæ in inſtanti Conceptionis acceptæ. 2. Reſurrectio Corporis debetur excellentiæ Maternitatis. 3. Sublimatio utriuſque debetur illius Humilitati & patientiæ.

3. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cantic. 4. 8. In hoc Myſterio, tria ſunt quæ ſibi ad invicem Coronam imponunt. 1. *Mors Mariæ* coronat ejus Vitam. 2. *Reſurrectio Mariæ* coronat ejus Mortem. 3. *Aſſumptio Mariæ* coronat ejus Reſurrectionem.

4. *Confitebuntur Cœli mirabilia tua:* Pſal. 88. 6. Eccleſia in triplici ſtatu conſiderata B. V. Aſſumptionem ſuſcipit. 1. Naſcens experitur Amoris ejus teneritudinem. 2. Triumphans miratur Gloriæ ſplendorem. 3. Patiens, veneratur protectionis gratiam. Gall. *La S. Vierge*, 1. *à fait voir les tendreſſes de ſon cœur à l' Egliſe Naiſſante.* 2. *l' Eſtat de ſa Gloire à l' Egliſe Triomphante.* 3. *Elle à donnè des marques de ſa protection à l'Egliſe Militante.*

5. *Non dabis Sanctum tuum videre Corruptionem.* Pſal. 15. 10. In Virgine tria hodie ſunt obſervanda, 1. *Velox Reſurrectio.* 2. *Judicium gratioſum.* 3. *Remuneratio pretioſa.* 1. Surrexit abſque mora, quia Corpus ejus fuit abſque macula. 2. Judicium experta eſt gratioſum, quia ejus Anima fuit à peccato immunis. 3. Compenſatio pretioſa fuit, quia nihil niſi perfectiſſimum egit.

6. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* Cantic. 6. 9. Tres Mariæ Dotes fuere hujus Myſterii origines, 1. *Virginitas.* 2. *Maternitas.* 3. *Humilitas.* Eſt igitur, 1. Virgo pura, & ob puritatem morietur

Digitized by Google

abſque dolore. 2. Eſt Mater Amabilis, ob Maternitatem ſurget è tumulo abſque mora. 3. Eſt Humilis Ancilla, & ejus Humilitas Thronum Gloriæ eidem præparabit.

7. *Veni ſponſa*, *&c.* Cantic. 4. 8. Coronatur 1. à Patre æterno, ut ejus Filia. 2. à Filio, ut ejus Mater. 3. à Spiritu S. ut ejus Sponſa. At quia indiget Poteſtate ut ſubditos protegat, Sapientia ut regat, Charitate ut amet: Hinc tres Perſonæ triplicem Coronam ejus capiti imponunt. 1. *Pater Coronam Poteſtatis*, qua Hoſtes propulſet & Amicos tueatur. 2. *Filius Coronam Luminis*, qua Eccleſiam illuſtret & Chriſtianos dirigat. 3. *Spiritus Coronam Amoris*, qua homines diligat, eiſque beneficia largiatur.

8. *Mihi mori lucrum*. Philipp. 1. 21. Maria ſervatur à tribus rebus quæ ſolent morituros homines afficere. 1. à Dolore. 2. à Metu. 3. à Corruptione.

Die 2. Auguſti.

De S. Maria Angelorum.

1. TRes ſunt qui teſtimonium dant, *&c.* 1. Joan. 5. 7. Chriſtus, Maria, Franciſcus. Tres, ſunt teſtes quibus Dei miſeratio ad Homines innoteſcit & firmatur in Eccleſia Portiunculæ. 1. *Chriſtus*, ut Salvator Hominum, inſignis eſt Teſtis Divinæ Miſericordiæ. 2. *Maria* ut Mediatrix, ſuam teſtatur Benevolentiam. 3. *Franciſcus*, ut Interceſſor, teſtatur Charitatem qua Homines diligit.

2. *Vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de Cœlo*, *&c.* Apocalyp. 21. 2. Quidquid Cœlo continetur, hodie in Portiunculæ templum deſcendit. 1. *Chriſtus*, ut ibi Franciſcum, ſui perfectum Imitatorem intueatur. 2. *Maria*, ut Fidelem ſibi Servum in Franciſco videat. 3. *Angeli*, ut Cœlorum Inſtauratorem mirentur. Gall. *Jeſus y voit ſon parfait Imitateur. Marie ſon fidele Serviteur, les Anges leur zele reſtaurateur.*

3. *Quàm terribilis eſt Locus iſte! non eſt hìc aliud, niſi Domus Dei, & Porta Cœli*. Geneſ. 28. 17. Tres ibi perſonæ tractant de Peccatorum Hominum ſalute, coram Angelis ſpectantibus. 1. *Franciſcus*, *zelo*. 2. *Maria*, *Mediatione*. 3. *Chriſtus Sanguine*, *&c.*

In Roſario B. Virginis.

1. FLores mei, *fructus honoris & honeſtatis*. Eccleſiaſtic. 24. 23. Roſarium eſt *opus*, 1. *Juſtitiæ*, quia illo mediante grande Virginis meritum colitur. 2. *Sanctitatis*, quia per illud celebrantur Virg. actiones ſanctiſſimæ. 3. *Gratitudinis*, quia per illud rependuntur beneficia, quæ à Cœlorum Regina excepimus.

2. *Adeamus cum fiducia ad Thronum Gratiæ ejus*. Hebræo. 4. 16. In Domi-

mino tria requiruntur; Amor, quo diligat ſuos; **Poteſtas**, qua illis benefacere queat; & Sapientia, qua quid illis congruerit dignoſcat. Roſarii conſortio adhæreatis, ibi experiemini Mariam Dominam. 1. Dilectione plenam. 2. Poteſtate apud Deum commendabilem. 3. Cognitione perſpicacem. Gall. *Vous y trouverez une auguſte Princeſſe, toute pleine d'Amour, pour aimer ſes Enfans; de Puiſſance auprès de Dieu, pour les ſecourir; de Lumiere, pour connoiſtre leurs beſoins.*

3. *Super muros tuos, Jeruſalem, conſtitui Cuſtodes.* Iſai. 62. 6. Ex omnibus pietatis ac devotionis exercitiis, nullum eſt Roſario, 1. *Virgini glorioſius.* 2. *Utilius Eccleſiæ.* 3. *Adverſariis ejus terribilius.*

SECTIO II.

Ideæ variæ Partitionum Panegyricarum De Angelis & Hominibus.

EX præmiſſis Promptuariis Panegyricæ orationi deſtinatis, repeto ſummatim Partitiones plurimas, iiſdem aut ſimilibus propoſitis profuturas. Themata omitto brevitatis cauſa. Partitiones Concionum de Angelis.

1. In Angelis generatim ſpectatis, expendi poſſunt, 1. *Exiſtentia.* 2. *Dignitas.* 3. *Officia.* Exiſtere Angelos, conſtat ex Scriptura Sacra; ex SS. Patribus; ex communi Eccleſiæ ſenſu; Rationibus, & experientia. Dignitas oſtenditur, ex Naturæ ſubtilitate; ex Gratiæ dotibus; ex Miniſterii excellentia, & Elogiis SS. Patrum. Officia ſunt ſervire Deo; Hominum ſaluti; Orbis univerſi conſervationi. Obſequuntur autem, jucundè, promptè & zelantiſſimè. Vide ſuprà pag. 470.

2. Angeli Homines diligunt ex D. Bernardo ſerm. de S. Michael. 1. Propter Deum. 2. propter ſeipſos. 3. propter nos. Vide ſuprà ſect. 3. pag. 471.

3. Homines debent Angelis, 1. *Amorem*, ſeu Gratitudinem, ob eorum excellentiam & Beneficentiam. 2. *Reverentiam*, ob eorum ſuperiorem gradum. 3. *Imitationem*, ob eorum perfectionem & ſanctitatem. Conſule locum ſupra citatum.

4. Similitudo quæ eſt aut eſſe poteſt Hominum cum Angelis, conſiſtit 1. *in Immortalitate Animæ.* 2. *in Puritatis affectu.* 3. *in Obedientia Deo præſtanda.* 4. *in Beatitudinis æqualitate.*

5. Cuſtodes Angeli tria nobis officia præſtant pro triplici malo quo laboramus. Cæcitate per peccatum, Hoſtili Dœmonum incurſione, & miſeriarum calamitatibus; Hi verò ſunt 1. *Duces* & Magiſtri, in cæcitate noſtra. 2. *Protectores*, ut adverſis & Inſidiis. 3. *Conſolatores*, in miſeriis.

6. Angelos debemus 1. *Revereri*, ut Superiores. 2. *Diligere*, ut Benefactores. 3. *Audire*, ut Præceptores.

7. Angelus Michael tria officia exhibet Eccleſiæ tribus conditionibus donatæ; Iſta enim eſt Exercitus, Sponſa, Civitas; Ille eſt ejus, 1. *Dux* & Præſes. 2. *Sponſus*. 3. *Cuſtos*.

8. Angelus Gabriel, eſt, 1. *Dei Legatus*. 2. *Virginis Paranymphus*. 3. *Salutis Humanæ prænuntius*, ſuprà pag. 474.

Partitiones Concionum de Humanis Gradibus diverſis.

Hominis ſpectati ſecundùm diverſas ætates, ſexus, gradus, conditiones & officia, Panegyricæ partitiones ſunt repetendæ ex ſuperioribus Promptuariis. Paucas in exemplum propono; quæ ſi per oppoſitas rationes, ſeu per vitia virtutibus contraria ducantur, fient vituperationis uberrima Seges.

1. In Puero laudantur 1. Pietas in Deum. 2. Reverentia in Proximum. 3. Modeſtia, ſeu ſui ipſius modeſta compoſitio.

2. In Adoleſcente ſpectantur, 1. Eruditio. 2. Prudentia. 3. Temperantia.

3. In Viro attenduntur, 1. Fortitudo. 2. Sapientia. 3. Diligentia.

4. In Sene, 1. Sanctitas morum. 2. Vigor mentis & corporis. 3. Peritia rerum.

5. In Puella 1. Devotio. 2. Docilitas. 3. Modeſtia.

6. In Virgine. 1. Solitudo. 2. Puritas. 3. Labor & otii fuga.

7. In Conjugata muliere; 1. Pietas. 2. Fides conjugalis. 3. Amor & obſequium ad Maritum. 4. Diligentia circa rem familiarem.

8. In Conjugato viro, 1. Religio Sancta. 2. Amor caſtus in uxorem. 3. Educatio Prolis. 4. Domus cura.

9. Parentes debent Filiis, 1. Suſtentationem, nec ſuperfluam, nec mancam, nec inæqualem. 2. Educationem & inſtitutionem Divinæ vocationi reſpondentem. 3. Exemplum in bonis operibus.

10. Filii debent Parentibus, 1. Amorem Gratitudinis. 2. Obedientiam executionis & reverentiæ. 3. Officia ſpiritualia & corporalia.

11. Domini tenentur Servis & Famulis reddere, 1. Amorem paternum. 2. Mercedem juſtam. 3. Inſtitutionem ſalutarem.

12. Servi debent Dominis, 1. Obedientiam humilem. 2. Fidem integram. 3. Miniſterium juſtum. Cætera ex ſuperioribus repete.

CAPUT IV.

Sanctuarium Annuum, ſeu Ideæ & Partitiones Concionum Panegyricarum, quæ de Feſtis Sanctorum celebriorum ſolent haberi annuatim in Eccleſia Catholica.

FESTA MENSIS JANUARII.

De S. Genovefa.

1. N*On apparebis in conſpectu meo vacuus.* Exod. 23. Sanctorum ſin- Die Januarii 3.
guli ſua Deo munera obtulere; D. Genovefa quatuor magni momenti dona Deo conſecravit. 1. *Corpus* per caſtitatem quam ſervavit. 2. *Famam*, per detractionem, quam paſſa eſt. 3. *Sanitatem*, per ægritudinem, qua probata eſt. 4. *Pulchritudinem*, per lepram, qua inter Charitatis officia vexata eſt.

2. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. 4. Quemadmodum in cæteris conjugiis Sponſus reddit ſponſam ſuorum bonorum participem; Ita Chriſtus Genovefæ ſponſæ triplicem poteſtatem largitur; 1. *Poteſtatem Dominii* in proprium corpus, ut illud offerre poſſit per Sacrificium. 2. *Poteſtatem miraculorum*, in aliorum corpus, ut ex iis patrare queat prodigia. 3. *Poteſtatem Eminentiæ*, ſeu ſupernaturalem, in corpus myſticum, ſeu Eccleſiam, ut huic tutelam impertiri poſſit. Genovefa proprium corpus obtulit, per Puritatem, per Mortificationem, per Patientiam. Virtute patrandi miracula donata eſt, ut ejus vocatio ad propagandam fidem probaretur, ut ejus merita inde præmiarentur, & ut ejus Dos velut ſponſæ Chriſti inde conſtitueretur. Poteſtate Eminentiæ eſt Patrona Galliæ ac præſertim Lutetiæ; has vices obit efficacia precum ſuarum, virtute Reliquiarum corporis, ac denique meritis quorum intuitu, plurima beneficia Deus largitur.

De Epiphania dictum eſt inter Myſteria Chriſti. 6.
De Auguſt. Nomine Jeſu, inter Myſteria Chriſti. 14.

De S. Hilario.

S*Equere me.* Joan. 22. Inſtituitur comparatio D. Hilarii cum Petro A- 14.
poſtolo in tribus circa quæ Petrus deliquit, quæ Hilarius reſarcivit. 1. Petrus ſequutus eſt Chriſtum in montem Thabor, ſed malè, quia pro-

Digitized by Google

propriis ſtudebat commodis. 2. Sequutus eſt apud Caipham, ſed temerariè, quia ibi Chriſtum negavit. 3. Sequutus eſt in montem Calvariæ, ſed ignavè, quia Chriſtum deſeruit. At D. Hilarius 1. *expetivit non delicias, ſed Cruces.* 2. *Aulæ adulatricem auram non exquiſivit, ſed fugit.* 3. *Denique Calicem doloris non declinavit, ſed avidè ebibit.*

17. *De S. Antonio Abbate.*

1. E*Go dixi Dii eſtis & Filii Excelſi omnes.* Pſalm. 81. Quamvis Deus ex natura ſua ſit tantùm unicus, nec eſſe poſſit multiplex, hanc tamen appellationem largitur Angelis & hominibus Sanctis per participationem, & aliquam ſimilitudinem, qua creatura intellectualis Creatori conformatur. Hæc quidem gloria cœleſtis quæ Sanctorum communis eſt, fit D. Antonio propria, quia peculiaribus virtutis gradibus ad Divinitatem ſublimatus eſt; 1. Per Abdicationem omnium bonorum, quæ pauperibus largitus eſt. 2. Per fugam Mundi & arctam ſolitudinem. 3. per Orationis exercitia.

2. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Malach. 3. Ab Incarnationis Myſterio homo elevatur ad Angelorum, 1. Naturam. 2. Victorias. 3. Officia: Totidem rebus commendatur D. Antonius, qui, 1. Angelorum imitatur perfectionem, per virtutes quibus ornatur. 2. Victorias perennat dum de Dæmonibus ac de ſeipſo triumphat. 3. Angelorum officia hominibus præſtita ſubit & adjuvat, per ea officia quæ toti Eccleſiæ ac præſertim Religioſo ſtatui præſtat.

18. *Cathedra D. Petri Romæ ſtatuta.*

S*Uper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. Eccleſia Romana Chriſti Vicaria & Sponſa tribus dotibus à Chriſto Sponſo dicatur. 1. *Unitate.* 2. *Veritate.* 3. *Sanctitate.* 1. Eſt una, diviſionis ac ſchiſmatis expers. 2. Eſt vera, ab omni errore immunis. 3. Eſt Sancta, omnis corruptelæ neſcia. Extra Romanam Eccleſiam nulla ſalus; extra Romanam Eccleſiam, nulla fidei veritas. Extra Romanam Eccleſiam nulla morum Integritas Cœlo remuneranda.

20. *De S. Sebaſtiano Martyre.*

P*Oſuit me quaſi Signum ad Sagittam.* Threnor. 3. Triplici ratione ſcopus eſt. 1. Amoris Divini, quo ſtimulatur. 2. Infidelium crudelitate, qua transfoditur. 3. Chriſtianorum reverentia, qua colitur, invocatur & imitandus proponitur.

De S. Agnete V. & M.

1. *Liberaſti corpus meum à perditione*, &c. Eccl. 51. Eſt Virgo & Martyr; ſed 1. Virgo, quæ Lupanar, immundiciæ locum ſua præſentia mundat. 2. Martyr, quæ Tormenta in delicias commutat ſua fortitudine. 21.

2. *Mulierem fortem quis inveniet?* Proverb. 31. Quod in veteri lege difficillimum erat, Mulierem fortem invenire; in Evangelico ſtatu, frequentiſſimum occurrit, maximè ab eo tempore quo Maria V. ad Maternitatem divinam aſſumpta eſt: Atque id liquet in B. Agnete, quæ triplicem victoriam de tribus hoſtibus reportat. 1. importunas Tyrannorum ſuaſiones, obſiſtendo vincit. 2. Impudicorum conatus vincit, per miracula quæ operatur. 3. Supplicia Torquentium vincit per fortitudinem & conſtantiam. Gall. 1. *Elle Triomphe de la ſollicitation des Tyrans, par les reſiſtances qu'elle fait. 2. Elle triomphe de la violence des Impudiques par les miracles qu'elle opere. 3. Elle triomphe des ſupplices des Bourreaux par le courage & la conſtance qu'elle montre.*

3. *Sponſus ſanguinum tu mihi es*. Exod. 4. Agnes ſuo ſanguine tingit triplex vinculum quo cum Sponſo colligatur. 1. *Fidem*. 2. *Spem*. 3. *Charitatem*. Per Fidem ſe ſe expedit ab erroris laqueo; per Spem ſolvit Mundi retinacula. Per Charitatem, ſuperat Impudicorum flammas.

De S. Vincentio Martyre. 22.

Exivit vincens ut vinceret. Apocal. 6. Militia eſt vita Chriſtiani: Ideoque D. Vincentius commendandus ex certamine, in quo victor evaſit. Atque ut res liquidiùs pateat, ſpectandum eſt iſtud certamen non ut peculiare eſt, ſed ut commune Cœlo ac Inferno. Horum Principes ambo congrediuntur, alter in Vincentio Martyre, alter in Daciano Præſide. 1. Dæmonis malicia viget in Daciano, quandoquidem plurimis miraculis non emollitur. 2. Virtus Chriſti viget in Vincentio, quandoquidem plurimis cruciatibus non vincitur. En D. Auguſtini verba. *Tot convicta miraculis perſiſtebat impietas, agnoſcatur operatrix Diaboli malitia. Tot vexata ſuppliciis non cedebat infirmitas, agnoſcatur ergo operata Divinitas.*

In Converſione D. Pauli. 28.

1. *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris. Domine quid me vis facere?* Act. 9. Solemnitas hæc quæ peccatoribus ſolatium ſpemque affert, multis nominibus explicari poteſt. Eſt Creatio de nihilo Gratiæ; eſt captivitatis ſolutio; ægroti curatio; Mortui Reſurrectio; ſed cum hæc ſint aliis com-

communia; peculare eſt huic Converſioni, quod 1. *nulla difficilior*; 2. *nulla ſplendidior*. 3. *plenior nulla*. 4. *nulla ſeverior*. 1. Difficillimum opus, ex parte Rei. 2. ſplendidum & illuſtre ex parte Judicis, ſeu Chriſti triumphantis. 3. Integerrimum ex parte Pœnitentis obſequentiſſimi. 4. Severiſſimum ex parte Sacerdotis abſolventis, ſeu Chriſti Saulum punientis.

2. *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Cor. 1. Gratiæ opus eſt iſtud, quæ diverſimodè in Sanctis operata, exteriùs & interiùs Saulum aggreſſa eſt, ſed 1. nuſquam eminuit exteriùs cum efficaciore ſplendore; 2. nuſquam pugnavit interiùs cum efficaciore virtute.

3. *Qui priùs Blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum*. 1. Timot. 1. 13. Controvertitur de Perfectionibus Dei, cuinam tribui debeat Peccatoris Converſio. Ad omnes quidem ſpectat, ſed præcellere videntur, 1. Miſericordia, quæ indignum requirit & vocat. 2. Omnipotentia, quæ rebellem domat. 3. Sapientia, quæ operis conſummationem perficit. Tres igitur Gratiæ Characteres in hac glorioſa Converſione oſtendit Deus; 1. Gratiam miſericordem quæ Converſionis Decretum ſtatuit. 2. Gratiam omnipotentem, quæ grande iſtud opus ſuſcipit. 3. Gratiam Sapientem & ingenioſam, quæ propoſitum ad finem perducit. Gall. *Trois Eſtats de S. Paul, & autant de prodiges de la Grace. 1. une Grace miſericordieuſe le recherche dans un Eſtate d'indignitè. 2. Une Grace tante-puiſſante le ſurmonte dans un Eſtat de rebellion. 3. Une Grace ingenieuſe le menage dans ſon Eſtat de ſoumiſſion*,

4. *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Cor. 1. Iſta eſt præcipua Pauli gloria, quòd Gratia in ipſo efficiat, 1. Converſionem dum à peccato ipſum avocat; 2. Pœnitentiam, dum ad gemitus provocat. 3. Perfectionem, dum ad ſublimiorem Eccleſiæ apicem promovet. Ipſum facit 1. *ex Leone Agnum*. 2. *ex Perſecutore Protectorem*. 3. *ex Tyranno Apoſtolum*.

5. *Surrexit autem Saulus de terra*. Actor. 9. 8. Tres commutationes ſeu Tranſitus, operatur in Paulo miſericordia Divina. 1. Ex Indurato facit pœnitentem, iſte eſt tranſitus à Peccato ad gratiam. 2. ex Perſecutore facit Apoſtolum, iſte eſt tranſitus à Juſtitia ad perfectionem. 3. Ex Viatore facit Comprehenſorem, iſte eſt tranſitus à terra in cœlum.

29. *De S. Franciſco Saleſio Epiſcopo*.

1. Z*Elus Domus tuæ comedit me*. Pſ. 68. D. Franciſcus ad intuitum triplicis Templi; Zelo accenſus eſt & ſtimulatus. 1. Circa proprii corporis Templum operatus eſt, ut illud immolaret. 2. Circa corporis Eccleſiaſtici Templum operatus eſt, ut illud protegeret. 3. Circa Religionis corpus operatus eſt, ut illud propagaret.

2. *Dilexit multum*. Luc. 7. Amor cæteros in ſe traducit affectus, ait D. Bernardus ſer. 33. in Cant. Ideo ſolus Amor D. Franciſci ſpectatus, omnes ejus virtutes exhibet: Ille in corde D. Franciſci, 1. Regnat, velut in

in Throno. 2. Pugnat & triumphat, velut in campo militari, contra illegitimum amorem.

3. *Noluit conſolari, quia non ſunt.* Ibidem 31. Inſtituitur comparatio D. Franciſci cum SS. Pueris Innocentibus, qui fuere, 1. Virgines ſine merito; 2. Doctores ſine Intellectu. 3. Martyres, ſine Amore: eamobrem Eccleſia luget eorum mortem; At de Franciſco ſolatium, doloriſque levamen excipit; eſt enim 1. Virgo, ſed meritiſſimus. 2. Doctor, ſed illuminatiſſimus & ſapientiſſimus. 3. Martyr, ſed amantiſſimus.

4. *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus.* Eccleſiaſtic. 30. 4. Quamvis deſierit vivere naturali vita, ſupereſt tamen Morali, qua vivit & ſuſcitatur, 1. Spiritus ejus in ſcriptis & Libris. 2. Cor ejus, in Religioſa & Virginea ſobole. 3. Corporis ejus virtus in miraculis, quæ operatur.

5. *Orietur in tenebris lux tua, &c.* Pſ. 58. 10. Comparatur S. Franciſcus cum Luce, in qua tres conditiones attenduntur. 1. *Puritas.* 2. *Fulgor.* 3. *Fœcunditas.* Ita in D. Franciſco penſari debent, 1. Puritas, in morum integritate & vitæ innocentia. 2. Splendor fidei & Doctrinæ in prædicatione verbi Domini. 3. Fœcunditas, in converſione Animarum, & Religioſi Ordinis inſtitutione. *Puritas* ejus ab omni macula immunis, tres Inimicos devicit; mollitiem Appetituum per mortificationem; Impudicitiæ illecebras per occaſionum fugam; Superbiæ deſideria per humilitatem. *Fides* ejus ſplendida inſtauravit Ceremonias Eccleſiæ, Diſciplinam Eccleſiaſticam & Sacerdotalem ſtatum. *Fœcunditas* Virginalis terram Angelis, Cœlum Virginibus locupletavit.

6. *Det vobis Cor omnibus, ut colatis eum.* 2. Machab. 1. 3. Cor S. Franciſci præcelluit 1. Conſtantia in adverſis. 2. Fortitudine in aggrediendis propoſitis. 3. Ardore in affectibus.

7. *Domine quinque Talenta tradidiſti mihi, &c.* Matth. 25. 20. Franciſcus appellari poteſt Homo Talentorum omnium, quia omnia excepit à Deo, omnia etiam digniſſimè impendit pro Deo. Talenta plurima ſeu Gratiæ dona quinario numero repræſentantur. Quinque igitur Talentis acceptis & impenſis D. Franciſcus commendatur. 1. Pater fuit & Servus Populorum. 2. Caput & Exemplar Eccleſiaſtici Ordinis. 3. Patronus & Inſtitutor Virginum. 4. Conſervator & inſtaurator Templorum. 5. Sequeſter & Defenſor veritatum Fidei.

FESTA MENSIS FEBRUARII. 10.

De S. Scolaſtica Virgine.

1. UNa *eſt Columba mea, perfecta mea.* Cantic. 6. Poſtquam Divinus Sponſus variis nominibus ſponſam appellavit ut ejus dotes eximias explicaret, eam demum Columbam vocat, &c. Titulus ille Scolaſticæ quadrat, nam non ſecus ac Columba, 1. Manſionem eligit in So-

litudine. 2. Prudentiam in Simplicitate. 3. Exercitationem in Meditatione. 4. Solatium in Gemitibus.

2. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Coloſſ. 3. Sanctitas eſt duplicis generis. Alia publica eſt & fulgida, velut Apoſtolorum, Prædicatorum, &c. vita; Alia ſecreta & obſcura, veluti Monachorum & Anachoretarum, &c. Sanctitas D. Scolaſticæ duplex, 1. Abſcondita eſt & obſcura Terris. 2. Manifeſta & notiſſima Cœlis.

3. *Ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor ejus.* Oſeæ 2. 14. 1. Vocatio D. Scolaſticæ in Solitudinem. 2. Exercitia ejus. 3. Suavitates Solitudinis. Vide ſupra de Religioſis Ideam 9. Vel ſpectaculum Religioſum ibidem Idea 8. Vel fuit 1. Diſcipula Cœli. 2. Magiſtra Terræ.

De Sancto Mathia Apoſtolo.

24.

1. SOrs *cecidit ſuper Mathiam.* Actor. 1. Triplicis generis Sors verſatur hodie. 1. *Sors optima Mathiæ.* 2. *Sors peſſima Judæ.* 3. *Sors dubia noſtri.* In ſorte Mathiæ tria ſunt attendenda; Decretum Chriſti vocantis & eligentis, Modus quo electionem perfecit, Finis ſeu intentum vocationis. Reprobatio Judæ decernitur in corde ſeu conſilio Dei, contrahitur merito in corde Judæ, peragitur in corde Chriſti. Triplex de ſalute noſtra incertitudo nos vexat, Incertitudo Negativa, quia nos latet; Poſitiva, quia ex nobis caremus quo certam poſſimus facere; Poſſibilis ſeu veroſimilis, quia vita noſtra mala præjudicium eſt adverſus nos non mediocre.

2. *Tu Domine qui noſti corda omnium, oſtende quem elegeris, &c.* Actuum 1. Contraria ex contrariorum oppoſitione clareſcunt, &c. ita in eadem oratione pinguntur Apoſtolus & Apoſtata, Prædeſtinatus & Reprobus, 1. Electio Mathiæ. 2. Reprobatio Judæ.

3. *Cecidit Sors ſuper Mathiam.* Actor. 1. Non perſcrutabimur quid Deus decreverit de Mathia aut Juda, ſed Propoſitum Dei omne reveriti, tria perpendamus. 1. Magnam Dei charitatem, quæ ab æterno voluit omnium hominum ſalutem. 2. Magnam miſericordiam, quæ auxilia huic negotio conducentia ſuggeſſit. 3. Divinam Providentiam, quæ non modò nullum poſuit impedimentum, ſed omne abſtulit, ut omnes ſalvarentur.

4. Oppoſito prorſus modo Mathias accedit ad Deum, à quo Judas receſſerat: receſſerat enim Judas 1. defectu formidinis, accedit Mathias cum tremore & reverentia. 2. receſſerat Judas ob Præſumptionem, accedit Mathias cum humilitate. 3. receſſerat Judas ob perfidiam, accedit Mathias cum fidelitate. Mathias timuit, cùm actum eſt de promotione ad Apoſtolatum; humiliavit ſe cùm ſe provectum perſpexit; fidem integram ſervavit in miniſterio ad quod ſe promptum ſenſit.

FESTA MENSIS MARTII.

De S. Thoma Aquinate Doctore.

Die Martii. 7.

1. M*Anus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* Geneſ. 19. Eccleſiæ Militantis eſt generoſus Athleta qui fortiter expugnat omnes adverſarios Chriſti, quos pertinaciter furentes ſuſtinet ac ſuperat; 1. Atheorum impietatem. 2. vanitatem Philoſophorum. 3. Hæreticorum errorem. 4. Peccatorum ſcelus.

2. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Pſ. 138. Lux operatur 1. in orbem, ſeu Globum, cui inſidet; 2. in Cœlum, cui adhæret; 3. in Mundum, quem illuſtrat; Ita ſcientia D. Thomæ, inſtar Lucis, 1. perficit ſubjectum ſeu perſonam quam afficit. 2. Religionis ſeu Ordinis, cui annectitur, gloriam auget. 3. Eccleſiam pro qua laboravit, adjuvat.

3. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Pſ. 103. 4. Non aptiùs duci poteſt S. Thomæ præconium, quàm à nomine quod ei Eccleſia conceſſit, ſcilicet Angeli: Et revera quod Angeli per naturam ſine labore obtinent, iſte ſuis peperit laboribus. 1. Puritatem, per fortitudinem. 2. Scientiam, per orationem. 3. Zelum & ardorem per ſuam Doctrinam. Gall. 1. *Il eſt redevable de ſa puretè à ſon Courage.* 2. *C' eſt à ſa Priere qu'il eſt redevable de ſa ſcience.* 3. *C'eſt à ſa ſcience qu'il doit rendre toute la gloire de ſon Zele.*

4. *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum.* Pſ. 4. Tria in D. Thoma occurrunt notanda. 1. *Dives Pauper.* 2. *Juvenis Caſtus.* 3. *Doctor humilis.*

5. D. Thomas Aquinas, meritò Angelus nuncupatur; quia *Eccleſiam* 1. *ornat Puritate.* 2. *Illuſtrat Doctrina.* 3. *Tuetur Zelo.* Ejus puritas imitatur Puritatem, Innocentiæ, Beatitudinis & Angelorum. Doctrina D. Thomæ eſt Sancta, univerſalis & fœcunda. Propugnat Eccleſiam adverſus fabulas Gentilium, fallacias Philoſophorum, errores Hæreticorum. Conſule Tertullianum Prædicantem tom. 1. pag. 467.

De S. Joſepho Chriſti Nutritio.

19.

1. E*St fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Matth. 24. Deus tres familias habere dicitur, Internam quæ ſolius Divinitatis eſt; externam quæ ſolas Creaturas complectitur; mixtam quæ ex utraque exurgit, quæ ad Chriſtum ſpectat, & cui præficitur Joſeph. Iſte accuratè præſtat Chriſto tria officia, quæ Pater ſolet exhibere filio: 1. *Obtinet authoritatem paternam in Jeſum.* 2. *Curam providam exercet in Jeſum.* 3. *Teneritudinem affectus experitur in Jeſum.* Tribus decernitur ejuſmodi Authoritas in Jeſum, voluntate Patris æterni, ele-

ctione Verbi Divini, & conſenſu Mariæ. Providentia Joſeph, Jeſum educat, ſuſtentat, tuetur. Tribus facibus accenditur amor Joſeph in Jeſum, à Spiritu Sancto, à conjuge Virgine, à merito Chriſti.

2. *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Jeſus*. Matth. 1. Joſeph eſt 1. Sponſus qui contra leges conjugii ducit omne ſuum decus à Sponſa, id eſt, Maria. 2. Pater qui contra leges Naturæ trahit omne decus à ſua Prole, id eſt, Jeſu.

3. *Tres ſunt qui teſtimonium dant*. 1. Joan. 5. Trinitatis Perſonæ tres Gloriam D. Joſephi perficiunt. 1. Pater illum Paternitatis jura tranſmittit. 2. Filius ſuam Filiationem, ſeu Innocentiæ ſimilitudinem. 3. Spiritus ſuam Sponſam. Gall. *Il eſt Pere avec le Pere, Fils avec le Fils, Eſprit avec le S. Eſprit*.

4. *Mulier bona dabitur viro pro factis bonis*. Eccleſiaſt. 26. Scriptura Sacra paucis deſcribit D. Joſephum; ſed, ut ait D. Ambroſius in Luc. *Dixit Sponſum Virginis, prædicavit ſatis*. Ideo ad exhibendum Verbo Incarnato officia neceſſaria, meruit Joſephus, ut B. Virgo illi daretur conjux & ſponſa. 1. in remunerationem Puritatis. 2. in Gratiam, pro humilitate. 3. in Sacramentum pro Charitate. Vide P. Cortadium Minoritam in hac Panegyri.

5. *Filius accreſcens Joſeph*. Geneſ. 49. 22. Hoc habet præcipuum Joſeph ſupra cæteros Sanctorum, quòd Sancti alii omnes ſunt, 1. Filii Dei, Joſeph verò Dei Pater. 2. Alii ſunt Servi B. Virginis, Joſeph verò Sponſus. 3. Alii omnes Salvatorem agnoſcunt Chriſtum, Chriſtus verò expertus eſt Salvatorem Joſephum.

6. *Depoſitum cuſtodi*. 1. Timoth. 6. 20. Tria pretioſiſſima Depoſita Joſepho ſunt commiſſa. 1. *Maria*. 1. *Jeſus*. 3. *Incarnatio*. Totidem dotibus excipit Depoſita. 1. cum puritate integerrima cuſtodit Mariam. 2. cum Vigilantia zelantiſſima, cuſtodit Chriſtum. 3. cum Humilitate profundiſſima cuſtodit Incarnationis ſecretum.

7. *Magna eſt Gloria ejus in Salutari tuo*. Pſ. 20. 6. Quid ò Eccleſiaſtæ! Gloriam Joſephi aliunde veſtigatis quàm à Salvatore ad quem ratione multiplici pertinuit? Tribus maximè rebus commendatur Joſephus; 1. fuit Hominis Dei, ſeu Chriſti Dei, Miniſter. 2. fuit Hominis pater. 3. fuit Matris Dei, ſeu Virginis Sponſus. Tria voluit Deus occultare quæ ad Chriſtum quatenus Deum ſpectabant; ſcilicet ſplendorem nativitatis, ſublimitatem originis, dignitatem poteſtatis. Huic conſilio idoneus eſt Joſeph, obſcurus nativitate, ex origine, ex arte. Patris nomen meruit, non quidem virtute carnis aut ſanguinis, ſed ex Dei delegatione, ex Chriſti electione, & ex Mariæ conjugis jure. Datur in Sponſum Mariæ, ut eam vindicet à ſuſpicione de adulterio, ut ei adſit in neceſſitatibus, ut ejus ſanctitatis ſit teſtis & cuſtos fidiſſimus.

8. *Tamquam Prodigium factus ſum multis*. Pſ. 70. 7. Tria in Joſepho prodigia ſuſpiciuntur. 1. prodigium in conjugio, quia Conjux & Virgo. 2. pro-

2. prodigium in paternitate, quia pater & ſterilis. 3. prodigium in authoritate, quia Dominus & ſervus. Gall. *Admirons* 1. *un Mariage fondè ſur la chaſtetè.* 2. *une paternitè fondèe ſur la Sterilitè.* 3. *une authoritè fondèe ſur la dependance.*

9. *Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus.* Math. 1. 16. Tribus modis poteſt aliquid poſſideri; 1. Jure Fœderis. 2. Jure Acquiſitionis. 3. Jure Donationis. Totidem titulis Joſeph eſt Pater Jeſu. 1. *Jure Fœderis conjugalis*, quia quæ ad Mariam conjugem attinebant, eadem Joſephi ſponſi erant. 2. *Jure Acquiſitionis*, quia ipſum nutrit, educat, cuſtodit. *Jure Donationis*, quia Æternus Pater ac Spiritus S. Joſephum deputant in Paternum vicarium.

10. *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.* 1. Reg. 13. 14. Deus in Joſepho, quærit, reperit, poſſidet virum juxta cor ſuum; Joſeph verò tribus dotibus ornatur, ut Dei votis reſpondeat, 1. Simplicitate Deum quærit. 2. Creaturarum abdicatione Deum reperit. 3. Vitæ abſconditæ ſecreto Deum poſſidet.

11. *Super multa te conſtituam.* Matth.25. 21. Joſeph conſtitutus eſt à Patre æterno, velut, 1. Digniſſimus Amoris paterni Miniſter; 2. velut Digniſſimus Authoritatis paternæ vicarius & ſucceſſor. 3. velut fidiſſimus Providentiæ paternæ diſpenſator.

12. *Vidi per ſomnium, quaſi Solem & Lunam & Stellas adorare me.* Geneſ. 37. 9. Hæc quæ de Joſepho Patriarcha dicta fuere ad litteram; de S. Joſepho Chriſtiano prænuntiata ſunt; fuit enim 1. *Chriſti Nutritius.* 2. *Mariæ Sponſus.* 3. *Sanctorum Primas*; Ideo 1. Chriſtus, Sol Gratiæ, Joſephum adoravit, ut Filius patrem. 2. Maria, Gratiæ Luna, Joſephum adoravit, ut ſponſa ſponſum. 3. cæteri Sanctorum, veluti tot ſtellæ adorant S. Joſephum, ut ſanctitatis Exemplar.

De S. Joachimo. 20

1. L*Audemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Eccl. 44. Silet fortaſſe de Joachimo Evangelium; vel quia iſtud omnino deditur Chriſto manifeſtando; vel quia D. Joachimus dimittitur pietati fidelium celebrandus; vel quia ſatis eſt, immo excedit omne præconium, Affinitas cum Chriſto. Hinc laudandus eſt D. Joachim, ſpeciatim verò ſecundùm quatuor gradus quibus Deus à Creaturis participatur. 1. *Secundùm ordinem Gratiæ*, velut habens jus in Gratiarum fontem. 2. *ſecundùm ordinem Gloriæ*, veluti Divinitatis particeps. 1. Ad ſublimem Gratiæ ſtatum provectus eſt, tum ex juſta Dei conceſſione, tum ex Mariæ gratitudine, tum ex propriis meritis. 2. Joachim præcellit in Gloria tam in fruitione Dei, quàm in acceſſoriis dotibus, quàm etiam in gratia, qua pollet apud Deum.

De S. Benedicto Patriarcha.

21

1. **A** *Bſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Galat. 6. Quod Angeli ob Naturæ ſublimitatem quæ expers eſt materiæ, præſtare nequeunt, hoc poſſunt Homines, ſcilicet Chriſto configi in cruce; Ac præcipua eſt Benedicti Laus, quòd 1. vitam ſuam cum Chriſto abſconderit in cruce. 2. Corpus ſuum cum Chriſto confixerit cruci. 3. Mundum ad imitationem Chriſti, affixerit cruci.

2. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Pſ. 17. Tria ſunt officia Montium, 1. Speculationi ſunt idonei. 2. Apti ad hoſtes expugnandos; 3. Ex iis fluunt fontes unde camporum planities rigatur. Mons Caſſinius Benedictini ordinis origo, tribus titulis commendatur; 1. *Confinium fuit cœli & terræ*, Dei & hominis, per orationem & ſolitudinem: 2. *Theatrum certaminis*, cum Dœmone, impiis, & carne. 3. *Uber*, quo Eccleſia lactatur & enutritur.

3. *Erit ſepulcbrum ejus glorioſum*. Iſ. 11. 10. Tumulus cæteris vertitur in opprobrium, ſed Chriſto in gloriam; quia ex ſepulchro eduxit vitam in cauſa meritoria, ut cauſa effectiva, ut cauſa Exemplaris. Simili ferè modo, Benedictus gloriam hauſit ex ſepulchrali caverna, in qua diu latuit, ibi enim fœcundus effectus eſt; 1. per comparationem ad Anteceſſores & ſuæ familiæ Majores, fuit *Cauſa meritoria vitæ*; videntur enim illi vitam ideo accepiſſe, ut eam tandem Benedicto darent. 2. per comparationem ad Fratres ſuos, fuit *vitæ Religioſæ cauſa effectiva*. 3. per comparationem ad Eccleſiam, fuit *vitæ perfectæ Cauſa Exemplaris*.

4. *Quæſivit Dominus ſibi virum, juxta cor ſuum*. 1. Reg. 13. 14. S. Benedictus fuit vir juxta cor Chriſti, & ejus duplici motu agitati affectus in ſe excepit. 1. Conſtrictionis quidem motum, per uſum virtutum auſteriorum & humiliantium excepit. 2. Dilationis verò accepit affectum per uſum virtutum beneficarum & officioſarum. 1. Adſtrictum eſt cor Benedicti per triplicem Spiritum, ſolitudinis, pœnitentiæ & abjectionis. 2. Dilatatum eſt, per eruditionem, pietatem exemplarem & miracula.

5. *Non eſt inventus ſimilis illi*. Eccleſ. 44. Proprium Sanctitatis Characterem quilibet Sanctorum habet, quo ſecernitur à cæteris, & in quo non habet ſimilem; Ita nimirum induſtrius eſt Amor, ut variis artibus & modis diverſa Deo præſtet obſequii munera. D. Benedictus peculiare Amoris exhibuit facinus, in eo quòd *conjunxit*, 1. *Solitudinem cum Societate*; 2. *Paupertatem cum Divitiis*; 3. *Humilitatem cum Honore*.

6. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori Claritatis ſuæ*. Philipp. 3. Hæc verba tranſlationi Reliquiarum S. Benedicti conveniunt, quatenus ille poſt mortem, amavit, honoravit, vivificavit corpus,

Digitized by Google

pus, quod dum viveret, odio habuerat, deſpexerat, & mortificaverat, Gall. *Apres ſa mort, il a aymè, honorè & vivifiè le meſme corps, qu' il avoit hay, mepriſè & vivifiè durant ſa vie.* Vide PP. Senaut tom. 2. Paneg.

De Annuntiatione B. Virginis, in ejus Myſteriis.
De S. Archangelo Gabriele, inter Ideas pro Angelis.

FESTA MENSIS APRILIS.

De S. Franciſco de Paula.

Die Aprilis. 2.

1. D*Ominus virtutum ipſe eſt Rex Gloriæ*. Pſ. 23. Tribus rebus mirabilibus commendatur iſte Sanctus. *Conjunxit Innocentiam cum auſteritate*. 2. *Auſteritatem cum charitate*. 3. *Charitatem cum humilitate*; Innocentia præſtans in ſeipſum ſæviit ut in reum. Severus in ſe, mitem & miſericordem in alios ſe præbuit. Plurima Charitatis opera in Fratres exhibens, nihil adhuc feciſſe arbitrabatur.

2. *Sacrificate Sacrificium Juſtitiæ*. Pſ. 4. Tria Sacrificia obtulit Deo. 1. *Sacrificium Corporis* per auſteritatem, &c. 2. *Sacrificium Cordis* per Charitatem. 3. *Mentis* per Simplicitatem. Deus totidem donis remunerat Sacrificia, 1 pro ſacrificio corporis, reddit poteſtatem in corpora, ut ea ſanet aut ſuſcitet. 2. Pro ſacrificio Cordis, reddit Poteſtatem in Corda, ut ea penetret ac illuminet. 3. Pro ſacrificio mentis, ſeu Prudentiæ propriæ, reddit poteſtatem in mentes, ut erudiat & ſuadeat.

3. *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Luc. 14. Panegyriſtæ ſolent clariora facinora memorare ut laudent, hìc oppoſita methodus obſervanda eſt, nimirum ab Humilitate, obſcuriore virtute, laus duci debet: Gloria enim ſequitur fugientem, & quò magis ſeſe humiliavit Franciſcus, tantò altiùs eſt exaltatus. *Imperavit*, 1. *Affectibus appetitus ſentientis, ſeu Paſſionibus*; 2. *Elementis*. 3. *Regibus*. 4. *Ægritudinibus & languoribus*.

4. *Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Galat. 6. Duplex Triumphus, 1. Alter Crucis per Franciſcum. 2. Alter Franciſci per Crucem.

De S. Marco Evangeliſta.

25

1. O*Pus fac Evangeliſtæ*. 2. Timot. 4. Opus Evangeliſtæ in tribus rebus conſiſtit. Evangeliſta quippe debet eſſe, 1. *Diſcipulus Chriſti*, ut diſcat & faciat. 2. Prædicator ſeu *Scriptor Chriſti*, ut doceat & ſuadeat. 3. *Martyr Chriſti*, ut patiatur & moriatur. Hæc tria optimè conveniunt D. Marco.

2. Opus fac Evangeliſtæ. 2. Timoth. 4. D. Marcus Eccleſiam inſtituit & fir-

& firmavit ; 1. *Verbo ut Apoſtolus*. 2. *Scripto ut Evangeliſta*. 3. *Exemplo ut Magiſter*. 4. *Sanguine ut Martyr*.

3. D. Marcus extitit, 1. Spiritus ſancti Scriba & Actuarius. 2. Chriſti Teſtis & Prædicator. 3. Eccleſiæ Doctor & defenſor.

De S. Catharina Senenſi, Virgine.

30 1. V*irgines enim ſunt; hi ſequuntur Agnum quocumque ierit*. Apocal. 14. Ut ſol in omnes florum ſpecies beneficus, aliquas tamen præ cæteris videtur diligere; Ita Chriſtus in omnes Sanctos benevolus, cæteris præfert Virgines, è quibus ſibi conſtituit aſſeclas: Ex his B. Catharina, Chriſtum ſequuta eſt, 1. *in Deſertum*, ubi experta eſt ejus Tentationes; 2. *ad Montem*, ubi ejus excepit oracula. 3. *in Thabor*, ubi ejus Gloriam perſpexit. 4. *in Calvariam*, ubi ejus Dolores perpeſſa eſt.

2. *Amore langueo*. Cant. 5. Duobus verbis abſolvitur hæc Panegyris, ſignificant tria quæ ſolent Amori concedi, 1. *Flores*. 2. *Jacula*. 3. *Faces*. His tribus Amor Catharinæ in Deum commendatur: extitit enim, 1. *Amor tener*, & mollis, qui eam coronavit floribus. 2. *Amor rigidus*, & ſæviens, qui eam vulneravit ſagittis. 3. *Amor ignitus* & fulgidus qui corpus ejus ſacrificavit.

3. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum, nuntiate ei, quia amore langueo*. Cantic. 5. Tribus partibus patitur Catharina: *Corde, Spiritu, & Corpore*. 1. Illius Cor ſtat medium inter dolorem & amorem, qui decertant, ut illud vulnerent. 2. Illius Spiritus medius eſt inter Gloriam & humilitatem, quæ decertant, ut illum ſubjiciant. 3. Illius Corpus, medium eſt inter Gratiam & Naturam, quæ decertant, ut illud conſecrent. Gall. *Le combat de l'Amour & de la Douleur, fait languir le coeur de Catherine. Le combat de la Gloire & de l'Humilitè fait languir ſon Eſprit. Le combat de la Grace & de la Nature fait languir ſon Corps.*

4. *Mutatus es mihi in crudelem*. Job 30. Ergone crudelis amor? Ita ſanè, ſed dulcis Tyrannus in Amantes ſuaviſſimè ſævit; ideo crudelem illum appellat Catharina: Et certè fuit, 1. *Crudelis in æmulatione*, quia eam privat Creaturis, quibus nuſquam male uſa fuerat. 2. *Crudelis in probationibus*, quia eam duriſſimè tractat quamvis aliunde Innocentem. 3. *Crudelis in blanditiis*, quas amaritudine diluit.

Dies Maii.

FESTA MENSIS MAII.

De SS. Jacobo & Philippo Apoſt.

1. I. N*os ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. 1. Joan. 4. Amorem noſtrum meretur Deus quia ipſe prævertit nos ſuo Amore. Auguſtinus cenſet unicum Amorem vices obire omnium virtutum,

tum, quæ aliud nihil ſunt præter Amorem varias virtutum ſpecies induentem: At Amor iſte multiformis diverſimodè proditur, ut liquet in duobus iſtis Apoſtolis, è quibus 1. *Philippus*, amorem oſtendit per ſplendorem ſeu Lucem, per zelum & Patientiam. 2. *Jacobus* verò, per Jejunia, orationes & deſiderium de ſalute Inimicorum.

2. *Qui ſunt iſti qui ut Nubes volant?* Iſai. 60. 8. Comparantur Nubibus, in quibus tria reperiuntur (ut advertit Auguſtinus.) 1. Tonitru quod terret. 2. Coruſcatio quæ lucet. 3. Aqua quæ rigat & fœcundat. Ita Apoſtoli, 1. minacibus verbis peccatores terrent; 2. Illuſtrantibus verbis docent & ſuadent. 3. inſtitutivis verbis traditam doctrinam excolunt & irrigant.

3. *Faciamus Hominem ad Imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Geneſ. 1. 26. Deus intuitus Imaginem ſuam à Dæmone corruptam, ſtatuit eandem æmula reparatione recuperare; ideoque ſub figura aliena, ſcilicet humana, latere voluit ut illud propoſitum faciliùs perficeret. Atque cùm iſtud præſtiterit maximè per Apoſtolos ſuos, ex his ſelegit S. Jacobum & S. Philippum qui duplex vitæ Genus Chriſti expingerent ac repræſentarent. Duplicem vitæ ſpeciem ſortitus eſt Chriſtus, alteram abſconditam in ſinu Patris æterni: Alteram manifeſtam in ſinu Matris Virginis. 1. Priorem exprimit Jacobus, quia Filius Dei eſt per gratiam, Chriſtus verò per Naturam, ideoque eſt per Gratiam Filiationis Naturalis Divina Chriſti Imago. 2. Poſteriorem exhibet Philippus per Apoſtolatum, ideoque Miſſionem temporalem Chriſti ſua Miſſione repræſentat.

4. *Saul & Jonathas, amabiles & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diviſi*. 2. Reg. 1. Non fortuitò aut abſque ratione conjunctos Apoſtolos oſtendit nobis Eccleſia, eoſque una & eadem ſolemnitate colere jubet: Ambo enim unanimem pro Chriſto ſenſum exhibuere. 1. *per Juſtitiam vitæ* & opera Sanctitatis. 2. *per Apoſtolatus officium*, & in explendo miniſterio Zelum. 3. *per Mortis teſtimonium, Patientiam, & Tormenta*.

5. *Alium Apoſtolum vidi neminem, niſi Jacobum Fratrem Domini*. Galat. 1. Illuſtre eſt præconium iſtud quod à D. Paulo tribuitur S. Jacobo. Illud autem triplici titulo merebatur, 1. *per Naturam*. 2. *per Gratiam*. 3. *per Succeſſionem*. 1. In Natura quidem, erat ita ſimilis Chriſto, ut ipſum perfectè exhiberet, & qui nuſquam Chriſtum viderant, Jacobum adirent Chriſtum in abſoluta imagine viſuri. 2. In Gratia ſimilis erat Chriſto, quia præcipuæ & imitabiles Chriſti virtutes, in Jacobo eminebant. 3. Hæreditaria ſimilitudine Jacobus ſucceſſit Chriſto, tum in Pontificatu Eccleſiaſtico, tum in Regno æterno.

6. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Iſai. 11. Prophetia iſta impleta eſt miniſterio Apoſtolorum, præſertim D. Jacobi, qui extitit ſepulchri, 1. *Fidiſſimus Cuſtos*. 2. *Zelantiſſimus Apoſtolus*. 3. *Coſtantiſſimus Martyr*.

3 *De S. Cruce.*

1. **P***Ropoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*. Hebræ. 11. Crux eſt Inventio, ſeu Ars Juſtitiæ Dei, qua punit peccatum ejuſque cauſas, ſed eſt & Amoris ac Miſericordiæ induſtria, qua Chriſtus ſuum erga homines prodit amorem. Crux ergo eſt 1. *Tribunal Juſtitiæ Dei*, in quo fit ſatis injuriæ Deo illatæ per peccatum quod ſeveriſſimè mulctatur. 2. eſt *Altare Bonitatis Divinæ:* Eſt *Ara non templi ſed mundi* (inquit D. Leo) in qua ex Immolatione Chriſti dignoſcitur gravitas peccati.

2. *Erat autem Hieroſolymis probatica Piſcina*. Joan. 5. Tribus modis Crux operatur in Pœnitentiam noſtram. 1. illam ſuadet. 2. illam perficit. 3. illam mitigat. Pœnitentiam ſuadet per intuitum ad Chriſtum, cujus mortem peccatum olim procuravit ac etiamnum renovat. Perficit, quia ſatisfactiones & merita Chriſti, pœnitentiæ noſtræ communicat. Mitigat, per exemplum Chriſti & utilitatem quam profert.

3. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Joan. 14 Crux fuit Chriſto, 1. Pugnæ campus; 2. Victoriæ Inſtrumentum. 3. Triumphi Currus. Vel ex Auguſtini mente variis in locis, 1. Cubile, ſeu *Thalamus parturientis*. l. 2. de ſymb. c. 6. Secundò, *Altare Sacrificantis*. ſer. de Temp. 139. Tertiò, *Cathedra Docentis*. Quartò, *Tribunal Judicantis*. Aug. tract. 31. in Joan. ſic ſcribit: *Ipſa Crux, ſi attendis Tribunal fuit: in medio autem Judice conſtituto, unus Latro qui credidit liberatus eſt; alius qui inſultavit damnatus eſt.*

4 *De S. Monica Vidua.*

1. **O***S ſuum aperuit ſapientiæ, & Lex Clementiæ in lingua ejus, conſideravit ſemitas domus ſuæ*. Proverb. 31. Providentia Dei quæ unicuique rei gratiam neceſſariam largitur, triplici Regiminis generi proprias & ſubſidiarias Virtutes concedit. Regibus quidem Gratias Monarchicas: Magiſtratibus Politicas & Civiles; Præpoſitis Familiarum œconomicas & domeſticas. Poſterioris iſtius generis triplex eſt Species ſeu triplex officium, pro triplici ſtatu ad quem refertur, 1. Ad Superiorem, qualis eſt Maritus, quem uxor revereri debet. 2. Ad Inferiorem, qualis eſt proles, quam inſtituere tenetur. 3. ad Medium, hoc eſt, ad ſuipſius curam. D. Monica Sanctitatis gratiam effudit in triplex ſubjectum, 1. *in Maritum*. 2. *in Filium Auguſtinum*; 3. *in ſeipſam*.

2. *Adoleſcens tibi dico, ſurge*, Luc. 7. Monicæ & Auguſtini gloria ita communis eſt, ut neuter ab altera debeat ſeparari. Ideoque oſtenditur, 1. Quid Monica dedit Auguſtino. 2. Quid Auguſtinus reddidit Monicæ. Illa dedit Corpus, educationem, & Pietatem, Sollicitudine, Precibus Lachrymis, &c. Iſte Matrem fecit lætam de ſua Converſione, participem me-

Digitized by Google

meritorum & operum ſuorum, fœcundam per inſtitutionem Ordinis numeroſiſſimi, qui eam agnoſcit matrem.

De S. Joanne ante Portam Latinam.

P*Oteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus.* Math. 20. S. Joannes duplex Martyrium paſſus eſt; 1. ſecretum & non viſum, quod omnem Martyrii pœnam experitur, nec tamen ejus ſpeciem habet. 2. Alterum publicum & viſibile, quod ſpeciem quidem Martyrii præſe fert, non tamen ejus patitur pœnam. Prius in corde per deſiderium patiendi; poſterius in corpore per experientiam ignis aliorumque tormentorum perficitur.

De B. Fœlice à Cantalicio Capuccino. 19.

E*GO Minimus in Domo Patris mei.* Judic. 6. 15. Hæc Verba quæ Gedeonis ſunt optimè B. Fœlici conveniunt: Humilitatis enim adeò ſtudioſus fuit, ut elegerit 1. Ordinem Religioſum Humilem, nempe Minorum. 2. in humili Ordine, Humilem ſtatum, nempe Laicum. 3. in humili ſtatu, Humile munus, ſcilicet, Mendicatim cæteris ſuſtentationem providere. Commendabilis fuit potiſſimùm altiſſima Paupertate, profundiſſima humilitate, illuminatiſſima Oratione, ardentiſſima Charitate, continua mortificatione, obedientia promptiſſima, &c.

De S. Bernardino Senenſi Ord. Min. 20

V*As Electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & Filiis Iſrael.* Actor. 9. 15. Obſoleverat auguſtiſſimi Nominis Jeſu memoria; ſuſcitatur Bernardinus ut eam mundo reſtituat: Ideo ejus Panegyris ducenda eſt ex triplici modo quo ſe habet ad illud pretioſum Nomen. Tria igitur ſunt penſanda, 1. Quis fuerit Bernardinus ad tale miniſterium aſſumptus, ſeu quæ præextiterint in eo virtutes, vocationis præambulæ. 2. Quodnam fuerit iſtud opus à Bernardino ſuſceptum, ſcilicet Nominis Divini Gloriam inſtaurare. 3. Quomodo ſe geſſerit ille, quo zelo, qua patientia, quibus miraculis, ſuſceptum opus perfecerit.

FESTA MENSIS JUNII.

De S. Nortberto. Die 6. Junii.

D*Edi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Iſ. 49. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodi-*

gijs & virtutibus. 2. Cor. 12. vel. *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*. 2. Cor. 3. 6. Tribus rebus abſolvitur ejuſmodi miniſterium. 1. Converſione Infidelium. 2. Fidelium regimine. 3. Religioſorum inſtitutione. Totidem Dotibus præcelluit D. Norbertus: fuit enim, 1. *Apoſtolus Germaniæ*. 2. *Epiſcopus Magdeburgenſis*. 3. *Præmonſtratenſis Patriarcha*. Germanos revocavit ab errore, ut huic miniſterio fieret idoneus, ſpectabilis fuit vocatione, Charitate & Miraculis. Magdeburgenſem Eccleſiam rexit, prudentia, verbo & exemplo. Ordinem Sacrum inſtituit, quo perennaretur, & multiplici fœtu redivivus, reſtitueret formam morum Populis, formam Diſciplinæ Eccleſiaſticis, formam perfectionis Religioſis.

11

De S. Barnaba.

1. GRatia data eſt mihi à Deo, ut ſim Miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus, ſanctificans Evangelium Dei*. Rom. 15. 16. Tribus Gratiæ donis Miniſterium D. Barnabæ laudatur. 1. eſt Miniſter, propriæ utilitatis incurioſus. 2. eſt Miniſter Domino fideliſſimus. 3. Domini Gloriam ſtudet propagare. Gall. 1. *La Pauvreté volontaire, l'a rendu un Miniſtre deſintereſſé*. 2. *ſa cooperation à la Grace, l'a rendu un Miniſtre fidelle*. 3. *ſon zele empreſſé pour le ſalut des Ames, a eſtendu la gloire & l'Empire de Ieſus-Chriſt*.

2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*. Actor. 13. Vocatio D. Barnabæ ad Apoſtolatum ſpectat ad omnes, quia ejus Miſſio ipſum delegat ad Gentium ſalutem: ſed inde conjicere licet quòd in ea re fuerit eximius. Prædicatores ſolent quatuor defectibus circa miniſterium verbi ſordere. 1. Ob vanæ gloriæ ſtudium non patiuntur in miniſterio ſocios; 2. involant in miniſterium proprio motu abſque vocatione Spiritus ſancti. 3. Partiales ſunt, & aliquos populos cæteris præponunt. 4. Laudem non Deo, ſed ſibi tribuunt. D. Barnabas fuit à præfatis vacuus; nam, 1. ad Miniſterium adſcivit D. Paulum ſuæ gloriæ & operis participem. 2. non niſi vocatus, & conſulto Spiritu S. perfecit. 3. Gentium converſionem aggreſſus eſt: At omnem miniſterii laudem in Deum retulit.

13

De S. Antonio Paduano Minorita.

1. QUi credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*. Joan. 14. 12. Verba hæc Chriſti ad Apoſtolos alioſque Evangelii miniſtros illis poſt deceſſum è mundo ſubrogatos; optimè quadrant D. Franciſco Aſſiſiati, qui ſe in Antonio redivivum cum fœnore futurum ominatur. Tribus enim rebus emicuit Franciſcus, 1. *Sanctitate vitæ*. 2. *Verbi divini prædicatione*. 3. *Miraculorum celebritate*;

To-

Totidem rebus videtur Franciſco par Antonius, immo aliquatenus major, ſaltem, quoad communem Populi opinionem; Ex comparatione igitur unius cum altero, quæ abſque invidia inſtitui debet; Antonii, 1. Sanctitas fuit aliqua ratione celebrior, & ſplendidior, quia voce publica dicitur Sanctus, quaſi Sanctitas foret ejus Character. 2. Miſſio, ſeu Prædicatio, fuit commendatior, quia Doctrina & eloquentia præſtitit, adeo, ut artifices ſua defererent opera, ad audiendum Antonium. 3. Virtus Miraculorum, fuit famoſior, quia vix aliquis Antonium invocat, quin dicto citiùs experiatur ſuffragantem.

De SS. Gervaſio & Protbaſio Martyribus. 19

*V*idi *Mulierem ebriam de ſanguine Martyrum Jeſus*. Apocal. 17. Ut inter Angelos obſervantur Hierarchiæ & Ordines, ita inter Sanctos qui Sanctitatis diverſos in Eccleſia Militante ſtatus exhibent; è quibus Martyres videntur potiorem locum obtinere. Hac virtute præcelluere DD. Gervaſius & Protaſius, peculiari enim privilegio extitere, 1. *Martyres ex Origine* ſeu Nativitate, quia ex parentibus SS. Sitali & Valeria martyribus ſpiritum martyrii ſuxere. 2. *Martyres in Vita*, quia voluntariè elegerunt paupertatem, ſervitutem & mortificationem carnis. 3. *Martyres in Morte*, quia ad eam progreſſi ſunt, incarceratione, ſuppliciis variis, ac denique capitis detruncatione. 4. *Martyres poſt Mortem*, quia Martyrii honorem excipere, tum per edita miracula, tum per funeralia & parentalia quibus ab Eccleſia ac præſertim à D. Ambroſio donata ſunt, tum etiam per exemplum martyrii quod Chriſtianis reliquere. *Exemplo eorum didicimus Chriſto credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere*, inquit D. Ambroſ. ſerm. 77.

De S. Joanne Baptiſta. 24

1. *N*on *ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*. Matth. 11. Verba iſta ſunt à Chriſto in præconium D. Joannis deſignata, ſed quæ in ipſo aliquid cæteris majus portendunt. Increatum Verbum exprimitur in creaturis diverſimodè, in inferioribus quidem velut in veſtigiis; in Angelo verò & homine, velut in Imagine. Incarnatum Verbum eſt omnium Sanctorum Exemplar, & quò aliquis eſt ei ſimilior, eò eſt Sanctior. Cæteris præcellit D. Joannes, qui contrariorum ſocietatem quæ in Chriſto reperiebatur, exhibet: in Joanne enim coeunt 1. *Innocentia & Pœnitentia*. 2. *Sublimitas & humilitas*. 3. *Fruitio & privatio*, quia Chriſtum expertus eſt ſanctificantem, viditque accedentem ut baptizaretur, ſed diu ab ipſo ſeparatus vixit in Deſerto, &c.

2. *Erit Magnus coram Domino*. Luc. 1. Quod cæteris rebus creatis negari

gari ſolent, conceditur D. Joanni Baptiſtæ, nempe ab ipſo Nativitatis exordio laudari: Iſtud peragitur ex tribus capitibus; unde *Magnus dicitur*; 1. *ex abundanti gratia quam recepit*. 2. *ex virtutibus eximiis, quas exercuit*; 3. *ex ſublimi officio, quo functus eſt*. Gratia D. Joannis conſideranda eſt, in ſanctificationis initio; in progreſſu, dum ſanctificatio augetur ex præſentia ac familiaritate Chriſti; in conſummatione, dum per ipſum excolentem perficitur. Virtutes ejus fuere triplicis generis: Ardentes in ſuo corde, Severæ & ſævientes in ſuum corpus, Humiliantes ſpiritum. Officium fuit Prædicatorem agere triplici voce; motibus corporis intra viſcera matris; Verbo & oris teſtimonio, ſupra Jordanem; Sanguine & increpatione, in Herodis Aula.

3. *Amen dico vobis, inter natos mulierum, &c.* Matth. 11. Triplici ratione dicitur præceſſiſſe cæteros hominum, 1. *Sanctitate*. 2. *Fidelitate*. 3. *Humilitate*. Atque ut augeatur prodigium, 1. nemo habuit majorem Sanctitatem, nemo auſteriorem pœnitentiam. 2. nemo ſublimius Officium, nemo Fidelitatem accuratiorem. 3. nemo Dignitatem altiorem, nemo humilitatem profundiorem oſtendit.

4. *In Nativitate ejus multi gaudebunt*. Luc. 2. Dies iſte Natalitius præter cæteros lætitia plenus eſt: Cæterorum hominum Natalitia 1. videntur Dei nullatenus intereſſe, Natale verò Joannis eſt Privilegiis à Deo celebratum. 2. Natale aliorum reatu infame eſt, Joannis autem Gratia & Sanctitate eſt locuplex. 3. Natale cæterorum, pondus eſt inutile Mundo; at Joannes naſcitur ut proficiat. Gall. 1. *Privilege abondant*; 2. *Innocence admirable*; 3. *Utilitè ſacrée, rendent cette Naiſſance auguſte à tous les ſiecles*.

5. *Non erat ille lux*. Joan. 1. 8. Hîc negativè quidem ut Deus, ſed eximiè pingitur Joannes per iſtud *Non erat*. Tria quippe quæ luci propria ſunt conveniebant Chriſto, 1. Antiquitas, quia lux eſt à conditione Mundi, Chriſtus verò eſt Lux ab æterno. 2. Independentia, quia Lux neſcit conſtringi carcere, Chriſtus autem, oritur à Patre abſque dependentia. 3. Univerſalitas, quia Lux omnem illuminat Mundum, ita Chriſtus. At hæ tres conditiones Chriſti Lucis, convenire videbantur Joanni, quas tamen ex humilitatis affectu, à ſe removet dum ait, *Non ſum*. In hoc igitur ſtat eximia D. Joannis virtus, quòd recuſaverit honorarios titulos quibus dignus cenſebatur. Nam 1. videri Lux coæva Chriſto; ò qualis ſublimitas! At ſe minorem natu profiteri; quæ humilitas! 2. Videri Lux æquè Independens, ut Chriſtus; quæ ſublimitas! At ſe ab ipſo Chriſto dependentem fateri; quæ ſinceritas! 3. Videri Lux æquè univerſalis ac Chriſtus; quæ ſublimitas! at extinctionem ambire, ut ille luceret; quæ Charitas! Gall. *Il a eſtè neceſſaire que S. Iean s'expliquaſt luy-meſme, pour nous perſuader, qu'il n'eſtoit*, 1. *ny cette Lumiere ancienne*; 2. *ny cette Lumiere independante*; 3. *ny cette Lumiere univerſelle*.

6. *Præ-*

6. *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus*. Luc. 1. 76. Triplici ratione prævertit Chriſtum Joannes, 1. ut Vox præibit ante Verbum. 2. Ut Præcurſor ante Meſſiam. 3. Ut Martyr ante Redemptorem. Gall. *Il a preparé trois voyes à Ieſus-Chriſt. 1. La voye de la Naiſſance, comme la voix de la Parole. 2. La voye de la Vie, comme le Precurſeur du Meſſie. 3. La voye de la Mort, comme le Martyr du Redempteur.*

De SS. Petro & S. Paulo Apoſtolis. 29

F*Ecit Deus duo Luminaria magna*, &c. Geneſ. 1. Triplex unio Apoſtolos iſtos conjungit. 1. *Unio Intellectus*, quæ conſtituitur per fidei Lumen. 2. *Unio Cordis*, quæ perficitur per ardorem Charitatis. 3. *Unio Operationis*, quæ per miniſterium conſummatur.

De S. Petro Apoſtolo.

1. D*Omine, tu ſcis quia amo te*. Joan. 21. 15. Peccatum Petri ex tribus circumſtantiis erat graviſſimum, in eo quippe erat 1. magna Ingratitudo. 2. Infidelitas multiplex. 3. Puſillanimitas pudenda. At in Confeſſione Petri triplex actus continetur, quo triplex ſcelus diluitur. Nam ex Auguſtino, 1. *Flendo purgatur*. 2. *Confitendo probatur*. 3. *Puniendo coronatur*. Gall. 1. *C'eſt un penitent que les larmes ont purifié. 2. C'eſt un Paſteur, que la confeſſion a approvè. 3. C'eſt un Martyr, que les ſouffrances ont couronnè.*

2. *Exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto*. Coloſſ. 1. 28. In unum Petrum conveniunt omnes virtutes quæ triplicem ordinem Fidelium conſtituunt. 1. Omnis Gratia, qua fiunt juſti. 2. Omnis Gratia, qua fiunt Pœnitentes. 3. Omnis Gratia qua fiunt Perfecti. Gall. *Il repreſente toute l'Egliſe, & a eſtè le modelle de tous les Fidelles. 1. Par ſa Foy, il eſt le tableau & le modelle des* Juſtes. *2. Par ſa penitence, il eſt le tableau & le modelle des penitens. 3. Par ſa Charitè, il eſt le tableau & le modelle des parfaits.*

3. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, &c. Matth. 16. D. Ambroſius ait, *Fides fundatus, charitate auctus, paſſione confirmatus*. Gloria igitur Petri 1. conſtituta eſt per ejus Fidem. 2. Aucta per Charitatem. 3. Per Tolerantiam & paſſionem conſummata eſt.

4. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia*, &c. Matth. 16. 17. Tria mirabilia fecit Dominus, inquit D. Bernardus, quòd Deus ſit Homo, quòd Mater Virgo, quòd Cor fidele. Illud ultimum expenditur in Petro, cujus Fides ei dignum conſtituit præconium; *Nulla enim Fides*, 1. *utilior toti Eccleſiæ*. 2. *Perfectior in ſe*. 3. *Deo Gratior*. Fuit ergo Exemplar Eccleſiæ; Ardens in ſe; meritorium erga Deum; & liquet ex remuneratione per Chriſtum Petro facta.

5. *Tres*

5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant*, &c. 1. Joan. 5. 7. Petrus triplex teſtimonium dedit Chriſto 1. *Spiritu*, per confeſſionem Fidei, *Tu es Chriſtus, &c.* 2. *Aqua*, per lachrymas Pœnitentiæ. 3. *Sanguine*, per Martyrium. His igitur tribus vocibus ſe teſtem præbuit, &c.

6. *Deus meus es tu, & confitebor tibi*. Pſ. 117. 28. Triplicem confeſſionem reddit Petrus; 1. Confitetur ſublimitatem Dei. 2. Confitetur ſuam Infirmitatem. 3. Confitetur ſuam Gratitudinem pro acceptis beneficiis.

7. *Tibi dabo Claves*, &c. Matth. 16. 19. Triplici Symbolo pingi poteſt Eccleſia, 1. ut Corpus myſticum. 2. ut Ædificium ſpirituale. 3. ut Familia ſacra. D. Petrus conſtituitur, 1. *Caput hujus Corporis*. 2. *Fundamentum ædificii*. 3. *Familiæ Pater*: Atque hæc ſunt, quæ per Claves commiſſas adumbrantur.

8. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Matth. 16. Petrus tria præſtat Eccleſiæ, 1. Eam fundat & inſtituit, ideo ipſius eſt Caput. 2. eam docet ac format, ideo eſt ejus Doctor. 3. Pro ea patitur, eſtque illius Martyr.

De S. Paulo Doctore Gentium & Apoſtolo.

1. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodigiis & virtutibus*. 2. Cor. 10. Miſſio ex delegatione Dei, involvit ſemper aliquid magnum quod fidem faciat in gratiam miſſi, &c. Paulus à Deo miſſus, prodigium eſt & miraculum in quatuor rebus, 1. *in Vocatione* ad Eccleſiam. 2. *in Eruditione*, quam à cœlo accepit. 3. *in Prædicatione* per orbem. 4. *in Morte*, quam paſſus eſt Romæ. Vide R. P. Senaut tom. 1. Paneg.

2. *Fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio*. 1. Timot. 1. 12. Tria ſunt ad quæ Chriſtus dicitur fuiſſe vehementer affectu; 1. ad veritatem, *Ego enim veni*, inquit, *ut teſtimonium veritati, &c.* 2. Ad Crucem, *propoſito enim ſibi gaudio ea ſuſtinuit*. 3. Ad Eccleſiam, quia eam *acquiſivit ſanguine ſuo*. Ad hæc eadem vocatur Paulus, ideoque cenſeri debet, 1. *Veritatis victima*. 2. *Prædicator* & Panegyriſta Crucis. 3. *Eccleſiæ Inſtitutor*, & Protector.

3. *Vivo autem, jam non Ego*. Galat. 2. 29. Chriſtus in Paulo crucifixus cernitur, 1. Sapientia incomprehenſibili, ſub opprobriis. 2. Omni potentia ſub Infirmitatibus. 3. Charitas ardens ſub inimicorum tormentis. Gall. *Une Sageſſe incomprehenſible ſous les opprobres*. 2. *Une puiſſance ſous les foibleſſes*. 3. *Une Charitè ardente, ſous des ingratitudes & des perſecutions*.

4. *Gratia Dei in me vacua non fuit*. 1. Cor. 15. Omnis Sanctorum gloria in hoc præcipuè ſtat, ut Gratiæ propoſitum & intentum expleant, &c. Paulus iſtud eximiè præſtitit per triplicem immenſitatem. 1. Deſiderio-

deriorum. 2. Actionum. 3. Paſſionum. Gall. *Il a ſecondè toute l'eſtendue de la grace de ſon miniſtere par trois differentes Immenſitez, 1. par l'Immenſitè de ſes Deſirs, 2. par l'Immenſitè de ſes Actions, 3. par l'Immenſitè de ſes Souffrances.*

5. *Poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus, & Magiſter Gentium.* 1. ad Timot. c. 1. Commune quidem eſt omnibus Apoſtolis eſſe patres & prædicatores Eccleſiæ, ſed hunc titulum ſibi præ cæteris vendicat D. Paulus; omnium enim Eccleſiarum Prædicator fuit, & omnium Prædicatorum Exemplar, &c. Chriſtus triplicem gloriam qua præcelluit, velut, Rex, Sacerdos & Prædicator, eandem participare conceſſit hominibus, ita tamen ut ex iis aliquem ſe. ..erit, qui cæteris proponatur in exemplar & Typum. Prædicationis munere donatur Paulus, quia adeò hac in re præcipuus extitit, ut, 1. *erudiat Homines & Angelos.* 2. *convertat Gentes & Judæos.* 3. *formet Prædicatores, & ad frugem revocet peccatores omnium temporum ac locorum.*

FESTA MENSIS IULII. 4

Die 2. Viſitatio B. Mariæ Virginis, vide ejus Myſteria.

De S. Elizabeth Vid. Regina Portugall.

1. D*Ate ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Proverb. 31. Triplex genus virtutum cum ſuis oppoſitis connexum exhibuit; fuit enim 1. *Author Pacis & Belli,* 2. *Liberalis & Parca.* 3. *Dignitate ſublimis, affectu humilis.* Aliis pacem & concordiam dabat, ipſi ſemper infenſa; in alios per Charitatem prodiga, in ſe per abnegationem omnium rerum parca, ab omnibus honorata, ſibi ſemper vilis & abjecta videbatur.

Diſtingui etiam poteſt tripex operum genus cui vacabat Elizabeth. 1. *Pietas in Deum.* 2. *Charitas in proximum.* 3. *Odium ſui ipſius.*

De S. Bonaventura Eccleſiæ Doctore. 14

1. M*Irabilis facta eſt Scientia tua ex me.* Pſ. 138. Scientia D. Bonaventuræ inſtar Columnæ Iſraeliticæ, fumus & ignis, obſcura & fulgens, humilis eſt ac ſimul ſplendet: Ex ea duxit, 1. Humilitatis propriæ materiem. 2. Zeli pro defenſione Eccleſiæ Inſtrumentum. Sibi obſcura eſt & fumus, quia ſemetipſum deſpicit & infimos gradus appetens altiores fugit. Deo & Eccleſiæ ignis eſt & ardor, quia utriuſque partes fortiter tuetur.

2. Hugo Victorinus lib. 7. c. 7. Cœleſt. Hierarch. ait: Tres Ordines Trinitatem circumſtant; Seraphim dilectione; Cherubim ſcientia; Throni

Dominatione. Tota hîc Trinitas eſt; Dominatio in Patre; Sapientia in Filio; Dilectio in Spiritu ſancto. Throni ad Patrem pertinent; Cherubim ad Filium, Seraphim ad Spiritum ſanctum. Bonaventuram Trinitas effinxiſſe videtur; 1. *Pater largitus eſt authoritatem*; 2.*Filius ſcientiam*; 3 *Spiritus ſanctus dilectionem*. Eſt igitur *Thronus* ob Authoritatem judicandi, quam dedit ei Pater; *Cherubim*, ob ſcientiam quam largitus eſt ei Filius; *Seraphim*, ob amorem & dilectionem cujus participem fecit eum Spiritus ſanctus. Vide Tertullianum prædicantem, titulo, Angelica perfectio. cap. 5. ubi hæc Partitio fusè explicatur & probatur.

De S. Aleſſio Confeſſore.

17

1. SI *quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & Matrem, & Uxorem, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Luc. 14. Plurimum differt ſapientia Dei à prudentia Hominum. Iſta ſolet blanditiis & voluptatibus illicere ſequaces, illa terroribus & difficultatibus. Veriſſimum ſanè eſt iſtud, quòd *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; nam difficile eſt injurias condonare, ſed difficilius patrem, &c. odiſſe. Id præſtitit D. Alexius. 1. Amorem carnis expugnavit, dum Parentes reliquit. 2. Eumdem vicit, dum Parentes recuperavit.

2. S. Alexius fuit 1. Exul in Patria & inter ſuos. 2. Virgo, inter voluptatis illecebras, Juvenis ſcilicet cum Juvene Conjuge. 3. Pauper & mendicus inter Divitias.

De S. Margareta Virg. & Mart.

20

NOn *coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*. 2. Timot. 2. B. Margareta 1. *vicit Patrem*. 2.*Se expedivit ab Amante*. 3.*Triumphavit de Tyranno.*

De S. Maria Magdalena.

22

1. DIlexit *multum*, Luc.7. Maria flet, ardet & ſuſpirat. Tria ſunt Teſtimonia quibus aliquid conſtare poteſt, nimirum 1. per Aquam, 2. per Ignem. 3. per Spiritum. His teſtimoniis probatur Magdalena; 1. *Aqua præſtat lachrymas iſti Pœnitenti*. 2. *Ignis ſuggerit ardores & curas iſti Amanti*. 4. *Spiritus dat ſuſpiria quibus hæc Sancta Deum quærit*.

2. *Dilexit multum*. Luc. 7. Non debet attendi Magdalenæ peccatum quod dimiſſum eſt; ſed Amor, quo inter primos Angelorum Ordines, ſcilicet Seraphim, ſublimata eſt. Amor igitur operatus eſt ejus, 1. Converſionem. 2. Occupationem. 3. Martyrium. 4. Remunerationem. Gall. 1. *ſa Converſion*. 2. *ſon Occupation*. 3. *ſon Martyre*. 4. *ſa Recompenſe, n'eſt qu'Amour*.

3. *Dilexit multum*. Luc. 7. Dilexit multum, hæc eſt ejus infelicitas; dile-

dilexit multum, hæc eſt ejus Gloria: Amorem igitur prophanum ſuperat divino & ſancto Amore: 1. Amorem prophanum dimittit, per Amorem Converſionis. 2. Expiat & mundat per exercitationem Pœnitentiæ. 3. Conſecrat per applicationem Deo rerum omnium quæ crimini inſervierant. Gall. *Elle a remporté trois inſignes triomphes ſur l'Amour prophane, 1. par un Amour de Converſion. 2. par un Amour d'Expiation. 3. par un Amour de Conſecration.*

4. Magdalenæ Converſio tribus conditionibus omni Pœnitentiæ neceſſariis excelluit. 1. *Celeritate*; prompta fuit abſque dilatione. 2. *Fortitudine*; generoſa fuit abſque mollitie. 3. *Integritate*; Integra fuit abſque exceptione. Vel 4. conſtans, abſque Recidiva.

5. Pœnitentia Magdalenæ eſt Expiatorium ſacrificium; nam, 1. *Expiat appetituum, flammas*, per lachrymas quas illa effundit. 2. *Expiat ſuperbiam Paſſionum*, per humiliationem quam illa patitur. 3. *Expiat Paſſionum delicias*, per dolorem quem illa voluntariè ſuſcipit.

6. *Maria optimam partem elegit*. Matth. 10. Tribus in locis Dominum illa complectitur, 1. *In Convivio* apud Phariſæum. 2. *In Calvaria* de Cruce pendentem. 3. *In Horto* extraneum fingentem. 1. In convivio abſolvitur, ut Pœnitens; 2. in Monte concrucifigitur, ut Martyr; 3. in Horto inſtituitur ut Apoſtola.

De S. Jacobo Majore. 25

1. D*Ic ut ſedeant hi duo filii mei, &c.* Matth. 20. Unuſquiſque Apoſtolorum, ſicut Sanctorum quilibet, proprio ſanctitatis charactere fulget, quo à cæteris diſtinguitur, &c. D. Jacobus eſt, 1. *Primus in Eccleſia Peregrinus*, quia prior omnia dimiſit ut Evangelii prædicandi miniſterio ſe dederet. 2. *Primus Hiſpaniarum Epiſcopus*, quia prior his populis convertendis operam navavit. 3. *Primus Chriſti Martyr*, quia prior pro fidei cauſa ſanguinem fudit.

2. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas & dealbaverunt eas in ſanguine Agni*. Apoc. 7. Triplici ratione S. Jacobus cum ſanguine Chriſti conjunctus eſt. 1. Sanguinem Chriſti excepit venis, velut ejus Germanus. 2. Lingua, velut Apoſtolus. 3. Fide, velut Martyr. Gall. *Il a eu trois rapports avec le Sang de Jeſus-Chriſt. 1. Il l'a receu dans ſes veines comme ſon Parent. 2. Il l'a porté ſur ſa Langue, comme ſon Apoſtre. 3. Il l'a ſoutenu par ſon courage, comme ſon Martyr.*

3. *Facti eſtis prope in Sanguine Chriſti*. Epheſ. 2. 13. Tres illi Nativitates Deus conceſſit, unde character ejus, ac præconium deſumuntur. 1. Deus Jacobum eduxit ex ſanguine Chriſti Regis. 2. Ex ſanguine Chriſti Sacerdotis. 3. Ex ſanguine Chriſti Dei. Prima quidem nativitate factus eſt obſequentiſſimus Regis ſubditus. Altera factus eſt ſanctus Sacerdotii ſucceſſor. Tertia, Dei Filius.

De S. Chriſtophoro Martyre.

G*Lorificate & portate Deum in corpore veſtro*. 1. Cor. 6. Triplici modo S. Chriſtophorus Chriſtum portavit. 1. *in Lingua*, velut Prædicator & Apoſtolus. 2. *in Manibus* velut Thaumaturgus, & Miraculorum Artifex. 3. *in Corpore*, veluti Martyr & Crucifixi ſedulus imitator.

26 *De S. Anna Virginis Matre.*

1. S*Imile eſt Regnum Cœlorum Theſauro abſcondito in agro*. Matth. 13. Ex D. Chryſoſtomi ſenſu, Panegyriſtæ in alicujus Sancti præconium laborantes, comparandi ſunt Metallicis foſſoribus qui ab externa terræ facie inculta progrediuntur ad occultas & abſconditas aurifodinas, &c. D. Anna eſt in ſpecie incultus & ſterilis ager, ſed ſi effodiatur, ſuggeret pretioſiſſimum Theſaurum, nempe Mariam Virginem, cum qua triplici modo comparatur: 1. velut principium Mariæ productivum. 2. velut poteſtas ſeu Authoritas jus in Mariam ſortita. 3. velut Educationis illius cuſtos & præſes. Gall. S. *Anne poſſede Noſtre-Dame comme ſa Fille en trois manieres*. 1. *Elle a cooperè a ſa production*. 2. *Elle à autoritè ſur elle*. 3. *Elle a travaillè à ſon Education*.

2. *Pro patribus tuis nata eſt tibi filia, conſtitues eam Principem ſuper omnem terram*. Pſ. 44. Difficile quidem eſt Cordis arcana ſcrutari, conjiciuntur tamen per opera illorum indicia. D. Annæ dignitas penetrari nequit aut percipi, niſi per Mariam ejus Filiam; Ideoque Annæ Gloria in duobus ſtat; ſcilicet, 1. Quid Anna dederit Mariæ. 2. Quid Maria reddiderit Annæ. Anna Mariæ præſtitit Vitam, Educationem, Conſecrationem, quæ Matre offerente peracta eſt in Templo. Maria reddidit Annæ obſequium, eamque Virtutum ac Gratiarum ſuarum participem effecit.

29 *De S. Martha Virgine.*

1. J*Eſus intravit in quoddam Caſtellum, & mulier nomine Martha, excepit illum in domum ſuam*. Luc. 10. Se totam Chriſto dicavit Martha; ut pote quæ illi conſecraverit, 1. Cor velut Amica. 2. Bona ſeu domum, veluti Hoſpita. 3. Corpus, veluti virgo.

2. Triplici titulo potiſſimùm commendatur; nempe quia fuit, 1. *Chriſti Hoſpita*. 2. *Evangelii Apoſtola*. 3. *Sanctitatis Exemplar*. Chriſto præſtitit affectum, officium & ſubſidium. Fidem quam imbiberat, in alios transfudit verbo, auxit peregrinatione, firmavit miraculis. Sanctitatis exempla edidit, rerum temporalium repudio, orationis exercitio, mortificationis & virginitatis profeſſione.

De

De S. Germano Altiſiodorenſi Epiſcopo. 30

1. G*Ratia Dei in me vacua non fuit.* 1. Corint. 15. Diverſa Gratiarum genera quibus præcelluit D. Germanus, ad tria capita revocantur: nimirum, 1. *Ad Sacerdotium.* 2. *ad Prælaturam.* 3. *ad Apoſtolatum.* Gratiæ igitur reſpondit, 1. velut Sanctus in Eccleſiaſtico ſtatu, 2. veluti Epiſcopus in Diœceſi. 3. veluti Apoſtolus in Eccleſia.

2. *Omnia omnibus factus ſum, ut omnes Lucrifacerem.* 1.Cor.9. Charitas quæ varios induit vultus iis quos accendit, diverſas perſonas D. Germano ſuggeſſit, pro triplici ratione qua cum Deo & proximo comparatur. Nempe, 1. cum Peccatoribus, his apud Deum Mediator adeſt Precibus. 2. cum Pauperibus, his Pater eſt Largitionibus. 3. cum Regibus, his Magiſter eſt & præceptor, ſuis Conſiliis. 1. *Preces Mediatoris.* 2. *Pietas Patris.* 3. *Authoritas Magiſtri;* 1. *Peccatoribus.* 2. *Pauperibus.* 3. *Regibus, commendant S. Germanum.*

De S. Ignatio Loyolæo Societatis Jeſu Fundatore. 31

1. Q*Uicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2. Creaturarum gloria in eo ſtat quòd inſerviant gloriæ Creatoris, &c. S. Ignatius Glorificavit eum, 1. Propriis manibus. 2. Diſcipulorum Zelo.

2. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Lucæ 12. 49. Deus maxima quæque opera perficit Ignis miniſterio, ſed præcipuè Lucem, Ardorem, & Fulmen: Adhibuit verò D. Ignatium ejuſque Societatem, veluti Sacram Ignis Divini officinam, unde tria magni momenti opera confecit, videlicet, 1. Lumen, quo Mundi tenebras illuſtraret. 2. Ardorem, quo inflammaret Cordium Gelu. 3. Fulgur, quo Nominis ſui Hoſtes debellaret ac puniret. Gall. *Dieu a fait de S. Ignace & de ſes Enfans, 1. la Lumiere, pour èclairer les tenebres de l'Eſprit. 2. la chaleur, pour èchauffer la glace des Cœurs. 3. le Foudre pour ſoutenir & vanger ſes intereſts, & chaſtier la malice de ſes Ennemis.*

FESTA MENSIS AUGUSTI.

De S. Petro ad Vincula. 1

E*Rat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus cathenis duabus.* Act. 12. Difficile quidem eſt unire honorem, voluptatem & utilitatem, ſed difficilius aliquid operatus eſt Deus in vinculis Petri, in quibus tot contraria conjunxit totidem contrariis: nimirum copulavit, 1. *voluptatem cum dolore.* 2. *Utilitatem cum jactura.* 3. *Honorem cum infamia.*

De

Digitized by Google

De S. Maria Angelorum. Conſule Myſteria B. Virginis.

De S. Dominico Prædicatorum Patriarcha.

4

1. P*Oſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtolus, & Magiſter Gentium.* 2. ad Timot. 2. Chriſtus omnium perfectionum origo & exemplar, in pluribus hominum præcipuis ſe ſe imitandum exhibuit; ac maximè per S. Dominicum tradidit abſolutum perfecti Prædicatoris Typum: in illo enim copulavit, 1. *Scientiam cum Gratia.* 2. *Exempla cum Miraculis.* 3. *Zelum cum Prudentia.*

2. *Zelus Domus tuæ comedit me.* Pſ. 68. In quatuor Templis emicuit Zelus S. Dominici, 1. in proprio Corpore, quod conſecravit. 2. in Eccleſia Chriſti, quam tuitus eſt. 3. in ordine Prædicatorum, quem fundavit. 4. in Confraternitate Roſarii, quam inſtituit.

10 *De S. Laurentio.*

1. I*Gne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Pſ. 16. Controvertitur inter Doctores, quodnam ex quatuor Elementis potiorem in orbis conſtitutione obtineat partem, &c. Lactantius primam concedit Igni. Quidquid ſit de cæteris, quantum ad D. Laurentium ſpectat, comperio, quòd Ignis omnes erga ipſum vices obeat. 1. Ignis Elementaris ſit illius ſupplicium. 2. Ignis Charitatis, ſit illius fortitudo. 3. Ignis Divinitatis, ſit illius merces & præmium.

2. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte; Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Pſ. 16. D. Laurentio ignis fuit, 1. *Tribunal*, in quo interrogatus eſt, videamus quod teſtimonium reddiderit. 2. *Pugnæ campus*, in quo tentatus eſt, videamus victoriam quam reportavit. 3. *Altare*, in quo immolatur, videamus ſacrificium quod ibi perfecit.

3. *Bonum certamen certavi, &c.* 2. ad Timot. 4. 7. Triplici virtute excelluit in Martyrio D. Laurentius. 1. *Diffidentia ſui*, propterea ſe ſe diligenter paravit ante certamen. 2. *Prudentia*, qua ſibi ſempre conſtitit tempore certaminis. 3. *Charitate*, qua poſt certamen inimicis amorem teſtatus eſt.

12 *De S. Clara V.*

Q*Uàm pulchra eſt caſta Generatio cum Charitate!* Sap. 4. Triplici vinculo cum Gratia juncta eſt S. Clara, veluti, Filia, Sponſa & Mater. Fuit, 1. *Filia D. Franciſci.* 2. *Sponſa Jeſu.* 3. *Mater ſui Ordinis.*

De Aſſumptione B. Virginis, in Myſteriis ejuſdem.

De S. Hyacinto Confeſſ. ord. FF. Prædic. 16

I*Mitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* 1. Cor. 4. Veriſſima eſt ſententia, cùm in Natura, tum in Gratia, quòd ſit aliquod Primum regula cæterorum, juxta quod eorumdem perfectio debeat commenſurari. Ita Sol in Natura, Chriſtus in Gratia, Patriarchæ in Ordinibus, &c. S. Hyacintus cum D. Dominico triplici ratione componitur. Fuit 1. Miniſterii Coadjutor in Ordinis inſtitutione. 2. Hæres ac particeps Spiritus & zeli. 3. Paternorum exemplorum ac virtutum imitator eximius.

De S. Bernardo. 20

1. F*idelis ſermo : ſi commortui ſumus & convivemus ; ſi ſuſtinemus & conregnabimus.* 2. Timot. 2. Natura dat vitam ante mortem, Gratia verò mortem infert ut det vitam. Mortificatio ceſſit in partem D. Bernardo, indeque hauſit vitam. D. Bernardus, 1. mortuus eſt ſibi, ut in ipſo viveret Chriſtus. 2. Silentium indixit ſibi, ut per ipſum loqueretur Chriſtus. 3. Sancto quievit otio, ut in ipſo & per ipſum Chriſtus operaretur. Hæc partitio ſumpta eſt ex eodem Bernardo in Meditationibus.

2. *Collabora Evangelio ſecundùm virtutem Dei.* 2. ad Timot. 1. D. Bernardi tota Gloria deſumitur ex eo quòd Evangelio profuerit. Tria verò teſtimonia præſtitit Evangelio Chriſti, reſpectu ſui, Eccleſiæ & Religioſi ſtatus. 1. Evangelii ſeveriores Leges obſervavit in ſeipſo. 2. Ejus Sanctitatem tuitus eſt in Eccleſiæ periculis. 3. Ejus Gloriam intulit in ſtatum Religioſum. Gall. 1. *Il a pratiquè les plus rigoureuſes Loix de l'Evangile en luy-meſme.* 2. *Il a ſoutenu ſa Saintetè dans les dangers de l'Egliſe.* 3. *Il a portè ſa gloire dans l'Eſtat Religieux.*

3. *Factum eſt verbum Domini ad me.* Jerem. 1. Ex ipſo D. Bernardo in ſermone de verbo Dei conjici debent beneficia quæ ipſe ab illo excepit. Triplex autem eſt Verbum Dei, aliud Increatum, Inſpiratum aliud, aliud Incarnatum ; inde ille eſt ſecundùm gratiam Filius, Pater & Frater. 1. *Per ſuam Vocationem, eſt increati Verbi Filius.* 2. *Per Prædicationem eſt Inſpirati Verbi Pater.* 3. *Per Profeſſionem Religioſam eſt Incarnati Verbi Frater.*

De

De S. Bartholomæo.

24

1. *Sicut tu me miſiſti in Mundum, & Ego miſi eos in Mundum*. Joann. 17. Chriſtus venit in Mundum præcipuè, ut prædicaret Evangelium Hominibus, ut inde ejiceret Dæmones, & ut pateretur propter Gloriam Patris: At veluti ſi plenè propoſitum iſtud necdum exequi potuiſſet, ad hæc tria opera ſocios adjunxit Apoſtolos, & maximè D. Bartholomæum, quem ideo elegit, 1. ut Prædicaret Evangelium in Mundo: 2. ut ex eo Dæmones pelleret. 3. ut tormenta quæ ipſe non fuerat paſſus, in chariſſimo Diſcipulo experiretur.

2. *Eſt ſecundùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi*. 1. ad Timot. 1. Conſiderari debet Evangelium Chriſti in S. Bartholomæo ſecundùm tres ſtatus, 1. ut in ejus Corde exceptum. 2. ut per os ejus prædicatum. 3. ut ejus ſanguine firmatum. Gall. 1. *Il a receu l'Evangile de Jeſus dans ſon cœur avec beaucoup de ſoumiſſion*. 2. *Il l'a preſclè par ſa bouche avec beaucoup de vigueur*. 3. *Il l'a ſcellè de ſon ſang avec beaucoup d'èclat*.

3. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*. Math. 10. 16. D. Bartholomæus prudentiam Serpentis imitatus, 1. Veterem deponit pellem, id eſt, Mundanos affectus. 2. Cætera periculo exponit, ut Caput, id eſt, Chriſtum ſalvet. 3. Venenum, id eſt, Iram & odium dimittit ut ad fontem, Deum, accedat.

4. *Detraxerunt Pellem Holocauſtorum, ut offerrentur Domino*. 2. Paralip. 35. 11. Ex Philone Mundus eſt Templum Dei, D. Bartholomæus, 1. fuit *Victima Crudelitatis*. 2. *Victima Charitatis*. 3. *Victima honoris Divini*.

5. *Servus meus es tu, & in te glorìabor*. Iſai. 49. 3. S. Bartholomæus, 1. egit cauſam Gratiæ Dei, in ſua vocatione. 2. Egit cauſam veritatis, in ſua Prædicatione. 3. Egit cauſam gloriæ Dei, in ſua morte.

De S. Ludovico Rege Galliæ.

25

1. *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti*. 1. Cor. 4. S. Ludovicus virtutes Religioſorum inter Aulicum ſplendorem profeſſus, celebrem illam ſententiam explevit, *Abſtine & Suſtine*; fuit enim, 1. inter delicias Caſtus. 2. inter magnitudines Humilis. 3. inter adverſos caſus Fortis & invincibilis. Gall. *Il a eſtè*, 1. *Chaſte dans les Delices*. 2. *Humble dans les Grandeurs*. 3. *Invincible dans ſa defaite*.

2. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum*. Apocalypſ. 5. Chriſtus in S. Ludovico imperavit triplici ratione. Regnavit igitur, 1. in ipſo, quia ſuperavit omnia impedimenta, quæ ſublimitas illius Gratiæ ponebat veluti obices. 2. ſuper ipſum, quia ſuaſit ut pedibus conculcaret Coronæ appendi-

dices. 3. Per ipſum, qui Gloriam ejus ad mortem uſque tuitus eſt. Gall. *Ieſus-Chriſt 1. a Regnè en luy, parce que par ce Saint il a triomphè de tous les empeſchemens que ſa dignitè oppoſoit a la grace. 2. Il a Regnè ſur luy, parce que il luy a fait ſouler aux pieds tous les advantages de la Couronne. 3. Il a Regnè par luy, parce qu' il a ſouſtenu ſa gloire juſqu' a ſa mort.*

De S. Auguſtino Epiſcopo & Doctore. 28

1. G*Ratia Dei ſum id quod ſum, & Gratia ejus in me vacua non fuit.* 1. Cor. 15. Gratia trium Perſonarum Trinitatis imago, exprimit Patrem Poteſtate, Filium Veritate & Lumine, Spiritum S. Amore; Ideoque ſecundum tres illos effectus in Auguſtino debet attendi. Gratia ſcilicet, 1. *ut Lumen fecit Auguſtinum Doctorem.* 2. *ut Poteſtas & virtus, fecit Militem.* 3. *ut ſuavitas fecit Amantem.*

2. *Gratia Dei ſum id quod ſum, &c.* Alternis vicibus Gratia & Auguſtinus ſibi mutuò triumphum erigunt. 1. Gratria triumphum Auguſtini effecit, dum illum à peccato ac pœnitentiam evocavit. 2. Auguſtinus Gratiæ triumphum effecit, dum pro illa ſtrenuiſſimè decertavit.

3. *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Math. 23. Filius Dei in Auguſtino veluti rurſus incarnatus, ipſum implevit omni quo poterat modo impleri. 1. Ipſius Intellectum, omni ſapientiæ Lumine implevit. 2. Ipſius Cor omni Amoris flamma implevit. 3. Ipſius Perſonam, omni exemplorum imitatione implevit.

4. *Tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas; & dixit Deus: Fiat Lux.* Geneſ. 1. Auguſtini mens Abyſſus tenebroſa fuit, Aquis Lachrymarum à S. Monica fuſis ſupervectus Spiritus, inde Lumen Eccleſiæ eduxit, &c. Chriſtus Fons, Lux & Ardor, efficit Pœnitentes, Doctores & Amantes; in Auguſtino exhibuit, 1. Pœnitentium Triſtiorem & conſolatione magis affectum. 2. ſublimiorem, & humiliorem Doctorum. 3. mitiorem & ſeveriorem Amantium. Gall. *Ieſus-Chriſt a fait d' Auguſtin, 1. le plus affligè & le plus conſolè des Penitent. 2. le plus ſublime & le plus humble de Docteurs. 3. le plus doux & le plus rigoreus des Amans.*

5. *Gratia Dei ſum id quod ſum, &c.* Auguſtinus Gratiæ Prodigium fuit, &c. Gratia in illo tria miracula operata eſt, Lumine, Ardore & Fœcunditate. 1. Ex Peccatore cœco fecit Pœnitentem illuminatum. 2. Ex Amante reo fecit Amantem Sacrum. 3. Ex Hæretico periculoſo, fecit Doctorem ſublimem. Gall *Les trois qualitez de la Grace, Lumiere, Ardeur, Fecondit', ont fait chacune un chef d'œuvre dans S. Auguſtin. 1. la Lumiere a fait d' un Pecheur aveugle un Penitent èclairè. 2. ſon Ardeur a fait d' un Amant criminel un Amant Sacrè. 3. ſa Fecondit è a fait d' un Heretique dangereux un ſublime Docteur.*

6. *Triumphat nos Deus in Chriſto Ieſu.* 2. Cor. 2. 14. Tribus inſignibus

Digitized by Google

ornatur Auguſtini Tabella. Flamma, Sagitta, Libro. Prior ad charitatem ſpectat, ad Gratiam altera, tertius ad veritatem. Hinc in Auguſtino tria prodigia ſuſpicare, 1. Gratia ſagittis armata vulneravit & vicit cor Auguſtini. 2. Charitas flammis ſtipata, cor Auguſtini accendit. 3. Veritas Libro ſignificata cor Auguſtini erudivit. Gall. *Auguſtin eſt* 1. *la plus riche conqueſte de la Grace*. 2. *le plus illuſtre triomphe de la Charité*. 3. *le plus genereux déſenſeur de la verité*.

7. *Lingua Sapientum ornat Scientiam*. Proverb. 15. 2. Auguſtinus abſtulit Scientiæ tres defectus, quibus eam repererat infamem. 1. Invenerat tumidam & ſuperbam, hanc reddidit humilem. 2. Vanam & inutilem invenerat, reddidit utilem & proficuam. 3. Invenerat frigidam, reddidit ardentem.

8. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit Gratia*. Rom.5.20. Triplex Gratiæ Genus in Auguſtino ſuperabundavit, 1. Actualis Gratia; 2. Habitualis, 3. Gratuita. 1. Gratia Actualis ipſum convertit, & ex magno Peccatore magnum efficit Pœnitentem. 2. Habitualis ipſum ſanctificat, & ex Amante prophano, Amantem ſacrum efficit. 3. Gratuita ipſius intellectum illuſtrat, & ex Hæretico pernicioſiſſimo utiliſſimum Eccleſiæ Doctorem efficit.

9. *Gratia Dei ſum id quod ſum*. 1. Cor. 15. Nemo Peccator, 1. tamdiu expugnatus eſt à Gratia. 2. tam plene devictus eſt ac debellatus à Gratia. 3. tam glorioſè pro Gratia pugnavit. Gall. *Il n'y a point de Pecheur qui ait eſté ſi longuement combattu par la Grace*. 2. *qui ait eſté plus pleinement vaincu par la Grace*. 3. *qui ait plus glorieuſement triomphé pour la Grace*.

10. *Gratia Dei in me vacua non fuit*. 1. Cor. 15. Auguſtinus non ſolùm plenus fuit gratiæ, ſed Gratiæ plenitudinem poſſedit, tum in Gratiæ principio, tum in ejus Natura, tum in ejus fine. 1. Secundùm Gratiæ principium, expertus eſt ejus Potentiam. 2. ſecundùm Gratiæ Naturam, ſcrutatus eſt ejus Myſteria. 3. ſecundùm Gratiæ finem, extitit ejus prodigium. 1. Vis Gratiæ fecit ex Auguſtino admirabilem Pœnitentem. 2. Gratiæ Myſteria fecere Doctorem incomparabilem. 3. Gratiæ ſcopus fecit Sanctum perfectum. Gall. *Il a poſſedé la plenitude de la Grace, qui en a fait* 1. *un Penitent admirable*; 2. *un Docteur incomparable*. 3. *un Juſte accomplis*.

11. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit Gratia*. Rom. 5. 20. Auguſtinus fuit, 1. Gratiæ hoſtis, ante Converſionem. 2. Gratiæ Diſcipulus, in Converſione. 3. Gratiæ Doctor, poſt Converſionem.

12. *Ubi Abundavit delictum*, &c. Gratia ex Auguſtino triumphum celeberrimum referens, gloriari poteſt, quòd in eo, 1. illuſtravit cœcum. 2. liberavit captivum. 3. ſanavit ægrotum, 4. ſuſcitavit mortuum.

13. *Gaudium erit in cœlo, ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente*. Luc.

Luc. 15. 7. Paulus & Auguſtinus fuere ſimiles; 1. in Delicto. 2. in Converſione. 3. in Pœnitentia.

Decollatio S. Joannis Baptiſtæ. 29

1. V*Olo ut protinus des mihi in Diſco, caput Joannis Baptiſtæ.* Marc. 6. Non caſu, ſed ex providentia Dei permittentis occiſus eſt S. Joannes Baptiſta. 1. ut hac morte diſponeretur ad credendam Chriſti mortem. 2. ut hinc ſuaderentur Caſtitatis amor. & Adulterii odium. 3. ut hinc innoteſcerent damna, quæ à conviviis, comeſſationibus & choræis oriuntur.

FESTA MENSIS SEPTEMBRIS.

De S. Lupo Epiſc. 1.

1. E*Go ſum Paſtor bonus.* Joan. 10. S. Lupus pro ſuo Grege præſtitit tria, quæ optimi Paſtoris omnia complectuntur debita. 1. Gregis ſui peccata expianda ſuſcipit per propriam Pœnitentiam. 2. Gregis ſui pericula propulſat, per animi ſui fortitudinem. 3. Gregis ſui miſerias experitur per Compaſſionem.

2. *Quis putas eſt Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper Familiam ſuam?* Math. 24. Triplex bonorum Epiſcopis commiſſorum genus fideliter diſpenſavit Lupus. 1. Bona Spiritualia, quia Gregem neceſſaria doctrina inſtituit. 2. Bona Temporalia, quia Divitias Pauperibus diſtribuit. 3. Bona partim Spiritualia, partim Temporalia, quia Dei & Altarium cauſam fortiter tuitus eſt.

De S. Ægidio Abbate. 1

Q*Ui ſe humiliat exaltabitur.* Luc. 14. Is eſt Gratiæ Genius ut Sanctos occultari & latere ſuadeat; Deus verò eoſdem curat exaltari. Res in S. Ægidio patet. 1. Paupertatem elegit ex affectu contemptus, illum Deus gratiis pluribus donavit ut honoraretur. 2. Exilio ſe damnat, ut occultetur, illum Deus miraculis manifeſtat. 3. Beſtiarum ſocietatem in Deſertis ambit, huic Deus Reges in Subditos præſtat.

Nativitas B. V. Mariæ. Vide in Myſteriis.

De S. Nicolao Tolentinate Ord. S. Auguſtin. 10

1. Q*Uos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri Imagini Filii ſui.* Rom. 8. S. Nicolaus Tolent. imitatus eſt Chriſti, 1. *Innocentiam*, 2. *Pœnitentiam*. 3. *Beatitudinem*.

2. *Ad Imaginem Dei creavit illum*. Geneſ. 1. Pluribus rebus Chriſti Imago fuit Nicolaus Tol. 1. ſuſpiriis expetitus eſt. 2. per ſtellam annuntiatus. 3. per Tentationem probatus. 4. per Jejunium ſanctificatus. 5. per Amorem conſummatus.

3. *Diligit Dominus portas Sion*. Pſ.86. 2. Amor B.Virginis in Nicolaum tribus Miraculorum generibus emicuit: 1. in Nativitate Mundana. 2. in Nativitate Religioſa. 3. in Nativitate Glorioſa.

4. *Vadam ad montem Myrrhæ*. Cantic. 4. 6. Triplici Amoris genere commendatur. 1. *Amore ſeverò in ſeipſum*. 2. *Amore generoſo in Deum*. 3. *Amore tenero in Proximum*.

5. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſ. 115. 12. Deo reſpondit ſecundùm tres ſtatus. 1. ut Religioſus, fuit Religioſorum exemplar. 2. ut Sacerdos, Sacerdotum forma. 3. ut Prædicator, Prædicatorum typus.

6. *Certamen dedit illi forte ut vinceret*. Sap.10. Triplici certamine inito cum rebus ad vincendum difficilibus, eaſdem vicit, ad imitationem Chriſti Victoris: nempe vicit, 1. Dœmonis malitiam in Deſerto, per Jejunium; 2. Juſtitiam Dei per orationem, non ſecus ac Chriſtus in Calvariæ monte. 3. Naturæ vires ac proprietates, per miracula & panes ſalutiferos, ad imitationem Chriſti in Cænaculo per Euchariſtiæ miraculum.

Exaltatio S. Crucis.

14

1. EGo *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Joan. 12. Dei virtus in hoc emicat, quòd contrarium ex contrario educit, ut liquet in Cruce, in qua feliciter eduxit, 1. Sapientiam ex ſtultitia. 2. Fortitudinem ex infirmitate. 3. Gloriam ex opprobrio. 4. Vitam ex morte.

2. *Elevabit Signum in Nationibus*. Iſai. 5. Religio triplicem agnoſcit in Cruce elevationem honorificam; hanc enim profitetur, 1. Veluti *Thronum ſui Regis*. 2. *Tribunal ſui Judicis*. 3. *Cathedram ſui Doctoris*.

Stigmata S.Franciſci Aſſiſiatis.

17

1. EGo *Stigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti, in corpore meo porto*. Galat. 6. Dolores Chriſti diverſimodè à diverſis Sanctis patientia commendatis expreſſi, à D. Franciſco pleniùs exhibiti ſunt, unde Martyris Chriſti fuit nobilius & explicatius Tranſſumptum. Immo, Martyrium D. Franciſci videtur Chriſti martyrium in aliquibus ſuperare. 1. *Rigore*, quia non ab Hominibus ſed ab Angelis peractum eſt. 2. *Duratione*, quia non per tres horas, ſed per biennium perſeveravit. 3. *Sanctitate*, quia in illo nullum Sacrilegium repertum eſt.

2. De-

2. *Dominus voluit conterere eum in Infirmitate.* Iſai. 53. 10. Triplici reſpectu poſſunt conſiderari D. Franciſci Stigmata. 1. Veluti Myſterium Amoris, quia à Seraphino Charitatis miniſtro inflicta ſunt. 2. Veluti Myſterium Doloris, quia ſacrificandæ pro peccatoribus Victimæ rationem in ſe tranſſumpſit. 3. Veluti Myniſterium Fœcunditatis, quia inde numeroſiſſima proles orta eſt.

S. *Thomas à Villa-Nova Epiſcopus.* 18

1. E*Leemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Eccli. 31. Miſeratio videbatur orta cum ipſo ex utero matris, ideoque per omnes ejus vitæ Status claruit. 1. In Clauſtro Religioſo, per Eleemoſynas cùm ſpirituales, tum corporales, quas procuravit. 2. In Trono Epiſcopali, per Eleemoſynas, cùm ſpirituales, tum corporales quas ipſe largitus eſt. 3. In Sepulchro, per Charitatis exempla quæ præſtitit etiam poſt mortem.

2. *Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Luc. 7. 16. S. Thomas Propheta fuit, quo Deus viſitavit plebem ſuam, commodatis ſcilicet Divinis Attributis. 1. Divina Miſericordia, per eum ſuadet Eleemoſynas. 2. Sapientia, tribuit Lumen & intelligentiam. 3. Omnipotentia, concedit miraculorum virtutem.

3. *Ego ſum Paſtor bonus.* Joan. 20. Ex D. Ambroſio in Luc. Paſtores ſunt Vicarii Amoris Chriſti, &c. Paſtorali officio eximiè functus eſt D. Thomas ad imitationem Chriſti, &c. 1. *Pater fuit Pauperum*, hos enutrivit. 2. *Via fuit Errantium*, hos reduxit. 3. *Azylum vexatorum*, ſeu afflictorum, hos protexit.

S. *Matthæus Apoſtolus.* 21

1. V*Idit Ieſus hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine; & ait illi: Sequere me.* Matth. 9. Deus licèt immutabilis, eſt tamen omnium mutationum author, ac præcipuè in Matthæo efficit, 1. ex magno peccatore magnum Sanctum. 2. Ex Avaro, Paupertatis Evangelicæ ſectatorem. 3. Ex Publicano, Apoſtolum & Martyrem.

2. *Cùm tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine; & ait illi, Sequere me, & ſurgens ſequutus eſt eum.* Matth. 9. Colligatur cum liberatore Chriſto Matthæus, 1. *In Vocatione*, per obedientiam & promp titudinem. 2. *In Miniſterio*, per zelum & perſeverantiam. 3. *In Morte*, per puritatem & fœcunditatem.

3. *Cùm tranſiret Jeſus, vidit hominem, &c.* Duo hìc ſunt attendenda, nimirum, 1. Quis ſit ille qui vocat? Chriſtus eſt. 2. Quis vocatur? Matthæus eſt. 1. Chriſtus vocat 1. cum Imperio, quia jubet ſequelam. 2. cum Poteſtate, quia dat facultatem adimplendi quod juſſum eſt. 3. cum Benevolen-

volentia, quia officium digniſſimum committit. 2. Ex parte Matthæi, conſiderandæ ſunt, 1. Obedientia, qua paret Imperio Gratiæ vocantis. 2. Fidelitas, qua reſpondet Poteſtati virtutem tribuenti. 3. Gratitudo, qua grande officium ſuſcipit.

4. *Relictis omnibus ſequuti ſunt eum*. Matth. 9. In eo quod D. Matthæus omnia pro Chriſto citiſſimè reliquit, demonſtrat 1. nihil eſſe facilius quàm ſequi Chriſtum, quia nos Gratiæ illecebris allicit. 2. Nihil eſſe utilius, quia in eo omnia quæ poſſumus deſiderare, reperimus. 3. Nihil eſſe glorioſius, quia hujus ſequelæ finis eſt Gloriæ adeptio.

26 S. *Euſtachio Martyr*.

Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum.* Job. 2. In veteri Teſtamento reperiuntur Sanctorum aliqui adeo ſimiles aliquibus novi Teſtamenti Sanctis, ut illi ſint veluti horum figuræ. Ita ſe habent Job & S. Euſtachius. Conferantur in duorum ſtatuum circumſtantiis. 1. In jactura quam uterque paſſus eſt, cùm à primo gradu Bonorum excidit. 2. In altero gradu, ad quem poſt caſum uterque revocatus eſt; atque inde videbitur Euſtachius duriorem fortunam expertus. Vide R. P. Senault in hoc Parallelo.

27 SS. *Coſmas & Damianus MM.*

P*Ertranſiit benefaciendo & ſanando omnes*. Act. 10. Natura humana undique ægrota, indiguit Chriſto Medico, qui ejus infirmitatibus mederetur, &c. Chriſto ſucceſſere Sancti, qui eundem imitati, reſtituendæ ſanitati deduntur; atque in primis SS. Coſmas & Damianus, qui quatuor dotibus excelluere; ut videlicet, 1. ſanabant ſuaviter abſque dolore. 2. quorum ſanabant corpora, horum ſanabant & mentes. 3. ſanabant abſque utilitatis propriæ ſtudio. 4. ſanabant ſuo ſanguine, eoſdem, qui illum fuderant.

29 *De S. Michaele Archangelo*.

1. F*Actum eſt prælium magnum in cœlo; Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*. Apocalypſ. 12. Inſtituitur comparatio inter Angelos & Homines, è quibus illi pluribus rebus præ aliis excellentes à Deo creati ſunt, ſed inde Lucifer Angelorum primas, inſoleſcens, paravit ſibi ac ſociis ex rebellione caſum & damnationem, &c. His obſtitit D. Michael; qui propterea triplici virtute commendabilem ſeſe præſtitit, 1. Fidelitate; 2. Fortitudine; 3. Humilitate. Fidelis fuit, in Tentatione, quia ſociis pellicientibus ad rebellionem non adhæſit; Fortis in Prælio, quia numeroſam Hoſtium multitudinem aggreſſus eſt, Dei cauſa.

ta. Humilis in victoria, quia triumphi authorem Deum Agnovit.

2. *Factum eſt prælium, &c.* Ibid. Duplex Michaelis triumphus celebratur. 1. Prior, à Mundi exordio Dæmones rebelles domat. 2. Alter, eorumdem furorem adverſus Eccleſiam & Chriſtianos, quotidie comprimit.

3. *Quis ut Deus?* Apocalypſ. 1. Eccleſia triplici nomine inſignita totidem titulis beneficum experitur Michaelem; illa quippe dicitur Civitas, Sponſa & Grex; iſte verò eſt, 1. *Civitatis hujus Præſes.* 2. *Sponſæ Sponſus.* 3. *Paſtor Gregis.*

De S. Hieronymo Eccleſiæ Doctore. 30

1. P*oſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Pſ. 55. Oratoribus quidem prophanis Lachrymæ vix laudis materiam ſuggerunt, quia his videntur infirmitatis indicia; contra verò Eccleſiaſtæ, qui vim lachrymarum pro Deo fuſarum noverunt, hinc panegyres Sanctorum ducunt. D. Hieronymi Lachrymæ duplici titulo penſantur, ſcilicet; 1. Pœnitentiæ Natura examinatur. 2. Pœnitentiæ Effectus recenſentur.

2. *Inextinguibile eſt Lumen ipſius.* Sap. 7. Triplici face illuſtris Hieronymus in Eccleſia perennat. 1. Operibus. 2. Doctrina. 3. Religione. Pœnitentia, Scriptis, Diſcipulis.

FESTA MENSIS OCTOBRIS.

De S. Franciſco Aſſiſiate Inſtitutore Ord. FF. Minorum. 4

1. N*Am etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* 2. Cor. 13. Myſteria totius vitæ Chriſti docent nos, eadem in nobis debere compleri quæ à Chriſto perfecta novimus; ita cùm eodem debemus crucifigi, ſepeliri, ſuſcitari, &c. ex D. Auguſtino Epiſt. ad Voluſianum. D. Franciſcus hac in re præcelluit; nam 1. Crucifixus eſt, à ſe, à Mundo & ab Angelis. 2. Glorioſus effectus eſt, in corpore, in Anima, & in omnibus operibus.

2. *Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram.* Apocalypſ. 14. Ab Incarnationis tempore non propriè convenit Angelis eſſe Evangelii miniſtros, ſed Hominibus, qui tamen ob ſublimitatem officii dicuntur Angeli. Hæc eſt D. Franciſci gloria. Tria ſolent in Evangelii promulgatione reperiri. 1. Severitas Legum è quibus illud conſtituitur. 2. Multitudo Miraculorum, quibus illud firmatur. 3. Chriſtianorum numerus, quo illud fœcundatur. Tribus his Characteribus inſignis fuit D. Franciſcus Evangelii miniſter: illud quippe portavit veluti 1. Rigoroſum, in mor-

mortificationibus. 2. Splendidum, in miraculis. 3. Fœcundum in ſuis Alumnis. Itaque Chriſtus per Franciſcum, 1. exercuit Legis Rigorem. 2. Miracula operatus eſt. 3. Prolem peperit numeroſam, ceu Dolorum ac Miraculorum ſuorum fœtum. Gall. *S. François a porté l'Evangelie ſous ces trois charactéres, 1. comme Rigoureux, par ſes exercices. 2. comme Eclatant par ſes miracles. 3. comme Fecond, par ſes Religieux.*

3. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini, &c.* Galat. 6. 14. Franciſcus oſtendit non alibi quærendam eſſe gloriam, quàm in Chriſti cruce, quæ triplici titulo commendabilis extitit: nimirum, Rigoribus, Miraculis, Fœcunditate: Totidem rebus dotatam Crucem elegit ſibi Franciſcus, veluti, 1. *Rigidam tormentis*; 2. *exultatam Miraculis*. 3. *Fœcundam Sectatoribus.*

4. *In Chriſto nova Creatura, &c.* 2. Cor. 5. 17. En prorſus novam Creaturam in Franciſco. Primæ quidem Creaturæ olim tria privilegia ſunt conceſſa in Paradiſo, ſcilicet, abundare divitiis, deliciis frui, & Dominio præcellere: Novæ Creaturæ contrarium indicitur, ſcilicet Paupertas, Mortificatio, abjectio; quæ tamen oppoſitis bonis poſtea compenſantur. Id patet in D. Franciſco, fuit enim, 1. in Paupertate Dives. 2. in Patientia Glorioſus. 3. in Humiliatione Exaltatus. Gall. *S. François, 1. Pauvre & Riche. 2. Crucifié & Glorifié. 3. Abaiſsé & Elevé.*

5. *Oſtendam vobis cui ſimilis ſit.* Lucæ 6. 47. Filius Dei qui à SS. Patribus appellatur *Oſtenſor Patris*, tripliciter manifeſtat Patrem æternum. 1. in Secreto, apud ſemetipſum, exprimendo illius Perfectiones: 2. in Publico, coram Angelis, quos ad exhibendum honorem debitum invitat. 3. in Dogmatibus, coram Hominibus, quos ad Adorationem pellicit. D. Franciſcus methodum Incarnati Verbi imitatus, Chriſti ſimilitudinem refert, ipſum quippe epræſentat, 1. in vita abſcondita. 2. in vita patiente; 3. in vita publica, ſeu exemplari qua Chriſti dogmata manifeſtat. Gall. *Il fait voir le Verbe Incarné, 1. dans ſa vie cachée. 2. dans ſa vie ſouffrante. 3. dans ſa vie publique, par la pratique de ſes Maximes. Il imite le Sauveur, qui cache ſa vie temporelle dans l'obſcurité, dans la pauvreté, dans la ſolitude. Il l'imite dans ſa vie penible, par ſon zele pour la magnificence de Temple de Dieu, pour le culte de ſon Egliſe, pour l'innocence de ſes mœurs. Il l'imite dans ſa vie publique oppoſée a celle du monde, par une pauvreté abondante, une humilité glorieuſe, une ſimplicité éclairée.*

6. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Galat. 2. 29. Franciſcus vixit Chriſti vita triplici, videlicet, 1. Humana, ſeu Gratiarum plenitudine. 2. Divina, ſeu perfectionum & attributorum plenitudine. 3. Myſtica, ſeu plenitudine donorum ac virtutum. Ita Franciſcus Chriſtum exhibet, 1. Abjectione voluntaria. 2. Tolerantia glorioſa. 3. Influxu generali. Gall. 1. *Un Aneantiſſement volontaire.* 2. *des Souffrances glorieuſes.* 3. *une influence univerſelle ſur l'Egliſe.*

7. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Matth. 11. 30. Aggredior

dior manifeſtare vobis myſteria quæ ſenſus carnales omnino latent; ſcilicet quomodo quæ gravia ſunt cæteris hominibus, nempe Superbis humilitas, Avaris paupertas, mortificatio Delicatis, fuere levia Franciſco. En qua arte iſtud aſſequutus eſt. Tribus modis ſolent gravia fieri ad portandum facilia, vel induſtria portantis, vel adjuvantium multitudine, vel denique ipſius Naturæ ſubſidio; Ita Franciſcus Crucem expertus eſt levem, &c. Res patebit ex verbis quibus utimur in Euchariſtiæ ſacrificio, quod eſt crucifixionis extenſio; ſunt autem iſta, *Per ipſum, cum ipſo, & in ipſo*, Id eſt, 1. Crucis opprobria fuere Franciſco levia, *per ipſum*, videlicet Chriſtum. 2. Paupertatis incommoda fuere Franciſco levia, *cum ipſo*. 3. Crucis ac mortificationis tormenta fuere Franciſco levia, *in ipſo*. Gall. S. *François a trouvè, 1. les humiliations glorieuſes, 2. la pauvretè abondante. 3. les ſouffrances douces, parce qu'il a portè ces jougs. 1. par le ſecours de Jeſu-Chriſt, 2. en la compagnie de Jeſu-Chriſt; 3. en Jeſus-Chriſt.*

8. *Magiſter, quod eſt Mandatum magnum? &c. Diliges, &c.* Matth. 22. 36. Divinus Amor cæteras virtutes in ſe complectitur, iiſque diverſimodè adhibitis utitur, ut diverſos Sanctitatis gradus in variis Sanctis operetur; Ita gemit Amor in D. Petro, ardet in Paulo, jejunat in Joanne Baptiſta, &c. Idem in Franciſco varia præſtat officia, quæ ab Hierichuntino viatore ſpoliato, ſauciato & ſemivivo relicto poſſumus conjicere. Amor enim Franciſcum, 1. Spoliat, ſcilicet fortunæ beneficiis. 2. Sauciat, ablatis nimirum corporis commodis. 3. Mortificat, ſubſtractis etiam Animi & propriæ voluntatis bonis.

9. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Eccleſiaſt. 45. 2. Tria Beatitudinem perficiunt: viſio Dei, unio, & poſſeſſio. His fruitus eſt Franciſcus in terris agens; 1. Deum vidit, quem ut præſentem coluit. 2. Deo adhæſit, illi concrucifixus. 3. Deum poſſedit, per inhabitationem Spiritus S. & beneficiorum largitionem.

10. *Charitas Chriſti urget nos*. 2. Cor. 5. 14. Tria beneficia charitas largitur Franciſco: Paupertatem, Crucem, Eccleſiam. Aſſignat, 1. Paupertatem, ut ſit illius Sponſus. 2. Crucem, ut ſit ejus Martyr, 3. Eccleſiam, ut ſit ejus Inſtaurator.

De S. Placido Martyre. 5

O*Mnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*. 2. Timot. 4. D. Placidus voluntaria mortificatione antevertit Tortorum furorem, ideoque priùs à ſeipſo Martyr effectus eſt quàm à Carnificibus. Ipſemet enim ſeipſum, 1. divulſit à Parentibus & divitiis per paupertatem voluntariam. 2. ſemetipſum cruciavit doloribus voluntariè aſſumptis. 3. ſibi vitam abſtulit per auſteritates morte ipſa duriores. Hæc, inquam, quæ à Tyrannis ſolent inferri, ſibi ipſe intulit.

9 *De S. Dionyſio Areopagita M.*

1. **D** *E Torrente in via bibet*. Pſ.109. 7. De triplici Torrente bibit D. Dionyſius. 1. de Torrente Scientiæ, quo intellectus ejus ad Deum uſque ſublevatus eſt. 2. de Torrente Amoris, quo ejus Cor ad Deum evectum eſt. 3. de Torrente Doloris ac Patientiæ, quo ejus Caput Deo immolatum eſt.

2. *Impendam & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris*. 2.Cor.12. 15. Galliæ utilem ſe præſtitit D. Dionyſius, etiam ultra vitam; Etenim factus eſt Galliæ, 1. Apoſtolus, dum viveret. 2. Martyr, dum moreretur. 3. Patronus, poſt mortem. Gall. *Pour la ſalut de la France*, 1. *comme Apoſtre, il employe ſon Eſprit*, &c. 2. *comme Martyr, il employe ſon Sang*. 3. *comme Protecteur, il employe ſes Cendres*, &c.

3. *Caput ejus Aurum optimum*. Cantic. 5. 11. In triplici ſtatu conſiderari debet D. Dionyſii Caput. 1. in ejus Converſione, ſpectatque ad Deum à quo illuſtratur. 2. in ejus Martyrio, ſpectatque ad Tortores, à quibus detruncatur. 3. vel in hoc Altari, ſpectatque ad Eccleſiam, ò quo colitur & honoratur. Gall. *Ce Chef doit eſtre conſiderè en trois eſtats*. 1. *ſur le Theatre de ſa Converſion, entre les mains de Jeſus, qui l'a formè*. 2. *ſur l'Echaffaut de ſon Martyre, entre les mains des Bourreaux, qui l'ont tranchè*. 3. *ſur l'Autel de ſon couronnement, entre les mains de l'Egliſe, qui le reconnoiſt pour Chef de la Religion dans la France*.

4. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. Pſ.67. Quatuor miracula in S. Dionyſio attenduntur. 1. Cœcus illuſtratur per tenebras: videlicet per Eclypſim Chriſti cruciatus lugentem. 2. Mortalis converſatur cum Angelis. 3. Martyr pluries vitæ jacturam patitur. 4. Prædicator Evangelium annuntiat etiam poſt mortem.

15 *De S. Thereſia Virgine*.

1. **N** *Untiate Dilecto, quia amore langueo*. Cantic. 5. 8. Amor & Dolor in hac Sancta coeunt, ut Amantem efficiant & Martyrem, &c. 1. Amor illius eſt quidem Illuminatus, ſed ſuo lumine cauſat Dolorem. 2. Amor ejus eſt operoſus, ſed ejus operatio paſſiones infert. 3. Amor illam in Chriſtum transformat, ſed ejuſmodi Transformatio tormentis ac tandem Martyrio perficitur. Gall. 1. *Amor Eclarè, mais douloureux*. 2. *Amour Agiſſant, mais ſouffrant*. 3. *Amor Transformant, mais mortifiant*.

2. *Dominus mortificat & vivificat; Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & ſublevat*. 1. Reg. 2. Deus cujus ſapientia in hoc admirationem meretur, quòd res oppoſitas ſimul uniat, tres ejuſmodi conjunctiones operatus eſt, in S. Thereſiæ Corde, Intellectu & Corpore. 1. in ejus corde

corde conjunxit Amoris ſuavitates cum rigoribus Paſſionum. 2. In ejus Intellectu copulavit ſublimiores Gratiæ elevationes cum Humilitatis abjectionibus. 3. In ejus Corpore, connectit ſterilitatem & paupertatem cum abundantia & fœcunditate, nempe per ſui Ordinis inſtitutionem.

3. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Job 6. Amor Prophanus ſagittis armatur; potiori jure iiſdem inſtruitur Sacer, qui cor Thereſiæ confixiſſe dicitur, &c. Indignabatur illa cum Deo adverſus tria, ſcilicet; Delicta Mundi, Remiſſiones ſui Ordinis, & proprios Defectus. Armatur, 1. in Peccatum, ne quid tamquam Deus ametur. 2. in Remiſſiones, ne quid præter Deum. 3. in Imperfectiones ſuas, ne aliud poſt Deum diligatur, ex D. Bernardo: *Non aliud tanquam te, Domine; non aliud præter te; non aliud poſt te.*

De S. Luca Evangeliſta. 18

1. M*Iſimus fratrem cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* 2. Cor. 8. S. Lucas præ cæteris Evangeliſtis laudabilis eſt, quia ſcripſit Hiſtoriam, 1. Jeſu. 2. Mariæ. 3. Eccleſiæ.

2. *Idem Thema.* S. Lucas reddidit Evangelio quadruplex teſtimonium: Illud, 1. corde excepit, ut Sanctus. 2. Ore promulgavit, ut Apoſtolus. 3. Manu ſcripſit, ut Evangeliſta. 4. Firmavit ſanguine, ut Martyr.

De S. Urſula V. & M. 21

1. T*Ua, Pater, Providentia gubernat, quoniam dediſti, & in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens quoniam potens es ex omnibus ſalvare.* Sap. 14. Providentia Dei hac in re, utitur 1. Prudentia Maximi, ut tot Virgines congreget. 2. Maris ac Ventorum jactatione, ut eas in portum dirigat. 3. Militum petulantia, ut Virgines probet. 4. Tortorum crudelitate, ut Martyres efficiat.

2. *Mulierem fortem quis inveniet?* Proverb. 31. S. Urſula commendabilis eſt ob Fortitudinem, qua in triplici ſtatu triumphat. 1. Hac tuetur Virginitatem, adverſus carnales delicias. 2. Hac manifeſtat patientiam, adverſus Hoſtium immanitatem. 3. Hac ſuggerit animum Sociis pluribus, ut fiant Chriſti Sponſæ.

De SS. Simone & Juda Apoſtolis. 28

1. V*Os amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Joan. 15. Apoſtoli prænotati, 1. Doctrina ſua vicere Philoſophos. 2. ſua prudentia mitigavere Tyrannorum furorem. 3. ſuis miraculis affecerunt pudore Magorum inſolentiam.

Digitized by Google

FESTA MENSIS NOVEMBRIS.

Feſtum Omnium Sanctorum.

1. M*Irabilis Deus in Sanctis ſuis.* Pſ. 67. Ex Auguſtino l. 2. de Civit. c. 29. *Civitas eſt clarior, ubi victoria veritas, ubi dignitas ſanctitas, ubi pax felicitas, ubi vita æternitas.* Plurima prodigia operatur quotidie Deus cùm in Natura, tum in Gratia, tum denique in Gloria; Hæc ſunt maximè quibus Gloria dicitur mirabilis, differtque à Natura & Gratia; nempe, quia ibi, 1. Veritas Victoria ejus eſt, ſeu vera & certa eſt Victoria. 2. Sanctitas eſt ejus præmium. 3. Pax ejus eſt felicitas. 4. Æternitas eſt ejus vita, ſeu duratio. Gall. 1. *La Veritè en eſt la Victoire. 2. la Saintetè en eſt le merite. 3. la Paix en eſt le bonheur. 4. l'Eternitè en eſt la vie.*

2. *Vidi Civitatem Sanctam novam, deſcendentem de Cœlo.* Apocalypſ. 21. Cernimus hodie, quod olim Joannes vidit in Pathmos, ſcilicet Beatorum Civitatem, qua triplex in nobis affectus excitatur. 1. *Æſtimationis.* 2. *Spei.* 3. *Deſiderii.* Inde nimirum eruimus, 1. Lucis ſplendorem, quo doceamur quanti ſit facienda Beatitudo. 2. Promiſſionis pignus, quo illiciamur ad illam ſperandam. 3. Incitamenta efficaciſſima, quibus ad illam conſequendam moveamur. Gall. *La veue des Saints fait trois impreſſions dans noſtre ame pour la Beatitude. 1. Elle nous donne de lumieres eclatantes pour l'eſtimer. 2. Elle nous donne de grandes aſſurances pour l'eſperer. 3. Elle nous preſente de puiſſans motifs pour nous exciter à la pourſuivre. Ils en ſont, 1. Temoins. 2. Gages. 3. Exemples.*

3. *Reddidit Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum.* Sap. 10. Deus ſolus reddere poteſt Sanctis dignam laborum mercedem; hoc autem præſtat triplici modo, 1. *Admirandos efficit*, per Gloriam, qua illos donat. 2. *Metuendos*, per poteſtatem, qua illos ornat. 3. *Amandos*, per beneficia quibus ille per eoſdem nos cumulat.

4. *Congregate illi omnes Sanctos ejus.* Pſ. 49. 5. Gloria Sanctorum provocat, 1. *Æmulationem* noſtram, qua eandem ſperemus. 2. *Imitationem*, qua eos ſequamur. 3. *Fiduciam*, qua eoſdem invocemus.

5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtras copioſa eſt in Cœlis.* Matth. 5. 12. Beatitudinis merces æſtimari debet ex triplici capite, 1. quia concipi non poteſt ab humano intellectu. 2. quia eſt Sanguinis Chriſti pretium. 3. quia eſt opus immenſę liberalitatis divinæ.

6. *Erit Deus omnia in omnibus, &c.* Beatitudo in hoc conſiſtit, quòd 1. Eſſe Dei, ſit veritas & perfectio Eſſe Beatorum. 2. Lumen & cognitio Dei, ſit perfectio cognitionis Beatorum. 3. Amor Dei, ſit perfectio Amoris Beatorum. Gall. *L'Eſtre de Dieu, fait la perfection de l'Eſtre des Bienheureux: La lumiere & la connoiſſance de Dieu eſt la perfection de leur lumiere: L'Amour de Dieu eſt la perfection de leur Amour.*

7. *Salutant vos omnes Sancti*. 2. Cor. 13. 12. Tria in Beatitudine penſari debent. 1. *Magnitudo Theſauri* poſſidendi, ſcilicet Dei, qua animus noſter incitatur quia res eſt de ſummo bono acquirendo. 2. *Conditio Beatorum* ſeu poſſeſſorum, qua ſpes noſtra augetur, etenim fuere homines. 3. *Pretium & excellentia tanti boni* pudore afficiet puſillanimitatem noſtram, quia Sancti multa paſſi ſunt, ut illud adipiſcerentur.

8. *Jeſu Corona Sanctorum omnium*. Jeſus triplici corona donabit Sanctos. 1. *Corona Lucis*, qua ſummam Pulchritudinem comtemplabuntur. 2. *Corona Amoris*, qua ſummum Bonum complectentur. 3. *Corona Gaudii*, qua ſumma Beatitudine fruentur.

9. *Exultabunt Sancti in Gloria*. Pſ. 149. Tria in Sanctis admiratione digna reperiuntur; ſunt enim, 1. *Reges abſque Libertate*, quia non poſſunt ab Amore abſtinere. 2. *Chriſtiani abſque Fide*, quia non credunt, ſed intuentur Deum. 3. *Amantes abſque æmulatione*, quia quiſque ſua ſorte contentus alteri non invidet.

10. Triplici ratione debemus erga Sanctos affici, videlicet. 1. Veluti Exemplaria imitanda. 2. Veluti Fratres colendos & honorandos. 3. Veluti Judices metuendos.

Propoſita quæ ſolent in hoc omnium Sanctorum Feſto tractari, hæc ſunt præcipuè; I. *De Beatitudine*, de qua utilis erit partitio, 1. Beatitudinis Dignitas. 2. Beatitudinis Media. 3. Beatitudinis Impedimenta. II. *De Sanctorum*, 1. *Cultu*. 2. *Invocatione*. 3. *Imitatione*. III. *De Sanctitate*. Rationes cur Sancti eſſe debemus, ſunt, 1. *Honeſtas*, quia virtus eſt bonum ex omni parte Honeſtum. 2. *Utilitas*, quia inde oriuntur plurima bona. 3. *Facilitas*, quia ad hoc plurima ſuggerunt media. Vel hoc fieri debet, 1. *ex Juſtitia*, quia Deus Sanctitatem ſuadet. 2. *ex Decoro*, quia ipſemet Deus Sanctus eſt, &c. 3. *ex Commodo*, quia Deus Sanctitatis præmium eſt. Vel *Sanctitas* ſuaderi debet, 1. *Ex Lege Chriſtiana*. 2. *Ex Chriſti ac Sanctorum Exemplo*. 3. *Ex præmio*, quo hìc & in Cœlo remuneratur. IV. Alii de Salutis conſequendæ ſtudio concionantur, ſuadentque iſtud negotium, quo, 1. nullum eſt præſtantius, ſeu majoris momenti; 2. Nullum facilius, quia minori labore homo ſalvatur quàm damnatur. 3. Nullum tamen tractatur negligentiùs.

Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum.

1. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. Pſ. 67. Omnes quidem Creaturæ Deo vindicando militant, ſed maximè Ignis videtur Juſtitiæ Divinæ miniſterio deputatus, &c. Iſtud liquet in Purgatorio, in quo Ignis ex virtute Dei quatuor operatur miracula, ut totidem Attributis Divinis per peccatores offenſis ſatisfaciat. 1. Elevatur ſupra Naturæ vires ad comburendos ſpiritus, ut obſequatur Divinæ Poteſtati, quam illi non ſunt reveriti. 2. Diuturniore incendio vindicat Patientiam, quam illi ſprevere. 3. Di-

ver-

verſimodè eoſdem cruciat, ad intentum Juſtitiæ, quæ unumquemque pro meritis tractat. 4. Purgat, ut placeat Sanctitati, quæ nullam maculam admittit aut patitur. Gall. 1. *Le Feu s'éleve par deſſus ſa nature & bruſle les Eſprits pour obeir a la Puiſſance de Dieu, que les Hommes n'ont par aſſez reverée. 2. Il les brusle long-temps, pour vanger ſa Patience, qu'ils ont mépriſée. 3. Il les tourmente diverſement, pour ſatisfaire a ſa Juſtice, qui traite chacun ſelon ſes merites. 4. Il les eſpure, pour contenter ſa Saintetè, qui ne peut ſouffrir les moindres taches dans ceux qu'elle ayme.*

2. *Mementote vinctorum.* Hebræ. 13. Compati debemus iis quos Purgatorii locus detinet, ob triplicem rationem qua incitamur ad miſericordiam. 1. *ob Dignitatem Perſonarum* afflictarum. 2. *ob Magnitudinem dolorum* quos patiuntur. 3. *ob Affinitatem*, qua nobiſcum illigantur. Vel, debemus ſubſidium Defunctis, 1. quia Fratres noſtri ſunt. 2. quia in his Chriſtus patitur. 3. quia fient poſtea Mediatores noſtri.

3. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Eccleſiaſtici 7. 37. Triplex Adverſariorum genus impugnatur. 1. *Incredulorum*, adverſus quos Purgatorii veritas probatur. 2. *Imprudentium*, adverſus quos ſeveritas Purgatorii oſtenditur. 3. *Immiſericordium*, adverſus quos Charitatis officium ſuadetur.

4. *Miſeremini mei, Miſeremini mei, ſaltem vos Amici mei; quia manus Domini tetigit me.* Job 19. 21. Triplex ratio nos movet ad ſubſidium Purgandis ferendum. 1. *Natura*, quia Homines ſunt. 2. *Gratia*, quia Chriſtiani ſunt. 3. *Gloria*, quia futuri ſunt Beati.

2 *De S. Carolo Borromæo Epiſcopo.*

1. Ecce *Sacerdos magnus qui in diebus ſuis inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Eccleſiaſt. 44. Chriſtus virtutum omnium exempla ſeipſo præſtitit, ſed diuturnitate temporis & Hominum negligentia collabentem Sanctitatem miniſterio Sanctorum excellentiorum idemtidem ſuſcitatorum inſtauravit, ex quibus D. Carolus his poſtremis temporibus reſtituit, Sanctitatem Sacerdotio, Zelum Epiſcopatui, Pietatem Eccleſiæ, &c. Ut tanto negotio idoneus eſſet, a Chriſto admiſſus eſt in partem, 1. Supremæ Magnitudinis, *Ecce Sacerdos magnus.* 2. Rigoroſæ Juſtitiæ, *qui inventus eſt juſtus.* 3. Immenſæ Charitatis, *factus eſt reconciliatio.*

2. *Charitas Dei urget nos.* 2. Cor. 5. Omnes Charitatis Epiſcopalis vices explevit. 1. *Vigilantem Charitatem* exhibuit, ut Miſerorum neceſſitates inveſtigaret. 2. *Charitatem Liberalem*, ut largitionibus miſeros levaret. 3. *Charitatem Generoſam*, ut eorumdem pœnas ſubiret, etiam cum ſui diſpendio.

3. *Spectaculum facti ſumus, Mundo, Angelis, & Hominibus.* 1. Cor. 4. D. Carolus effectus eſt Spectaculum, 1. Fortitudinis; 2. Lucis. 3. Amoris & Commiſerationis. 1. Romæ. 2. Tridenti. 3. Mediolani. 1. Mundo. 2. An-

2. Angelis, id eſt, Epiſcopis. 3. Hominibus. 1. Spectaculum Admirationis Romæ, *Mundo*, quem ſprevit. 2. Spectaculum admirationis Tridenti, *Angelis*, quos illuſtravit. 3. Spectaculum admirationis Mediolani, *Hominibus*, quos dilexit, &c. Eſt igitur tribus his Theatris ſpectandus, Romano, Tridentino, & Mediolanenſi.

Commemoratio omnium Sanctorum Ordinis S. Benedicti. 10

1. *Caro ſunt noſtra & Fratres noſtri*. Geneſ. 37. Sanctos debemus, 1. Colere, quia Sancti ſunt. 2. Amare, quia Fratres. 3. Imitari, quia Exemplaria. 4. Metuere, quia Judices.

De S. Martino Epiſcopo Turonenſi. 11

1. *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multo magis melius, permanere autem in carne neceſſarium propter vos*. Philipp. 1. D. Martinus triplici virtute præcelluit; fuit enim, 1. *Generoſus*, quia mortem non timuit. 2. *Fidelis*, quia eandem ſæpiùs deſideravit. 3. *Charitate affectus*, quia mortem ſuam differri ob Gregis bonum optavit.

2. *Beati Miſericordes, quoniam miſericordiam Dei conſequentur*. Math. 5. Duplex Miſericordia D. Martini Proximo fert ſubſidium, 1. Temporale Corporibus. 2. Spirituale Animabus.

3. *Bonum Certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. 2. Timot. 7. Triplex certamen iniit Martinus, ac in triplici Theatro certans ſpectari debet. 1. Veluti Generoſus *Miles in Exercitu*. 2. Sanctus *Epiſcopus in Eccleſia*. 3. Obſervantiſſimus *Religioſus in Clauſtro*.

De S. Cæcilia V. M. 22

1. *Erunt ſicut Angeli Dei; neque nubent, neque nubentur*. Math. 22. Virgines ſunt Angeli Mortales, ſuntque in terra quod illi in Cœlo: S. Cæcilia Angeli conditionem adipiſcitur, 1. *Angelorum conſortio*. 2. *Exercitio*. 3. *Puritatis Magiſterio*.

2. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operata eſt*. Eccli. 48. Duo miracula operatus eſt Deus in vita & morte Cæciliæ. 1. Societatem iniit puritatis Angelicæ cum tentationibus carnis. 2. Societatem Fortitudinis Divinæ cum infirmitate muliebri.

De S. Catharina V. M. 25

1. *A Verbo mendacii, & Rege iniquo ſum liberata, & in medio ignis non ſum æſtuata*. Eccleſiaſt. c. 51. B. Catharina vicit; 1. vani-

nitatem Philoſophorum, per ſimplicitatem Fidei. 2. Amorem impurum Imperatorum, per amorem Puritatis. 3. Tortorum crudelitatem, per animi Conſtantiam.

30 *De S. Andræa Apoſtolo.*

1. M*ihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Galat. 5. Crux fuit D. Andrææ non ſecus ac Chriſto; 1. *Thalamus parturientis*, in quo peperit Fideles. 2. *Cathedra Magiſtri*, in qua Ignorantes docuit. 3. *Altare Sacrificantis*, in quo ſeipſum quaſi victimam immolavit. 4. *Tribunal Judicis*, in quo Reos damnavit.

2. *Ruben Primogenitus meus*. Geneſ. 29. Primogeniti ſolent tribus privilegiis gaudere, 1. Dilectione potiore; 2. Portione ditiore. 3. Sapientia præſtantiore. Hæc tria D. Andrææ in Apoſtolatu obtigere. Gall. 1. *Il a eſtè le plus chery dans l'Apoſtolat.* 2. *Il a eſtè le mieux partagè.* 3. *Il a eſtè le plus ſage.*

3. *Abſit mihi gloriari, &c.* Theatro triplici Crucem imponit D. Andræas, 1. Cordi. 2. Ori. 3. Corpori. Illam, 1. Corde deſiderat. 2. Ore prædicat. 3. Sanguine conſecrat.

4. *Verbum Crucis pereuntibus ſtultitia eſt, &c.* 1. Cor. 1. Tria Trophæa erexit Cruci ad imitationem Chriſti. 1. in ſuo Intellectu. 2. in ſuo Corde. 3. in ſuo Corpore. Et quidem, dedit Cruci, 1. Intellectus æſtimationem, quia hanc cæteris rebus antepoſuit. 2. Cordis Amorem. 3. Corporis Sacrificium. Gall. *Il a eſlevè trois Trophèes a la Croix.* 1. *dans ſon Eſprit, par la preference qu'il en a faite.* 2. *dans ſon Cœur par l'Amour qu'il luy a portè.* 3. *dans ſon Corps, qu'il a attachè a ſon ſein.*

5. *Qui non bajulat Crucem ſuam, &c.* Luc. 27. Crux in triplici loco ſpectari poteſt, 1. in Calvariæ monte, ibi ſanguine rubeſcit; eſtque Redemptionis inſtrumentum. 2. in Eccleſia, ibi gloria fulget, eſtque Religionis Trophæum. 3. in ſingulis perſonis afflictis, ibi dolore perfunditur, eſtque Martyrii Theatrum. D. Andræas afficitur erga Crucem, 1. in Calvaria, veluti Redemptionis Medium. 2. in Eccleſia, veluti Religionis Trophæum. 3. in ſeipſo, veluti futuræ Glorificationis inſtrumentum. Gall. *Il conſidere la Croix* 1. *ſur le Calvaire, comme Chreſtien avec amour, parce que c'eſt la Croix de ſon Maiſtre.* 2. *dans l'Egliſe, comme Apoſtre, il la publie avec zele, parce que c'eſt le Trophèe de la Religion.* 3. *dans ſa perſonne, comme Martyr, il la ſouffre avec patience, parce que c'eſt l'inſtrument de ſon Salut.*

FE-

FESTA MENSIS DECEMBRIS.

De S. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo. 3

1. *Zelus Domus tuæ comedit me.* Pſ. 68. Xaverii Zelus triplici latitudine ſeu immenſitate præcelluit. 1. in Affectu ardentiſſimo. 2. in Expeditionibus difficillimis. 3. in Itinerationibus periculoſiſſimis.

2. *Exiſtimo nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis.* 2. Cor. 11. 5. Verba hæc non ſunt jactantiæ, ſed gratitudinis erga Deum adjutorem, &c. Xaverius, 1. ſuſcepit Expeditiones difficiliores. 2. cum mediis magis inæqualibus. 3. cum Succeſſu feliciore. Gall. 1 *Ses entrepriſes eſtoient plus difficiles.* 2. *ſes forces plus inegales.* 3. *ſes ſuccez plus heureux.*

De S. Nicolao Epiſcopo. 6

1. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Hebræ. 13. S. Nicolaus tria obtulit Sacrificia Deo. 1. Spiritum, per Orationem. 2. Corpus, per jejunium. 3. Bona temporalia, per Eleemoſynam.

2. *Miſericordia tua & veritas tua, ſemper ſuſceperunt me.* Pſ. 39. 12. Totum hominem occupare deſiderat Miſericordia, ſed maximè, Oculos, Cor & Manus, &c. Has partes obtinuit apud D. Nicolaum. 1. *Oculos*, quibus aliorum miſeriam dignoſceret. 2. *Cor*, quo miſeris compateretur. 3. *Manus*, quibus iiſdem ferret ſubſidium.

3. *Illi viri Miſericordiæ ſunt, &c.* Eccleſiaſt. 44. 12. Tribus titulis Divitias obtinuit & diſpenſavit. Veluti, 1. *Dives*, ideoque jus naturale in divitias habuit. 2. *Epiſcopus*, ideoque in Divitias jus ex Temporali & Spirituali conſtans obtinuit. 3. *Sanctus*, habuitque in Divitias jus Spirituale, eas enim per miraculum multiplicavit, ut impenſiùs erogaret.

4. *Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi, Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt.* Pſ. 84. 11. Hæ quatuor Virtutes in D. Nicolai formationem conſpiraverunt. 1. Miſericordia quidem eum exquiſivit in nihilo peccati, ut vitam Gratiæ inſpiraret. 2. Veritas illuſtravit, ut per viam Dei incederet. 3. Juſtitia ornavit omni virtutum genere. 4. Pax eidem ſolatium & gaudium inter dolores attulit. Sed ne longiùs abſcedat Oratio, tribus ſolùm virtutibus ſtandum eſt. 1. *Juſtitia effecit Pœnitentem.* 2. *Veritas, Chriſti Diſcipulum.* 3. *Miſericordia, Martyrem.* 4. Pax tamdem hunc conſtituet Beatum & gaudio cumulatum.

5. *Miſericordiam volo, & non Sacrificium.* Math. 9. 13. Vera Miſericordia debet tria præſtare officia. Debet eſſe Liberalis, ut largiatur egenis; Pia, ut oret pro peccatoribus; Magiſtra, ut ignorantes doceat, &c. Ejuſmodi fuit D. Nicolai Miſericordia, 1. *Liberalis fuit*, quia ut Diſpenſator fidelis fortunæ bona diſtribuit pauperibus. 2. *Pia*, quia ille ut Pontifex

ſanctus orationes fudit pro peccatoribus. 3. *Magiſtra*, quia ille ut Doctor Ignorantes erudivit.

6. *Protector Salvationum Chriſti.* Pſ. 27. 8. Prælati ſunt, 1. Sponſi Eccleſiæ, quam ſibi Chriſtus deſponſavit. 2. Salvatores Peccatorum, quos Chriſtus redemit. 3. Capita Pauperum, quos Chriſtus in ſua membra elegit, &c. D. Nicolaus ſpectandus eſt, 1. *ut Protector Eccleſiæ* à Chriſto acquiſitæ. 2. *ut Salvator Peccatorum*, à Chriſto redemptorum. 3. ut Caput & *Frater Pauperum*, à Chriſti Sanguine alitorum. Vel fuit Protector, 1. Sponſæ. 2. Filiorum. 3. Jurium ad Sponſam pertinentium. Gall. *Il a eſtè le Protecteur, 1. de l'Eſpouſe. 2. de ſes Enfans. 3. de ſes Droits.*

8 *Conceptio B. V. inter Myſteria B. V.*

21 *De S. Thoma Apoſtolo.*

1. NOli eſſe incredulus, ſed Fidelis. Joan. 20. Duo ſpectanda ſunt in D. Thoma. 1. Dubitatio & Fides. 2. Infidelitas & Confeſſio.

2. *Noli eſſe Incredulus, &c.* Ex D. Gregorio, Peccatores qui reſipuere, plerumque *reſurgunt humiliores, reſurgunt fortiores, reſurgunt cautiores.* Deus permiſit quidem incredulitatem D. Thomæ, ſed inde ſalutis ejus viam fecit: nam, 1. ſurrexit cum majore humilitate & obedientia. 2. cum majore zelo ac fortitudine. 3. cum majore timore & cautione. Hinc docemur, 1. *per Humilitatem* mederi noſtræ præſumptioni. 2. *per Fortitudinem* ſuperare infirmitatem noſtram. 3. *per Cautionem* fugere occaſiones.

3. *Mitte manum tuam, &c.* Ibid. D. Thomas fuit, 1. Throphæum Divinæ Miſericordiæ, quæ Peccatoribus miſeris compatitur. 2. Currus Triumphalis Divinæ Sapientiæ, quæ artificio mirabili peccatores ad frugem revocat. 3. Inſtrumentum omnipotentiæ Divinæ, quæ ex infirmitate fortitudinem educit. Gall. 1. *C'eſt le Trophèe de la miſericorde de Dieux. 2. c'eſt le Char de Triomphe de ſa Sageſſe. 3. c'eſt l'Inſtrument de ſa Toute-puiſſance.*

4. *Mitte manum tuam, &c.* Ibid. Thomas per peccatum triplici malo ſemetipſum affecerat. 1. Morte. 2. Cæcitate. 3. Ignavia. At Cor Jeſu apprehenſum his medetur; eſt enim, 1. Fons vitæ, quo mortuus ſuſcitatur. 2. Origo Lucis, qua cæcus illuminatur. 3. Fornax Amoris, quo tepidus animatur. Gall. *Thomas, enfoncez la main dans le cœur de voſtre Maiſtre. 1. Vous eſtes mort, vous y trouverez une Fontaine de vie. 2. Vous eſtes aveugle, vous y trouverez une Source de lumieres. 3. Vous eſtes froid, vous y rencontrerez une Fournaiſe d'Amour.*

25 *Nativitas Chriſti. Vid. Myſt.*

De S. Stephano Protomartyre.

26

1. P*Oſitis autem genibus clamavit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7. Hæc eſt virtutum natura ut homines ſupra ſemetipſos ſubliment: Hinc D. Stephanum, 1. *Caſtitas effecit Angelum.* 2. *Coſtantia Martyrem.* 3. *Amor Deum.*

2. *Poſuiſti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Pſ. 20. 4. Coronæ imponuntur, 1. Militibus, à Duce. 2. Martyribus, à Deo. 3. Victimis, à Sacerdote. Triplici titulo coronatur Stephanus ob triplicem hoſtem devictum. 1. Veluti Miles generoſus, ob patientiam in tormentis. 2. Veluti Martyr lætus, propter mortem cum gaudio toleratam. 3. Veluti Victima ſalutaris, quæ ſuis etiam inimicis veniam precatur. Gall. *La Charité, 1. luy fait ſouffrir les tourmens, avec un courage de Soldat. 2. Elle luy fait recevoir la mort, avec la joye d'un Martyr. 3. Elle luy fait pardonner a ſes Ennemis, avec une ardeur d'Amant.*

3. *Stephanus plenus Gratia & Fortitudine, &c.* Act. 6. 8. Triplex Plenitudo Stephanum ornat. 1. *Plenitudo Gratiæ*, ne corrumperetur in munere difficillimo ac periculoſiſſimo. 2. *Plenitudo Spiritus*, ut illuſtraret ac corrigeret corda indurata. 3. *Plenitudo Fortitudinis*, ut remitteret injuriam mortis crudeliſſimæ.

4. *Spectaculum facti ſumus Mundo, Angelis & Hominibus.* 2. Cor. 4. Triplex Spectaculum in uno Stephano exhibetur. 1. *Angelis*, per Puritatem. 2. *Hominibus*, per Charitatem. 3. *Deo ipſi*, per Conſtantiam.

5. *Stephanus plenus Gratia & Fortitudine.* Actor. 6. 8. Stephani Fortitudo triumphat 1. *de Doctoribus*, qui ejus intellectum impugnant. 2. *de Tortoribus*, qui ejus Corpus aggrediuntur. 3. *de Inimicis*, qui ejus Cor tentant.

6. *Idem Thema.* Triplex Plenitudo erat Stephano neceſſaria. 1. Plenitudo Gratiæ, quia debebat impugnari per Dæmones. 2. Plenitudo Fortitudinis, quia debebat expugnare homines. 3. Plenitudo Spiritus, quia debebat Errores diſpellere. Deinde rem habebat cum triplici hoſtium genere. 1. *cum Impiis.* 2. *cum Cæcis.* 3. *cum Infidelibus.* Indigebat 1. plenitudine Fortitudinis, ut flecteret Judæorum obſtinationem. 2. Plenitudine Gratiæ, ut illuminaret Cæcorum tenebras. 3. Plenitudine Spiritus, ut vinceret Impiorum malitiam.

7. *Configuratus morti ejus, &c.* Philipp. 3. 10. Chriſtus in monte Calvariæ fuit ex Auguſtino, veluti, 1. Magiſter docens. 2. Victor triumphans. 3. Victima Immolata: Stephanus à Chriſto primus, 1. *Magiſter* hanc Calvariæ Cathedram conſcendit, docturus & audiendus. 2. *Triumphans* hunc Thronum ſubiit, imitandus. 3. *Victima* huic Altari immolanda impoſita eſt; hujus Sacrificii partem excipiamus.

De S. Joanne Evangeliſta.

27

1. **D***Iſcipulus ille quem diligebat Jeſus.* Joan.21. In Joanne Chriſtus cõllegit omnia dona quæ in Sanctorum cæteros profuderat, &c. fuit enim, 1.ex Evangeliſtis,magis illuminatus. 2.ex Apoſtolis,magis dilectus. 3.ex Martyribus,magis afflictus.4.ex Virginibus,magis remuneratus. Gall. *Il a eſtê, 1.le plus èclairè des Evangeliſtes. 2.le mieux aymè d'entre les Apoſtres. 3.le plus affligè d'entre les Martyrs. 4.le mieux recompensè d'entre les Vierges.*

2. *Idem Thema.* Triplex Amoris Jeſu in Joannem effectus. 1.*Communicatio.* 2.*Unio.* 3.*Transformatio.*

3. *Idem Thema.* Ideo S. Joannes propiùs cæteris acceſſit ad Chriſtum, quia meliùs uſus eſt tribus virtutibus, &c. 1. *Puritate Corporis*, per Virginitatis profeſſionem. 2. *Sanctitate Animæ*, per opera probitatis exemplaris. 3. *Conſtantia famulatus*, quem uſque ad mortem præſtitit.

4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, &c.* Pſ. 110. Chriſti dotes quas in terris exhibuit, tribus ſtatibus continentur, 1. *Virginis.* 2. *Doctoris.* 3. *Martyris, &c.* Has in dilecto Joanne collegit, &c. fuit enim, 1.Purior inter Virgines. 2. Illuminatior inter Doctores. 3. Afflictior & conſtantior inter Martyres.

5. *Hic eſt Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus.* Joan.21. Joannes fuit Amicus cordis Chriſti, 1. obtinuit teneritudinem & gratiam Cordis Jeſu. 2. aſſequutus eſt blanditias & confidentiam cordis Jeſu. 3. accepit beneficia & magnificentiam cordis Jeſu. Gall. 1.*Il a eu les tendreſſes & les complaiſances du Cœur de Jeſus. 2. Il a eu les carreſſes & la confidence du Cœur de Jeſus. 3. Il a eu les Bienfaits & les magnificences du Cœur de Jeſus.*

De SS. Innocentibus Martyribus.

28

1. **T***Unc Herodes iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros.* Math.2. Martyrum gloria Innocentibus debetur; quia, 1. Cauſam Chriſti tuiti ſunt. 2. Confeſſionem exhibuere. 3. Suſtinuere pœnas. Vide R.P. Senault in Panegyr.

2. *Idem Thema.* Triplex hodie Martyrium exhibetur. 1. Martyrium Innocentium, ſeu Sanguinis, quem illi fundunt. 2. Martyrium Matrum, ſeu Lachrymarum, quas illæ mittunt. 3. Martyrium Herodis, *ſeu ignis* quem ille expertus eſt in Inferno. Hinc docemur ab Innocentibus, pro Chriſto pati; à Matribus, pro peccato flere; ab Herode, Criminis pœnas metuere.

3. Innocentes extitere, 1. *Martyres ſine merito, ſeu abſque libertate.* 2. *Victores ſine prælio,* ſeu Fortitudine. 3. Teſtes & *Prædicatores ſine verbo,* ſeu Loquutione.

C A-

CAPUT V.

De Variis Laudationum Generibus ac de Vituperatione.

LIBRUM hunc ſecundum claudam Capitulo, quo plurima etiam contraria complectar; varias ſcilicet Laudationis ſpecies, deinde Vituperationem his oppoſitam, paucis (quantum tamen ſatis Eccleſiaſtæ ſacro fuerit,) exhibebo. Ac certè quod ſpectat ad Oſtentativi Generis partes ſubjectivas (ut ajunt) hæ potiſſimùm occurrere ſolent tractandæ, *Oratio Natalitia*, *Sponſalitia*, *Salutatoria*, *Gratulatoria*, *Petitoria*, *Euchariſtica*, *Legatio*, *Inauguratio* & ad aliquam Dignitatem provectio, *Dedicatio*, *Lamentatoria concio*, *Epitaphium*, *Apotheoſis*, & ſimiles. Harum aliquas hìc deſcribo ac perficiendi methodum delibo; alias in quartum Librum, ubi de multiplici Concionum forma agetur, remitto. Variæ Laudationū Species.

SECTIO I.

De Laudationum Speciebus.

I. PRima occurrit *Genethliaca* quæ Diem Natalem celebrat, ideoque Natalitia dicitur. Aliqua ratione ſpectare poteſt ad cujuslibet rei ortum, veluti Regnorum, Urbium, Templorum, &c. quæ naſci videntur, dum inſtituuntur ac fundantur; propriè tamen Hominibus convenit, & exordium in temporis decurſu notat; V. g. Chriſto naſcenti, Virgini orienti, ac cæteris tum Beatis tum adhuc Mortalibus congruit. Natalitia Oratio quid ſit.

Solitum fuit apud Antiquos Diem Natalem plurimo cultu celebrare; Tunc ſcilicet vacabant ab operibus & litibus; indulgebant lætitiæ, Epulis, Ludis, Cantibus, aliiſque ſimilibus oblectamentis; Diis ſacra faciebant; Amicis dabant munera; Templa ramis arborum, Feneſtras lucernis, Januas tapetibus, vicos ipſos floribus ornabant. Mos veterum in Natalitiis.

Tractari poteſt iſtud Orationis genus, ab omnibus circumſtantiis quæ Natali conferunt ad gloriam, ſi laude opus eſt; vel ad probrum, ſi vituperare oporteat. Hæ autem ducuntur *à Tempore*, *à Loco*, *à Perſonis*, *à Modo*, *& Effectis*. 1. *Tempus* explicatur Horis, Diebus, Tempeſtatibus, quæ ſonant aliquid fauſti vel infauſti, lætitiæ vel doloris. Temporis partes ſunt, *Præteritum*, quo continentur oracula, prophetiæ, deſideria & neceſſitas Prolis naſcituræ; *Præſens*, quod continet ea omnia quæ comitari ſolent Nativitatem, ut Dies ſacer, cœtus publicus, ſanctiorum preces, Quomodo ab Oratore tractari oporteat.

ces, adſtantium corona, tempeſtas ſerena, hyberna, æſtiva, &c. *Futurum*, ſpem facit de commodo, vel metum incutit de Incommodo; vota mittit ad bonum accelerandum & malum præcavendum. Hic attenduntur cœli ac ſyderum conſtitutiones, ut inde (quantùm Religio patitur) augurium ducatur. 2. *Locus* eſt ſacer aut prophanus, ſecretus aut publicus, honore vel dedecore notabilis. Huc revocantur Patria, Urbs, Domus, &c. in quibus eſt aliquid commendatione dignum. 3. *Perſonarum* voce, intelliguntur Parentes, affines, ac ipſe recens Natus; an ſcilicet illi fuerint Illuſtres, Nobiles, Pii, &c. & è contra: quorum præſtantiam iſte auxerit, vel minuerit; eorumque ſimilitudinem referat aut neget, effigie vel moribus. 4. *Modus* exprimit rationem qua Nativitas peracta eſt, an Arte, an per Miraculum, an aliquibus aliis ortum juvantibus, vel impedire conantibus. 5. *Effecta* indicant Eventus, Largitiones, Lætitiam communem, Vota publici, &c.

Natalitiæ orationis Diſpoſitio & Elocutio.

Genethliacæ Orationis Diſpoſitio ſolet *Exordium* ſumere vel à Tempore, vel à Deſiderio publico: ut v. g. Nativitas Chriſti, Mariæ, Baptiſtæ, &c. Reſurrectio Chriſti, Aſſumptio Virginis, &c. initium poſſunt ducere à verbis in Officio Eccleſiaſtico adhiberi ſolitis: *Gaudeamus omnes in Domino, Diem Feſtum celebrantes, &c.* Vel: *Hæc Dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Quaſi fiat invitatio ad commune gaudium ob imminentem Diem. *Propoſitio* confirmatur & probatur, per circumſtantias notabiles, ex quibus conjicitur grande aliquid à recens nato ſperandum, vel per effectus, qui ſunt ſperandæ utilitatis prægustatio; inde poſſunt fieri Orationis capita ſeu partes. *Epilogus* tamdem inſtituitur per actionem gratiarum pro tanto beneficio; Vota enim fiunt pro continuatione ejuſdem, ſeu pro felici vita recens nati; deinde lætitia excitatur ob ſpem boni potiundi. *Forma* hujus Orationis deſiderat Elocutionem caſtigatam, floridam & perpolitam; Figuras poſcit, quæ Admirationem creent & teſtentur.

Oratio Luſtrica quid ſit, & quomodo tractetur.

II. *Luſtrica* oratio, quæ fiebat apud Veteres ad impoſitionem Nominis Infanti recens nato, poſſetque fieri apud Chriſtianos, cùm puer ſacro Baptiſmate lavatur; in pluribus convenit cum Natalitia, atque ab iiſdem ferè capitibus petitur, niſi quòd Luſtrica adjiciat circumſtantias Nominis, & ab ipſis conatur fauſtam ducere conjecturam. Memorat præſertim conſuetudinem obſervari ſolitam in ejuſmodi appellationibus, ut Nomina ſeligerentur quæ fauſti & magni aliquid præ ſe ferrent. *Illa cenſentur* potiora inter Chriſtianos, quæ fuere Sanctis hominibus communia, ut hinc moneantur Agnomines, Patronorum virtutes imitari. Luſtrica oratio inſtrui poſſet in impoſitione Auguſtiſſimi Nominis Jeſu. *Exordium* ſumeretur à ritu impoſitionis Nominum. *Introductio*, ab expoſitione rerum quæ tali continentur Nomine, quas Jeſus præſtare pollicetur, quaſque ſpectare debemus, v. g. *Salutem, Exemplum, &c.* hincque fieret Partitio. Vide Myſteria Chriſti.

III.

III. *Epithalamium*, ſeu Nuptialis Oratio, conjugiorum Cæremoniis adhiberi poteſt; Uſurpatur apud Catholicos, cùm celebrantur Nuptiæ, ſoletque repeti, cùm Thalamus conjugum benedictione ſolemni conſecratur. Hic opus eſt igne purgatorio, quo mundentur Oratoris labia, ne aliquid proferant, quod miniſterio Sacerdotali dedeceat, & Audientium modeſtiam offendat. Fontes ex quibus iſtud Orationis genus tractatur, ſunt potiſſimùm, 1. Laus conjugii ob dignitatem & utilitatem, de quibus actum eſt ſupra, in hoc lib. c. 2. art. 2. ſect. 2. Videlicet ob multiplex bonum quod inde provenit. 2. Laus conjugum à Parentibus, & à propriis virtutibus. 3. Conjicitur utilitas ex tali Conjugio in cæteros refundenda. 4. Conjuges monentur cautè, & prudenter, ut abſtineant ab his quæ Thorum immaculatum fœdare poſſent, & Divinam benedictionem à ſe amoliri; ſed bonis operibus non minùs quàm felici prole Sacramentum, (quod Chriſti cum Eccleſia connubium repræſentat) fœcundare ſtudeant. 5. Vota denique & preces faciet Orator, idemque facere ſuadebit Audientes, pro conjugum diuturna felicitate. Satis hìc deſignatur ordo ſervandus in Sponſalitia Oratione, quæ fit ad conjuges Chriſtianos; ſed ſi hoc dicendi Genus adhibeatur ad aliquid Nuptiis communibus ſublimius, v. g. ad explicandum Conjugium quod Verbum Divinum iniit cum Humana Natura in Incarnatione; Spiritus S. cum Virgine Maria in Annuntiatione; Chriſtus cum Eccleſia in Morte; tunc ſecerni debent, quæ Hominis imperfectionem ſapiunt, & ea ſolùm uſurpari, quæ Deum perfectiſſimum decent, tantoque Myſterio quadrant. Explicabuntur quæ laude digna ſunt inter caſtos Sponſos. V. g. Præcedere ſolet Requiſitio Sponſæ; Sponſus præmittit Legatos; ſuam imaginem & munera; deinde contrahitur Matrimonium; Dos ſolvitur; poſtea conjugii bona ſuccedunt. Conſimilia Deus egit, ut cum homine fœdus iniret. Gallicè diceremus: 1. *Il a preparè cette Aliance par ſes recherches*; (nimirum per Prophetas) *par ſes Tableaux*; (per Figuras) *par ſes Preſens*. 2. *Il a celebrè cette Alliance par ſes abaiſſemens, il l'a ſignèe par ſon ſang, & atteſtèe par tous les Oracles du Ciel & de la Terre*. 3. *Il l'a conſummèe par ſa feconditè*, (Chriſtianorum multiplicatione) *par ſes graces & par ſes liberalitez*.

Nuptialis Oratio quid ſit & quomodo tractetur.

IV. *Petitoria*, ſeu Poſtulatoria Oratio, quæ aliquid expoſcit ab altero, tribus maximè rebus nititur: *Poſſibili*, *Juſto*, & *Modo*. Id eſt, debet præſtari poſſe quod petitur, eſſe Juſtum ſeu æquitati congruum, & convenienti ratione poſtulari. *Exordium* ſumitur à Perſona quæ rogatur, cujus benevolentiam conciliare ſatagit Orator per commendationem ab ejus Magnificentia, Liberalitate, Miſericordia, &c. *Propoſitio* explicet petitionem: *Confirmatio*, ſeu petitionis ratio probetur à Locis ſuaſoriis, ut ſunt Honeſtum Utile, & Facile. Adhibeantur commendationes Parentum, Amicorum, ac ipſius etiam petentis aut meritum aut indigentia, Deinde Beneficii memoria, officiaque plurima Gratitudinis

Poſtulatoria Oratio quid ſit & quomodo fiat.

per-

perpetuæ promittantur. Cavendum eſt tamen Oratori, ne petitio ejus in adulationis vocetur ſuſpicionem.

Eucharíſtica Oratio.

V. *Eucharíſticum* dicendi genus gratias reddit pro accepto beneficio Initium ſumit à ratione, ob quam tenetur quis ſuo Benefactori gratias agere, ex æquitatis debito; vel qua ſe imparem tantis beneficiis, ſolo etiam animo, rependendis profiteatur. Deinde Benefactorem ſuum laudabit; poſtea Beneficium exaggerabit; tum ex magnitudine doni; tum ex neceſſitate vel indignitate accipientis; tum ex modo quo res peracta eſt. Perorabit denique per animi grati, officiique æterni pollicitationem.

Salutatoria Oratio, quid; & quomodo inſtituatur.

VI. *Salutatoria* Oratio dicitur, quæ Principem, vel aliam ſpectandæ dignitatis perſonam honorifica ſalutatione collit. Principem dixi virum, vel qui Principis vices obit, qualis eſt Legatus, vel quilibet à Principe miſſus. Ille autem vel occurrit fortuitò, ipſique tantùm ex occaſione ſalutatio exhibetur; vel urbem ingreditur, ſive ut locum luſtret; ſive poſt expeditionem feliciter geſtam revertatur in Civitatem Triumphantis more; ſive denique poſt civiles plebis commotiones adveniat, indignabundus & aliquos ſeditioſorum fortaſſe puniturus. Sunt aliæ plures hujuſmodi Ingreſſus cauſæ & occaſiones, quæ Salutationum formas diſſimiles, ſed opportunitati accommodatas deſiderant, quæ artis, prudentiæ & ingenii plurimum ab Oratore depoſcunt. Quid his in genere conveniat, paucis aperio. 1. *Exordium* inſtituitur ex communibus votis, quæ viro feliciter adventanti lætantes occurrunt. Si aliqua vel Temporis, vel Loci, vel ſimilis rei circumſtantia, huic intento conveniens opportunè acciderit, hinc fieri poteſt orationis initium, aut ſaltem ex his ornari. 2. Explicatur *Spes publica*, quæ ab advenientis benevolentia, juſtitia, prudentia, victoria, Triumpho, &c. ſuſcitatur, ibique adhibebuntur Symbola & Similitudines, quibus Principis benefici, vel miſericordis ingreſſus pingatur; ut ſi dictus fuerit inſtar Solis exorientis optatam lucem daturus, quæ importunas calamitoſæ noctis tenebras diſpellat. 3. *Grates* habentur, Deo, Regi, &c. qui viſitationis, luſtrationis, &c. vices, Ingredienti vel Luſtranti commiſerit. 4. Inſinuantur *preces* ad aliquid obtinendum (ſi ita caſus ferat) rationeſque petitionis breviter & ingenioſè memorantur. 5. *Vota* fiunt pro felici rerum gerendarum ſucceſſu, ac earum omnium quæ ad Hominem ſpectare poſſunt. 6. *Obſequium* & officia ex animo ac ex merito deinceps ſolvenda promittuntur. 7. *Si* metuendum Juſtitiæ rigidioris animum, Princeps fortaſſe induerit, ille artificioſa inſinuatione culpam minuente, vel excuſante, vel negante emollietur.

VII. Aliæ ſunt ejuſmodi Propoſiti Orationes, quæ variis opportunitatibus poſſunt fieri, ut ſunt eæ, quibus diſcedenti Principi, ſeu amico alicui in longinquam expeditionem ituro valedicimus; aut quibus eoſdem inde redeuntes excipimus cum lætitia aut dolore: Hæ, inquam, & ſimiles

ſimiles orationum formæ inſtruuntur ex communibus præceptis ſolerter & ingenioſè ad propoſitum ejuſque circumſtantias accommodatis. Earum plures Quartus Liber, qui de multiplici Concionum forma tractat, explicabit.

SECTIO II.

De Vituperatione.

I. Vituperandi neceſſitas vix occurreret in Sacro pulpito, niſi Peccata & Peccatorum pravi mores zelum Concionatoris provocarent. Sed cùm ſit vituperandi occaſio, tunc opus eſt maxima prudentia & moderatione, ne ſcilicet aliter affectus Orator videatur, quàm æquitatis & pietatis animo, quo ſe utriuſque adverſarios reprehendere & inſectari profiteatur. Vitia damnabit, parcet tamen Vitioſis, ſaltem ſingularibus; nec aliquem deſignabit in quem Vituperationis probrum apertè ruat; niſi forſitan fuerit ille notiſſimæ nequitiæ, quales fuerunt Imperatores Chriſtiani Nominis Hoſtes plurimi, aliique ſimiles in quos SS. Patres calamum, ſtilumque acerrimè ſtrinxerunt. Hoc orationis Genus ad Deliberativum etiam pertinet, in quo per objurgationis formam deterretur peccator à vitioſis operibus, ex Indecoro, Incommodo, aliiſque argumentis, quæ Affectus Odii, Fugæ, & Deteſtationis ſuſcitent. *Vituperationis neceſſitas.*

II. Contrariorum rationes ex oppoſitis contrarias peti debere ſentiunt omnes Philoſophi; idem cenſent Rhetores de Vituperatione, quam inſtitui per ſimiles in contrarium leges dixere, quibus Laudatio illi oppoſita inſtruitur; ideo non plurimum operæ ponunt ut peculiares pro exprobratione methodos tradant. Crediderim tamen hoc Vituperationi proprium, quòd Figuras ardentiores adhibeat, quibus probro dignus pudore acriùs ſuffundatur. Sunt autem illæ, Interrogationes, Apoſtrophes, Indignationes, Sermocinationes, Hypotypoſes, &c. *Oppoſita laudationis methodo inſtruitur.*

III. Vituperationis Artificium paucis exibeo. 1. *Exordium* ſumitur aut à Locis communibus; vel ab excuſatione, qua Orator conatur depellere omnem invidiæ ſuſpicionem quæ fortè in Auditorum animos potuiſſet irrepere. Inſinuatione utitur ad captandam benevolentiam, dum propoſiti rationem reddit, veluti ſi dixerit ſe ob juſtam cauſam ſuſcepiſſe vituperantis vices, nimirum propter gloriam Dei, Eccleſiæ, Religionis, Veritatis, &c. propter Auditorum ſalutem, Peccatorum utilitatem, &c. Pollicetur ſe nuſquam moderationis & æquitatis metas tranſgreſſurum, ſed intra utriuſque leges, ita iniquitatem inſectatum iri, ut ipſos nequitiæ Auctores excipiat, & ad frugem ſolummodo invitet. 2. *Introductio*, ducitur vel à Fontibus huic deſtinatis, de quibus in 1. Par. l. 3. vel à deſcriptione vitii vituperandi, quemadmodum dicetur poſtea lib. 3. hujus Partis, cap. 2. ubi de Suaſionis Ingreſſu agetur. 3. *Partes* autem Vi- *Vituperationis Artificium, Diſpoſitio & Elocutio.*

tuperationis eædem ſunt & ab iiſdem capitibus eruuntur, à quibus hauriuntur Laudationis Partitiones: v. g. à Patria, Parentibus, ab Animo, à Corpore, à Facultatibus, ab Exercitationibus, &c. unde quis ſibi, vel aliis opprobrium conciliavit. Facta indecora & indigna referuntur, propriiſque circumſtantiis amplificata exaggerantur, ut puteant, & nauſeam creent. 4. *Peroratio* acuit ſtylum in vitioſum adverſarium, invehitur contra inquinatos mores, à quibus diſſuadere conatur Auditores per argumenta Honeſti vel Inhoneſti, Commodi vel Incommodi, Facilis vel Difficilis, quibus Suaſio vel Diſſuaſio conſtituitur. Addere poteſt oppoſitæ virtutis ſuaſionem, qua vitioſus habitus non tantùm extinguatur, ſed meliore ac ſanctiore propoſito compenſetur. Librum ſequentem conſule, de Suaſionis Incitamentis, ejuſque ſpeciebus.

LIBER TERTIUS.

EXERCITATIONES DELIBERATIVÆ

SEU

DE GENERE DICENDI.

Quod Artem Suadendi & Diſſuadendi explicat.

PRÆMONITUM.

Concionis Deliberativæ antiquitas & dignitas.

CELEBERRIMUM fuit olim iſtud Dicendi Genus, quod Suadendo & Diſſuadendo, animos Auditorum inflectere quocumque libuerit gloriatur. Divinioris certè Artis eſt voluntates humanas immutare: eas à ſuſceptis propoſitis revocare, iis nova conſilia ſuggerere: difficilium expeditionum, etiam cum vitæ diſpendio, amplexum jubere: ardentiora deſideria extinguere; armare imbelles: furentes exarmare: Affectus denique omnium in eam partem, quæ placuerit, inclinare. Opus inquam, iſtud eſt non Hominis, ſed Dei, qui ex omnimodi Juris legibus novit inferioribus pleniſſimè dominari. Ex ſupremi tamen Numinis benevolentia, Dominatricis Facultatis pars aliqua in Homines effluxit, quæ ingeniorum ſolertia, uſu & exercitationibus exculta, tandem evaſit in Artem, quæ Suaſionis & Diſſuaſionis methodum complectatur & doceat. Hoc Dicendi Genere aliàs excelluere plurimi, qui hac arte viam ad laudem ſibi aperuere: veluti Themiſtocles, Demoſthenes, Pericles, Cicero & his ſimiles. Primùm quidem in foro coram cœtu habebantur ejuſmodi Conciones: deinde in Conſiſtoriis Principum, poſtea ad Senatorum Orcheſtras, atque ab illis ad ſacra Pulpita, hoc eſt, à prophanis & civilibus Auditoriis ad ſanctiora & religioſiora, Suadendi & Diſſuadendi artificium dimanavit. Iſtud eſt quod præſenti libro verſatur, non ea prorſus mente, qua vel minimum præſumi velim, ſupremum in voluntatem Humanam Imperium alteri quàm Deo aliquatenus convenire, ipſe enim ſolus eſt (ut dixi) qui corda omnium finxit, novit, regit, ac pro ſuo placito inflectit: ſed Auſpice in omnibus Deo, hìc Præceptiones traduntur, quibus, aut ſaltem eorum pluribus, prudenter uſus Eccleſiaſta Sacer, poterit Auditores ad virtutem accendere aut à vitio deterrere.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Deliberativum Genus? Quotuplex ejus Materia, Forma, Finis.

Quis ſit Deliberativum Genus.

I. DEfinitur à Cicerone 1. de Invent. num. 7. iſtud dicendi Genus, *Quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione civili, habet in ſe ſententiæ dictionem.* Ab aliis ſimpliciter dicitur, *Orationis genus, quo aliquid ſuadetur aut diſſuadetur.* Varia induit nomina quæ idem ferè ſonant, quamvis à diverſis circumſtantiis initium duxerint. Appellatur *Concio, Concionatorium & Eccleſiaſticum Genus*, eò quòd ſoleret coram cœtu & multitudine congregata fieri; *Conſultorium*, Græcis συμβουλευτικὸν, à conſilio dando vel accipiendo; *Deliberativum & Scepticum*, eò quòd de re facienda tractet, nuncupatur. Hinc liquet differentia temporis quo à Demonſtratione ſecernitur Deliberatio; illa enim eſt de Præterito, quod laudem aut vituperium meretur, iſta de Futuro, quod Poſſibile præſumitur.

Species variæ Conſultationum.

II. Multiplex eſt Deliberativum genus, prout ſcilicet varias obit vices ac diverſa officia gerit. Primò quidem duplici ſpecie continetur; Alia *Suaſio* eſt, quæ operis ſuſceptionem urget; Alia eſt *Diſſuaſio*, quæ contrarium molitur. Hæ iterum in alias abeunt Partes aut conſimiles aut nonnihil diſſimiles. *Hortatio*, videtur aliquibus à Suaſione diſcrepare, quòd hæc rationibus & argumentis intellectum ad conſenſum pelliciat, illa voluntatis affectus per incitamenta figurarum & motuum ſuccendat. Pari modo *Dehortationem* à Diſſuaſione diſtingui volunt. His aliæ ſpecies rurſus ſubjiciuntur, ut ſunt *Conciliatio* & Iræ compreſſio, *Commonitio*, *Conſolatio*, *Commiſeratio*, *Petitio*, *Commendatio* & ſimiles quæ varia Suaſionis aut Diſſuaſionis genera & propoſita complectuntur.

Materia Deliberationis.

III. Materia Deliberationis in genere eſt de re contingenti, poſſibili & futura; quis enim de re neceſſaria quæ aliter fieri nequit, aut ſupra vires eſt, aut præextitit, deliberet? Materia in ſpecie eſt, quidquid cadere poteſt ſub actionibus humanis, veluti virtutes, vitia, & ſi quid indifferenter geri queat. Suadentur quidem virtutes, ut Amor Dei, Charitas erga proximum, Cura de ſui ipſius ſalute, &c. Diſſuadentur vitia, ut Odium, Negligentia, Cupiditas, &c. Huc reducuntur Imitatio proborum & Impiorum fuga. Item Materia Conſultationis duplex: Alia ſimplex, quæ unicum propoſitum & Senſum unum continet, v. g. An Eleemoſyna ſit facienda: Alia compoſita, quæ duas propoſitiones & ſenſum duplicem

Digitized by Google

plicem complectitur; V. g. An Eleemoſyna facienda ſit ob remunerationem æternam promerendam.

IV. Forma prout, hic præcisè conſideratur, ſpectat ad Elocutionem, qua Genus iſtud Dicendi debet expoliri; conſtatque Figuris, & affectibus huic propriis. Deliberativa igitur Oratio appoſitis quidem pigmentis ornari deſiderat, non tamen mollioribus & floridioribus, qualia decent Panegyres, quæ ad delectationem ferè compoſitæ ſunt; ſed Grandiores cùm Sententiarum, tum Verborum Figuras admittit illa, quibus Audientium voluntates vehementer impellat. Ejuſmodi ſunt *Apoſtrophes*, *Sermocinationes*, *Proſopopœjæ*, *Hypotypoſes*, *&c.* Verba verò debent eſſe propria, & probata, quæ aliquid grande ſonent. Affectus movendi, ſingulis Conſultationum ſpeciebus proprii ſunt; in genere tamen, debent incitari, qui Spem aut Deſperationem inducat, Amorem & Deſiderium, Metum & Fugam: ſed hi etiam Motus accommodandi ſunt Auditorum conditionibus; Alia enim ſunt incitamenta, quæ Eruditos & Nobiles pulſant, alia, quæ urgent Rudes & Imperitos. Forma & natus Dei rationis.

V. De Fine ſic Tullius ſcribit in Partit. num. 83. *Eſt igitur in Deliberando finis utilitas, ad quam omnia ita referuntur in Conſilio dando, ſententiaque dicenda, ut illa prima ſint Suaſori aut Diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri aut non poſſit, & quid aut non neceſſe ſit, aut neceſſe, &c.* Idem de Conſultationis officio, in iiſdem Partit. num. 28. ſic ait: *Itaque cùm conſtet hoc genus Cauſarum ex Suaſione & Diſſuaſione; ſuaſori proponitur ſimplex ratio; ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat: Diſſuaſori, duplex; una, ſi non utile eſt, ne fiat; altera; ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur. Sic ſuaſori utrumque dicendum eſt; Diſſuaſori, alterum infirmare ſat eſt. Quidquid ſit, tum qui privatim deliberant, tum qui publicè concionantur, ſemper horum alterum faciunt, ſicque verum erit: Suadere & Diſſuadere, Generis hujus officia eſſe.*

Ad majorem perſpicuitatem, tria hic diſtinguimus: Finem qui intenditur, Officium quod ſuſcipitur & Media quibus attingi poteſt ſcopus. Finis quidem duplex eſt; Remotus, nimirum Dei Gloria & Hominum ſalus. Proximus, eſt peculiare propoſitum Remoto, non diſſimile, v. g. Virtutis alicujus amplexus aut vitiis fuga. Iterum Proximus iſte Deliberativi Generis ſcopus, duplex eſt; aut enim Civilia & Reipublicæ comoda verſat, quæ quinque rebus ex Ariſtotele continentur, videlicet vectigalium ſolutione, Belli vel Pacis negotio; Regionis, Provinciæ & Urbis cuſtodia; Annonæ providentia. De Legiſlatione Eccleſiaſtica & Sacra propoſita tractat, & de iis omnibus agit quæ ad Inſtitutionem morum aliquatenus conducunt, ut abſtinere ab hoc vel illo malo; bonum iſtud vel illud amplecti & exequi; Officium autem Deliberationis, eſt Suadere vel Diſuadere, Hortari vel Dehortari; Affectum aliquem proritare vel ſedare, &c. Media autem, ea ſunt ex quibus Suaſio fit vel Diſſuaſio, dicunturque Motiva ſive Incitamenta Finis Deliberationis. Officium.

in

in alterutram partem Amoris vel Odii, Deſiderii vel Fugæ impellentia.

CAPUT II.

Deliberativi Generis Inventio, ſeu De Mediis quibus Suaſio fit aut Diſſuaſio.

DUo ſunt hìc tractanda; Primum eſt Perſonarum conditio, ab hac enim maximè pendet Deliberationis opus; Alterum eſt Incitamentorum natura, qua Conſultans poteſt intentum aſſequi. Ambo illa duobus ſequentibus articulis expenduntur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Perſonarum Conditione attendenda in Deliberationibus.

I. QUANDOQUIDEM non æqualis authoritatis ſunt omnes Oratores, ut æquali ſucceſſu ſuadeant aut diſſuadeant; nec etiam iiſdem Incitamentis pelliciuntur qui ſuadendi ſunt aut diſſuadendi; ideo utrorumque mores penſare oportet, ut his Deliberationis Media accommodentur. De hoc propoſito plurima ſunt abundè dicta Parte 1. Lib. 5. Cap. 2. Artic. 3. & 4. inde pauca repeto quæ huic loco ſint neceſſaria.

Suadentis conditiones.

II. Deliberantis conditio quatuor ferè rebus continetur, *Sympathia*, *Probitate*, *Authoritate & Eloquentia*. *Sympathia*, ut loco prænotato diximus, eſt latentis alicujus virtutis illecebra, qua placet Auditoribus quidquid Orator dixerit: hac poſita, facillimum eſt illi audientes inclinare quocumque libuerit, non alia ferè ratione impellente quàm innata gratia, & arcano philtro illigantibus. Contrarium verò accidit iis qui hoc dono fuerint deſtituti. *Probitas* & virtus ipſius Conſulentis maximi ſunt ponderis, ut ille ſuadeat vel diſſuadeat; credimus quippe viro quem aliunde ſanctum & juſtum ſcimus. Contra, vix homo nequam aliquid obtinebit, quia non præſumitur aliquid boni fructus ex corrupta ſtirpe oriturum. *Authoritas*, quæ vel ab Ætate, vel à Dignitate, vel à Doctrina, vel ab aliqua ſimili Naturæ, Artis aut Gratiæ beneficio ſtatuitur, plurimum etiam valet ad Deliberantis officium. Denique *vis Eloquendi*,

quæ

quæ ſuis partibus inſtructa eſt, Conſilio dato vel dando momentum addit maximum, Intellectus aſſenſum provocat, affectumque voluntatis flectit, niſi cogat. His adjice Corporis & Oris habitum, Loci & Temporis circumſtantias; Formarum ac Figurarum vehementiorum uſum; quæ vehementer urgent Auditores, ſi opportunè, prudenter & ingenioſè adhibeantur. De his dictum eſt, loco citato, pag. 269. & 270.

III. Deliberationis ſucceſſus, ſeu Artificium pendet ab Auditorum conditione de qua iterum conſule 1. P. L. 5. c. 2. art. 3. ſect. 2. In hac autem conditione, tria ſunt obſervanda, *Patria*, *Ætas*, & *Inſtitutio*. Quoniam Regionis ac Patriæ temperies varietatem maximam Animorum & Inclinationum inducit, ideo conſiderare oportet quibus rebus Incolæ moveantur. Alii enim Honeſto, Utili alii, Jucundo & Facili concitantur; atque ex iis quæ ſingulis pro Regionis more placere fuerint viſa, duci debent rationes in Deliberatione adhibendæ. Ætatis ac ſexus habenda eſt ratio. *Juvenes* ſunt cupidi, iracundi, ſtudioſi, creduli, verecundi, ſinceri, ſperant multa, plura audent, etiam difficiliora; miſericordes ſunt, gaudent ſodalibus, honeſtatis & ambitionis affectibus ducuntur, &c. *Viri* ſedatiores, moderati, prudentes, &c. moventur rebus grandioribus, Honores ambiunt, utilitati ſtudent; experientia & ingenio facti cautiores, difficilia & periculoſa negotia temerè non ſubeunt, niſi mediis neceſſariis inſtructi, &c. *Senes*, languidi ſunt, imbecilles, moroſi, ſuſpicioſi, timidi, avari, utilia honeſtis præponentes, &c. *Fœminæ*, cupiditatis, utilitatis, commodi, facilitatis, ambitionis, commiſerationis, &c. appetitu, ſolent facillimè commoveri. Inſtitutio, aliud eſt in Conſultatione ſpectandum caput: *Eruditi* enim Auditores moventur rebus gravioribus, exquiſitis & excellentioribus quæ Honeſtatem ſapiunt; *Nobiles* ducuntur Honeſto, Commodo, & Difficili. *Agreſtes* incitantur per utilitatem & lucrum; Timore & formidine, iiſque ſimilibus quæ ſenſum afficiunt concutiuntur. Vide pag. 266.

Auditorum qualitates.

IV. Hæc obiter repetivimus, ut moneretur Eccleſiaſta, præfatis circumſtantiis Orationem ſuaſoriam accommodare. Examinet igitur, quis ſit ipſe qui dicturus eſt, & eam ſuſcipiat Deliberationis ſpeciem tractandam, quæ ipſummet deceat: quis enim poterit eſſe concionis exitus, ſi ipſe deliciis plus nimio indulgens mortificationem ſuadere aut delicias diſſuadere attentet? Monſtrum certè & in Eloquentia peccatum cenſebitur ille, cujus opera tam longè à verbis diſtent; utraque igitur concordare debent, ut felicem ſortiantur eventum. Item penſandæ ſunt Circumſtantiæ ab Auditorum qualitate petitæ, ac concitandæ perſonæ, per illas rationum ſpecies, quæ ætati, ſexui, moribus, Educationi, conditioni, &c. fuerint propriæ & oppoſitæ.

Uſus præceptorum ſuperiorum.

ARTICULUS II.

De Mediis in Deliberatione adhibendis, ſeu Qui ſint Loci, unde rationes ad ſuadendum vel diſſuadendum duci poſſint?

Tria ſunt motivorum genera Suaſioni aut Diſſuaſioni propria.

TRIBUS dumtaxat Incentivorum generibus continentur argumenta Conſultoria, *Honeſto, Utili & Facili;* ſuademus enim Auditorem aliquid amplecti, quod fuerit Honeſtate, Utilitate & Facilitate commendabile. Immo ad ſuaſionem ſufficit, ſi negotium aliquo ex his argumentis fulciatur. V.g. ſat ſuadebitur nobilis animus Eleemoſynas largiri, ſi conſtiterit ipſi, Liberalitatem eſſe virtutem omnino laudabilem, viro Magnate, & primario, præcellente dignam. Alter, qui ſuo commodo ſtudet magis quàm Honeſtati, ſuadebitur etiam benefacere, ſi perſpexerit, quòd ejus largitio grandi mercede citiùs compenſabitur. Facilitas etiam aut poſſibilitas non eſt mediocre ad alicujus operis ſuſceptionem incitamentum; ultro enim aggredimur, quod non modò facile eſt, ſed quod jucunditatem parit. Contra diſſuademus aliquid, quod Honeſtate, Utilitate & Facilitate caruerit. Triplicem hunc Deliberationis fontem aperit Quintilianus lib.3. c. 8. Neceſſarium pro Facili ſubſtituens. Cicero in Partitionibus n.85. Neceſſarium ab his motivis ſuccidit. In præmiſſa Partitione ſtamus ob perſpicuitatem, & quid ſub ſingulis capitibus contineatur explicamus.

SECTIO PRIMA.

De Honeſto, ſeu, de Argumentis ab Honeſtate ductis.

Quid ſit Honeſtatis ratio?

I. HOneſtum ſeu *Honeſtas, eſt Animi habitus, laudabiles eos efficiens in quibus eſt;* ita ut quiſquis Honeſtum aſſecutus fuerit, vel ob honeſtatem fuerit aliquid operatus, vel in propoſito honeſto laboraverit, ille laude & gloria dignus meritò cenſeatur. De hac re Seneca ſic in Epiſtolis ſcribit; *Qui omne bonum honeſtate circumſcripſit, intra ſe felix eſt: qui alia bona judicat, in fortunæ venit poteſtatem, alieni fit arbitrii. Non enim* (inquit) *beatum eſt, niſi quod intrepidum; una hæc via eſt ad tuta vadenti, & externa deſpicere & Honeſto contentum eſſe.* Ex ſenſu igitur Philoſophi, immo & omnium Sapientiorum judicio, Honeſtum primas ſibi partes in Suadendo vendicat; quemadmodum ejus contrarium Dedecus maximè valet ad Diſſuaſionem efficiendam. Ratio eſt, quia Honeſtum eſt ex ſeipſo & ex ſua natura Bonum, quod Animos ratione præditos afficit ultro, & naturali quodam impetu mentem ingenuam ſubit; unde vix non ſuadebitur alicui opus, ſi illud Honeſto conjunctum oſtendatur: diſſuadebitur verò, ſi dedecore vitiatum probetur.

II.

II. Honeſti ratio complectitur quidquid laude dignum eſt; ut ſunt omnia virtutum genera; v. g. *Juſtitia*, *Fortitudo*, *Prudentia*, *Temperantia*, & quæ ſub his continentur ſpecies laudabiles. Honeſtum eſt enim, unicuique reddere quod ſuum eſt ex Juſtitia; Forti & conſtante animo difficilia pati & aggredi; Prudenter in omnibus ſe gerere; cupiditates moderari aliaque ſimilia præſtare, quæ virtutum officia ſunt & operantem virtuoſum ac laudabilem efficiunt. Contra, Indecorum eſt, Juſtitiæ leges, Fortitudinis præcepta, Prudentiæ rationem, ac Temperantiæ habenas violare. Ad Honeſtatis caput ſpectat Imitatio præcellentiorum, ut v. g. ſi opus aliquod operantem effecerit Deo, Chriſto, Deiparæ, Angelis, &c. ſimiliorem; ſi Majorum, Heroum, Sanctorum, Martyrum, &c. æmulatorem conſtituerit; ſi pluribus virtutibus perfectum ac præſtantem reddiderit. Hæc, inquam, & his paria de Honeſti ratione ſunt; contra ad dedecus pertinent, quæ à prænotatis perfectionibus recedunt & oppoſitis vitiis ſunt vicinora. Quæ ſint Honeſti ſpecies.

III. Honeſtatis rationibus inducuntur (ut dixi) Juvenes, Viri, Nobiles, Eruditi, Sapientes, Ingenioſi, Ambitioſi, Pudici, ac denique ad bonum factæ Indoles, apud quas plurimum valent incitamenta ab Honeſto ducta: quamquam inter Ruſticos & Indoctos reperiantur etiam plures qui Honeſtatem ament, modò ipſorum captui accommodetur; nec incommodis aut difficultatibus ſcateat; Ideo cùm adhibentur ejuſmodi argumenta coram Auditoribus imperitis, debent familiaribus coloribus, exemplis & ſimilitudinibus pingi, ut Honeſti ratio ab ipſis agnoſcatur. Iidem qui Honeſtum amant, Indecorum odio habent, hincque diſſuadentur. Quæ Perſonæ incitentur per Honeſti rationem.

I. Uſus hujus Loci in hoc conſiſtit, ut opus ſuadendum oſtendatur conjunctum cum virtute, quæ Honeſti rationem continet, illeque cenſeatur gloria & honore dignus, qui prædictum opus perfecerit; deinde hujus virtutis actus, partes, exempla, &c. notantur, quæ operi præfato conveniant & operantem ad ſimilia patranda impellant. V. g. occurrit occaſio ſuadendi condonationem injuriarum, ſeu Dilectionem Inimicorum, ab Honeſto; ſic poſſum urgere propoſitum. Primò Auditorum animos Honeſtatis & Gloriæ cupidos eſſe, aut debere eſſe aſſero; iſtudque per aliquod celebre dictum, vel per rationem ipſam quæ aſſertionem paucis probet; Exemplo etiam aliquorum illuſtrium potero propoſitionem firmare; veluti ſi dixerim, *Nemo eſt ad bonum natus, qui Honeſtatis amore non moveatur*, &c. *Et ſanè iſte eſt omnium ſapientiorum ſenſus, iſta probatiorum Geniorum unanimis ſententia, Honeſtatem eſſe ſublimioris mentis deſiderium, &c. Nec abs re, hoc enim ratio ſuadet, quia* (inquiunt) *nihil eſt quod Hominis naturæ integræ conveniat magis, quàm virtutis bonum, quod Honeſtate concluditur, &c. Ea fuit mens Alexandri, Cæſaris, Pompeji, aliorumque Heroum laudatiſſimorum, in eximiis facinoribus quæ aggreſſi & executi ſunt, vix aliquid aliud præter Honeſtatem expetere, &c.* Uſus & Praxi Loci ab Honeſto. Exemplo Suaſionis ab Honeſto.

Digitized by Google

Vides propoſitionem pauliſper dilatatam & fuſiùs facilè dilatandam, ſi ita expediret. Deinde alteram adde propoſitionem, quæ opus Honeſtatis bono domandum aſſerit, quam variis figuris formatam poteris proferre, V. g. ſimplici ſtylo dices, *Auditores ad aliquid ſimile faciendum ſuadeo, videlicet Condonationem injuriarum, &c.* vel per Interrogationis Dubitantis figuram; *At quodnam fuit illud opus, in quo Honeſtatis rationem poſuere, vel poſitam cenſuere ſapientiores? &c. Non aliud certè, quàm injurias remittere. Hæc fuit Magnorum animorum gloria, indulgere Hoſtibus, &c.* Poſtea fit progreſſus ad ulteriorem probationem: oſtenditur nempe quomodo Honeſtas conſiſtat in ejuſmodi Conditione: quod ut fiat, aſſumitur aliqua virtus quæ ſub Honeſti ratione continetur, ejuſque natura, proprietates & officia diſcutiuntur, atque ex his operi condonationis attributis, apparebit Condonatio laudem Honeſtatis mereri. V. g. *Dubitatis fortaſſe de veritate propoſitionis; ſed illa prorſus conſtabit vobis, modò attenderitis, condonare Injurias, eſſe opus Juſtitiæ, Fortitudinis & Prudentiæ facinus egregium.* Iterum ſtatuatur Definitio uniuſcujuſque virtutis ſeparatim; deinde ejus partes diſtinguantur, ac tandem ex his Condonatio injuriarum pingatur, explicetur, & laudabilis probetur ex attributæ virtutis commercio; veluti, ſi poſtquam dictum eſt, quòd Condonare injurias ſit opus Juſtitiæ, definiatur Juſtitia, quæ eſt Juris alieni reſtitutio, aut reddere unicuique quod ſuum eſt. Tum dicere poterit Eccleſiaſta, quòd ejuſmodi Condonatio ſit alieni Juris reſtitutio. Hoc probabit ex Lege Naturali, ſeu jure naturæ Humanæ, quod alteri homini amorem reddere jubet; ex Lege Civili, quæ conciliationem præcipit, ne hoſtili vindicta pereat ſocietas; ex Lege Divina quæ condonare injurias omnino mandat. Vel aliunde Honeſtatem in hoc facto ineſſe probabis, ſi dixeris, hominem fieri per condonationem injuriarum Deo ſimillimum; ad Divinam Filiationem ſublimari; Angelorum admirationem, hominumque laudem provocare. Poteris etiam excurrere per Juſtitiæ Debita; veluti ſi dixeris, quòd ille qui condonat injurias, Juſtus eſt erga Deum, quia per iſtud opus, Deo Jubenti obſequitur; Juſtus eſt erga proximum, quia ejus culpæ miſeretur, ipſique delinquenti non ſecus ac unum membrum alteri ejuſdem corporis membro errantis compatitur, non verò iraſcitur; Juſtus eſt erga ſeipſum, quia ſibi magnam inde gloriam apud omnes comparat. Si ad alias virtutes examinandas & cum præfata indulgentia conferendas, pari methodo ſigillatim acceſſeris, facillimè probabis, condonationem injuriarum ad Honeſtatis rationem pertinere; omnis enim hujus propoſitionis ſenſus & efficacia, hoc unico ſyllogiſmo continetur. *Quod eſt Juſtum, Forte & Prudens, eſt Honeſtum;* Hæc eſt prior propoſitio, adde Aſſumptionem: *At condonatio Injuriarum eſt opus Juſtum, Forte, & Prudens;* quid ſupereſt niſi ut evidenter inferatur, *Ergo, tuipſe, qui de Honeſtatis amore gloriaris debes injurias condonare.* Prior propoſitio certa eſt, quia

Syllogyſmus Concionatorius ab Honeſto, ſuadens condonationẽ injuriarum.

quia quod eſt virtuoſum eſt Honeſtum: Aſſumptio probari debet per partes, quæ Diviſionem aut Subdiviſionem conſtituent, ſi volueris. Primum punctum probabit, quòd condonatio ſit de Juſtitia; alterum, quòd ſit de Fortitudine; *Quod Deo, Proximo, ac ipſi operanti reddit debitum, eſt Juſtum; At condonatio eſt ejuſmodi, quia obſequitur Deo, proximo compatitur, & condonanti laudem conciliat*; *Ergo, &c.*

V. Ex his colliges uſum hujus Loci, qui ab Honeſto ducit argumenta. Sed hìc duo licet advertere. Primum eſt, non eſſe neceſſarium, ut ſemper explicetur Honeſti appellatio, ſeu ut ubicumque Honeſtatis ratio reperitur, proferatur Honeſti nomen, hoc enim moleſtum eſſet iiſdem verbis uti perpetuò; ſufficit adhibere nomen virtutis alicujus quæ Honeſti ratione continetur, & ad rem magis ac propiùs attinet, veluti ſi non explicitè dicatur condonatio injuriarum Honeſta, ſed, Juſta, Fortis, Prudens, &c. Eſt igitur iſte Locus Honeſti, Promptuarium quoddam, & Index quo monetur Orator inveſtigare & ſcrutari virtutes quæ Honeſtatis titulo ſignificantur, ut ex illis eam vel eas ſeligat, unde opus aliquod laudabile ſuadeatur. Alterum obſervandum ſpectat ad argumenta ſeu Fontes Secundarios, ex quibus Honeſti ratio (quam hìc primarium propoſitionis fontem appello) probetur ac locupletetur. Ejuſmodi autem ſupellex ducitur ut plurimum ex Promptuariis communibus & peculiaribus, de quibus actum eſt in 1. Parte Lib. 2. per totum; maximè cap. 1. art. 1. & 2. V. g. probabo Condonationem injuriarum eſſe Honeſtam ex juſtitiæ ratione, per argumenta deſumpta ex Scriptura ſacra; ex Sanctorum Patrum doctrina; ex Rationibus humanis; ex Sapientiorum geſtis, &c. Eadem argumenta potero illuſtrare Similitudinibus, Comparationibus, Symbolis, Allegoriis, &c. Notanda in uſu Loci ab Honeſto.

VI. Sectionem claudo altera Coronide, quæ præceptiones mox præmiſſas paucis complectitur: Videlicet, ut cùm Suaſionis ab Honeſto datur opportunitas, tunc Eccleſiaſta inſpiciat accuratè ad quam virtutis honeſtatem præ ſe ferentis ſpeciem præcisè opus pertineat; ejuſque (ut dixi) eſſentiam, proprietates ac debita veſtiget ac ſecernat; deinde per capita diſtinguat, ad quæ teſtimonia cùm Scripturæ, tum Doctorum, aliamve ad propoſitum ſupellectilem undequaque corrogatam revocet: deinde ad amuſſim omnia perpendat, puta, per formatum modo ſuperiore ſyllogiſmum, dignoſcat, num ſingula intentum demonſtrent, ita ut ipſemet de veritate aſſertionis certus ſit, priuſquam alios de eadem re certos facere tentet. Tandem, ubi omnia quadrare perſpexerit, tunc Figuris & cæteris Elocutionis ornatibus idoneis expolire inventa & diſpoſita conabitur. Addo quòd ſi propoſitio ducatur per Honeſti contrarium, ſcilicet Dedecus, tunc ampliſſima dicendi ſeges exurget; tot enim modis res dicetur Indecora & ad Dedecoris vitia pertinere, quot Honeſta eſt & ad Honeſtatis ſpecies attinet. Corollarium.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Utili; ſeu de Argumentis ſuaſoriis, quæ ab Utilitate & Commo do deſumuntur.

Loci ab Utili neceſſitas.

I. UNiverſaliſſimum eſt iſtud Suaſionis Incentivum; vix eſt enim aliquis hominum, qui Commodi & Utilis ratione non alliciatur: ſi verò ad inutilitatem, incommoda, & damna locus iſte protendatur, fiet uberior & communior, cùm nullus ſit qui mala non fugiat aut non formidet. Utilis autem Definitionem aſſignare facillimum eſt, cùm ſit utilitatis ratio ſingulis notiſſima, docente ſcilicet ipſa Natura; *Eſt igitur illud utile, quod Commodi & convenientis aliquid confert vel pollicetur*; contra, Inutile eſt quod nullum affert commodum; ex adverſo contra utilitatem pugnat, quod non ſolùm ea caret, ſed quod præterea damnum adjicit & incommoda cauſat.

Quæ ſint Utilitatis Genera.

II. Utile eſt duplicis generis; Aliud cum Honeſtate conjungitur, ut Gloria, honor, &c. Aliud ab Honeſtate ſeparatur, ut ſunt bona, Corporis, Fortunæ, &c. Item, Utile, aliud eſt Optandum; aut propter ſeipſum quod rationem Honeſti habet, ut virtutis amor, &c. aut propter commodum & lucrum, ut valetudo corporis, Nobilitas, &c. aut propter utrumque, ut Charitas in Deum, Parentes, &c. quæ ſimul Honeſta eſt & utilis. Aliud utile eſt Fugiendum, quod dedecore aut incommodo afficitur, ut Servitus, Peccatum, &c. Quænam ſint Bona vel Mala, quæ commodi vel incommodi ratione contineantur, facile eſt unicuique dignoſcere. Illa enim ſpectant, vel ad Animam, ut ſunt virtutes & vitia; vel ad Corpus, ut valetudo, pulchritudo, infirmitas, deformitas, &c. vel ad Fortunam, ut Opes, Divitiæ, Dignitates, &c. de quibus in Promptuario panegyrico fusè dictum eſt: Ita ut qui ſuadere velit, oſtendat opus ſuſcipiendum, Bona illa, vel illorum aliqua ſuſcipienti procuraturum; & à contrariis malis præſervaturum.

Quæ Utilitatis aut Commodi ſpecies debent ſuaderi ab Eccleſiaſta.

In Eccleſiaſtico verò Pulpito ubi minor eſſe debet de Temporalibus & Terrenis bonis ſollicitudo, ſpes Æternorum & ſpiritualium commodorum ſuſcitari ſolet; v. g. Conſcientiæ Pax & tranquillitas, Beatitudinis optandæ prægustatio, Dilectio Dei innumeris bonis fœcunda; Felicitas Æterna; poſſeſſio Dei, Angelorum ac Hominum Beatorum ſocietas, &c. His inquam Bonis excitatur Chriſtianus Auditor, atque verſus illorum adeptionem movetur affectibus Deſiderii & Spei. Contra urgetur affectibus odii, fugæ & metus adverſus mala quæ præfatis Bonis Hominem privant, ipſique aditum præcludunt ne illis fruatur. Ita metus incutitur de ſtatu perverſæ mentis, quæ variis rerum præteritarum, præſentium & futurarum imaginibus, ceu tot vermibus corrodentibus, cruciatur; De

Ira

Ira Dei plurium & terribilium damnorum, origine; De amiſſione Beatitudinis æternæ, quæ periclitatur aut imminet; De Judicii extremi ſeveritate; De Reprobatione æterna; De Inferni cruciatibus, &c. Ex his bene propoſitis & artificioſè tractatis, nemo eſt qui non poſſit ab iniquitatis opere diſſuaderi.

III. Vix eſt aliquis (ut dixi) qui Commodi vel Incommodi rationibus non moveatur: pauciores quidem ſunt quos Honeſtas ſuccendit, ſed omnes ferè ſtimulat Utilitas. Ingenui quidem & eximiè nati aut educati, eam ſectantur Utilitatem quæ cum Honeſtate conjuncta eſt. V. g. excitantur argumentis quibus promittuntur Honores, Dignitates, Virtutes, earumque præmia, quæ gloriam & laudem ſapiunt; hoc enim Utilitatis genus non diſtinguitur ab Honeſtate. Qui ab illa mentis ſublimitate declinant, illi plus minuſve recedunt à nobilioris & honeſtioris commodi ratione; prout ſcilicet ad extrema Honeſti & Utilis confinia acceſſerint. Qui tandem ſua plus nimio quærunt, propriæ qui utilitatis ſunt cupidiores, ii ducuntur ſolummodo commodi vel incommodi rationibus, eoque magis quo majoris boni ſpes, aut pejoris damni periculum affulſerit. Poſterioris generis ſunt, Plebs rudis, Agreſtes indocti & imperiti, Senes, Mulieres, Mercatores, & his ſimiles, qui argumentis ab emolumento, fructu & quæſtu deſumptis ſuadentur; diſſuadentur autem rationibus à damno, jactura & periculo ductis.

Quinam moventur ab Utilitatis Spe.

IV. Artificium ſuaſionis ab Utilitate faciendæ pendet ab Inventione & Diſpoſitione argumentorum, quibus demonſtratur opus aliquod ſuſcipiendum, plurima ſtipatum utilitate; veluti ſi conferat aut polliceatur Bona, vel *Animæ*, ut ſunt virtutes, eruditio, &c. vel *Corporis*, ut ſunt bona valetudo, Pulchritudo, Robur, &c. vel *Fortunæ*, ut ſunt Divitiæ, Dignitates, Voluptates, &c. Atque iterum hæc ſpectari poſſunt, vel ſecundùm ordinem infimum, qui eſt *Naturæ*, & ad quæſtum terrenum pertinet; vel ſecundùm ordinem medium, qui eſt *Civilis*, & in Republica valet; vel ſecundùm ordinem ſupremum, *Divinum* & æternum, qualis eſt Gratia, Salus Animæ, &c. Beatitudinis adeptio. Præfatæ igitur Bonorum diverſorum ſpecies, ſecundùm diverſos iſtos gradus ſpectatæ, ſuadent efficaciter voluntatem ſuſcipere opus, ex quo illæ manaturæ promittuntur & probantur. Ex adverſo diſſuadebitur animus ab opere, quod illis bonis cariturum, vel oppoſitis damnis formidandum, luculenter & fortiter probabitur. Do Exempla.

Uſus Suaſionis ab Utilitate.

V. Primum exemplum ab Eleemoſyna, quam eſſe faciendam ſuadere aggredior, ideoque percurro præfata Bonorum capita ſuperiùs notata, & ex iis argumenta duco, quibus intentum aſſequi contendo.

Exemplum Suaſionis ab Utilitatis Motivo.

1. Beatius & honoratius eſt dare quàm accipere: Is fuit ſemper Genius virorum illuſtrium, beneficia impensè largiri; hæc magnificentia ſtimulavit quoſcumque ad maxima natos: immo Deo Largitori ſimiliores erimus, quò liberiùs in Egenos divitias effuderimus, &c. *Hæc ratio conjungit*

Jungit utilitatem Honeſtati, ut patet. 2. Liberalitas omnium Hominum, non tantùm exiſtimationem conciliat, ſed amicitiam prolicit, ut nemo ſit qui Largitorem non diligat, & ſi ex divite factus fuerit pauper, non ſtatim eundem ſuis facultatibus adjuvet ac ſuſtentet. *Hæc eſt ratio commodi temporalis.* 3. Metuis fortaſſe, ne tua fortuna minuatur, tuumque exhauriatur marſupium, largiendo? Falleris; eſt enim augendæ rei familiaris medium certiſſimum, ipſa Eleemoſynarum largitio: Neſcis quòd ille fœneretur, qui Domino tribuit; quòd plus accipiat à Deo, quàm pauperi concedat; quòd pauperis manus ſit veluti ſolum fertiliſſimum in quo ſepultum Eleemoſynæ granum, uberrimè poſtea multiplicetur, &c. *Iterum ex commodo temporali.* 4. Eſto emolumenta terrena quæ corporis ſunt non lucreris; majora te præſtolantur, quæ ad Animam ſpectant; videlicet Habitus virtuoſi, quibus melior tui pars locupletabitur; neque enim Creator deſiderat Creaturæ in Beneficentia cedere; plura reſtituet, quàm quæ dederis: dediſti fortaſſe fruſtum panis, veſtem, &c. rependet ille quidquid expetiveris, vel quo indigueris; ſcientiam, prudentiam, fortitudinem, &c. annon iſta pluris ſunt facienda, quàm ſcyphus aquæ, quo pauperis ſitim extinxiſti? &c. *En argumentum à Bonis Animæ.* 5. Ad majora te provoco, nimirum, tuorum Peccatorum Indulgentiam pro largitionis tenuis mercede ſpondet Deus. Noſti quantis debitis ob multitudinem & magnitudinem ſcelerum tuorum Divinæ Juſtitiæ adſtringeris? Paucis doceo Debitorum pleniſſimam ſolutionem. *Eleemoſynis peccata tua redime.* O facilis & compendioſa æris aliunde difficillimè ſolvendi, remiſſio, &c. *En divinius argumentum.* 6. Nec iterum ſiſtit Eleemoſynæ merces in remittendis criminibus, niſi addat Gratiam & benevolentiam apud Deum. Philtrum eſt certè potentiſſimum Eleemoſyna, & hamatum (ut dicunt) beneficium, quod ad mutuam beneficentiam Deum provocat, &c. 7. Stupes ad Judicii extremi memoriam, jamque ni fallor tremis ad buccinam te ad Judicium reddendæ rationis cauſa vocantem? Juſta eſt prorſus formido; vis eſſe ſecurus? audi quid Petrus Chryſologus ſerm. 8. de Jejun. & Eleemoſ. te doceat; *Manus* (inquit) *pauperis, ſinus eſt Abrahæ, ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Theſaurus Cæli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, ne pereat in terra, reponit in Cœlum. Da ergo, homo, pauperi terram ut accipias Cœlum; da nummum, ut accipias regnum: Da micam, ut accipias totum. Clamat Deus: Miſericordiam volo. Dicturus cauſam in Judicio Dei, patronam tibi Miſericordiam aſſume, & miſericordiam conſequeris.* Has rationes ſimplici ſtylo, & ſuis ornatibus ferè denudatas protuli ex utilitatis fonte deſumptas, ut clarius intelligat Eccleſiaſta, quomodo inde ſimilia ad ſuadendum argumenta poſſit haurire; quæ ſi per Amplificationem & Figuras expolirentur, magnam ad pelliciendos affectus obtinerent.

Eleemoſynæ largitio ſuadetur à Commodo.

VI. Alterum Exemplum eſt Diſſuaſionis ab oppoſitis capitibus tra-

ſtatæ. Eſto igitur Conſultatio *de Avaritia*; Hæc ſunt rationes ab Indecoro & Incommodo ductæ quibus extingui poſſit.

Exemplum Diſſuaſionis ab Indecoro & Incommodo.

1. *Ab Indecoro:* Non te pudet, ô Avare, Cor & Animam infigere pecuniis & divitiis quas tanto labore comparas, tanta cura tueris, tanta mœſtitia brevi dimittes? Neſcis, quòd ille cupiditatis affectus, te infra Hominis dignitatem miſerrimè deiiciat? ſis enim illud quod amas, & amoris virtute transformaris in Terram, cujus fœtum, (pecuniam ſic appello) ardentiſſimè diligis, &c. 2. *Ab Indecoro & Incommodo*. Deſideras bene apud omnes audire, & meritò: bonarum enim mentium eſt de bono nomine curam habere. At quomodo audis apud ſapientiores? Heu, te veluti Hirudinem Sanguiſugam Generis Humani hoſtem, &c. arbitrantur ac prædicant. Nam (ut ait Baſilius in caput 2. Abac.) *Eſurientis eſt panis, quem tu retines; Nudi eſt veſtis, quam in arca cuſtodis; Diſcalceati calceus qui apud te marceſſit, &c.* Audi, quid pauperes, qui non minus ſunt lingua Dei, quàm manus, inclamant adverſum te, tibique ſimiles Avaros Divites. Horum interpres eſt D. Bernardus his verbis. *Noſtrum eſt quod effunditis! clamant nudi, clamant famelici: nobis crudeliter ſubſtrahitur, quod inaniter expenditis, &c.* 3. *A Noxio;* Pecunias augere cupis tua parſimonia? falleris. Minuuntur illæ dum cœleſti benedictione non fœcundantur. Sed quid ajo, non fœcundari facultates ſordido quæſtu corrogatas, & avaro marſupio incluſas? addo eas tibi paucos poſt dies (Deo ita puniente avaritiam) ex improviſo caſu eripiendas: furabitur Latro; diſſipabit filius; abſumet litigium, &c. Ah quantum tibi nocebit, fuiſſe avarum! 4. *A Majoribus damnis;* Te rurſus compello, ut pericula intelligas tibi ob avaritiam impendentia. Peccata peccatis exaggeras: quid enim eſt cupiditas niſi teſte Apoſtolo, *Radix omnium malorum? &c.* tibi Gratiæ Fontes obſtruis, viam ſalutis præcludis, Cœlo te indignum præſtas, &c. Ergone tibi ſapiens videberis, qui tot malorum in te ruentium cauſa exiſtis, per voluntarium cupiditatis iniquæ affectum? &c. Sufficiunt iſta ut pateat modicum intelligenti, quòd, facile eſt utrobique argumenta ex Commodi vel Incommodi promptuariis eruere ad ſuadendum vel diſſuadendum.

Avaritia diſſuadetur ab Incommodo.

SECTIO III.

De Tertio Suaſionis aut Diſſuaſionis argumento: Nimirum,

De Neceſſario, vel non Neceſſario; Poſſibili, vel Impoſſibili, Facili, vel Difficili.

Quid ſit Neceſſarium.

I. NEceſſarium aliqui revocant ad utile, quia illud ſæpiùs ab emolumento ſtatuitur, & expedire plerumque cenſetur omne quod rationem Commodi demonſtrat. Diſtinguimus tamen; tum quia quodcumque utile eſt, non ideo ſemper æſtimari debet Neceſſarium; tum quia utilitas præcisè ad Perſonam aut Rem ſpectat, Neceſſitas verò actionem ipſam ſeu ſuſceptionem notat. Atque ut hujus Loci Conſultorii partes evidentiùs pateant; obſervandum eſt quòd tria in Deliberatione de Negotio ſuſcipiendo vel dimittendo ſolent agitari. Primò, *An res ſit Poſſibilis vel Impoſſibilis*. Secundò, *An expediat & ſit Neceſſaria, vel è contra.* Tertiò, *Quomodo perficienda erit? An Facilè, vel Difficilè? An Jucundè, an Tutò*; *& Quibus Auxiliis ſeu Mediis, &c.* Quæſtio etiam movetur de Perſona, dum quæritur, Quæ illa ſit? De Facto, ſcilicet, Quodnam ſit illud? De Mediis & inſtrumentis ad operis ſuſcepti exequutionem neceſſariis.

Quid ſit Poſſibile.

II. Poſſibilitas opus faciendum metitur cum Perſona quæ ad faciendum ſuadetur aut diſſuadetur; ejuſque Media, quibus indiget ad operis perfectionem conſiderat; an ſcilicet ſufficiant vel non. De Impoſſibili nemo deliberat, niſi ratio ducatur inde, ut nimirum quis deterreatur ab operis ſuſceptione; V. g. diſſuadetur ultio adverſus potentiorem hoſtem. Primum igitur quod quæritur eſt, fierine res poſſit? vel abſolutè, ita ut nullatenus perfici queat; vel comparatè ad perſonas, inſtrumenta, aliaſque circumſtantias rerum, locorum & temporum.

Neceſſarium duplex.

Variæ Neceſſarii ſpecies.

III. Neceſſitas poſſibilitatem conſequitur, nec enim (ut dixi) ſufficit quòd res ſit factu poſſibilis, niſi ſit neceſſaria & expediat; priùs eſt igitur poſſe fieri, deinde fieri debere. Ad Neceſſitatis caput argumenta plurima conſimilia revocantur, ſed hæc maximè; *Utilitas, Præceptum, Conſilium, Decentia, Ratio, Opportunitas, aliæque pares circumſtantiæ*, quæ rem neceſſario faciendam ſuadent. Adverte quòd hìc Neceſſarii ſignificatio non ſumitur pro eo quod non poteſt aliter fieri; abſurdum enim eſſet deliberare, ſuadere, aut diſſuadere, in re abſolutè Neceſſaria, cùm Deliberatio ſit tantùm de rebus poſſibilibus; Latiùs uſurpatur Neceſſarium, pro eo omni quod fieri oportet ob aliquam cauſam, liberam tamen, quales ſunt utilitas, juſſio, aliæque rationes quas modò attigi, quæ à Libero arbitrio dependent, ut voluntatis aſſenſum vel diſſenſum aſſequantur. *Utilitas* igitur magnam ſtatuit aliquid fa-

faciendi neceſſitatem, præſertim apud eos qui lucroſis & mercenariis incitamentis alliciuntur; ideo quæ ſuperiùs dicta ſunt de Commodo vel Incommodo, utili vel noxio, hæc illis ſufficiünt ad Neceſſarii rationem. *Præceptum*, ſive Dei, ſive Eccleſiæ, ſive alicujus Superioris rem oſtendit factu neceſſariam, modò æquitati concordet; Contra, Prohibitio neceſſitatem tollit & ad Diſſuaſionem valet. In eumdem Deliberationis ſcopum conſpirant, *Lex* Communis aut Municipalis; *Conſilium* in bonum vel malum, à probis aut iniquis, prudentibus aut imprudentibus; *Decentia*, ætati, ſexui, conditioni, occaſioni, &c. accommodata. *Ratio* denique, quæ ſingula operis & actionis attributa prudenter examinat, judicium fert de Neceſſitate, pronuntiatque rem eſſe ſuſcipiendam aut dimittendam, quia ita rerum ſtatus cenſetur expoſcere.

IV. Facilitas vel ejus oppoſita Difficultas, aliud præſtat Conſultationis caput; ſuadetur nempe quod Facile eſſe probatur; contra, quod Difficile apparet diſſuadetur. At in utraque diſquirere oportet rei veritatem; nimirum, An Facilitas aut Difficultas ſint veræ, & certæ; an falſæ, dubiæ, probabiles & apparentes. Ex his ducitur mollius vel fortius Suaſionis aut Diſſuaſionis argumentum. Motivum à Facili quid ſit.

Ut Facilitatis ratio dignoſcatur, conſulendæ ſunt & expendendæ circumſtantiæ quæ hoc ſolemni verſu continentur. Varii Facilitatis modi.

Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando?

1. QUis? Vox illa, *Perſonæ* conditionem attendendam eſſe monet. Spectat primùm ad Perſonam vel ſuadendam, vel aliquid ſuſcepturam, quæ ſcilicet in quæſtione verſatur; V. g. num ſit Juſta, prudens, docta, dives, fortis, &c. vel oppoſitis vitiis ſordeſcat. Incitatur enim facilius ad virtutem, aut diſſuadetur à vitio, vir juſtus, fortis, prudens, &c. quàm iniquus, mollis, amens, &c. Sic urgeretur Religioſus, ut ſe à Mundi nugis citò expediret.

Non tibi (vir Religioſe) jam opus eſt longa orationis ambitione, qua te ſuadeam mundanis vanitatibus renuntiare: temetipſum tibi ſiſto; ut tui ſolius inſpectione movearis ad ſæculi perverſi fugam. Memineris, quis ſis, cujus ætatis, cujus prudentiæ, cujus æſtimationis, &c. Et ſenties tuum animum ex ſola ad tuam perſonam attentione, vehementer ad ejuſmodi rerum vanarum repudiationem ſtimulari, &c.

Deinde Perſonæ circumſtantia ſpectat etiam ad Adverſarium cum quo res agitur, oportet enim quærere, quæ illa ſit & quibus virtutibus aut vitiis ſtipetur. Sic D. Paulus Epheſ. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, &c.*

2. *Quid*? Rei & operis circumſtantias appellat. An opus ſit magni vel minimi momenti; an gloriam vel infamiam cauſabit; an commodum

KKKK vel

vel incommodum afferet, &c. Sic ſuadetur Chriſtianus ut de Salutis negotio ſit ſollicitus, quia rès eſt maximi ponderis, à qua Felicitas vel Miſeria æterna dependet.

3. *Ubi?* Locum deſignat, in quo res geri debet, facilè vel difficilè, decenter vel indecorè, utiliter vel noxiè, &c. Sic ſuadetur aliquis frequenter orationes facere in Templo, quia ibi adſunt plurima quæ ad exauditionem conferant: Diſſuadetur verò aliquid mali in ſancto loco perpetrare, quia ibidem plurima patratum ſcelus augent & exaggerant.

4. *Quibus auxiliis?* Hìc expenduntur media ſeu facultates, quibus res fieri poteſt; an ſcilicet adſint vel deſint. Huc etiam reducuntur Impedimenta quæ obſtant vel obſtare nituntur. Media autem ſeu Inſtrumenta ad faciendum neceſſaria; vel ſunt à Deo, ut Gratiæ auxilium, Virginis ac Sanctorum mediatio, &c. Vel à nobis, ut ſunt Facultates naturales, animæ, & corporis; vel ſperantur ab Amicis, Sociis, Fautoribus, &c. Favor, Pecunia, præſidia, &c. Impedimenta ponuntur à noſtra ignavia, à malitia Dæmonis, Adverſariorum invidia, &c. illaque ſunt ſuperanda facilè vel difficilè, &c. V. g. Suadeo Salutis opus, quia Facile eſt; illud nimirum deſiderat & jubet Deus, deſiderio addit Gratiæ ſubſidia; nec obſtare poteſt Diabolus dudum à Chriſto & ſuperatus & ligatus; cætera verò nullam neceſſitatem imponere poſſunt quin liberè ſalvemur, &c.

5. *Cur?* De fine hìc agitur, quis ille ſit, bonuſne, vel malus, majoris vel minoris momenti; appetenduſne, vel fugiendus. Quorſum v. g. aliquis Eleemoſynas largiri debeat? An ob Charitatem? An ob naturalem commiſerationem? An ob vanam Gloriam? &c.

6. *Quomodo?* Modus quo negotium perfici poſſit aperitur; uſus & praxis docetur; explicantur variæ circumſtantiæ, quæ ad operis peculiarem & ſingularem perfectionem attinent. V. g. Jejunium obſervandum eſt, Eleemoſyna danda, Humilitas tenenda, in his & ſimilibus caſibus, ac in tali rerum ſtatu.

7. *Quando?* Temporis & opportunitatis habetur ratio; nam quædam ſunt in uno tempore facilia, quæ in alio ſunt difficillima. Ita D. Paulus ſuadet curam de ſalute, 2. Corint. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies Salutis.* Ad hanc Circumſtantiam accedit eventus operis ſuſcepti; num feliciter vel infeliciter, cum fructu vel damno geſtum fuerit.

V. Jucundi, Gratioſi, Tuti, Convenientis & ſimilium Adjunctorum rationes ſunt etiam Suaſionis & Diſſuaſionis Incentiva. Suſcipitur facilè opus quod ſperatur poſſe perfici cum voluptate, & ſecuritate, hoc eſt, jucundè & tutò, &c.

Uſus Loci à facili.

VI. Uſus hujus Loci, qui à *Facilitate* dicitur, Eccleſiaſtam monet, ut cùm de Suaſione agitur, percurrat Facilitatis capita, eaque ſcrutetur, & in opere ſuadendo eadem reperiri oſtendat: Si aliquæ occurrant difficultates

tates

tates quæ mollem ac timidum poſſent terrere vel morari, eas diluat, aut per negationem, aut per diminutionem, aut per compenſationem alicujus utilitatis quæ præpolleat difficultati apparenti. Ubi opus eſt Diſſuaſione, ducendæ ſunt rationes ab oppoſitis capitibus, quæ Impoſſibilitatem, Difficultatem, cæteraque faſtidium & averſionem inducentia, demonſtrent. Exempli gr. Jejunium ſuadere aggredior à Facili atque ideo Facilitatis Claſſem conſtituo per capita diſtinctam.

1. A Perſonæ ætate perfecta, complexione robuſta, integra ſanitate, &c. Quàm facilè illa cibis paucis abſtinebit. 2. *A Reipſa*. Quid enim eſt quod præcepto jejunii ſancitur? Unius tantùm refectionis detractio. Quàm minimi debet iſtud fieri, quod certè plurima mercede compenſatur? 3. *Ubi?* Grave quidem foret vacare jejunio in iis locis, qui neceſſariis ad ſuſtentationem ſufficientem alimentis carent; At hìc, ubi non modò neceſſaria, ſed & ſuavia etiam abundant; quæ difficultas in jejunii uſu? 4. *Quibus auxiliis?* Eſto, ſit difficile jejunare; At quis ignorat auxilia, quibus jejunantis conatus juvatur? adeſt Gratia ex Deo, quæ præcepti adimpletionem reddit facilem, &c. 5. *Cur?* Finem attende, ſcilicet Beatitudinem, pretium jejunii futurum, & facile jejunabis. 6. *Quomodo*, inquis laborioſum iſtud opus perficiam? modum, quo jubetur examina, & videbis te fictitia difficultate terreri. 7. *Quando?* Ætatem attigiſti, qua teneris ad præceptum, quod unicam in meridiano tempore refectionem, cum modica collatione ſerò facienda ſtatuit. 8. *A Poſſibili & Impoſſibili*. Cauſaris fortaſſe impoſſibilitatem tuam. At ex qua parte? an à te? an à Jejunio? non prorſus, &c. 9. *A Neceſſario*. Jejunium præcipitur à Lege Divina & Eccleſiaſtica, &c. Illæ nihil jubent quod non debeat impleri: immo cum alacritate; ſi enim modicus Charitatis ardor vigeret in tuo corde, nullam experireris difficultatem; ubi amatur, ibi non laboratur, aut labor amatur, &c. Vide quanta audeant milites, cùm expeditiones periculoſiſſimæ jubentur. 10. *A Jucundo*. Teſtes vos appello Medici, num ſuavitatem non experiantur, qui à lautioribus cibis nonnumquam abſtinuere? Optimum condimentum fames, & intermiſſa prudenter alimenti ſumptio reſtituit palato ſaporem, quem extinxerat aut brevi extinxiſſet, lautius & frequentius convivium. 11. *A Tuto*. Quid non ſecurum in Jejunii obſervatione? Corporis ſanitas inde certior evadit; inde Sanctitas Animæ ſecurior; Felicitas Paradiſi, quæ vim ſibi facientibus promittitur, inde fiet aſſecutione facilior.

Suaſio Jejunii à Facilitate.

Hæc rudi calamo delibavi, ut evidentiùs diſceret Tyro, qua ratione poſſit ex præfato fonte haurire argumenta ſuaſioni accommodata: ſi enim elegantiori artificio expoliantur ejuſmodi rationes; ſi Figuris appoſitis, ſi comparationibus & ſimilitudinibus exquiſitis condiantur; ſi etiam contrarium jejunio vitium per oppoſita capita ducatur, exurget inde locupletiſſima ſeges ad dicendum & ad perſuadendum efficaciſſima. Ubi

àdverte ordinem inter præmiſſa Facilitatis capita ſervandum, pendere omnino ab Oratoris judicio: poteſt enim ille alterum alteri præponere, vel poſtponere, vel etiam ex iis aliquod omittere, prout expedire rationi & opportunitati cenſuerit.

SECTIO IV.

De Vero, quod eſt cæteris ad ſuaſionem incitamentis commune & neceſſarium Inſtrumentum.

I. PRæter Fontes ſupra memoratos, ab Honeſto, ab Utili, & à Jucundo ſeu Facili deſumptos, additur quartus qui *à Vero* dicitur, eſtque cæteris fontibus communis, & pertinet peculiariter ad intellectum illuſtrandum, illi autem ad inflammationem voluntatis. Ideo enim voluntas movetur affectu Honeſtatis, Utilitatis & Facilitatis, quia Intellectus rem ita ſe habere priùs novit, nec illa incenditur ante, quàm iſte prævia illuſtratione convictus præbuerit aſſenſum. Inde *Veri* neceſſitas; hoc eſt, probare debet Eccleſiaſta opus ſuſcipiendum, Honeſtatem, Utilitatem & Voluptatem in ſe continere. Deguſtavi modò ſingulas horum Fontium claſſes, hìc ſolùm addo, eorum veritatem ſtatui debere per Locos communes & peculiares de quibus abundè actum eſt in 1. Part. Lib. 2. Quantùm verò ad Eccleſiaſtam Sacrum ſpectat; ille probationes frequentiùs ducit ex Promptuario Theologico. V. g. probat opus aliquod eſſe Honeſtum, Utile, aut Facile, ex Teſtimonio S. Scripturæ, SS. Patrum, & ex aliis ſimilibus Locis, qui fidem facere ſolent in Sacro pulpito; quamquam & argumenta ex multiplici eruditione hauſta, ſanctioribus poſſunt ſobriè & artificiosè commiſceri.

ARTICULUS III.

Artificium Suaſionis aut Diſſuaſionis in Sacro Pulpito.

SECTIO PRIMA.

Methodus Suadendi aut Diſſuadendi.

Quodnam propoſitum ſeligi debeat, in Deliberativo Genere.

I. PROPOSITUM primò ſeligi debet, quod erit ſacro Eccleſiaſtæ conveniens, quò ad Mores corrigendos & in bonum formandos erit aptius. Ejuſmodi ſunt, quæ quatuor Hominis Noviſſima, ***Mortem***, ***Judicium***, ***Paradiſum & Infernum*** verſant. Virtutes & vitia, præſertim, quæ Auditorio congruunt & opportunitati quadrant. Si propoſitum ſuggeratur ex Evangelio, huic ſtandum eſt, veluti à Spiritu Sancto deſignato, & poſt expetitum ab eodem Spiritu auxilium ad meliorem propo-

ſiti

ſiti commiſſi executionem, Eccleſiaſta intentum omne convertat ad Auditorum utilitatem, quod enim ad hunc finem minimè profuerit, illud cenſeri debet ſuperfluum; niſi fortè vertatur in ipſius Concionatoris culpam, cùm teneatur ad reddendam de omni verbo otioſo rationem. Authores prælegat, qui ſimilem materiam, vel huic affinem, methodo magis morali tractant, ut inde ſugat parem de moribus inſtituendis animum ac formam.

II. Ubi conſtitutum fuerit propoſitum tractandum, v. g. de ſuadenda Charitate, vel de Odio diſſuadendo; quærantur vel excogitentur rationes & argumenta quibus iſtud perfici poſſit. Occurrent primò acervatim & tumultuariè, prout ſcilicet, memoria ſtudiumve fortuitò ſuggeſſerint, ideoque breviter & in Charta repoſitoria annotentur: deinde novo ſtudio & accuratiore attentione diſcutiantur Collectiones compendiariæ; ex his conſtituantur Concionis Partes, ſeu Capita, quæ rurſus in alia Charta commodiore ſeparatim paucis inſcribantur; tum his capitalibus propoſitionibus ſubjici debet ordinatè ſupellex collectanea, quæ ſuis capitibus conveniat & intento probando ſufficiat. Ubi adverte, hanc ſupellectilis oratoriæ collectionem, egere prudentia & judicio, ut ea ſecernatur & admittatur tantùm, quæ aptior fuerit propoſito, & ad probationem validior: Quemadmodum enim præſtat cum paucioribus, ſed electis militibus, prælium committere, quàm cum pluribus, ſed gregariis & inertibus numeroſum exercitum inſtruere; idem cenſeri debet de certamine oratorio; in hoc enim rationes pauciores ſed validiores, præferendæ ſunt infirmiorum multitudini. Quomodo rationes ad probandum neceſſariæ colligi & ordinari debeant.

III. De Forma Concionis Deliberativæ dictum eſt initio hujus libri; ubi etiam notatæ ſunt Figuræ præcipuæ, quibus ſolet hoc dicendi Genus illuſtrari. Illæ videlicet conveniunt, quæ ad commovendos affectus majorem vim habent; quales ſunt *Interrogationes*, *Apoſtrophes*, *Hipotypoſes*, *Proſopopœjæ*, *&c.* Finis enim Generis iſtius eſt animos flectere, non quidem voluptatis illecebris, ſed rerum pondere & grandioris Eloquentiæ inſtrumentis. Eam ob rem, poſtquam Orator inſtructurus Concionem, ſtatuerit propoſitum tractandum, atque in hunc finem Concionis partes earumque probationes in Charta (ut dixi) ſeparata per Claſſes proprias diſtribuerit, tunc proſpicere debet, quiſnam Affectus congruat ſuo propoſito, ut nimirum illuc Concionis Formam, Figuras & omnes Artis vires contorqueat. Iſtud certè notatu digniſſimum eſt, nam ſi quæras cauſam, cur Deliberationes ſæpius optatum non ſortiantur effectum (cauſas hìc intelligo à Natura vel Arte, non verò aliunde petendas) vix aliam poteris reperire, quàm quia Orator aut ignoravit, aut neglexit Affectum, qui propoſito ſuo proprius erat; alium fortaſſe incitare tentavit, quem non ſpirabant adductæ in concione rationes. V. g. debebat ciere Metum, incitare conatus eſt Spem, vel Deſiderium. Unicuique igitur Concionis propoſito congruit certus aliquis Affectus, ipſi Affectus propoſito conveniens debet inquiri & urgeri.

pro-

proprius, quem Orator veſtigare debet, ac in ipſum commovendum totis viribus collineare; V. g. Triſtitia de Peccato, Metus de pœna, Spes de Bono, Fuga mali, &c.

Modus quo Affectus excitatus executioni poteſt mandari, eſt aperiendus.

Nec iterum in hac Commotione ſiſtere debet Eccleſiaſta, ſed ad opus ſalutare Auditorem ulterius compellere, & modum quo iſtud peragi poſſit aperire. V. g. Aliquis demonſtravit evidenter pauciſſimum eſſe hominum ſalvandorum numerum, atque inde terrorem incuſſit audienti Plebi; ſi ille ibi ſteterit, quid ex hoc pavore reportabit, niſi Formidinem, & fortè Deſperationem Aniculæ alicujus? At non eſt iſte Concionis ſcopus: de Salute Auditorum, & Morum formatione agitur, non verò de alia quacumque re, quæ ſuperflua reputatur niſi in præfatum finem conſpiraverit. Operæ igitur pretium eſt in allato, vel ſimili caſu, ut commotio vehementiùs ſuſcitata, mox ad Auditorum Mores & Salutem accommodetur practicè, hoc eſt, ut ſuggeratur modus quo in ſalubrem effectum convertatur. V. g. Terror ex paucitate ſalvandorum incuſſus, lenietur per Spem, qua unuſquiſque ſibi polliceri poteſt, quòd de Prædeſtinatorum numero, licet exiguo, erit, modò pravos mores dimittens induerit meliores; quòd ejuſmodi opus poſitum eſt in ejus poteſtate, cui Gratia neceſſaria nuſquam deeſt, &c. Propterea oportere à peccato tali recedere; preces & gemitus coram Deo fundere; ut ille, qui Hominum eſt amantiſſimus, pœnitentiam noſtram acceptare dignetur. Ratio hujus rei eſt, quia commotio non eſt ultimus præcipuus Concionum ſacrarum finis, ſed Medium & inſtrumentum, quo *Affectus* hominis ſuccenſus, ad bonum conveniens inflectitur vehementiùs. Ideo cujuſcumque generis fuerit Commotio facta vel facienda, huic ſubjici ſtatim debet praxis; V. g. qua ratione quis medeatur formidini, nempe per hujus aut illius rei formidandæ fugam: Triſtitiæ, per uſum Pœnitentiæ: Deſperationi, per Divinam Miſericordiam tali & tali modo invocandam, &c. Item ideo Judicium extremum timeat Auditor, ut illius ſeveritatem prævertat emendatione morum, & bonorum operum perfectione; Beatitudinem ſperet, ut eandem per virtutum opera conſequi nitatur, &c.

SECTIO II.

Diſpoſitio Generis Deliberativi, ſeu Concionis Deliberativæ partes Integrantes.

DEliberativæ Concionis partes, eædem quæ in aliis dicendi Generibus, videlicet, *Exordium*, *Introductio*, *Partitio ſeu Puncta*, *Confirmatio*, *& Epilogus*. Diſpoſitionis Methodus repetenda eſt ex Prima Parte, Lib. 3. de Oeconomia, ubi abundè dictum eſt de ſingulis Concionum partibus & quomodo illæ debeant excogitari, ordinari ac exponi.

liri. Prætermiſſis igitur præceptis communibus, de quibus ibidem actum eſt, peculiaria tantum hìc adjicimus, quæ Suaſioni aut Diſſuaſioni ſpecialiter conveniunt.

Exordii utilitas, in hoc dicendi Genere.

1. *Exordium*, de quo aliàs diximus 1. p. l. 3. cenſetur ab aliquibus in hoc Dicendi Genere ſuperfluum, quia (inquiunt) cùm nullus ignoret rem de qua Conſultatio inſtituitur, fruſtra monebitur per initialem propoſitionem, cujus finis eſt intentum aperire & explicare. At eſto civilibus & privatis Deliberationibus aliquando ſint inutilia Exordia, ſunt tamen in Sacris & publicis Concionibus adhibenda, maximè ob Dignitatem & Docilitatem. *Ad ornamentum* quidem, quia Majeſtatis & gravitatis plurimum præ ſe fert Concio, quando non citiùs & ferè impetu præcipite aperitur propoſitum tractandum, ſed auguſto & illuſtri præloquio, Auditorum benevolentiam pellicit. *Ad Docilitatem* valet Exordium quod Auditores monet dilucidè de rebus dicendis, attentoſque facit ex opinione utilitatis, quæ inde futura promittitur.

Loci ex quibus Exordia duci poſſunt pro Deliberationibus.

1. A Dicente.

Fontes ex quibus Exordium ducitur, ſunt vel *à Perſona Dicentis*; *vel ab Auditoribus*; *vel ab Adverſariis*; *vel à Re ipſa*. 1. *A Dicente* vix ſumitur Exordium apud Eccleſiaſtas ſacros, cùm videatur iſtud nonnihil commendationis propriæ olere; poteſt tamen Exordium inde duci, cùm Res dicendæ ſublimitatem & difficultatem in ſe continent: his explicandis & enodandis imparem & inſufficientem poterit ſe profiteri Orator; ita tamen, ut in his non ſit nimius, aut humilitatem (ut ajunt) hamatam non ſimulet; ſed ex iis Auditores ad implorandum cœlitùs auxilium invitet. Sic optimè Adventus penſum de Providentia Dei in Juſtos & Peccatores, exorſus eſt celebris Orator, per ſententiam, quam ex Seneca ſimile propoſitum verſante mutuarat; *Rem difficilem faciam, cauſam Deorum agam:* ex iis verbis artificioſè amplificatis Exordium texuit cum laude. *A Dicente* poteſt iterum fieri præfatio, quando fingitur per Addubitationis figuram *Anceps* de Re dicenda, vel de Concionis eventu. V.g. *Dubius ſiſtor in hoc pulpito, qualem induere animum debeam, gaudii vel mœroris, ſpei vel metus, &c.* Item profiteri poteſt Orator amorem & commiſerationem erga Auditores; hoc Benevolentiam conciliabit, ſed ab Adulationis ſpe prorſus abſtineat. 2. *Ab Auditoribus* ducitur Exordium, quando iis declarat Orator ſe omnia dicturum quæ eorumdem utilitati, commodo, ſaluti, dignitati, ingenio, &c. erunt convenientiſſima. 3. *Ab Adverſariis* fit Exordium, quando finguntur impugnandi per Concionem. Ut ſi v.g. de Ambitione dicendi occurrit occaſio, poterit præmitti gravis & ſeria cautio, qua Orator *Anteoccupationis* figura uſus, dicat ſe metuere ne aliquem innoxius ipſe lædat: Eam nempe eſſe vitii hujus naturam ut omnes penè inficiat, ſed illam eſſe ſibi mentem, ut neminem ſciens offendat, aut ſi aliquid proferat quod aliquem videatur ſeveriùs pungere, illud fore ex animo non injurioſæ offenſæ, ſed ſalubris correctionis, &c. 4. *A rebus dicendis* frequentius & apptus ſumitur Exordium,

2. Ab Auditoribus.

3. Ab Adverſariis.

4. A Re dicenda.

dium, quo ex magnitudine, neceſſitate, utilitate & ſimili circumſtantia ad Res ſpectante concilientur Auditorum attentio & benevolentia. Cætera ex prima Parte l. 3. ſunt repetenda.

Introductionis Deliberativæ varii fontes.

II. *Introductio* prætermitti poteſt, videlicet, cum Partitio facta eſt in Exordio; vel cùm nuda & ſimplici declaratione partes tractandæ ſtatim oſtenduntur. V. g. *De Patientiæ virtute hodie dicturus, tres propoſitiones pro Partitione Concionis ſtatuam, &c.* vel poſt præmiſſam brevem excuſationem, eo quòd Introductionem fieri ſolitam prætermittat, Diviſionem aperiet Orator. V. g. *Ne tempus rebus gravioris momenti deſtinatum abſumamus in Præludio inutili; intentum vobis citiùs aperio. De Patientiæ virtute tria hodie dicam* 1. *eſſe rem Juſtam & Honeſtam.* 2. *Eſſe Utilem.* 3. *Eſſe Facilem, &c.* Alii pro Introductione, ſubſtituunt deſcriptionem virtutis aut vitii de quibus agitur: Hoc fit duobus modis; Prior præmittit brevem propoſitionem huic deſcriptioni, v. g. *Ne ad ignotum vos pellicere videar, debeo declarare quid ſit virtus hodie tractanda, &c.* Alter modus, abſque prævia Occupatione pingit virtutem, eamque ornat diverſis Doctorum Sententiis, quibus virtutis eſſentia ſufficienter innoteſcat; deinde ſubjungit Partitionem petitam v. g. ex proprietatibus Patientiæ; veluti quod triplicem Pacem operetur. 1. *Privatam*, in ipſius patientis corde. 2. *Civilem*, in Republica, &c. 3. *Divinam*, cum Deo, &c. Alii eruunt Introductionem ex altiori & generaliori capite, quod eſt Partitionis fons & origo. Veluti ſi de Patientia dicturus, ingrediar à Propoſitione quæ de virtutibus Homini Societatem ineunti neceſſariis tractet, deinde claudatur per propoſitionem propiorem, quæ afferat, ex his Virtutibus magis neceſſariis, Patientiam eſſe, quæ ſit convenientior: Rationes verò majoris iſtius convenientiæ, petentur ab effectis Patientiæ, indeque fiet Partitio. V. g. quia triplicis Pacis mox notatæ eſt cauſa.

Partitionum Deliberativarum fontes.

III. *Partitio* Concionis Conſultoriæ, fiet ut plurimùm, vel ex Cauſis alicujus v. g. virtutis; vel ex ejus Effectis; vel ex ejus Proprietatibus; vel ex Mediis ad aliquid obtinendum neceſſariis; vel ab Impedimentis; vel ab his omnibus ſimul. V. g. oſtendam 1. quid ſit virtus Charitatis. 2. quæ ſint ejus Proprietates, ſeu Effectus. 3. quibus Mediis obtineatur. Vel, Tres ſunt largitionis cauſæ. 1. Natura, ſeu affectus humanus naturaliter miſericors. 2. Utilitas, ſeu commodum, ex beneficentia futurum 3. Charitas. Vel, Tres ſunt Avaritiæ cauſæ. 1. Appetitus rerum terrenarum immoderatus. 2. Diffidentia de Providentia Dei. 3. Ambitionis ſuſtentandæ ſollicitudo. Vel, Avaritia tribus peſſimis effectibus eſt infamis. 1. Hominem privat Rationis dignitate, dum abjectiore affectu ipſum ad terram dejicit. 2. Spoliat Gratia, dum Avarum ad multa peccata impellit. 3. Excludit à Gloria dum ſalutis incurioſum efficit. Vel, Tres ſunt Avaritiæ Proprietates, 1. Avarum labore premit in acquirendo. 2. Timore vexat in poſſidendo.

Partitionum exempla de Avaritia.

do. 3. Dolore ſtimulat in rerum poſſeſſarum amiſſione. Vel tribus Mediis ſuperatur & tollitur Avaritiæ appetitus. 1. Attentione ad Divitiarum vanitatem. 2. Attentione ad Animæ dignitatem. 3. Attentione ad Divinam prohibitionem. Vel, Dicam 1. quid ſit Avaritia & qui ejus effectus. 2. quibus Mediis extinguatur. 3. Impedimenta, ſeu excuſationes vanas, quibus Avari cupiditatem prætexunt, amovere conabor. Ex hoc familiari exemplo, nemo non intelligit facilè eſſe Partitiones varias de virtutibus aut vitiis formare. Solemnes ſunt quæ ducuntur à communibus Deliberativi generis fontibus, Honeſto vel Inhoneſto, Commodo vel Incommodo, Facili vel Difficili. V. g. ſuadere contendo Liberalitatem, quia eſt 1. honeſtum, juſtum & glorioſum alteri dare. 2. Commodum, utile & fructuoſum. 3. Facile, & ex rebus minimi momenti perficitur. Vel diſſuadere volo Avaritiam à contrario, quia eſt 1. Indecora, indigna homine, & injuſta. 2. Incommoda, noxia, & multa damna procurat. 3. Difficilis, periculoſa & multis laboribus colitur. Poſſunt elegantiùs formari hæ Partitionum appellationes, & eas tritis & communibus vocibus explicui ad Exemplum; exquiſitiores loquendi formas excogitabit ingenioſus Eccleſiaſta.

IV. *Confirmatio*, ſeu Confutatio, partes ſunt Concionis, quæ intentum probant, ſeu ſuadendo, ſeu diſſuadendo. Illæ non aliunde perficiuntur quàm per argumenta ſeu rationes, quibus propoſitio cujuslibet partis probatur. Diximus Promptuarium Generi Deliberativo proprium, eſſe illud quod ſumitur à præfatis fontibus, *Honeſti*, *Utilis*, *&* *Facilis*, vel ab iſtorum contrariis, *Indecoro*, *Incommodo*, *&* *Difficili*. Loci ſunt (ut intuenti patet) Suaſorii vel Diſſuaſorii, plures alios Locos ſibi ſubordinatos continentes. Ita *Honeſti titulo intelligitur*, *laudabile*, *glorioſum*, *juſtum*, *pium*, *præceptum*, *conſilium*, *Majorum & illuſtrium imitatio*, ac denique quodcumque honeſtatem, gloriam & virtutem ſapit: contrarium omnino ſignificatur Indecori voce. *Per utile notatur*, *Commodum cujuſcumque generis*, *ſive ſpectet ad Animam*, *ſive ad Corpus*, *ſive ad Fortunam*, *ſive ſit temporale ſive æternum*. Incommodi nomine contrarium indicatur. *Sub Poſſibili*, *continetur neceſſarium*, *facile*, *jucundum*, *gratum*, *tutum*, *promptum*, *&c.* Impoſſibile verò horum oppoſita complectitur. Additus eſt Fons à Vero dictus, qui certitudinem facit de ſuperioribus Locis, hoc eſt, probat rem eſſe Decoram vel Indecoram, Commodam vel Incommodam, Facilem vel Difficilem; probationem verò ſtatuit, vel à Scriptura ſacra, vel à SS. Patribus, vel à Ratione, vel denique ab aliis Locis Communibus in Promptuario explicatis.

Loci ad Suadendum vel Diſſuadendum.

Ex his (inquam) comprobantur, firmantur & locupletantur Propoſitiones capitales Suaſionis vel Diſſuaſionis. V. g. probabo remitti debere injurias, quia ejuſmodi Condonatio eſt, 1. Honeſta. 2. Utilis. 3. Facilis. *Honeſtatem Condonationis* probabo, quia eſt opus ma-

Exemplum Confirmationis de Condonatione injuriarum Suadenda. 1. Ab Honeſto.

magni animi, appetitum ultionis ſuperare; quia ita ſeſe geſſere Alexander, Cæſar, aliique Heroes inſigniores; quia, qui condonat injurias, ſimilis Deo efficitur; hæc ſanè eſt maxima gloria; quæ omnia firmari debent, locupletari, & ornari, ſententiis, exemplis & figuris elegantioribus: Si hæc non ſufficiant, poſſunt erui argumenta à contrario, quia nimirum vindicta fuerit à ſapientioribus æſtimata, vilioris, & infirmioris animi opus. *Utilitatem condonationis* probabo, quia per illam Adverſarius ex inimico fit Amicus; peccata noſtra coram Deo remittuntur; Adoptio in Filium Dei acquiritur; cœlum denique aperitur. Illuſtrantur iſta per argumenta, ſententias & figuras ornatiores. Moralitas fiet à contrario, quia qui condonare noluerit, Bonis enumeratis ille renuntiabit & oppoſitis damnis ſeſe obnoxium conſtituet. *Facilitas Condonationis* probabitur, quia Amor eſt proprium cordis humani opus, ad quod tamquam ad centrum ſponte illud convolat; quia eſt Dei mandatum ſuave, & gratiæ auxilio facile; quia ſi inimico falſam detraxeris hoſtilitatis ſpeciem, ut in eo Dei ſimilitudinem, ac Chriſtum intuearis, facillimum erit eumdem ſic ſpectatum diligere. Pro morali Epilogo, arguitur vindicta, quæ Humanitati videtur repudium dare, mandatum Dei de impoſſibilitate accuſare, & Chriſtum in ſuis Fratribus perſequi; ubi perſpicit Eccleſiaſta uberem ex his Fontibus ſupellectilem manare, quæ propoſitionibus probandis ac ſuadendis inſerviant. Si aliquid ſit diſſuadendum, argumenta ducenda ſunt per oppoſitas (ut dixi) rationes. Addo etiam, quòd ordo hic ſervatus inter præfatos argumentorum fontes, poteſt ad arbitrium prudentis Oratoris immutari. Operæ etiam pretium eſt variare titulos quibus illi inſigniuntur, ne faſtidioſior æqualitas videretur, quæ ſimilibus ſemper uteretur vocibus; ideo conſulitur appellationes variare affinibus & germanis verbis quæ eaſdem res aut his conſimiles ſignificent. V. g. ſi pro Honeſto, dicatur Glorioſum, & Juſtum, & quod ſit Pietatis, Charitatis, Religionis, aut alterius virtutis opus, &c.

2. Ab Utili. *3. A Facili.*

Concluſionis Deliberativæ Fontes & Partes.

V. *Epilogus* ſeu Concluſio, in Deliberativo Genere, fiet per recapitulationem argumentorum adductorum breviter, & ſummatim, & variatis tum verbis, tum formis explicatam; quibus adjungenda erit Commotio, quæ eſt altera Concluſionis pars. Quæris fortaſſe quid ſit Commotio, & quomodo ſit peragenda. De hac re aliàs diximus in Prima Parte, Lib. 3. cap. 6. ubi de Peroratione: Libro quarto capite tertio, articulo tertio, ſectione tertia, ubi de Figuris ad promovendum idoneis: Libro quinto capite 2. art. 4. ubi tractandorum Affectuum methodus traditur; hìc aliqua repetimus ad quæſitum reſpondentia. Dignoſcere igitur oportet, quiſnam Affectus intento Concionatoris & Concionis conveniat, quique ex præmiſſis rationibus Intellectum erudientibus ac illuſtrantibus, duci appoſitè queat ad Voluntatis inflammationem. V. g. de virtutis æſtimatione, amore, & deſiderio,

Commotio Affectuum quomodo fieri debet.

ob

ob ejus excellentiam, utilitatem & facilitatem; vel de vitii alicujus deſpectione, odio & fuga, ob ejus turpitudinem, vilitatem, pericula, damna & difficultates. Ubi conſtiterit iſtud; tunc in præfatum ſcopum convertere debet Orator omnes Affectus & Artis vires, ut talem ſcilicet motum ſuſcitet apud Auditorem, qualem novit propoſito convenire. Hìc explicanda ſunt Amplificationis vela; hìc Figuræ grandiores & vehementiores adhibendæ; hìc contorquenda & frequentiùs vibranda rationum conglobatarum jacula, donec propria experientia ſenſerit Orator intentum irrepſiſſe in Auditorum Affectus. O ſi Eccleſiaſtes ipſe optimè foret affectus, & ipſius præcordiis altiùs inhæſiſſet ille idem motus, quem in Auditoribus excitare ſatagit! Suggererentur ſanè verba, rationes, figuræ & Affectus ab ipſa ferè natura; quemadmodum videmus mulierculas contendentes, fieri ex incandeſcente bili eloquentiſſimas; aut ſaltem Eloquentibus ſimillimas. Artis ergo induſtria non eſt minima in Oratore, ſi eumdem ille ſenſum ebibat & ſugat, quem in Auditores trãſfundere deſiderat.

Concluſionis aliquas formulas hìc appono ad Exemplum. Ejuſmodi ſunt v. g. Satis (ni fallor) huc uſque propoſitum demonſtravi; nemo enim jam dubitare debet quin res ita ſe habeat prorſus, quemadmodum ſtatueram initio hujus Concionis; videlicet, &c. *Tunc poteſt fieri brevis dictorum reſumptio.* Supereſt (inquiet) ut ad ea quæ prænovit intellectus, voluntas incendatur, &c. *Vel*, Finiendi tempus eſt, &c. ſed antequam huic Concioni metas ponam, adhibere debeo nonnulla, quæ ad morum inſtitutionem valent. *Vel*, Claudamus orationem, & brevi Epilogo colligamus totius Concionis vires, atque ad Audientium utilitatem; morum mutationem, dictorum praxim, &c. eaſdem connectamus, &c. Plures Concluſionum formæ his ſimiles, immo his meliores, poſſunt excogitari ab ingenioſo Eccleſiaſta; has modò in exemplum tradidi, ut Concluſionis Tranſitiones indicarem, & de elegantiorum (pro data opportunitate) inventione commonerem. Concluſionis Formulæ.

Figuræ Concluſioni appoſitæ, ſunt (ut aliàs dixi) quæ ad permovendum valent, ut ſunt *Interrogationes*. V. g. Quæro jam à vobis; annon experiamini vehementem ad hanc virtutem affectum? Quid enim Charitate dignius cenſeri poſſit, quid Honeſtius, Utilius, Jucundius, &c. judicari debeat, prorſus ignoro, &c. *Vel ſi de vitio res eſt, dicere poterit Eccleſiaſta*; Non te pudet ò Peccator, de ejuſmodi graviſſimo ſimul & turpiſſimo ſcelere? Non tibi nauſeam movebit infamis criminis deformitas? &c. Non paves ad ipſum nomen, quod memoriæ tuæ actum nequiſſimum, flagitioſiſſimum, periculoſiſſimum, proximo damno puniendum, repræſentat? &c. *Per Apoſtrophes*, Miſera prorſus eſt veſtra ſors, ò Peccatores indurati, qui nullis argumentis, precibus, minis, præmiis, pœnis, &c. flectimini! Vos ſiſto coram Deo Judice, ut de veſtro ac meo contendant officio &c. *Per Hypotypoſes*, Fingite vobis mortuum Avarum & in Inferno ſepultum, nunc ad has auras revocari, ut ſe palam Concluſionis Figuræ.

ab omnibus conſpiciendum tradat, qualem illum putatis futurum? qualis ejus ſpecies? &c. *Per Proſopopœjam*, Exurgat nunc ex his, qui intra iſtius Templi ſepta humati ſunt, aliquis, aperiatque mentem de rerum mundanarum vanitate; quid dicturum putatis? Hæc certè loquetur & dicet; Quid inſanitis? &c. *Per Dialogiſmum*, Prævertite Judicii extremi horam, & fingite vos adſtantes coram Tribunali Judicis, audire Catholicum & Hæreticum de ſua Fide, Juſtum & Impium de ſuis moribus, contendentes; quid ſibi ad invicem dicturos ac reſponſuros putatis? Ego, inquiet Catholicus ad Chriſtum, verbis tuis ſimpliciter & humiliter, etiam contra repugnantes ſenſus, credens, firmiter tamen profeſſus ſum, in Euchariſtia tuum verum corpus realiter exiſtere, &c. ſi quid in hoc peccavi, dictum factumve tuum fuit erroris mei cauſa, &c. ſed nuſquam de errore ſuſpicatus ſum, quia nuſquam de tua omnipotentia, tua in homines benevolentia, tua in dicendo ſinceritate dubitavi, &c. Hæc dicere poterit Catholicus ad Fidei tuitionem; ſed tu ò Hæretice quid inquies? &c. His & ſimilibus præmiſſis, Orator urgebit Auditorem, ut virtutem propoſitam citiùs amplecti, aut vitium ſtatim fugere feſtinet; nimirum ut promiſſis virtuti præmiis potiatur, paratas verò criminibus pœnas devitet. Cætera quæ ad Moralitates, & Concluſiones Suaſorias aut Diſſuaſorias ſpectant, vix certis legibus contineri, aut præceptis peculiaribus explicari poſſunt; Uſu & Exercitio comparabuntur.

ARTICULUS IV.

Ideæ & Exempla Suaſionis aut Diſſuaſionis.

SECTIO PRIMA.

Uſus Artificii Suaſorii & Diſſuaſorii.

TANTI eſſe Artificium Suaſionis aut Diſſuaſionis arbitror, ut de illius methodo Leges & Praxes ſuggerere ſæpiùs non metuam, velimque propterea Eccleſiaſtam omnes huc ingenii & artis vires ſeriò convertere; cùm ferè totum ſit Eloquentiæ opus, Auditores quò voluerit Orator pellicere. Eam ob rem hìc adjicio (niſi repetam) paucis, modum Concionandi de Virtute aut Vitio, deinde Exemplar ſubjiciam.

Triplex methodus inſtruendæ Suaſionis.

Occurrat igitur occaſio agendi de virtute, v. g. *de Humilitate*, tribus Punctis concionem partior. In Primo præmitto *Incentiva* ſeu rationes quibus Auditor moveatur ad Deſiderium & proſequutionem Humilitatis; in Secundo *Humilitatis eſſentiam*, definitionem, proprieta-

tes,

tes, & effectus explico; in Tertio *Media* quibus obtineri poſſit Humilitas ſubjicio; ibi etiam difficultates aſſecutionem Humilitatis præpedientes amolior & ſolvo. Inverti poteſt ille ordo, ut videlicet priùs *deſcribatur Humilitas*, deinde ſuggerantur *Motiva*, tum tertio ordine, ſuggerantur *Media*. Methodus de eodem propoſito nonnihil diverſa mihi frequentior eſt iſta. Videlicet; In Introductione, *virtutis Naturam* pingo; in prima parte *Motiva*; in ſecunda, *Media*; in tertia, *Signa* & indicia virtutis habitæ, vel habendæ exhibeo. Idem præſto cùm de vitii alicujus odio & fuga mihi agendum eſt. V. g. de *Superbia*; Motiva, ſeu rationes ob quas deteſtari oportet Superbiam, præpono; deinde Superbiæ Deſcriptionem, poſtea Media quibus ſugiatur Superbia expono. Vel, priùs Deſcriptionem Superbiæ, tum fugæ Motiva; deinde Media. Vel, Introductio fit ex Deſcriptione Superbiæ; prima Pars ex Motivis fugæ; ſecunda de Mediis; tertia de Signis, quibus agnoſcatur aut virtutis aſſecutio, aut vitii extinctio; atque hìc ad uſus peculiares & ſingulares actus digredior, unde mores ſpeciatim & practicè, ſecundùm circumſtantias individuas formentur.

Quæres primò, unde prænotatæ Suaſionis aut Diſſuaſionis partes explicentur, dilatentur & locupletentur. Reſpondeo ex ſuperiùs dictis; I. *Deſcriptionem virtutis* aut vitii expetendam eſſe ab Authoribus qui de iiſdem rebus tractant ex profeſſo. Definitio tamen hìc non debet ſumi ſtrictè, videlicet ad Normam Logicam, quæ res definit per proprium & proximum Genus, & immediatam Differentiam; ſat eſt Oratori res definire per illud omne quod eaſdem pingit, aut repræſentat: ut ſunt Similitudines, Symbola, Apophthegmata, &c. ex ſacris aut prophanis Scriptoribus deſumpta. Vide 1. Partem lib. 2. de Promptuariis. Hìc adverte quòd ſi ejuſmodi Deſcriptio vices obeat Introductionis, non opus eſt ut minutatim pingatur, cùm hoc ſit poſtea præſtandum in ſequentibus partibus, v. g. cùm de Signis agetur; ſi verò Partis præcipuæ, nimirum primæ aut ſecundæ loco ponatur, debet ſigillatim expendi Deſcriptio, & per minutas particulas explicari. V. g. non ſufficit Pœnitentiam pingere ſequentibus verbis Concilii Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Eſt Dolor animi ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*: ſed debent voces ſingulæ ponderari, v. g. quòd ille Dolor ſit verus non fictus; ſummus, non levis; internus, non exterior; propter Deum, non verò propter temporalia, &c. Sic (inquam) poſſunt ſigillatim verba Scripturæ ſacræ, aut SS. Patrum examinari, indeque propoſitio facilè amplificabitur. II. *Motiva* deſumuntur ex Locis Deliberationi propriis, quales ſunt, *ab Honeſto*, *ab Utili*, *à Facili*, ad quos incentiva omnia revocavimus. Dixi non eſſe opus, ut quotieſcumque opus eſt ſuadere, repetantur hæc eadem verba Honeſti, Utilis & Facilis, ſed ad varietatis gratiam debent alia

Unde & quomodo Suaſionis aut Diſſuaſionis partes probentur.

Unde Motiva deſumantur.

his

his conſimilia ſubſtitui, v. g. pro Honeſto Juſtum, Deo Gratum, &c. pro Utili, Conveniens, ſecurum, &c. Item, nec eſt neceſſarium per hæc tria capita ſemper excurrere, ut res aut ſuadeatur aut diſſuadeatur; ſufficit aliquando proponere diverſas utilitates, quæ ex opere ipſo ſperantur aut promittuntur. V. g. Jejunium proficit Animæ & Corpori; Eleemoſyna procurat bona temporalia & æterna, &c. Aliquando tria hæc Motiva ex oppoſitis ducuntur, cùm res eſt de vitio diſſuadendo. V. g. Invidia eſt, 1. ex ſuo principio, ſeu origine, viliſſima & abjectiſſima, 2. In ſuis Effectis periculoſiſſima. 3. In ſuis remediis curatu difficillima. Atque iterum hæc capita probari debent ex teſtimoniis Scripturę, Patrum, Dictis Sapientum, Exemplis, Similitudinibus, Rationibus, &c. III. *Media* duci debent ab iis rebus quæ operis perfectionem juvant & impedimenta tollunt. Communia ſunt auxilia quæ à Deo ejuſque gratia ſperantur, ſed oportet ad res magis ſingulares deſcendere; quæ rurſus ex duplici capite poſſunt deſumi. Primum ad Motiva accedit, hiſque ſimile eſt. V. g. Humilitatis Media ſunt, ſi homo ſemper attendat ſe nihil eſſe in Natura, in Gratia, in Gloria. Alterum Mediorum genus ferè idem eſt cum Effectis & Signis. V. g. Humilitatis Media ſunt, ſeipſum nihil facere, cæteros æſtimare plurimi; Inferiores ſuſcipere; Æquales diligere; Superiores revereri, &c. Hic oportet amovere Impedimenta, quæ obſtant virtutum praxi, quales ſunt vanæ excuſationes, difficultates apparentes, &c. quæ complanari debent per propoſitionem Motivorum Suaſionis aut Diſſuaſionis. IV. *Signa* denique quibus dignoſcitur virtutis adeptio, aut extinctio vitii, eruuntur ex Effectis. V. g. Signum Humilitatis acquiſitæ eſt, ſi homo ſeipſum nihili faciat, ſi dignitates non ambiat, ſi cæteris ſe inferiorem vel pejorem reputet, &c.

Unde Media eruantur ad Suadendum?

Cauſæ Effectrices Moralitatum.

Quæres 2. Quæ ſit melior forma, per quem Suaſorium aut Diſſuaſorium Artificium (quod Moralitatem vocant) poſſit perfici. Grande iſtud opus eſt, & Eloquentiæ ſacræ totum ferè negotium, quod propterea omnes Naturæ & Artis, cùm Dotes, tum Impedimenta, ac denique difficultates complectitur. Hujus rei Cauſas potiores adverto. Prima eſt, *Spiritus S. Gratia*; illa ſcilicet per incultiorem etiam Sermonem, & inertiores Oratores, virtutem operatur maximam, non quidem quæ Leges Artis obſervet, eſt enim ſupra Leges, ſed quæ modo ſibi peculiari ex quolibet & cum Medio quocumque efficit omne quod Cordium Magiſtro placuerit. De hac aliiſque Eloquentiæ Cauſis dictum eſt 1. Part. lib. 1. cap. 2. II. Altera hujus efficaciæ cauſa eſt *Natura*, quæ nimirum adeò felix eſt, ut ſpirante Genio, etiam abſque Arte, intentum in Auditores tranſmittat. Diximus loco mox citato, Naturam propriis viribus relictam plurimis fœdari maculis, quæ poterant Arte modica deleri, illamque expolitam potuiſſe, ad ſummum Eloquentiæ apicem attolli facillimè. Ejuſmodi tamen Genius aliquando ſat feliciter Suaſionis ſcopum aſſequitur, etſi fortuitò iſtud fiat, ſit nihilominus efficaciter, ex Indolis ardentio-

ris

ris impetu, vel etiam ex Oratoris opinione commoventur Audientium Affectus. III. *Auditorum animus*, eſt nonnumquam ad commotiones excipiendas ita facilis, ut ſolo vocis lugubris tono illi prorumpant in lachrymas, clamore acriore paveant, nominato tantùm Dæmone conturbentur, &c. Hic, inquam, tenerioris mentis ſtatus, qui ſolet eſſe Plebeculæ, Anicularum, ac etiam aliquando Perſonarum ſapientiorum, ſed facilioris temperiei, plurimùm ad Suaſionis efficaciam valet, & ſi à prudente Oratore induſtriè verſetur, integrum ſimul ac citiſſimum faciet triumphum. IV. *Propoſita* ipſa quæ tractantur, ſunt etiam ex ſe aliquando Commotioni faciendæ, alia aliis aptiora, veluti quæ ſunt de Morte, de Judicio Extremo, de Inferno, de Reprobatione & ſimilibus, quæ ſua natura terrorem incutiunt; Alia ſunt Amoris & Gratitudinis conciliativa, ut Incarnatio, Pueritia Jeſu, Beneficentia Mariæ Virginis, &c. Ideo non eſt mediocris artificii prudentia, noſſe ſecernere & tractare peculiarem Affectum cuilibet propoſito convenientem.

Singulares defectus non debent reprehendi.

Paulò ſuperiùs, hoc cap. art. 3. ſect. 2. deſignavimus quidnam ſit Commotio, qua Moralitas inſtituitur; quomodo fieri debeat; quos Affectus illa poſtulet; quibus Formulis ac Figuris enuntiari debeat: hìc ſolùm adjicio, illam eſſe meliorem Moralitatis Formam, quæ Auditores compellit, & Concionis ſenſum ad Auditoris mores formandos ſpeciatim applicat ac convertit. Nolim certè aliquem nominari, aut propriis notis ita pingi ut inde pudor creetur Audienti, vel etiam ut quidquam minus recti ab ipſius Oratoris animo ſuſpicioſè conjiciatur; iſtud enim cùm Charitatem, tum prudentiam lædit; ſed Theſes & propoſita univerſalia, debent ad Hypotheſes, ſeu ad uſus peculiares innoxiè contrahi, unde qui audiunt moveantur ad praxim: ſecùs, evaneſcunt argumenta etiam meliora, nemo quippe eſt qui ſe ſufficienter per communia dicta monitum arbitretur: ut actiones ſunt Singularium, ita & Commonitiones. Quid proderit v. g. Medicus, ſi multa de morbo & de Midicina in genere diſſeruerit, niſi peculiariter attigerit inſtantem ægritudinem, cauſas indicaverit, malos eventus inde metuendos aperuerit, ac tamdem appoſita remedia cum debitis circumſtantiis aſſignaverit? Idem cenſe de Concionatore; huic non ſufficit ſublimem & pretioſam ſupellectilem, de Humilitate v. g. vel Patientia, vel alio propoſito explicuiſſe; niſi ſubjecerit caſus ſpeciales & circumſtantias peculiares in quibus præfatæ virtutes mandari debeant executioni, oppoſita vitia caveri, obſtantes difficultates ſuperari, &c. Non diſſimili modo peculiaris uſus debet urgeri, cùm res eſt de vitio fugiendo, v. g. de Superbia, Ebrietate, &c. circumſtantiæ ſingulares ſunt annotandæ & exigendæ.

Dictum generale debet contrahi ad ſingulares Uſus.

Forma Moralitatum.

Forma denique Moralitatum metuit Periodorum prolixitatem, qua remittitur & tepeſcit Oratoris ac Auditoris animus; opus eſt igitur Commatibus, Inciſis & brevioribus Periodis, quæ veluti ſpicula inflammata repetantur, & propiùs ac frequentiùs adoriantur adverſarium. Vix locus

cus

Digitized by Google

cus eſt Hiſtoriæ, in Epilogo jam incaleſcente, niſi illa caſu aliquo Affectum pulſante conſtiterit, & ſenſum Concionis præ oculis ſubjiciat: ſed quò brevior & ardentior erit, eò melior. Figuræ debent eſſe, ut dixi, grandiores, quæ Auditorem percellant, interrogent, pungant, ſtimulent, nunc precibus, nunc minis; præmiis modò, modò pœnis; Decoro, Indecoro; Commodo, Incommodo; aliiſque inflammatis Elocutionis ſchematibus, quæ voluntati flectendæ deſtinantur.

SECTIO II.

Exemplum Suaſorium de Patientia, ſeu de Tolerantia calamitatum. Status Quæſtionis.

DEliberatur, An calamitates, miſeriæ & ſimiles humanæ ſortis difficiles caſus ſint æquo Animo tolerandi. Suadetur pars affirmativa per Orationem ſequentem, cujus vim & efficaciam omnem, hoc ſyllogiſmo contractam & ab utilitate deſumptam exhibeo. *Quod peccata purgat, docet virtutes, & Coronas procurat, illud eſt æquo animo accipiendum; ſed calamitatum Tolerantia, purgat peccata, virtutes docet, & meretur Coronas, Ergo Calamitatum tolerantia æquo animo eſt ſuſcipienda.* Hic eſt ſyllogiſmus generalis, ſenſum totius deliberationis complexus, qui tribus aliis ſyllogiſmis ſpecialibus, ceu tot probationibus, quas ſingulis partibus præfigam, confirmabitur. Brevitatis ſtudio rem paucis perſtringam.

Thema..... Patientia Pauperum non peribit. Pſ. 9. 19.

Exordium à rei tractandæ difficultate.

„ EXordium. Ea eſt Virtutum Moralium conditio diverſa, ut aliæ „ ſint aliis ad ſuadendum longè faciliores. Liberalitas certè ſolo vul„ tu placet intuentibus, & in animos Suadendorum per ſolius pulchri„ tudinis oſtenſæ illecebras inſinuatur. Magnificentia benevolentiam „ Auditorum ſtatim ſibi conciliat, &c. Ita plures aliæ ſimilis gene„ ris virtutes faciliimè ſuadentur, quia nimirum ſpeciem Laudis & „ Commodi præ ſe ferunt, quæ arrideat & qua illæ corda ſollicitent „ ſeipſis. At nonnullæ ſunt quæ non niſi difficillimè ſuaderi queant; „ quia ſcilicet ob labores & pericula quibus abundant, faſtidium creant „ & horrorem. Ejuſmodi ſunt Mortificatio, Humilitas, &c. atque præ „ cæteris Ærumnarum Tolerantia, &c. Hæc eſt quam hodie ſuadere „ contendo; ſed inde oritur maxima Propoſiti perficiendi difficultas; „ Qua enim ratione inducam Appetitum illud appetere à quo ipſe „ abhorret? illud amplecti quod metuit ac toto fugit conatu? &c. O„ pus iſtud eſt ſupra meas vires, ſed mediante B. Virgine, Deo dante ſug„ geretur gratia qua intentum feliciter exequar. Eam ob rem preces mecum

cum ad Mariam Afflictorum ſolatium fundite; Angelicam Salutationem »
adhibeamus, &c. »

Exordium iſtud à difficultate rei dicendæ petitum, hinc ſibi conciliat Audientium benevolentiam. Poterat à pluribus aliis Fontibus deſumi, & aliis etiam Formis explicari. V. g. *A Sorte Prædicatorum* Sacrorum, qui tenentur ex officio Auditoribus ingrata & inſuavia proponere ac ſuadere; Oratores verò prophani poſſunt placentia & delectabilia explicare, &c. Vel; *A Viſceribus rei*. V. g. ſi pro Exordio dicatur;

Aliud Exordium ex viſceribus rei à ſpe Utilitatis.

Nihil eſt aut communius aut inevitabilius ipſa calamitatum miſeria; »
ſed nihil eſt aut minus notum, aut minus utile. Communiſſimam qui- »
dem eſt Calamitas, quia nullus non patitur aliquid miſeriæ, &c. immo »
inevitabilis eſt miſeria, quia nemo eſt qui ſe ſe ab ea tueri poſſit, &c. »
At ignotus eſt omnino Miſeriæ uſus, vix eſt aliquis qui norit quantum »
boni illa contineat. Sed & inutilis eſt ferè ſemper Miſeriarum experien- »
tia, quia cùm deberet ad ſalutem proficere, illa ſæpius in damnum con- »
vertitur, hinc quippe Miſerorum plurimi, murmurant, impatienter fe- »
runt, deſperant, &c. Vellem omnino vos ab ejuſmodi malis eximere, »
&c. At quoniam iſtud perficere non penitùs mihi conceditur; ſaltem do- »
cere conabor, qua ratione poſſitis ex Miſeriarum perpeſſione veſtram Sa- »
lutem promovere, &c. »

Hæc Exordii altera Idea oritur ex viſceribus cauſæ tractandæ, conciliatque Auditores à ſpe utilitatis. Poſſunt ad Exordiendum adhiberi aliæ Formæ grandiores & politiores; facilem & communem adjeci, quæ imitationis exemplum commodius exhibeat.

Introductio à Genere; ſeu à Cauſis Miſeriarum.

Introductio, deſumitur à Genere, videlicet à Miſeriarium cauſis, quæ quidem variæ ſunt, ſed in his præcipuè attendi debet Providentia Dei, quæ permittit ut Homo pluribus verſetur incommodis. Quare autem ita fieri permittat; rationes hujus permiſſionis aſſignantur, ex quibus fit Concionis Partitio. Senſus Introductionis eſt iſte, v. g. *Quod advenit nobis ex Dei permiſſione, illud eſt nobis æquo animo excipiendum; quia nempe Deus, cùm ſit Hominum amantiſſimus, non permittit accidere nobis aliquid damni, quod non vertatur in noſtram majorem utilitatem, ſaltem quæ ad Animam ſpectet: At Mala pœnalia, quibus affligimur, non accidunt nobis, niſi Deo permittente: Quid ergo ſupereſt niſi ut æquo tolerentur animo? &c.* Introductionis forma poterit inchoari his aut ſimilibus Verbis.

Introductionis Exemplum.

Miſeriarum, ſicut & omnium rerum mortalium, diverſæ ſunt Cauſæ, »
quæ diverſos in Miſeris affectus excitant. Aliæ calamitates oriuntur à Na- »
turæ humanæ conditione, quæ ex contrariis qualitatibus conflata, in »
domeſticas pugnas perpetuò exardeſcit. Ita Ægritudinum moleſtiæ, &c. »
Aliæ ab hoſtium ſuſcitantur odio; invidia, &c. ita Lites, vaſtationes, »
&c. Aliæ immittuntur aliunde, ſed Deo ſic ferè ordinante; ejuſque Pro- »
videntia Cauſarum inferiorum miniſterio utente; ita oriuntur omnes (ut »

 ajunt)

„ ajunt) hujus vitæ pœnalitates, &c. Triplex ergo malorum noſtrorum „ eſt Cauſa, Naturalis, quæ à nobis ipſis fit: Civilis, quæ ab aliis homi- „ nibus; Divina, quæ Divinæ tribuitur Providentiæ; ſed ex his ultima „ debet maximè attendi, videlicet Deus, cæteræ enim Cauſæ nuſquam no- „ cere poſſunt nobis, niſi Deus iſtud facere conceſſerit. Hinc ait Scriptu- „ ra, *Non eſt malum in Civitate quod non fecerit Dominus*, &c. At quorſum „ (inquies) Deus tam Bonus, & tam optimè in homines affectus, per- „ mittit ut homini quidquam noceat? &c. Hæc eſt ſumma Regiminis „ mirabilis, quo Deus Inferiora gubernat, &c. præſtaret certè ejuſmodi „ res humiliter revereri quàm curioſiùs indagare, &c. Qui enim novit ſen- „ ſum Domini? æquitatem Judiciorum ejus ſcrutari, vel complecti poſ- „ ſit? &c. Breviter ſimul & religioſè cauſas hujuſmodi Providentiæ mala „ permittentis inveſtigabo, & qua potero perſpicuitate vobis eas expli- „ cabo.

Partitio ex variis afflictorum ſpeciebus, & ex miſeriarum effectis utilibus.

„ Tria ſunt Hominum Genera: Aliud eſt Ignorantium, qui prorſus „ ignorant quæ ad ſalutem attinet. Aliud eſt Peccatorum, qui ob delicta „ commiſſa Debitores ſunt erga Juſtitiam Divinam, &c. Aliud eſt Juſto- „ rum, qui virtuoſis operibus deduntur. Tribus his Hominum ſtatibus, „ convenit incommodorum ex Dei permiſſione diſpenſatio; 1. *Ignoranti-* „ *bus quidem proſunt, veluti Documentum virtutis ſaluberrimum.* 2. *Pecca-* „ *toribus proſunt, veluti Sacrificium ad expiationem efficaciſſimum.* 3. *Ju-* „ *ſtis proſunt, veluti Coronæ promerendæ certiſſimum Pignus.* Si tria hæc „ propoſita ſufficienter probaverim, ſeverioris in ſpecie Divinæ Provi- „ dentiæ myſterium vobis aperuero, ac ſuaſero accidentia mala æquo „ animo tolerare. Iſta erit Concionis hodiernæ Partitio, iſte ſcopus. „ Audite.

Introductionis Artificium à Genere, ſeu Toto.

Ingreſſum ſubjicio nudo & ſimplici ſtylo exaratum, quo ab univerſaliore propoſitione ad arctiorem fit progreſſus, velut à Toto ad Partes, & à Genere ad Species. Propoſitio enim iſta, qua Introductio nitetur, *Omnis caſus à Divina Providentia ad noſtram utilitatem ordinatus, debet æquo animo tolerari & lætanter excipi*, eſt univerſalis Theſis, Totum & & Genus totius Concionis; huic ſubjicitur Minor propoſitio, veluti Particularis, Hypotheſis, pars, & ſpecies, nempè, *Afflictiones ordinantur à Divina Providentia ad noſtram utilitatem*, ejuſque Confirmatio tripartita, videlicet, *quia Erudiunt Ignorantes, Expiant & purgant Reos, Coronant Juſtos*. Atque iſtud eſt ferè Introductionis omne Artificium, quod ſi ritè perpendatur, facilem ad Introductiones, alioquin difficiles, inſtituendas methodum exhibebit.

Aliter poterat fieri eadem Introductio, de ſola Dei Providentia, V. g.

Introductionis variæ formæ.

„ Res eſt admiratione digna, ſed veriſſima, quòd ſcilicet idem Dei A- „ mor ſit omnium Bonorum ac malorum ſimul cauſa, &c. Quòd ſit Bono- „ rum origo, nemo dubitat, &c. ſed quòd mala etiam cauſet, Paradoxum eſt

eſt creditu difficile, &c. At omnino verum iſtud eſt, quandoquidem „ Scriptura id perhibet: *Non eſt* (inquit) *Malum in Civitate quod non fecerit* „ *Dominus*, *&c.*

Denique explicatur paucis, quomodo *Malum Culpæ* non poſſit à Deo fieri, & qua ratione Malum Pœnæ ille permittat, nimirum ob rationes ad Utilitatem noſtram ſpectantes, quas mos enumeravi, ex quibus fiet Partitio. Poterat iterum Introductio inchoari, per declarationem trium ſtatuum qui afflictionibus poſſunt concuti; V.g.

Triplex eſt Hominum Afflictorum Genus, *Aliud Ignorantium*, qui „ erudiri debent; *Aliud Reorum*, qui Purgatione indigent; *Aliud Juſtorum*, „ qui Coronam virtutibus meruere; His omnibus prodeſt Miſeria: Eſt „ nempe Ignorantium Pædagogus; Reorum Expiatorium Sacrificium; Ju- „ ſtorum Probatio: Eſt Pædagogus, Audite ergo & intelligite ò Ignoran- „ tes. Eſt Sacrificium, iſtud adhibete, ò Peccatores. Eſt Corona, con- „ ſolamini ò virtutis ſtudioſi, &c. „

His igitur & pluribus aliis formis inſtitui poteſt Introductio, quæ tota verſatur in ratione Utilitatis & Honeſtatis, quæ ſunt Suaſionis incitamenta; deinde fit tranſitus ad Confirmationem per tria probationis capita, quæ ſunt Concionis partes, quas ſummatim collectas exhibeo.

Prima Pars Utilitatis rationem ex miſeriarum tolerantia ducendâ proponit Ignorantibus. Eſt autem iſte ſenſus: *Tribulationes proficiunt tribus Ignorantium hominum generibus, ergo ſunt utiles & æquo animo tolerandæ.* Sic autem explicatur præfata propoſitio. Prima Pars ab Effectu, qui eſt ignorantes erudire.

Lex eſt & placitum à Jure Civili exceptum, *Terrore extorquendum eſſe* „ *illud quod amore non poteſt ſuaderi*. Et certè iſtud liquet ex communi Sa- „ pientiorum uſu: ita Patres cum Filiis agunt, ita Domini cum ſervis, „ &c. Præmittunt monitiones ſuaves, conſilia, preces, &c. quibus Amor „ Ignorantes ſuadere conatur; at ubi mitem hanc tractationem experti ſunt „ inefficacem, ſeveriorem adhibent. Ita Deus ſeſe gerit cum hominibus „ ignorantibus, ut eos ad officium revocet, priùs quidem ſuaves adhibet „ methodos, nimirum Inſpirationes, hortamenta Gratiæ, Prædicatorum „ & Confeſſorum conſilia, &c. ubi verò hæc inutiliter uſurpari perſpexe- „ rit, jam utitur ſeveriore diſciplina, pœnas ſubſtituit precum loco, &c. „ Ita ſentit Chryſoſtomus, dum ait, *Pædagogus noſter Tribulatio eſt*. O „ piiſſima ſimul & Sapientiſſima Dei Providentia, quæ ad rigidiorem tra- „ ctationem non convertitur niſi invita, nec etiam niſi cum utilitatis noſtræ „ propoſito! ſcilicet ut erudiat. „

Ut res vobis evidentiùs liqueat, advertere oportet, quòd tres ſunt Igno- „ rantiæ gradus. Prior eſt Impiorum; Stupidorum alter; alter Temera- „ riorum: His omnibus domandis Tribulatio utilis eſt; nam 1. *Impiam* „ *Ignorantiam punit*. 2. *Stupidam ſuſcitat*. 3. *Præſumptuoſam deprimit*. Se- „ veriorem Providentiæ Divinæ diſciplinam examinemus. Tranſitio ad ſubdiviſionem.

Attende rurſus ſecundæ hujus propoſitionis ſenſum qui tres Afflictio- „

Mmmm 2 num

num effectus enumerat, ut probet illarum utilitatem ad Docendum. Suaſionis autem efficacia continetur hoc Syllogiſmo, *Quod Ignorantes Impios revocat ad ſaniorem mentem; quod Stupidos ſtimulat; quod Temerarios deprimit, utile eſt ad edocendos Ignorantes: ſed Tribulatio præſtat hæc omnia: Ergo, &c.*

„ 1. *Tribulatio Impios Ignorantes dum corrigit, Punit*. Quis Impietate
„ famoſior quàm Pharao, qui Moyſi & Aaroni ſuadere conantibus ut ad
„ Dei mandatum dimitteret Iſraelitas, &c. reſpondit: *Neſcio Dominum &*
„ *Iſrael non dimittam*? O reſponſum ob impietatem ſimul & ignorantiam
„ execrandum! ſed quid ad inſoleſcentem Impium Bone Deus? Memento-
„ te plagarum quibus Pharaonem caſtigavit Deus, &c. Quid inde? poſt
„ flagella repetita, non modò Iſraelitas dimittit, ſed rogat Moyſem & Aa-
„ ronem ut pro ſe ipſo preces ad Deum fundant. Exod. 8.15. Unde Orige-
„ nes ait, *Ante verbera Dominum neſcit, verberatus rogari pro ſe Dominum*
„ *poſtulat*. Alterum Impietate rurſus & Ignorantia notiſſimum intuemini.
„ Antiochus eſt, qui ſe Dei Hoſtem profitebatur, &c. Videte eumdem in
„ Lecto decumbentem, corroſis ex colico dolore viſceribus, &c. ſed affli-
„ cti verba audite, &c. Interrogate quam ob cauſam tam citò reſipuerit.
„ Nonne ipſe es ò Antioche, qui bella adverſus Deum inſtruere gloriaba-
„ ris? &c. Jam agnoſcis Deum, jam te mortalem fateris, &c. At unde tam
„ ſubita mutatio? Hoc eſt certè Dei Punientis opus, hæc Tribulationis
Moralis ſermocinatio. „ eruditio . . . . Sic vobiſcum Deus aget ò Impii, qui per tempus proſ-
„ peritatis, ſanitatis, &c. nullo Dei mandato vel conſilio flectimini.
„ Vos monet aliquis ut reconciliemini, ut reſtituatis, &c. Id jubet ex
„ authoritate Dei, &c. ridetis, & deſpicitis ſuadentem . . . Veniet
„ tempus Tribulationis, v. g. Infirmitatis & ægritudinis, cùm præſtare vo-
„ letis, quæ ſani recuſaſtis. . . advocabitis Confeſſorem, ut mediatoris
„ vices agat, &c. Hæc quidem mutatio erit Tribulationis effectus; at
„ fortaſſe fictitiæ & involuntariæ Pharaonis aut Antiochi converſioni ſi-
„ milis, non feliciorem ſortietur exitum. Antiochi miſeram Cataſtro-
„ phem ex Machabæorum Hiſtoria ediſcite: *Orabat autem hic ſceleſtus*
„ *Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſequuturus*. 2.*Machab*. 9. 13.
„ O miſerrimam ſortem! cave ne tibi contingat, tibi inquam, qui alie-
„ norum bonorum direptione ſaginatus, rapta reſtituere differs ad mor-
„ tem, &c. præverte, præverte formidandum caſum, & ſtatim ut mo-
„ nentem per immiſſas tribulationes ſenſeris Deum, ab Impietate ad
Tranſitio. „ Pietatis opera convertere, &c. At fortaſſe non ob impietatem reus
„ es: ſed ſi ad Salutis negotium ſtupes, tribulationum ſtimulo eges,
„ ut inciteris.

Secunda ratio primę partis. Inductio. „ 2. *Tribulatio torpentes & deſides excitat*. Numeroſiſſimus eſt iſte Igno-
„ rantium ſtatus, qui de ſalute & rebus cœleſtibus non ſatis curant. Si
„ vel modicam inductionem faciendi otium daretur, omnes ferè homines
„ comperirem hac in re maximè incurioſos, &c. Alii ob divitias, ob
deli-

delicias alii, &c. ab hoc negotio unicè tamen procurando divelluntur. »
Quæ methodus his convenientior erit, ut ſuſcitentur à Negligentia? »
Tribulatio. Illa certè innumeris modis, ſed efficaciſſimis deſidiores ſti- »
mulabit, ut ſocordiam deponant & æternæ felicitatis deſiderio ſuccen- »
dantur. Stupebas fortè ad ſalutis opus, quia divitiis abundabas; ad Pau- »
pertatem redigeris... ſtupebas, ob ſanitatem, qua in voluptates & de- »
licias abutebaris; ægrotabis, ut ſanctior fias, &c. Inductio hìc fieri po- »
teſt per ejuſmodi cauſas quæ ſtupidam ignorantiam efficere ſolent, tum »
comparare oportet utramque conditionem, ut appareat, Paupertatem eſ- »
ſe neceſſariam abundantiæ, ægritudinem florenti ſanitati, &c. ad erudi- »
tionem & doctrinam. »

Auguſtinum ſolum nunc adhibeo propoſitionis vadem. Penſat ille » A Teſtibus.
verba Pſalmi 40. 4. *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*; & »
comparationem inſtituit hominum præ nimio affectu ad terrena torpen- »
tium cum Dormitantibus, qui ſtertentes adhærent ſtrato, &c. Quid »
(inquit) fieri debet ut iſti à ſomno ſuſcitentur, & neceſſariis operibus »
reſtituantur? Poſt iteratum inutiliter clamorem, oportet verſari dor- »
mientium ſtratum, ſuccutere cervical, &c. Pari ferè modo nobiſcum » A Pari.
agit Deus: adhæremus deliciis, divitiis, &c. ita plus nimio dedimur »
terrenis rebus, ut dormientibus & ſtertentibus non diſſimiles, de Cœlo »
ac æternitate vix cogitemus. Quid opus eſt facto? Ah Providentia Dei, »
quàm miſericorditer ingenioſa noſti opportunum ſocordiæ noſtræ para- »
re remedium! Quodnam iſtud? Tribulatio, quæ ſtratum dormitantis »
Animæ verſat, nempe Corpus per infirmitatem, divitias per paupe- »
riem, &c. Conſule Auguſtini verba in hunc Pſ. at mirare ſapientem »
docentis Dei manum, quæ te à grandi ſalutis periculo feliciter expedit, » Tranſitio.
tribulationis opera... Vel potiùs attende ad ejus monita, & citiùs deſi- »
diæ retinacula ſolve, &c. Vidiſtis quomodo calamitates excutiant Igno- »
rantium negligentiam; quomodo Temerariorum præſumptioni medean- »
tur, videte. »

3. *Tribulatio eſt Ignorantiæ Temerariæ remedium.* Mirum prorſus eſt, » Tertia ratio primæ Partis.
quamquam aliunde communiſſimum, quòd Hominem ita Dei Bene- »
factoris obliviſcantur, ut pro acceptis beneficiis non modò gratias »
pendere negligant, ſed acceptorum beneficiorum Authorem Deum ferè »
non agnoſcant, & nova quibus perpetuò indigent petere non curent, »
quaſi propriis viribus ſolummodo fiderent, &c. Hæc eſt (inquam) »
Præſumptio intolerabilis, ſed frequentior. Præſumptionem dico, »
cùm Fides doceat, quòd nihil habeamus, aut nihil poſſimus niſi Domi- »
nus dederit. 1. Cor. 4. 7. & Joann. 15. 5. At quàm freqnens eſt ejuſmo- »
di ſcelus! videte quomodo ille ob ingenii dotes ſuperbiat, iſte ob divi- »
tias, alter ob corporis robur, valetudinem, &c. perpendite jam, quo »
remedio Deus inſoleſcentem reſtituat ſaniori menti: per Tribulationem, »
per Infirmitatem, per Paupertatem, &c. Exemplum habetis in D. Pau- »

„ lo 2. Cor. 12. 7. Non quidem ſuperbierat ille, ſed metus erat ne inflare-
„ tur, ob ſublimitatem & multitudinem gratiarum quibus donabatur à
„ Deo. Qua ratione ſervatus eſt à tanto diſcrimine? Audite ipſum de ſe
„ ita loquentem. *Ne* (inquit) *magnitudo revelationum extollat me*, *datus eſt*
„ *mihi ſtimulus carnis meæ*, *Angelus Sathanæ*, *qui me colaphizet*, *&c.* Quod
„ metuendum ſibi fatetur Apoſtolus, experiris, ò homo, ex omnibus do-
„ nis quæ tibi Deus largitur ferè ſemper inſoleſcens, ob divitias, ob hono-
„ res, &c. En remedium niſi fortaſſe fuerit pœna; Tribulationem accerſit
„ Providentia Divina, Infirmitatem, Paupertatem, Infamiam, &c. ve-
„ luti tot Satellites mittit, quemadmodum Centurio dicit *huic*, *Vade &*
„ *vadit*. Lucæ 7.8. Adſunt illæ ſtatim ad jubentis imperium; Altera, ſa-

Epiphonema.

„ nitatem; Divitias altera; Elevationem altera adoritur: quo fine? ut in-
„ ſoleſcentis deprimatur ſuperbia; ut diſcat ille Temeritatem deponere; ut
„ Benefactorem agnoſcat; ut eidem gratias reddat, &c. ò maxima Tribu-
„ lationis efficacia! &c.

Concluſio primæ Partis.

„ Intelligitis modò quàm eloquens Pædagogus ſit Tribulatio? perſpe-
„ xiſtis quàm efficax ſit ad erudiendos Ignorantes? quàm ſeverè cogat Im-
„ pios ad veritatis agnitionem? quàm eximiè ſtimulet Deſides? quàm ſa-
„ pienter deprimat Temerarios? Providentiam igitur Dei laudate, quæ
„ novit rebus etiam peſſimis uti ad veſtram utilitatem, &c. Patientiam
„ habetote in ejuſmodi diſpenſatione, quæ carnis ſenſum affligit & terre-
„ na commoda evertit; Animæ verò profectui ſtudet, ac de æternis bonis
„ vos commonet . . . Præſtat ergo cum omni patientia de calamitatibus
„ proficere, quàm adverſus eas inutiliter inſurgere . . . Vel ſanè conve-
„ nientius eſt Deo reconciliari, Impietatem deponere, exuere Socordiam,
„ Præſumptionem abjicere, ad Deum tamdem cum omni Religione, di-
„ ligentia, & humilitate accedere. Artificium eſt iſtud efficaciſſimum,

Tranſitio cum brevi Epilogo.

„ quo Miſeria aut ceſſet, aut minuatur, aut dulceſcat. *En priorem ſco-*
„ *pum* quem Deus intendit, dum tribulationes in Humanum Genus ir-
„ ruere permittit; ſcilicet ut erudiantur Ignorantes;. Alterum examine-
mus, is eſt Reos expiare, & ſecundæ partis propoſitum. Attentionem renovate.

Examen prioris hujus Partis.

En primæ Partis ſummam ſatis perſpicuè (niſi fallor) diſpenſatam. Propoſitionem capitalem præpoſui, nimirum, *quòd opus ſit ſeveriore diſciplina*, *cùm mitior cenſetur inutilis*. Facillimum fuit hanc propoſitionem amplificare, rationibus, teſtimoniis, ſimilitudinibus, &c. Alteram propoſitionem adjeci, videlicet, quòd hæc ſit etiam Dei Methodus, *ut Ignorantes quoque erudiat ſeverius*, *ſi mitiori correctioni non cedant*. Propoſitionis Confirmatio inſtituta eſt per Inductionem ex triplici genere Ignorantium, qui ejuſmodi correctione indigent, aut proficiunt. Hos vocavi, *Impios*, *Deſides*, *& Temerarios*. Ex his facta eſt ſubdiviſionis Partitio; Potui non appellare ſpeciatim & diſtinctè, ad guſtum eorum quibus ſubdiviſiones non placent; ſatis fuiſſet in decurſu prio-

prioris Partis tres Ignorantium ſpecies quos Tribulatio erudit, notare; appellavi tamen diſtinctè ſub initio Puncti, ut evidentiùs appareret Ignorantium ſtatus ſeveriore diſciplina indigens. Tranſitiunculis uſus ſum, quibus ab una ſubdiviſionis parte ad aliam progrederer; illas ad marginem inſcripſi. Figuras grandiores prætermiſi ex brevitatis ſtudio; nempe quia illæ circuitionem prolixiorem expoſcunt ut bene fiant. Adhibui tamen Interrogationes, Admirationes, & Sermocinationes, aliaque Schemata, quæ rebus convenire viſa ſunt. Moralitas ſeu Concluſio moralis inſtituta eſt per Converſionem ad Auditores, quos commmonui, ut agnoſcerent Erudientem Deum in Tribulationibus; atque ut ex iis diſcerent, ab Impietate, Negligentia, & Præſumptione reſipiſcere. Iſtud fuit Prioris partis Intentum, à quo fit progreſſus ad ſequentis Partis tractationem: hanc ſubjicio, deinde Tertiam, ſed utramque compendiosè collectam exhibeo.

Secunda Pars ſuadet tolerare patienter mala, iterum ob utilitatem, quia nempe *Delictorum pœnis expiandis toleratæ Adverſitates proficiunt*. Atque iſte eſt ſecundæ Partis ſenſus; qui comparationem inſtituit Patientiæ cum Sacrificio Crucis, quod tres habuit conditiones; nimirum, Dolorem, Innocentiam, & Acceptationem voluntariam. Tale debet eſſe expiatorium Tribulationis Sacrificium. Tribus rebus conſtet, *Dolore, Sanctitate, & Libertate:* Inde conſtituitur moralis Concluſio, qua ſuadetur Miſeris, ut præfatas conditiones adhibeant, ſi voluerint ex calamitatibus proficere: plangitur verò ſors Miſerorum qui mala patiuntur extra Gratiæ ſtatum & abſque voluntatis reſignatione, murmurando, deſperando, &c. Omnia illa evidenter patent in iſto ſyllogiſmo, *Sacrificium Patientiæ debet imitari Sacrificium Crucis*, quandoquidem eſt ejus extenſio & participatio; *At Sacrificium Calvariæ, tres habuit conditiones*, videlicet *Dolorem, Innocentiam & Libertatem, Ergo eaſdem tu adhibe, ſi volueris ex Patientia proficere*. En, pauló latiùs præfatam Synopſim explico. Senſus Secundæ Partis. Syllogiſmus ſenſum 2. Partis complectens.

Mirum ſemper viſum eſt iſtud quod ait Paulus Coloſſ. 1. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carne mea*. Quid dicis ò Paule? ergone inſufficiens Paſſionis Chriſti meritum? num copioſa non eſt apud eum Redemptio? num ſat plagarum Chriſtus non excepit, cum à planta pedum ejus uſque ad verticem non ſuperſit ſanitas? nonne ipſemet dixit omnia conſummata fore? quid ergo gloriaris te adimplere quæ Paſſioni deſint? &c. Solutionem dat Auguſtinus his verbis, *quod adimpletum eſt in capite, adimplendum in Membris*. Id eſt, abundè quidem ſufficiens fuit Paſſionis meritum, immò & dolor, ſed iſtud Crucis Sacrificium debet propagari per ſingulorum Afflictorum patientiam, quæ eſt veluti Paſſionis complementum & participatio. Huc fortaſſe ſpectat quod à Chriſto dictum eſt, *Tranſeat à me Calix iſte*, à me ſcilicet Patientiæ Typo ad Chriſtianos imitatores, & ad mei exemplum, Patientiæ Sacrificium perfecturos. Secunda Pars.

Paſ-

Subdiviſio ſecundæ Partis.

Paſſio igitur Chriſti fuit Sacrificium expiandis ſceleribus noſtris ex ſui parte ſufficientiſſimum; ſed ex parte noſtra compleri debet propriis & peculiaribus paſſionibus. Rem altiùs reſumamus. Ex tribus conſtitit Sacrificium Chriſti, 1. *Dolore*. 2. *Innocentia*. 3. *Acceptatione Libera*. Vis in partem Sacrificii expiatorii admitti? totidem rebus debes peccata tua expiare. 1. *Dolore*. 2. *Innocentia*. 3. *Voluntate*. Res iſta eſt admiratione & attentione digniſſima.

1. Ratio ſecundæ Partis.

1. *Dolorem Chriſtus expertus eſt maximum*, &c. At cur tam atrocia paſſus eſt? certè ut peccata tua ille expiaret; ergone tu qui ipſemet Reus es, non patieris aliquid pœnarum, ut pro delictis propriis ſatisfacias? Ergone deliciis indulgebis, quamdiu innoxius Chriſtus tormentis pro te cruciabitur? &c. Necdum iſtud fortaſſe intelligis? aperio brevi. Peccata perpetrata, duo in Peccatorem mala derivant. Prius eſt Culpæ, alterum eſt pœnæ malum. *Explica*. Eſto culpa fuerit per Pœnitentiam deleta, ſupereſt Pœna Juſtitiæ Divinæ debita, in hoc Mundo aut in Purgatorio exolvenda. Ah ſi ſcires Peccator, qui & quanti ſint Purgatorii cruciatus! gratiam certè crederes tibi fieri maximam, hìc aliquas pœnas ſubire, ut à Purgatorii doloribus fieres immunis. Doles de Bonorum temporalium jactura . . . hanc compara cum retardatione à Gloria cœleſti, quam Purgatorium certiſſimè cauſabit, niſi dum vivis aliquid incommodi paſſus fueris. Conquereris de aliis ſimilibus pœnis quas modò experiris, compone cum expurgatricibus flammis, & temporalia iſta mala videbuntur tibi tot Beneficia, &c.

Tranſitiuncula.

At dolor ad complementum ſacrificii non ſufficit, requiritur Innocentia.

2. Ratio ſecundæ Partis.

2. *Innocentia fuit Chriſto neceſſaria* ut mereretur pro peccatis noſtris ſatisfacere ... ita in te deſideratur Gratiæ ſtatus, quo meritum pœnis tuis inſpergatur, & fias meritorum Chriſti particeps, &c. Quidquid patieris extra Gratiæ ſtatum, erit inutile ad Gloriam promerendam ... O ſors Peccatorum miſera! ò plangenda jactura! Miraris quæ dico? Theologos conſule, ab iis diſces, Gratiam eſſe omnis meriti principium, &c. [*Invectiva facienda eſt adverſus Iniquos qui tot mala patiuntur in peccati ſtatu, quæ fuiſſent ſatis pro pœnis peccato debitis, ſi Gratiam Doloribus adjeciſſent.*]

Tranſitio.

Sat feciſſe forſitan putas ſi patiaris Innocens. Magnum quidem eſt iſtud, ſed oportet iterum ad integrum Patientiæ ſacrificium addere voluntatis conſenſum.

3. Ratio Secundæ Partis.

3. *Voluntariè & liberè Chriſtus paſſus eſt*, videlicet, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Iſai. 53. 7. Chriſtum imitare, quiſquis utiliter pati deſideras; præverte votis pœnas, ſi poſſis, aut ſaltem acceptione voluntarià illas excipe, &c. Chriſtus Patrem rogavit ut eximeret Naturam Humanam immanes cruciatus formidantem, fateor, at quàm citò ſe ſe voluntati Patris commiſit? Idem præſtare potes, &c. *Invectiva contra Miſeros qui inſtar Dæmonum ac Damnatorum pœnas patiuntur coacti, cum murmurationibus, Blaſphemiis, Imprecationibus, Deſperatione,*

ratione,

ratione, *&c.*] Heu quæ jactura! Ah fortes eſtote ò Afflicti, &c. patientia pauperum non peribit in finem; cito grandi mercede compenſabitur. Iſtud eſt propoſitum quod mihi ſupereſt in tertia parte tractandum; indulgete adhuc modicum patientiæ, paucis negotium perficiam. » » » » » *Tranſitio.*

Tertia Pars rurſus nititur ſuadere Patientiam ab Utilitate, quia nempe Juſtus Patiens laudatur ab Hominibus, celebratur ab Angelis, coronatur à Deo. Hinc licet concludere: Ergo qui Juſti ſunt, debent dolores peramanter ſuſcipere, veluti Beatitudinis præludia & præguſtationes. » » » » » *Tertiæ Partis ſenſus.*

Ultimam Hominum claſſem appellavi Juſtorum ordinem, brevior quidem eſt, calamitatibus tamen non minùs, quàm Peccatorum ſtatus affligitur: ſed quàm felix, ſi oculis Fidei examinetur! Miramini fortaſſe, quòd Miſeros dixerim Triumphatores: Ergone dicendi ſunt victores qui habentur velut Mundi ſordes & Malorum omnium illuvies? &c. Sunt certè illi felices pluſquam verbis explicari poſſit. Fidejuſſorem ſiſto Apoſtolum 1. Corint. 4. 9. ſic de ſe aliiſque Sanctis diverſimodè cruciatis ſcribentem, *Spectaculum facti ſumus, Mundo, Angelis & Hominibus*. Sed cur toties ſpectandos dicit afflictos? Audite. 1. *Laudant ſcilicet Homines Juſtum* variis tentationibus probatum. *Ecce* (inquit D. Jacobus Epiſt. c. 5. 11.) *beatificamus eos qui ſuſtinuerunt, &c.* Hoc quidem ab Eccleſia quotidie præſtitum cernimus, dum illa Honores decernit ad Gloriam Martyrum, &c. Sed & ipſi Sapientes prophani, hominem fortem cum miſeriarum caſibus luctantem extollunt, & Triumphantem prædicant. 2. *Mirantur Angeli*, ac ferè æmulantur, eò quòd homines videant offerre gratiſſima Deo ſacrificia ex corporis tribulationibus, quæ certè ipſi carnis expertes perficere nequeunt. Partem Triumphi conſtituunt ipſi, ut patet de Lazaro Luc. 16. manibus Angelicis in ſinum Abrahæ deportato. 3. *Patientem coronat Deus*, quia in ipſo, per ipſum & cum ipſo triumphavit: ita in Jobo afflicto, magnum Gloriæ Trophæum extruxit Deus, inquit Tertullianus, &c. » *TertiaPars.* *1. Ratio Tertiæ Partis.* *2. Ratio Tertiæ Partis.*

Tempus eſt, ut finem huic orationi faciam; ſed tantæ utilitatis eſſe arbitror illius ſenſum ſugere ac retinere, ut operæ prætium crediderim, dicta complecti paucis quæ vobis Patientiam inſpirent. Recordamini igitur, quòd Mortalium ſors ſit ejuſmodi, quæ Tribulationes à ſe amoliri nequeat, ſed eaſdem in quæſtuoſum omnino uſum convertere poſſit. Tripartitos Homines agnoviſtis: Horum alia Claſſis eſt Ignorantium; Peccantium alia; alia Juſtorum: His omnibus utilem probavi Tribulationem; Ignorantibus quidem, quia illis eſt inſtar Pædagogiæ ſaluberrimæ: Peccatoribus, quia eſt Sacrificium Expiatorium: Juſtis tandem, quia eſt Palmarum & Coronarum nobile ſeminarium. Quidni ergo patienter ſuſtinetis adverſa quibus affligimini? Cur Pro- » » » » » » » » » » » » » *Concluſio.* *Epilogus.* *Commotio.*

„ videntiæ ſapientiſſimam ordinationem hac in re non reveremini? Pa-
„ timini duriſſima, fateor; ſed attendite, hac fortaſſe indigetis ſeveriore
„ diſciplina. Ignorantia damnanda fortè laboratis, &c. En, En Deus
„ per Tribulationem punit Impietatem veſtram, pungit Negligentiam, de-
„ jicit Præſumptionem. O quàm benignè vobiſcum agit Deus, ut mala
„ ipſa in veſtrum bonum convertat! Vultis ejus diſciplinam duriorem (ut
„ cenſetis) declinare? deponite Impietatem, Diligentiam adhibete & hu-
„ militer ab ipſo veniam precamini. Vel certè, ſi noluerit Deus pœnas re-
„ mittere, quia hæ peccatorum reatibus eluendis neceſſariæ ſunt, illas for-
„ titer tolerate; purgate Conſcientiam, voluntatis conſenſum adhibete,
„ ut Tribulationes in Gratiæ ſtatu & cum libertatis beneplacito exceptæ,
„ meritum Expiatorii ſacrificii obtineant. Repugnant fortè ſenſus veſtri;
„ ne tamen deſpondeatis Animo, dicite cum Chriſto, Non mea voluntas
„ fiat, Deus bone, ſed tua impleatur, &c. Mementote militum, quan-
„ to ſcilicet ardore ſubeant difficillimos labores ac præſentiſſima diſcrimina;
„ quamobrem? heu! gloriæ humanæ aucupio illecti, quia laudantur ab
„ hominibus, &c. Majora & digniora præmia vobis promittuntur, ſi
„ æquo animo Tribulationes immiſſas ſuſtinueritis. Laudabunt certè Pa-
„ tientiam veſtram mortales quibus illa innotuerit, &c. Intuebuntur vos
„ cum admiratione Angeli, & certaminis veſtri ſpectatores, veſtrum trium-
„ phum prædicabunt, &c. At Deus ipſe Tolerantiam veſtram coronabit;
„ Cavete ergo, ne inter anguſtias quibus verſamini, ad Murmurationes,
„ Deſperationes, Imprecationes, &c. abripiamini; Deum cogitate ita per-
„ mittentem, ſed maximis præmiis modicos labores compenſantem. *Exiſti-*
„ *mo* (inquit Paulus Roman. 8. 18.) *quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus*
„ *temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Veriſſimè illud
„ dixit Apoſtolus, iſtud tamen eſt pretium, quod vobis paratur tamquam
„ Patientiæ veſtræ corona, &c. Non peribit certè Patientia pauperum in
„ finem. Patientes igitur eſtote, ut tamdem promiſſis præmiis fruamini.
„ Faxit Deus.

SECTIO III.

Exemplum Diſſuaſionis, quo deterretur aliquis à Mundi vanitatibus.

EXemplo Suaſionis de Tolerantia, ſubjicio alteram de eadem, non quidem prout Virtus eſt & virtutis meretur præmium, ſed quatenus ex malo fine corrupta, vitium fit & plurium malorum ſeminarium. Mundana & vitioſa dici poteſt iſta Tolerantia, qua ſcilicet Mundi Aſſeclæ innumeras Tribulationes patiuntur, ut peſſimo domino quotidie obſequantur. Miſeros igitur miſerrimæ dominationis ſervos diſſuadere contendo; eoſque ab ejuſmodi ſervitute revocare aggredior. Senſus Diſſuaſionis eſt,

In-

Indecorum eſt, Noxium, & Difficillimum Mundi vanitatibus ſervire, ergo quiſquis fuerit liberæ & ſanæ mentis, debet ſe ab his citiùs expedire. Propoſitum breviter verſo, tum quia Diſſuaſionis artificium vix aliquid difficultatis habet, quod in Suaſionis methodo non contineatur; tum quia ad utiliora mox tractanda feſtino.

Thema. ***Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis Vanitatis.*** Iſai. 5. 18.

EXordium ſumi poteſt à difficultate rei tractandæ; quia ſcilicet difficillimum eſt, niſi fuerit impoſſibile, Mundi Aſſeclas à Vanitatum ſtudio avocare; quia tamen, quod videtur ſupra hominum facultatem, iſtud Deo facile eſt; ideo Concionator qui authoritate & virtute Dei fretus miniſterium ſuum obit ac exequitur, ſuſcipit ejuſmodi negotium cum ſpe auxilii, quod meditatione B. Virginis expetitur. V. g. *Exordium à Difficultate dicendi.*

Neſcio (Auditores) ſi de temeritate redarguendus non videar, qui hodie „ *Propoſitio.*
negotium difficillimum & fortaſſe vobis minus gratum ſuſcipio, quod eſt, „
Vos à Mundi vanitatibus divellere conor, &c. Difficile admodum eſt opus „
iſtud, quia vitium curare aggredior inveteratum, communi uſu ferè tutum, „
& fortaſſe inſanabile, &c. Inveteratum eſt vitium, quia diu ſtetit, &c. com- „
mune, quia omnium affectu & operibus eſt celebre, &c. Nonne ergo vide- „
bitur temerarium aut inutile intentum iſtud perſequi? &c. ***Inſanabili morbo*** „ *Ratio.*
manus non eſt adhibenda, inquiunt Medici, idem fortaſſe ſentire deberet „
Concionator de incurabili vitio. Aliunde, quæ ſpes Diſſuaſionis in pro- „
poſito ad quod tanto amore afficiuntur homines? De Mundanis dicam for- „
tè quod olim de Babyloniis Artificibus dixit Deus, Gen. 11. 6. ***Cœperunt*** „
hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant, &c. „
Si negotium ſuſceptum metirer ex Medicorum placito, aut cum viribus „
meis, nulla certè Diſſuadendi ſpes mihi affulgeret; ſed quia nullius eſt de- „
ſperanda ſalus, & Concionatoris officium virtutem trahit ab omnipotente „ *Invocatio.*
Deo, inde eſt quòd propoſitum exequi conabor, &c. Adſis ò B. Virgo, „
auxilium mihi neceſſarium à Deo imploratura, &c. Vel, Tua hæc eſt cau- „
ſa quam ſuſtineo, Spiritus ſancte; hoſtes tuos adorior; concede virtutem „
qua poſſim Adverſarios expugnare, &c. „

Introductio pluribus modis inſtitui poteſt; nimirum, vel per deſcriptionem Mundanorum, v. g. ſi dicatur: [Ne ignotum Adverſarium impugnare videar, illum propriis coloribus depictum exhibeo: Is eſt Mundi Aſſecla; Mundum intelligo quem D. Auguſtinus in Pſ. 54. inſectatur veluti Evangelii hoſtem infenſiſſimum, &c. Mundanum Aſſeclam voco, hominem ſæculi vanitatibus, divitiis, deliciis, vitiis, &c. deditum, &c.] ***Vel*** duci poteſt Ingreſſus, à Conditione hominum, qui neceſſariò debent alicujus Domini ſubire imperium, Chriſti vel Dæmonis, Eccleſiæ vel Mundi, &c. ***Item***, ſumi poteſt Introductio ab ejuſdem hominis ſorte, quæ non *Introductionis fontes & Methodi.*

eſt conſtituta in eo ſtatu quem poſſit neceſſariò & tutò amplecti, quemadmodum videmus cæteras Creaturas in ſuis Elementis debitum finem adipiſci, ac in ipſis ſecurè quieſcere; Homo verò relinquitur ſuo arbitrio, quo tenetur partem tutiorem ac ſalubriorem inveſtigare & amplecti; in quo ſæpe fallitur, falſum pro vero, malum pro bono ſeligens; quod probatur ex eo quòd ſeſe dedat Mundo ejuſque vanitatibus, &c. *Vel* Introductionis loco, ſtatim aperitur Diſſuaſionis partitio, ut ſupra in Suaſione dictum eſt.

Partitionis forma multiplex. Partitio ſeu Diviſio pluribus iterum modis poteſt fieri. V. g. Tria hodie præſtabo ut Hominem à Mundanis vanitatibus liberem. Primò, proferam Rationes, & Motiva quibus ſuadeatur vanitates ſæculi fugere. Secundò, docebo Media & modos quibus ejuſmodi fugam perficiat. Tertiò, Excuſationes & difficultates ſolvam quibus à fuga capeſſenda præpeditur. Hæc Partitio commoda eſt & ad probandum facilis, ut patet. *Alia ratione* poteſt inſtitui per proprios Deliberativi Generis „ Fontes. V. g. Tria ſunt quæ Homines deterrere ſolent, nimirum, *De-* „ *decus*, *Damnum*, *Difficultas*. Odere omnes dedecoris occaſionem, quia „ utilitati ſuæ ſemper ſtudent; Difficultatem metuunt, quia laborem „ averſantur, &c. [*Poſſunt iſta facillimè amplificari*.] At, mirum dictu! „ totidem malis abundat Mundus, &c. hunc tamen ardentiſſimo affectu „ homines proſequuntur. Mirum dixi, ſed veriſſimum. Attendite pauliſper „ & de aſſertionis veritate nuſquam dubitabitis. Arbitrantur omnes „ Mundi amorem eſſe Honeſtate plenum, Utilitate fœcundum, & Faci- „ litate commodum. Falluntur prorſus, ipſos ſcilicet decipiente Mundo „ mendaciis & impoſturis celeberrimo. Ille enim ſubſtituit, 1. *Dedecus* „ *pro Honeſtate*. 2. *Damnum pro utilitate*. 3. *Laborem pro deliciis*. Servitus „ igitur Mundana eſt, 1. *Indecora*; 2. *Noxia*; 3. *Laborioſa*. Si rem ita ſe „ habere probavero, ſatis ni fallor diſſuaſero hominem ratione præditum, „ ut ſe ab injuſta Tyrannide vendicet: Iſtud eſt Concionis meæ Intentum „ & partitio; date Attentionem.] *Aliter* poterit iſta partitio fieri v. g. Mundana ſervitute, 1. *Nihil homine Indignius*. 2. *Nihil illi Nocentius*. 3. *Nihil eidem Laborioſius*. Vel, Amor quo Mundum Homo proſequitur, eſt 1. *Injuſtus*. 2. *Noxius*. 3. *Laborioſus*. Injuſtus, quia debitum Deo Amorem furatur ut indignæ rei tradat. Noxius, quia plurima damna, maximè in ſalutis negotio cauſat. Laborioſus, quia Mundus Tyrannus eſt, qui ſuos opprimit operum difficilium multitudine. Non profero plures Partitionum formas, quæ occurrunt ingenioſo cuique modicùm attendenti; ad Confirmationem progredior, quam rationibus ſub triplici Claſſe contractis, exhibeo.

Variæ Diviſionum Ideæ.

Primum Punctum. „ *Prima Pars Amorem Mundanum diſſuadet ab Indecoro*. Naturæ inditus „ eſt Honoris Appetitus, &c. At ibi eſt inquirendus Honor ubi verus „ eſt & legitimus. Ad te ergo Mundi Aſſecla, ſermonem converto. In quo „ poſitum cenſes Honorem? Audio quid ſentias, opera ſcilicet præcurrunt lin-

Sermocinatio.

linguam, & factis prædicas omne Honoris culmen Mundi favoribus in- „
niti. Falleris; quidquid Mundus ſuis Amatoribus porrigit, Indecorum „
eſt & Dedecore plenum. Fremis adverſus propoſitionem iſtam, & quaſi „
mendacem reſpuis? Audi & intellige. Quid eſt illud omne quod Mun- „
dus dare poteſt? Gradus Honorarios? Fortunam præviditem? Delicias „
exundantes? Hæccine ſunt Honeſtatis donaria? Non prorſus. 1. Fumus „
eſt & umbra ille Honos. 2. Sarcina eſt ſordibus plena, ille Theſaurus. „
3. Animalium portio, eſt iſta voluptas. Ventum ſeminas & metis, dum „
vanæ Gloriæ pompam inſequeris, ò Ambitioſe. Terræ glebas evertis, „
& vermium inſtar ex terrenis fæcibus paſceris, qui pecuniæ cupidus eidem „
ardentiùs adhæres, ò Avare! Brutorum denique ſunt iſtæ deliciæ quibus „
adhæres, ò Delicate, &c. „

Subdiviſio multiplex.

Ex his Subdiviſio fieri poteſt ad probandum facilis, ut liquet intuenti. *Vel* aliunde Mundani Amoris abjectio probabitur, quia ille Appetitus rerum ſæcularium deprimit Hominis Genium ad ſublimiora natum. V. g. ex Homine *Libero facit* Hominem *Servum* ſub carne, Mundo, ac Diabolo. *Vel* ille Affectus eſt Injuſtus, qui injuriam irrogat *Rationi ſeu Naturæ, Gratiæ & gloriæ.* Conſule Promptuarium Deliberativum, inde apparebunt multa Indecori argumenta, ex quibus demonſtrare queas Mundanum Amorem Honeſtate carere; atque hinc concluſionem Diſſuaſoriam efficies, qua Mundi Affeclam deterreas per Indecori Motivum. Sic enim poteris omnem iſtius primæ Patris ſenſum unico ſyllogiſmo complecti, *Quod Hominis dignitatem ad viliora opera, cujuſmodi ſunt terrena, deprimit, illud eſt Dedecore plenum; Sed Amor Mundanus Hominis dignitatem dejicit ad vana, terrena & animalia opera; Ergo Dedecore infamis eſt. Vel* ſi Honeſtatis rationem volueris explicare per Injuſtitiæ nequitiam, occurrent ſtatim argumenta, quæ probent quòd Mundus furetur omnem cultum Deo debitum, ut ſunt *Fides, Spes, Charitas,* plus quippe Peccator credit Mundo quàm Deo; plus in illo ſperat; plus illum diligit. *Vel* ſi volueris iterum Mundi Amorem partiri per triplicem Amoris ſpeciem, dices quòd peccator præbet Mundo, *Amorem præcipuum,* quia illum Deo præfert; *Amorem Tenerum,* quia de Mundo diu noctuque cogitat; *Amorem Affectivum,* quia propter illum operatur univerſa; Inde fieri debet Invectiva adverſus Impietatem & Sacrilegium; quibus Amor iſte infamatur.

Senſus partis primæ, in ſyllogiſmo.

Secundæ Partis ſenſus.

Secunda Pars diſſuadet per Incommodi, ſeu Noxæ rationem. Senſus ejus hoc ſyllogiſmo exhibetur. *Quod Animæ pacem, Conſcientiæ tranquillitatem, corporis ſanitatem, Gratiæ beneficium, Gloriæ adeptionem præpedit ac tollit, illud eſt maximè noxium & omnino deteſtandum; At talis eſt Amor Mundi,* tot enim mala ille cauſat; *Ergo eſt omninò noxius & deteſtandus.*

Non expendo ſingula incommoda quæ ab ejuſmodi pravo Amore oriuntur, ne fiam prolixior in re facillima; ſat facere arbitror præcipua indicare capita, ex quibus ſecunda hæc propoſitio confirmetur. V. g.

[Tria

Subdiviſio. [Tria ſunt Bona, quæ homo bene ſenſatus debet magnifacere, videlicet, Conſcientiæ Pacem, Animæ ſanctitatem, & Beatitudinis æternitatem; Sed iſta omnia diripit Mundanus Amor. 1. *Conſcientiam torquet*, ut multiformi placeat Mundo. 2. *Sanctitatem Animæ maculat*, vitiis nimirum quibus ille abundat. 3. *Beatitudinem æternam impedit*, quia dum mentem ad terrena applicat, ei memoriam æternitatis præripit.] Concluſio ad mores inflexa, diſſuadet Hominem urgetque Mundi effectum deponere: Exemplum addere potes aliorum hominum, qui magna ſollicitudine fugiunt incommoda longe minora iis quæ à Mundi Amore proficiſcuntur, &c.

Tertiæ Partis Senſus. *Tertia Pars petitur à Difficili & Impoſſibili*, diſſuadetque per hoc argumentum tripartitum. V. g. Quod onerat ſervos Præceptis factu vix poſſibilibus, numero vix explicandis, abſque ullo ad Juſſa exequenda auxilio, illud tamquam difficillimum repudiari debet; At ejuſmodi eſt Mundanus Amor; Ergo eſt ſummoperè reſpuendus & abjiciendus. Hac autem vel ſimilis forma poſſet inchoari Pars iſta.

Quemadmodum pauci ſunt, quos Dedecoris vel Incommodi ratio non deterreat, ita vix eſt aliquis qui ab Impoſſibili non diſſuadeatur, &c. Difficultas autem Humanæ ſervitutis in eo apparet, quòd illa 1. *Præcepta difficilia* imponat, &c. veluti diu noctuque pro acquirendis Honoribus ac divitiis laborare; vitam pro negotio vilioris momenti prodigere, &c. 2. Nec difficilia ſolùm jubet, ſed *Innumera* & in ſuo genere diverſiſſima, v. g. Aliud præcipit Avaritia, aliud Vindicta, Ambitio aliud, &c. 3. Eſto eſſent Grandia & numeroſa præcepta, quæ à Mundo imponuntur; in iis

Subdiviſio. tamen ſuavitatis nonnihil appareret, ſi ſubjicerentur *auxilia*, quibus executioni poſſent mandari; At longiſſimè abeſt ejuſmodi ſubſidium; quin potiùs onera oneribus & difficultatem difficultati adjicit ille Tyrannus, ac Pharaonis inſtar cogit Miſeros ad præſtanda plura ſervitutis opera, quàm vires exhibere queant, &c. Et tamen amatur Mundus? &c. Et adhuc Sectatores habet? &c. O perverſiſſima Hominum ingenia, quæ tam vili, tam noxia, tamque importuna ſervitute delectantur! &c.

Concluſio fit per Dehortationem, Objurgationem, & Commonitionem, quibus Homo Diſſuadetur à Mundi ſervitute; Harum exemplum mox dabo in fine articuli ſequentis de Hortatione. Interim Concionis terminus conſtitui poteſt per eadem verba quibus initium ſumpſit: v. g. *Væ* igitur vobis, *qui trahitis iniquitatem in funiculis Vanitatis, &c.*

C A-

CAPUT III.

De Variis Deliberationum ſpeciebus, quæ ad Suaſionem aut Diſſuaſionem ſpectant.

ARTICULUS I.

De Hortatione & Dehortatione.

I. VIX à Suaſione vel Diſſuaſione differt alterutra Conſultationis ſpecies in titulo notata, niſi quòd Suaſio videatur præcipuè ad Intellectum pertinere, conſulendo, docendo, & argumentis demonſtrando opus eſſe dignum amplexu: Hortatio verò voluntatem movet, affectum impellit, Paſſiones ſuccendit, & ſtimulos admovet. Non diſſimili modo Diſſuaſio & Dehortatio ad ſe invicem accedunt, vel à ſe recedunt: ſolet tamen ferè ſemper Suaſioni Hortatio adjungi, quia eſt illius velut Incentivum, quo poſt ſufficientem Intellectus illuſtrationem voluntatis affectum compellit. Variis ejus partibus, pro data opportunitate, adhibetur, ſed maximè in Concluſione ac moralibus excurſibus, cùm ſcilicet oportet negotium urgere. Par eſt ratio de Dehortatione quæ Diſſuaſioni ſæpiùs adhibetur ut opus abſolvat & intentum plenè aſſequatur.

Hortatio quid ſit & quomodo differat à Suaſione.

II. Iiſdem ferè Argumentis utitur Hortatio, nimirum, ab Honeſtate rei, ab Utilitate, à Facilitate, atque ab aliis Motivis quæ ſub his capitibus contineri diximus ſupra. Dehortatio ab oppoſitis argumentis conſtituitur. Item attendi debent, Auditorum ſtatus, mores, ingenia, &c. Oratoris ipſius conditio & dotes, Temporis, & Loci circumſtantiæ, quæ omnia magnam Hortationi aut Dehortationi efficaciam conferunt.

Argumenta ex quibus Hortatio inſtruitur.

III. Diſpoſitio Hortationis ferè ſemper à judicio circumſtantias neceſſarias attendente petitur. Communis quidem lex eſt, ut initio præponantur validiora argumenta, quæ hoſtem terreant & moveant; deinde minus valida, ſed ex numero compenſata ſubjiciantur, ac tandem cætera quæ ſenſum magis afficiunt conglobari & denſari debent, ut his preſſus Auditor cedat Hortanti. De ordinatione Argumentorum diximus in 1. Par. Lib. 3. cap.5. art. 1. ſect. 2. Partes Orationis diſtinctas vix habet Hortatio, cùm ſit ipſa Orationis portio; ſervat tamen aliquem inter partes ex quibus conſtat ordinem; aliquando etiam Concionis formam induit, ſed tunc à Suaſione non differt. Ordo in Hortatione obſervandus videtur iſte commodior, ſi præmittatur propoſitio ſuadenda... V. g. *Mundi vanitatibus*

Diſpoſitio Hortationis.

bus opportet renuntiare. Quæ propoſitio poterit variis Figurarum formis explicari; ut per Interrogationem; v. g. *Numquid igitur Mundo valedices?* vel, *Numquid à Mundi tyrannide temetipſum expedies?* vel, *Quouſque tamdem mundanis vinculis illigatus detineberis? &c.* Deinde decurrere oportet rationes Honeſtatis, Utilitatis, Facilitatis, ac earum rerum quæ ſub his comprehenduntur, non quidem quaſi repeterentur quæ priùs fusè ſunt explicata; ſed ſummatim & cum nova dicendi forma regustando eas rationes, quæ viſæ fuerint validiores, ut acriùs ſtimulentur ac urgeantur Auditores.

Affectus excitandi per Hortationem.

IV. Affectus excitandi erunt potiſſimùm Spei & Metus, Amoris & Odii, Miſerationis, Indignationis, Æmulationis, &c. Figuræ appoſitæ cenſentur, Interrogationes, Apoſtrophes, Objurgationes, Invectivæ, Obſecrationes, Sermocinationes, Proſopopœjæ, &c. Verba debent eſſe grandia; Periodi breves & conciſæ; omnis verò Orationis ſtructura ſpirare debet ardorem & zelum flammis accenſum: niſi fortè res habeatur cum Geniis peculiaribus, qui acriore ſtylo irritantur potiùs, quàm emolliantur; cum his ſedatiùs agendum eſt, ſimilibus quidem argumentis, ſed diſſimili forma; Ideo additum eſt ſupra, quòd attendi debeat Perſonarum circumſtantia.

Hortationis Exemplum de Tolerantia.

V. Hortationis exemplum breve ſubjicio, ex ſuperiore de Patientia in tolerandis adverſitatibus. [Quidni ergo patienter ſuſtinebimus Tribulationes in nos irruentes? *En Interrogationis propoſitionem*. Diſplicent ſenſibus fateor, at omni bono illæ abundant, & ſi his bene fuerimus uſi, magnum inde reportabimus emolumentum. *A Spe. Deinde ab enumeratione bonorum quæ ſperari poſſunt*. Quæris quæ Bona ex Tribulationibus proveniant? Uno verbo dicerem omnia, niſi te ſigillatim commonere vellem. Audi igitur & ex dictis repete, tria ex Afflictionibus bona certiſſimè oriri; Eruditionem ad virtutem, Expiationem ſcelerum, æternæ coronæ compenſationem, &c. *A Neceſſario*. Patiendi neceſſitas undique facta eſt, nec à moleſtiis quiſquam poteſt ſeſe expedire, &c. At nullus eſt qui non ex iis plurimùm proficiat ſi voluerit, &c. *Ab Obſecratione*. Quæſo, ne tantum boni patiaris deperdi, quantum potes ex Tribulatione lucrari, &c. *Ab Exemplo*. Recordare Martyrum, quanta illi ſuſtinuerint, ſed lætabundos cogita, dum partis præmiis nunc ſecurè fruuntur, &c. Ergone horum coronas ſperabis, ſi Labores ſimiles ſubire formidaveris? &c. Ah patienter ſuſtine, ſuſpice cœlum, duriora miteſcent, &c.

Dehortationis Artificium.

VI. Dehortationis Artificium ab iiſdem fontibus in oppoſitum & ſimili ferè methodo inſtituitur, qua Hortatio; unde nihil habet illa peculiare quod non poſſit ab alia conjici. Addo tantùm Exemplum Dehortationis, quod finem Diſſuaſionis præmiſſæ occupare queat. V. g.

Exemplum Dehortationis à Mundano affectu.

Quid jam ſupereſt ad Diſſuaſionis præſentis complementum, niſi ut Peccatorem dehorter à nimio affectu, quo adhæret Mundo? *Ab Indecoro per Objurgationem*. Nonne te pudet ò Homo ad majora nate, ad Dei ſimili-

militudinem create, ad æterna deſtinate felicitatem, &c. à tam ſublimi dignitate dejici, ut quadrupedum ac ſerpentium more terrenis ſordibus adhæreas; ab Homine per omnia ferè degener, & Brutis vilioribus quoad cætera ſimillimus? &c. O ſtupor! O Indigna prorſus ſocordia! &c. *A prohibitione*. Non audiſti, quot præceptis vetantibus, te ſupremus rerum Dominus avocare ſtuduit? &c. *A comminatione*. Ah quoties ille maledictionibus & Anathematiſmis Mundanos inſequutus eſt! Conſule Scripturam, & omnes ejus Paginæ inclamabunt formidandum *væ* adverſus Mundum ejuſque Sectatores. *Tranſitio ad Incommoda*. Sed fortaſſe non te movent Indecori rationes, quæ Mundialem amorem horrore dignum efficiunt. Attende ergo ad incommoda, quæ videris metuere. *Interrogatio.* Didiciſti quanta mala in te affectus ille pravus derivabit? Conſcientiam torquebit; maculabit animam; virtutes diripiet; Gratiam extinguet; præcludet Gloriam, &c. Nonne ſatis ſunt iſta, ut te ab iniquo affectu revocare poſſint? &c. *A Comparatione* per *Sermocinationem*. Te jam alloquor; dicito mihi quid faceres, ſi Princeps prohiberet tibi uſuraria lucra, ſub pœna deſpoliationis Bonorum temporalium, perpetui Carceris, privationis vitæ? &c. nonne citiùs à prohibitis rebus abſtineres? Ita certè. At quàm minima pœna hæc eſt, ſi componatur cum malis quæ Mundanum affectum puniunt! Ab his prorſus infinitè diſtat, &c. Metueres tamen Principis prohibitionem, mediocri pœna ſtatutam, & non paves ad vetationem Dei innumeras & immenſas pœnas in Tranſgreſſores decernentem? &c.] Non proſequor cætera Dehortationis argumenta, quæ ad excogitandum facilia ſunt, ut finiam brevi Commonitione, in his ferè Verbis.

Parce ergo tibimetipſi peccator; miſerere animæ tuæ; ſaluti conſule, ſi velis haberi ſapiens. Solve Mundi vincula, & ab ejus ſervitute forti & generoſo conatu te citiùs expedi; Indecora eſt, Noxia, Laborioſa: tot ſunt efficaciſſimi ſtimuli quibus ad neceſſariam liberationem urgeris. Alterius Domini jugum ſubire feſtina, ſcilicet, Chriſti; Glorioſa eſt illa ſervitus, utilis eſt, ſuavis eſt, & poſt emenſum hujus vitæ mortalis ſpatium, coronas in altera perpetuò duraturas largietur. Proderit interponere peculiares caſus à quibus ſeſe expedire ſuadebitur peccator, v. g. ab avaritia, ab uſura, à ſuperbia, & ſimilibus delictis quæ vigere apud aliquos evidentiſſimè ſciuntur; modò tamen periculum non ſit ne aliquis infamia notetur ob Concionatoris cenſuram, iſtud ab Eccleſiaſtæ prudentia penſari debere ſæpius dictum eſt.

Epilogus à Commonitione.

ARTICULUS II.

De Incitatione & Conciliatione.

Quid ſint Incitatio & Conciliatio.

AFFECTUS oppoſiti, ſunt *Incitatio*, quæ animum inflammat, & *Conciliatio* quæ eundem ſedat. De his plura dicta ſunt in 1. Parte Lib. 5. cap. 3. art. 6. & cap. 4. art. ubi de Affectibus Iræ & Odii, ac de eorum remediis actum eſt. Aliqua ſolùm addo quæ huic Loco conveniant, cætera repeti debent ex præfatis.

II. Periculoſum eſt Incitationis artificium, maximè apud feroces & agreſtes animos, qui ſuccenduntur facillimè, ſed vix ſedantur, & fulguri ſimiles non extinguuntur, niſi cum diſcrimine & damno. Poſſet nihilominus aliqua excogitari opportunitas in qua Orator ſacer debeat Incitationem adhibere. V. g. cùm oportet Chriſtianos Principes ſtimulare, ut bellum moveant adverſus Chriſtiani Nominis hoſtes, vindicandæ Religionis cauſa. Item, excitatur zelus Religioſi hominis adverſus peccatum, quod grandes injurias Chriſto inflixit. Hi (inquam) & pares caſus Concitationem expetere videntur, ſed illa plurimùm accedit ad Suaſionem & Hortationem, ideoque ex ſimilibus ferè argumentis, nec diſſimili methodo inſtruitur.

Incitationis Argumentum & Artificium.

III. Cùm igitur incitationis juſtæ datur occaſio, à ſequentibus Locis inſtitui poteſt. 1. *Proponitur negotium*. V. g. Agitur de Bello inferendo Barbaris, &c. 2. *Motiva* explicantur cur Bellum ſuſcipi debeat. V.g. *Ab Honeſtate operis*, ut quòd ſit ad Gloriam Dei & Eccleſiæ, quòd magnam Laudem conciliet Principi Chriſtiano; quòd iſtud ſit æquitati congruum; quòd votum ſit omnium ſanctioris mentis hominum, &c. *A contrario* verò, quòd niſi bellum inferatur, Dedecus inde Chriſtianæ Religioni maximum inuratur, &c. *Ab Exemplo*. Heroum, qui ſimile negotium aggreſſi ſunt, ideoque magnum ſibi nomen fecere. *A Minori*, Principes ob mediocrem injuriam fortaſſe minus certam, magnos belli apparatus inſtruunt quibus ulciſci conantur, quanto magis iſtud præſtare debent Chriſtiani, ut injurias Deo irrogatas vindicent? *Ab Utilitate*. Magna ſpes affulgere debet ex Bello adverſus infideles, multis ſcilicet donis à Deo illud compenſabitur, cùm in hac vita, tum in altera. V. g. Theſaurus Indulgentiarum aperitur in gratiam Militum Chriſtianorum, &c. *A Lucro temporali*, quia Mercatores, faciliùs & tutiùs ſuis rebus facient ſatis, &c. *A Poſſibili*, *A Facili*, *A neceſſario*, quia nimirum edomari poteſt Hoſtis ille, in ſpecie tantùm formidandus; neque enim is eſt, qui creditur, ſed tumultuariis copiis ejus Exercitus ferè conſtat, qui ad primum congreſſum vaneſcet; &c. 3. *Media* proferuntur quibus negotium feliciter peragi poſſit. V. g. ſi æquo & religioſo animo conveniant

veniant Principes Chriſtiani, & ad communem Expeditionem fortiter conſpirent; ſi privatas injurias & ambitionem omnem deponentes, Religione & zelo Fidei ſolùm ducantur; ſi Duces præpoſuerint prudentes, probos & fortes; ſi denique omnia quæ ad grandis Operis felicem executionem comparaverint & diſpoſuerint loco ac tempore convenientibus, &c. *Difficultates* ſolvendæ ſunt. V. g. Quòd iſtum ipſum negotium ſit ſæpiùs tentatum & toties inſeliciter ceſſerit. Ita certè eveniſſe fatendum eſt, ſed non propter operis magnitudinem; at propter æmulationem, vanitatem, imprudentiam, indignitatem, impatientiam, alioſque ſimiles defectus, qui in Ducibus eorumque Copiis aliquando reperti felicem exitum impedivere. Ab his cavere facile eſt, & aliorum exemplo ſapere, &c. Hæ igitur & ſimiles rationes adduci poſſunt ut concitetur zelus Chriſtianorum adverſus Infideles. Poterunt adhiberi Hypotypoſes & Proſopopœjæ, quibus depingatur mala, quæ ob immanitatem & impietatem intulere quondam, ac etiamnum inferunt Chriſtianis. Innumera ſcilicet Templa fœdiſſimis criminibus ac incendiis prophanaverunt; Fratres noſtros cruciatibus inſolitis vexaverunt, ut eos ad Apoſtaſiam compellerent, &c. Hinc cineres, inde ſanguinis humani decurrentes rivi ſuſcitabuntur, qui clamoribus & orationibus ad id compoſitis, provocent Chriſtianos ad juſtam, & neceſſariam, utilem & facilem vindictam. 4. Tandem *Vota* fieri debent pro felici rerum exitu, omniaque Deo cujus cauſa agitur ſunt commendanda.

IV. Concitatio poteſt eſſe uſui adverſus Peccatores in communi, qui Chriſtum rurſus Cruci affigunt; ſcopus verò totius Orationis illuc ſpectare debet, ut Auditores revocentur aut deterreantur ab ejuſmodi ſcelere. Artificium conſiſtit, 1. ut iſtud crimen propriis coloribus pictum appareat. 2. omnes circumſtantiæ expenduntur, tum ex parte Chriſti, qui beneficia innumera in homines congeſſit; tum ex parte Peccatoris, qui tot beneficiorum immemor, Grates non tantùm non ſolvit, ſed execrando parricidio Benefactoris vitam aggreditur; tum ex parte rei geſtæ, ſeu Peccati, quod iterum vitæ Chriſti inſidiatur, &c. 3. per Hypotypoſes Chriſtus inducitur ea beneficia commemorans, quibus peccatorem oneravit; increpatur verò peccator, qui tam inhumaniter & impiè tractat Redemptorem, abſque cauſa, pro nihilo, &c. Invitatur Ironicè, ut fidei renuntians ſe tortoribus Judæis adjungat, & quaſi humaniores illi forent, vices illorum ſubire velit, ut novas veteribus plagas adjiciat, &c. 4. Denique ubi ſcelus ſatis diu fuerit verſatum, commonetur Peccator ut reſipiſcat, & ad offenſi ſed miſericordis Chriſti benevolentiam redeat, &c. Hæc orationis forma plurimùm ſimilis eſt Suaſioni, Hortationi, Diſſuaſioni, Objurgationi & Invectivæ, ideo vix diſſimili methodo tractatur, niſi quòd Concitatio acriùs urget peccatorem ad Emendationem.

Concitatio adverſus Peccatores.

Conciliationis uſus.

V. Conciliationis opus frequentiſſimum eſt, & maximè neceſſarium: homo nempe faciliùs incandeſcit ſeipſo, abſque præceptore, ſedatur verò difficiliùs, vixque ſolius Artis miniſterio placatur, niſi Deus qui Corda omnium novit ac regit, pacem reſtituerit animo furenti. De Sedatione Affectuum diximus in 1. parte cap. 2. art. 4. cap. 3. art. 6. cap. 4. artic. 6. & 7. ubi de Odio extinguendo agitur pag. 344. & ſequ. Hic addo nonnulla obſervanda ut ejuſmodi negotium feliciùs ſuccedat. 1. Perſonarum, cùm Oratoris, tum Auditorum circumſtantiæ penſari debent. *Perſona* quæ Conciliationem molitur, tantæ ſit Authoritatis, majeſtatis, probitatis, aut ſaltem exiſtimationis, apud Auditores & Spectatores, ut ſua præſentia eoſdem deliniat, terreat & ad tranquillum animum revocet. Seniores, dignitate & gravitate pollentes; Principes viri gradu & apparatu conſpicui; Religioſi Virtute & meritis celebres; Parentes, ſuperiores, & his ſimiles valent ad ſeditionem placandam. *Auditorum*, ſeu concitati animi conditio attendenda eſt; Alii enim, precibus; minacibus verbis alii; alii utilitatis ſpe; alii honeſtatis ratione flectuntur. 2. *Temporis opportunitas* maximi eſt momenti, ad conciliationis effectum. Temerarium eſſet ſe ſe committere turbæ dum ardet, tunc ſcilicet impetu furens non aliud ſpirat quàm flammas & incendia; expectandum igitur eſt, cùm deferbuerit multitudo, vel ſanè cùm paulisper remiſſa, facta eſt conſilii capax. 3. *Modus* in Conciliatione adhibendus, multum ingenii ac prudentiæ deſiderat, oportet enim tentare animos, quà poſſint pellici; num per Honeſti rationem; num per utilitatis ſpem; precibuſve, an minis. Aliquando expedit nonnihil indignationi concedere, donec penitus remiſſa mens, det locum pleniori commonitioni. Cætera, ex ſuperioribus dicendi formis, cum quibus affinitatem habet Conciliatio, poſſunt repeti.

ARTICULUS III.

De Invectiva, de Objurgatione, & de Expoſtulatione.

Invectivæ Definitio & Differentiæ.

I. INVECTIVA eſt Increpatio mordax, ſeu oratio quæ acriùs increpat & perſtringit Perſonas aut earum facta; ideò affinis eſt Vituperationi, quæ tamen nonnihil eſt ſedatior, & mollior. Duplex eſt Invectiva. Homines alia pungit, alia mores exagitat. Prior *vix in uſu* eſt apud Chriſtianum Oratorem, qui ex Charitatis & Prudentiæ legibus indulgere debet Perſonis, ac eorum famæ, niſi fuerint iniquitatis notiſſimæ & ex officio impugnandæ. Altera, quæ in corruptos hominum mores invehitur, familiaris eſt Eccleſiaſtis, ejuſque miniſterio, ſeveriore nimirum increpatione, vitioſos à corruptela revocare ad frugem nituntur. Varias Invectivæ ſpecies diſtinguunt aliqui, *Satyricam*, *Comicam & Forenſem* enumerant. Non aliam uſurpant Oratores ſacri

quàm

quàm Eccleſiaſticam, quæ ideo mores depravatos inſequitur, ut corrigantur. Magna opus eſt prudentia, ut Invectiva utiliter & cum laude fiat; abſtinere oportet ab omni maledicentia & mordacitate, quæ Evangelico miniſterio minùs conveniat.

Invectiva duplici ratione attendi & inſtitui poteſt. Vel quatenus pars eſt Orationis, vel prout ipſa orationem integram conſtituit. Poſterior, Concionem ejuſque diſpoſitionem imitatur. Prior iiſdem principiis nititur ac ex ſimilibus argumentis inſtruitur, non tamen in partes æquè diſtinctas diſpenſatur. Salutaribus Increpationibus adverſus impios abundant Libri Sacri, præſertim qui Prophetarum ſunt. Nazianzenus duas orationes increpatorias ſcripſit contra Julianum Apoſtatam. D. Chryſoſtomus multas habet Homilias & Conciones contra Luxum, Ebrietatem, Invidiam & Superbiam. Hieronymus contra Sabinianum, & perduelles Hæreticos. Salvianus in Libris de Providentia Dei, totus eſt in Reprehenſorio genere; inde ſumere poterit Invectivæ Formas Eccleſiaſta: Ejus Exemplum dabimus Libro ſequente. Invectivæ uſus.

II. Objurgatio differt ab Invectiva, quòd hæc ſit adverſus inimicos; illa verò dilectos etiam pungit, acriter quidem, ſed moderatiùs. Ejuſmodi eſt Reprehenſio ſuperioris ad inferiorem, principis ad ſubditos, paſtoris ad gregem, parentis ad filium, ducis ad milites. Scopus ejus eſt emendatio delinquentis. Variam formam induit pro diverſo Auditorum ſtatu, cujus circumſtantiis accommodatur. Alii enim mitiùs increpandi ſunt, ut Ingenui, eruditi, & politi; Alii ſeveriore increpatione indigent, ut Rudiores, aggreſtes & hebetes. Objurgatio quid ſit.

Artificium Objurgationis aliquando Exordium adhibet, aliquando prætermittit. 1. Ubi opus eſt Exordio, illud ducitur à Cauſa, cur ad objurgandum quis acceſſerit, dicatque ſe iſtud non præſtare niſi invitè & ex neceſſitate. 2. Factum explicetur, deinde amplificationis Legibus dilatetur. V. g. A perſona delinquente; ab Indecoro, Injuſto, Incommodo, &c. à Novitate facti, ſcandalo, periculo, ac denique ab omnibus Adjunctis quæ facinus exaggerare poſſunt. 3. Peroratio mitiorem animum oſtendit, quo delinquentem ad Emendationem invitare conatur, cum ſpe veniæ, & reſarciendæ famæ per opera culpam veterem compenſatura. Exempla inſpergi poſſunt, quibus excitetur pudor de pari ſcelere, aut metus de ſimili damno ſcelus punituro, niſi ocyùs repudietur & corrigatur. Objurgationis Artificium.

III. Expoſtulatio eſt gravis quædam Querimonia ob acceptam injuriam. Diſtingui ſolet à Querela, quòd hæc ab æquali aut à ſuperiore fiat cum indignatione propter acceptas injurias, & cum exprobratione beneficiorum; Querimonia verò mitior eſt, fitque, à ſupplice qui precibus & lachrymis auxilium implorat. Duabus partibus conſtat Expoſtulatio, videlicet expoſitione injuriarum, & ſatisfactionis petitione tacita vel expreſſa. Querimonia quid ſit & quomodo fiat.

Arti-

Artificium Expoſtulationis in hoc ſtat, ut 1. non videatur, qui conqueritur, plus nimio querulus, ob leves nimirum cauſas, vel ob malè affectum animum. Habenda eſt etiam ratio eorum apud quos, & pro quibus fit Expoſtulatio; attendi debent circumſtantiæ opportunæ Temporis, Loci, Occaſionis, &c. ne intempeſtivè conqueſtus mentem exulceret potiùs quàm emolliat. 2. Exordium duci poteſt à difficultate conquerendi, quaſi iſtud non fiat niſi coactè & neceſſariò. Item ſi apud ſuperiorem vel Principem res ſit, præmitti debet brevis ejus Commemoratio; ut quòd ille ſit Afflictorum Aſylum, ſoleatque malis opportunum adhibere remedium. 3. Petitur facultas ut injuriæ acceptæ liberiùs, moderatè tamen explicentur; deinde exponitur factum, ita ut Læſus appareat rem narrare non accuſandi aut ulciſcendi animo, ſed correctionis aut juſtæ impoſterum præcautionis ſpe. 5. Injurioſum opus exaggeratur, ab Antecedentibus, Comitantibus, & Conſequentibus, veluti quòd non ſit ex improviſo & inconſiderato motu factum, ſed cum meditatione, attentione, & de induſtria. Deſcribatur modus quo res peracta eſt, & ſi quid occurrat quod malitiam Lædentis augeat, non prætermittatur. Ad futurum ducantur conjecturæ, niſi citiùs præſenti malo remedium adhibeatur; iterandum, ſcilicet, impune ſcelus, immò multiplicandum fore. 5. Tandem petitur, ut ceſſent Injuriarum effectus & cauſæ: eamobrem imploratur gratia & auxilium, ſi oratio ad Superiorem habeatur, vel ſaltem ſi apud Amicum Expoſtulatio fiat, novum Amoris fœdus ſtatuitur.

ARTICULUS IV.

De Commonitione, de Deprecatione, de Commotione, & de Conſolatione.

Admonitio quid ſit & quomodo fiat.

I. COMMONITIO ſeu Admonitio pars eſt aut ſpecies Suaſionis vel Diſſuaſionis quæ Hortationem & Dehortationem complectitur. Pro fine habet alicujus Correctionem, ſeu dum Vitioſum emendare & frugi reddere fatagit, ſeu dum imprudentem aut ignarum docere nititur. Multum prudentiæ & induſtriæ deſiderat iſtud Dicendi Genus; vix enim reperitur aliquis Correctionis patiens, qui æqua mente repræhenſionem excipiat: adeo ſcilicet homines ſunt ſui amantes, ut egrè ferre ſoleant, cùm de propriis defectibus admonentur. Neceſſe eſt tamen Commonitionibus uti aliquando, præſertim cùm de Correctione fraterna Chriſtus in Evangelio præceptum ſtatuerit. Ut igitur feliciter ſuccedat orationis genus Chriſtianæ Reipublicæ perneceſſarium, aliquæ induſtriæ huic propoſito idoneæ præſcribuntur ab Oratoribus. Has refero.

Qua-

Quatuor debent obſervari, *Perſonæ*, *Defectus*, *Tempus*, & *Modus*. 1. Perſonarum nomine intelliguntur, tam qui admonent quàm qui monentur. Ad Correctionem faciendam tenentur aliqui ex officio, ut Superiores, Paſtores, Parentes, Domini, &c. reſpectu inferiorum; aliqui ex Decentia; omnes ex Charitate. Qui authoritate, dignitate & probitate præcellunt, magnam vim ad corrigendos alios obtinent; ſed prudentia, aliæque circumſtantiæ mox notandæ debent adjici. Correctione indigent quotquot delinquunt, at, ut pauci ſunt qui patientiſſimè ferant admoneri, ita diverſiſſimè tractare oportet delinquentes in diſſimili gradu poſitos. Cautiùs commoventur Inſignes, Difficiles, Superiores, &c. ſeveriùs & liberiùs arguuntur Inferiores, & ſubditi; Leniùs & artificioſiùs æquales & qui ſui ſunt juris; acriùs, Rudes, & Agreſtes increpantur. Correctionis miniſter vacare debet ab omni affectu inordinato, maximè ab eo quem in aliis redarguit, & à ſuſpicione intentionis minùs æquæ, veluti quòd id faciat Impatientiæ, Odii, Invidiæ, aut ſimilis motus impulſu; opus eſt ut induat ſpeciem utilitatis, charitatis, neceſſitatis ac etiam lenitatis; unde corrigendus ſpe commodi, gloriæ, ſalutis, &c. illectus, monentis verba gratiùs excipiat. 2. *Defectus* diverſiſſimi ſunt: Alii publici, alii privati: ex malitia oriuntur aliqui, plurimi ex ignorantia & infirmitate. Penſanda ſunt igitur Errata ſecundùm conditionem. Aſperiùs & liberiùs ſolent increpari crimina notiſſima; artificioſiùs & leniùs ſecreta; gravia duriùs, minima molliùs tractantur. 3. *Temporis* habenda eſt ratio: tunc ſcilicet Correctione opus eſt, cùm præſumitur profutura; eam verò differre oportet, cùm obſtare videntur temporis circumſtantiæ. Intempeſtivè adhibita correctio maximè nocet, ac plerumque viam remedio præcludit; inde nimirum efferatus animus, averſatur omne quod admonitionem ſapit. Suum igitur, ſicut & cætera, Tempus habet Correctio, quod eſt diligenter obſervandum. 4. *Modus* Correctioni faciendæ aptus, omnes ferè prudentiæ ac induſtriæ circumſtantias complectitur, quas tamen tribus poſſe contineri arbitror. Sunt autem illæ Correctionis fraternæ conditiones, v. g. *Amicè*, *Fortiter*, *Sapienter*. *Amicè*, id eſt, ut Correctionis miniſter non videatur illam præſtare, niſi ex Amicitiæ, charitatis, & benevolentiæ affectu. *Fortiter*, id eſt, ut ratione, imperio, pœna (ſi opus ſit) fiat, non molliùs quaſi adulando delinquentibus. *Sapienter*, hoc eſt, attendendo circumſtantias Perſonarum, Loci, Temporis & opportunitatis.

> Quatuor obſervanda in Admonitione.
>
> 1. Perſonarum conditio.
>
> 2. Defectuum qualitas.
>
> 3. Temporis opportunitas.
>
> 4 Modus Correctionis.

Ex his colligitur Commonitionis Artificium. In Exordio debet apparere neceſſitas faciendæ Correctionis, benevolentia monitoris, & utilitas monendi. In Narratione, exponitur res geſta; deinde pro Confirmatione amplificatur per Motiva Honeſti, Commodi, & Facilis, vel per eorum oppoſita. In Epilogo debet ſubjici brevis Hortatio ad emendationem, ut ſuæ ſaluti, honori, fortunæ citiùs conſulat,

> Commonitionis Artificium.

ſulat,

ſulat, qui fortè imprudentius fuerat lapſus. Excuſari aliquando poteſt, ut leniatur Commonitio, exemplis aliorum, & compenſandæ jacturæ ſpe debet ſtimulari.

Deprecationis Artificium.

II. Deprecatio, aut veniam precatur pro delicto, & eſt Defenſioni affinis, aut pro eodem gratiam petit, habetque cum Poſtulatione ſimilem ſtructuram. De priore acceptione hìc agitur, quæ ut feliciter ſuccedat, his Legibus ex Oratorum ſenſu debet componi. 1. Ingenua culpæ confeſſio, nonnumquam iratum ſedat animum, qui criminis iniqua excuſatione ſæpius exaſperatur, quàm flectatur. 2. Minui poteſt delictum, per eas rationes quæ à malitiæ meditatione delinquentem vendicent: condonationem enim videtur mereri culpa, quæ ab improviſo, ab inadvertentia, ab inconſulto, & ab infirmitate provenit. 3. Perſonæ læſæ ratio habetur, ut ſi fuerit Parens, dignitate inſignis, benefica. Tunc præmiſſa Ingratitudinis ſincera confeſſione petitur humiliter venia, imploratur Læſi Clementia; Dolor ipſius delinquentis maximus aſſeritur; Pœnitentis denique meliorem vitam ſpondentis emendatio profutura promittatur.

Comminatio quid ſit, & quomodo fiat.

III. Comminatio ab Admonitione differt, quòd illa ſit acrior, & non tam verbis quàm pœnis hominem urgeat, iſta verò mollior ſit & pacatior. Artificium Comminationis adhiberi poteſt adverſus Peccatorem, qui ingratitudine & malitia plenus Deum beneficentiſſimum ſed aliunde potentiſſimum provocat ad ultionem. Hoc orationis genere abundat Scriptura Sacra. Proverb. 1. 29. & ſeq. *Vocavi & renuiſtis . . . . . Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c.* Paulus Galat. 6. 7. *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet, &c.* Hebræ. 10. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* 1. Comminatio fit Verbis & figuris indignationem præ ſe ferentibus; Sententiæ debent eſſe breves & conciſæ; Figuræ acres, quæ hominem ſeveriùs pungant, ipſique graves intentent pœnas. 2. Scelus debet ſtatim depingi & per omnes circumſtantias, quæ gravitatem faciant, amplificari. Fingit ſe Orator, non ſolùm verbis carere quibus crimen explicare poſſit, ſed nec ſufficientem criminis ſpeciem poſſe animo formare, aut verſare. 3. Commemorat pœnas, quæ ad ulciſcendam culpam imminent; addit nullam ſupereſſe evaſionis aut defenſionis viam; ſuggerit exempla eorum qui ſimilem vindictam ſuo damno ſunt experti. 4. Concluſio precatur ne præviſum damnum accidat, fingitque Orator ſe ægrè & cum Miſerationis affectu fuiſſe verbis minacibus uſum; hortatur delinquentem, ut reſipiſcat, & celeri pœnitentia periculum devitet.

Conſolationis Artificium.

IV. Conſolationis, ſeu Conſolatoriæ orationis frequens occurrit neceſſitas; cùm ſcilicet humana conditio perpetuis verſetur malis, quæ ad commiſerationem invitant, opus eſt ſæpe verbis & rationibus ad leniendos Afflictorum dolores compoſitis. Hoc orationis genus ducitur

à ſe-

à ſequente; 1. A Mortis neceſſitate inevitabili. 2. A Mortis utilitate, quia nos illa pluribus, & difficillimis malis, ac eorum periculis eripit, ut tamdem ad portum ſiſtat. 3. Ab exemplo aliorum qui mortem forti & conſtante animo ſubiere. 4. Ab inutilitate metus aut doloris, ob imminentem mortem, quæ inexorabilis eſt, & nulla re flectitur. 5. A Felicitate vitæ futuræ, quæ per mortem aperitur. 6. Præſtat ſeſe ad ejuſmodi caſum accingere, atque neceſſaria diſpoſitione præparare. 7. Implorare oportet Dei auxilium, petere delictorum veniam, adhibere B. Virginis, Angelorum ac Beatorum patrocinium. Si agatur de Calamitatibus æquo animo tolerandis, ſuaderi debet patientia; ſed qui ſolari nititur debet afflicto compati, & commiſerationis affectu præmonſtrato videri calamitatis ferè particeps: tum captata occaſione, ſuggerere rationes quibus afflicti animus emolliatur. Prudenter debent ejuſmodi argumenta conſolatoria ſubjici, dandus eſt aliquis dolori locus, & artificiosè diſpenſare oportet appoſitum præſenti malo remedium. Quæ ſint capita quibus ſuadeatur patientia, diximus paulò ſuperius, hæc paucis repetimus. 1. Miſeria eſt pars & ſors vitæ Humanæ, quæ ab innumeris cauſis oritur; ſed præcipuè à Deo illam ad bonum noſtrum ordinante. 2. Deo jubenti, ac ordinanti parere omnino debemus, & quodcumque ille juſſerit ſubire patienter tenemur. 3. Virtus eſt & Religio, Divinæ diſpenſationi morem gerere, contradicere verò aut reſiſtere, impoſſibile, inutile, noxium, & ſcelus novorum malorũm cauſa. 4. Conformes eſſe debemus Chriſto Prædeſtinatorum primogenito, qui exemplum patientiæ celeberrimum nobis reliquit. 5. Via eſt ad Cœlum certiſſima, Tribulatio, quam Chriſtus infinitè Sapiens nos docuit verbo & opere. 6. Tribulatio eſt dilectionis Dei erga nos ſignum, flagellat quippe omnem filium quem ille ſuſcipit. 7. Tribulatio eſt Pædagogus noſter, quo Ignorantes nos Deus erudit, Impios redarguens, ſtupidos ſtimulans, Temerarios deprimens. 8. Tribulatio eſt Sacrificium expiatorium, in quo pro peccatis tres victimæ debent offerri, videlicet, Dolor pro pœnis peccato debitis; Innocentia, ſeu ſtatus Gratiæ; Voluntas, ſeu acceptatio libera. 9. Tribulatio eſt Juſtorum Triumphus, patienter enim mala ferentes miſeros, laudant homines, mirantur Angeli, coronat & remunerat Deus. Aliæ ſunt permultæ rationes quibus conſolatorius ſermo inſtituatur. Has breviter ad exemplum attigi.

CAPUT IV.

Ideæ & Partitiones Variæ Concionum in Eccleſia pro opportunitate inſtituendarum.

CUM Propoſitorum in ſacro Pulpito tractandorum ſenſus ferè omnis contineatur in Partitionibus, quæ ſunt totius Theſis, ſeu Orationis index compendiarius, & ſumma paucis verbis comprehenſa; cùm etiam difficultatis non minimùm experiantur hujus Miniſterii Tyrones, ut ejuſmodi Diviſiones excogitent; ideo quoties opportunitas occurrit Partitionum exempla tradere, hoc præſtiti, Candidatorum utilitati & commodo (ut dixi) ſemper ſtudens. De Partitionum ac Subdiviſionum Inventione ac forma dictum eſt in 1. Parte, Lib. 3. cap. 4. Plurium Partitionum exempla delineavi, ibid. Lib. 5. c. ultimo. Plures adhuc ex profeſſo ſubjeci in 2. Parte, Lib. 1. ubi de Catecheſibus. Lib. 2. ubi de Panegyricis dictum eſt, in quo traduntur Diviſiones permultæ de iis quæ ad Deum, B. Virginem, Angelos, ac Homines ſpectant. Deinceps indicamus Partitiones quæ de variis propoſitis in ſacro ſuggeſtu verſandis mihi occurrere. Nolim hac in re cuiquam legem dicere, liberum eſt omnibus alias ſimiles & his elegantiores Diviſiones excogitare; ſequentes tantùm exhibeo ad Novitiorum Inſtitutionem: has (maximè quæ de Dominicis diebus ſunt) pro opportunitate & facultate, ipſe exegi, & prout currenti calamo codicibus deſtituto factæ ſunt obviam, hìc retexui. Non potui rationes adjicere quibus Partitiones probarem & locupletarem, ne prolixitate peccaret liber, & Conciones integras tradere videretur qui ſolam Artem concionandi ſponderet: dabuntur fortaſſe brevi, ſi Deo ita concedente, iſtud per otium licuerit. Interea per aſſignatas in ſingulis Dominicis Diviſiones, ſuſcitabitur Concionatoris Inventio ad excogitanda meliora propoſita; hinc ſaltem apparebit, quid in aſſignato Evangelii textu occurrat commodius tractandum. Elegantiam Partitionum, quæ Gallico Idiomate aliquid exquiſitius ſapit, ſervare difficile fuit in Latina lingua; hanc quiſque poterit pro ſuo Ingenio inſtaurare.

ARTICULUS PRIMUS.

Ideæ & Partitiones Hortationum quæ ſolent in Religioſis Ordinibus fieri, maximè apud Moniales, cùm habitum induunt, aut vota emittunt.

1. GAUDENS *Gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis.* Iſai. 61. 10. Duplici titulo ſiſteris Chriſto, Religionem ingreſſura, velo & habitu Religioſo donanda. 1. Altero *Sponſæ*; 2. Altero *Martyris*. Prior exigit Amorem, peſterior fortitudinem; ille placet & pellicit; iſte diſplicet & terret. Gall. *Il faut icy apporter un double eſprit*; 1. *un Eſprit d'Amour tendre comme une Eſpouſe*; 2. *un Eſprit d'Amour courageux comme une Martyre.*

2. Profeſſio Religioſa comparatur Conjugio, in quo tria reperiuntur, 1. *Nexus Cordium.* 2. *Donatio Corporum.* 3. *Indiſſolubile vinculum*; hæc eadem conſtituunt conjugium Monialis cum Chriſto; 1. Copulantur corda per Gratiæ nexum. 2. Donationes mutuæ fiunt, Monialis corpus ſuum tradit per virginitatem, Chriſtus ſemetipſum, cùm Sacramento Euchaſtiæ, tum aliis modis. 3. Vinculum nuſquam ſolvitur, nec per ipſam ſponſæ mortem.

3. Profeſſio Religioſa comparatur Martyrio; in quo tria occurrunt notanda. 1. Pœna. 2. Cauſa. 3. Effectus. Eadem in Monialium votis advertenda ſunt. 1. *Pœna*, quia etſi deſint Equulei & Cruces, adſunt tamen ſupplicia quibus torquetur triplex vitæ genus. Vita Naturalis per auſteritatis mortificationem, vita Moralis, per obedientiam & dependentiam; Civilis per paupertatem & deſpectum. 2. *Cauſa* Martyrii adeſt, quia pro Chriſto talia patiuntur, poſſuntque dicere, *Propter te mortificamur tota die.* Rom. 8. 36. Tertiò *Effectus Martyris*, ex parte Voventis redditur teſtimonium Fidei; ex parte actus, meritum exurgit grande, veluti remiſſio omnium peccatorum, reſtitutio Innocentiæ Baptiſmalis, &c. ex parte verò Dei, talibus hoſtiis placatur ac delectatur; propterea magnum præmium in remunerationem parat.

4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Rom. 6. 4. Religioſa Profeſſio conſtituit hominem tribus his rebus conſimilem, 1. Morti. 2. Sepulturæ. 3. Reſurrectioni. Per vota, 1. *Moritur ſine Infirmitate.* 2. *Sepelitur ſine corruptione.* 3. *Suſcitatur ſine mora*, vel recidiva. Gall. 1. *Cette Ceremonie vous fait mourir dans la Religion, ſans foibleſſe.* 2. *Elle vous y enſevelit ſans corruption.* 3. *Elle vous y reſſuſcite ſans retardement.*

5. *Non veni pacem mittere, ſed Gladium.* Matth. 10. 34. Ex intento Chriſti, Religio habet duplicem Gladium, quo ſeparat hominem à rebus ſuæ ſaluti noxiis. 1. Separat animam à Mundo, ut eam Deo conſecret. 2. Separat hominem à ſeipſo, ut eumdem in Deum transformet.

6. *Optimam partem elegit*. Luc.10. 42. Ideo hæc verba Candidato conveniunt, 1. quia valedicit Mundo in eo ſtatu, quo eſt magis corruptus. 2. quia Ordinem ingreditur, quia in Dei Eccleſia eſt magis perfectus, vel auſterus, &c. 3. quia conſecrat Deo ætatem, quæ Deo eſt acceptior.

7. *Nunc Judicium eſt Mundi*. Joan. 12. 31. Tria exhibentur quæ à Candidato in Mundum efficiuntur. 1. *Examen Mundi*. 2. *Condemnatio Mundi*. 3. *Punitio Mundi*. 1. Cogitur Mundus fateri, quòd ſit inſufficiens, nec poſſit cor humanum explere; quòd ſit periculoſiſſimus nec aliud præſtare queat quàm perdere: quòd ſit totus in malitia poſitus. 2. Tribus ſententiis damnatur Mundus; ut inſufficiens, deſpectus; ut periculoſus, proſcriptionis & exilii; ut corruptus, deſtructionis. 3. Tribus modis punitur Mundus, ejus enim ſubſtantia deſtruitur, per caſtitatem, quæ propagationem Mundi impedit; ejus facultas ſeu Amor proprius deſtruitur per obedientiam; ejus denique Bona deſtruuntur per votum paupertatis.

8. *Speculo facti ſumus Mundo, &c.* 1. Cor. 4. 9. Religioſus fit, 1. Spectaculum terroris aut admirationis Creaturis inferioribus, quas deſpicit. 2. Spectaculum æmulationis Angelis, quos imitatur. 3. Spectaculum confuſionis, vel eruditionis, cæteris hominibus quos ſupergreditur. Gall. *C'eſt un Spectacle capable d'attirer les yeux du Monde, des Anges & des Hommes*. 1. *C'eſt un Spectacle d'Eſtonnement pour les Creatures inferieures que le Religieux mèpriſe*. 2. *C'eſt un Spectacle de* Jalouſie *aux Anges, qu'il imite*. 3. *C'eſt un Spectacle de Honte, ou d'Inſtruction aux Hommes, qu'il ſurpaſſe*.

9. *Lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*: Oſeæ 2.14. Tria præſtat Deus Animæ Religionem ingreſſuræ. 1. *Lac vocationis*, quo illicitur in Religionem. 2. *Gratiam Exercitationis*, qua ducitur in ſolitudinem, ſanctificationis cauſa. 3. Delectationes & *ſuavitates colloquii Divini*, quibus dulces ſiunt Pœnitentiæ mortificationes.

10. *Fugite de medio Babylonis, &c.* Jerem. 51.6. Triplici titulo infamis eſt Mundus; eſt enim Exilium, Captivitas & Infernus; Qui ergo huic valedicit ut Religioſum ſtatum profiteatur, ille, 1. *ab Exilio revocatur* ad Patriam ſeu Patriæ imaginem, in qua non eſt meum ac tuum, ſed omnia ſunt innoxiè communia. 2. *A Captivitate* ſe recipit ad libertatem, immunitatem, & liberam ſui diſpoſitionem, per obedientiæ Votum. 3. *Ab Inferno* reducitur ad Paradiſi ſimilitudinem, per abdicationem à tumultuoſis appetitus motibus, & fruitionem ſuaviſſimæ Pacis.

11. *Charitas Chriſti urget nos*. 2. Cor. 5. 14. Tria ſunt attendenda Candidato, 1. Mundus qui deſeritur, 2. Clauſtrum quod eligitur. 3. Cœlum, quod ſperatur. 1. *Mundus* fugiendus eſt veluti Anathema & maledictum. 2. *Clauſtrum* eligi debet, veluti certaminis & victoriæ campus. 3. *Cœlum* ſpectandum eſt, veluti præmium & corona.

12. *Effudi in me animam, quoniam tranſibo in locum Tabernaculi admirabilis, uſque ad domum Dei*. Pſalm. 41. 5. Tria ſunt in Religioſa profeſſione

ſione conſideranda, 1. Ejus *Status* ſimilitudinem habet cum Beatorum Statu. 2. *Exercitia* ſimilia ſunt Beatorum Exercitiis. 3.Ejus *Diſpoſitiones* introductoriæ, ſunt eædem ferè quæ Beatitudinis. 1. In Cœlo reperiuntur unitas in ſocietate, communitas in proprietate, quia de communi bono quiſque recipit quod ſibi abundè ſufficiat; & libertas cum felici neceſſitate; eadem in Religione habentur. 2. Exercitia Beatorum ſtant in duobus, alterum ad corporis Dotes, alterum ad Animæ Beatæ vices ſpectat; hæc privilegia ſuo modo participat Religioſus. 3. Diſpoſitiones ad Cœlum ſubeundum neceſſariæ ſunt, Innocentia & Mors; Religioſus debet eſſe Innoceus & triplicem expertus mortem, Mundi per votum Paupertatis; mortem Carnis, per Caſtitatem; Mortem propriæ voluntatis, per Obedientiam.

13. *Sacrificate ſacrificium Juſtitiæ, &c.* Pſ. 4. Virgo hæc innoxia per ſui oblationem adimplet quidquid excellentiſſimum occurrit umquam in Lege. Eſt igitur, 1. *Victima Innocens*. 2. *Hoſtia Pacifica*. 3. *Holocauſtum perfectum*, 1.Sacrificium iſtud medetur Peccato originali ejuſque reliquias delet. Ex peccato quidem oriuntur puſillanimitas qua homo ſubjicitur appetitui; tepiditas in adimplendis Præceptis Divinis, & propenſio in voluptatis ſenſum; At ex ſacrificio Religioſo reſtituitur Innocentiæ privilegium, quo ſuperatur appetitus, obſervantur etiam Conſilia, & Carnis maceratio. 2. Tria ſolebant fieri circa Hoſtiam immolandam. Ligabatur, ſpoliabatur, deinde mactabatur; Religioſa, anima ligatur per Obedientiam, ſpoliatur per Paupertatem, mactatur per Caſtitatem. 3. In Holocauſto tria fiebant: ſeparabatur victima, trucidabatur, deinde flammis abſumebatur; eadem præſtat Religioſa profeſſio, ſeparat à Mundo & Mundanis, occidit quoad Civilia, & tamdem divinis ardoribus Animam tradit.

14. *Egredere de terra tua, & de cognitione tua, & de domo patris tui.* Geneſ.12.1. Candidato Religionis repetit Deus eadem verba quæ aliquando habuerat ad Abraham; Charitas ergo ſolvit omnia Carnis vincula quibus retinebatur, atque eam ob rem adhibet tres virtutes, 1. *Paupertatem*, qua Religioſus egreditur de Terra ſua; 2. *Obedientiam*, qua ſe expedit à propria voluntate (quæ eſt veluti Carnalis cognatio) ut Deo ſoli obſequatur. 3. *Caſtitatem*, qua ſolvit vincula ſentientis appetitus. Gall. 1. *L'Amour divin va vous priver des biens temporels que vous poſſedez, pour vous en donner d'Eternels. 2. Il va vous ſeparer de tous vos Parens, pour vous mettre dans une ſainte ſolitude. 3. Il va vous oſter la vie ſenſuelle, pour vous en donner une ſpirituelle & divine.*

15. *Si ſcires donum Dei*. Joan. 4. 14. Vota Religioſa reſtituunt luculenter tria damna quæ primus homo paſſus eſt in Paradiſo Terreſtri, 1. *Libertatem* recuperat per obedientiam. 2. *Æqualitatem* cum Angelis recuperat per caſtitatem. 3. *Poſſeſſionem Dei* recuperat per Paupertatem, quæ nihil præter Deum ipſum habet, &c.

16. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis tuis, Filia Principis!* Cant. 7. 1. Tot palmas producit quot greſſus facit, quia toties de mundo triumphat quæ Religioni deditur; ſed maximè penſantur illa duo verba, *Filia Principis*, id eſt, Chriſti Calvariam conſcendentis, qui veluti Pater ſuæ Proli tria communicat, 1. *Vitam Crucis*. 2. *Spiritum Crucis*. 3. *Hæreditatem Crucis*.

ARTICULUS II.

Ideæ & Partitiones Concionum pro Dominicis Diebus per Annum.

SECTIO I.

Pro Dominicis à Nativitate ad Septuageſimam.

Domin. infra Nativit.

I. DOm. infra Octav. Nativit. Evangelium. Luc. 2. *Erant Joſeph & Maria Mater Jeſu mirantes*.. uſque *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus Sapientia, & Gratia Dei erat in illo*.

1. *Poſitus eſt hic in Ruinam & Reſurrectionem*, &c. Horoſcopus & Conjectura de Chriſto, 1. Erit ruina Impiorum, quos verbis, virtutibus & miraculis, accuſabit, damnabit & puniet. 2. Erit Reſurrectio Juſtorum, quos ſolabitur, proteget, coronabit. Item malus gratiarum uſus erit peccatoribus occaſio Ruinæ: bonus Gratiarum uſus erit Juſtis Reſurrectionis cauſa.

2. *Poſitus eſt hic in Signum cui contradicetur*. Chriſto contradicitur, 1. *Corde*, dum non diligitur. 2. *Lingua*, dum non laudatur, ſed blaſphemiis laceſſitur. 3. *Manu*, dum factis malis iterum crucifigitur.

3. *Tuam Ipſius Animam pertranſibit Gladius*. De Compaſſione Virginis.

4. Maria, Simeon & Anna partiuntur iſtud Evangelium de Chriſto: peculiari cultu Chriſtum recens natum excipiunt: 1. Maria tribuit *Cor*, ut Chriſtum amet. 2. Simeon tribuit *Linguam*, ut benedicat ac laudet. 3. Anna, virtutum *Operibus* magis quàm annis gravis, occurrit Chriſto, eique vitam conſecrat.

5. In hoc Evangelio tres maximè Perſonæ attendi debent: *Jeſus*, Maria & Joſeph. 1. *Maria* Chriſtum diligit. 2. *Joſeph* Chriſto neceſſaria præſtat officia. 3. *Chriſtus*, gratitudinem & obedientiam utrique rependit.

6. *Perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini*. Parentum officia hìc exhibentur. Vide ſupra l. 2. pag. 492.

7. *Puer autem creſcebat*, &c. De Educatione Puerorum, & de reciproco Parentibus debito; Vide Ibid. 492. & 493.

II. Dom.

II. Dom. infra Octav. Epiphaniæ. Luc. 2. *Cùm factus eſſet Jeſus annorum duodecim* . . . uſque *Jeſus proficiebat ætate & Gratia apud Deum & Homines*. Domin. infra Oct. Epiphan.

1. *Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem Diei Feſti*. Celebratio Feſtorum Triplex. 1. *Noxia*, quæ abſtinet à terrenis operibus ut vitiis indulgeat. 2. *Otioſa*, quæ abſtinet quidem ab illicitis, ſed non vacat utilibus. 3. *Sancta*, quæ ſalutaribus negotiis occupatur.

2. *Remanſit Puer Jeſus*. 1. Amiſſio Chriſti & ejus cauſæ. 2. Inquiſitio Chriſti, & modi quibus fit. 3. Recuperatio Chriſti, & bona quæ ex fruitione ejus proveniunt.

3. *Stupebant ſuper Doctrina ejus*. Doctrina Chriſti tribus rebus commendatur: 1. ob Honeſtatis rationem. 2. ob Utilitatem. 3. ob Facilitatem. Contra vero Doctrina Mundi, eſt 1. Indecora, & vilia præcipit. 2. Noxia. 3. Difficilis.

4. *Erat ſubditus*. De Puerorum debito ad Parentes. Debent, 1. Amorem. 2. Obedientiam. 3. Obſequium.

5. *Venit Nazareth*. Vita Abſcondita Chriſti, nos ad receſſum invitat: Item docet nos nihil curare præter ea quæ Dei ſunt. Vid. Dom. 1. Quadrag.

6. *Proficiebat*. Chriſtus nos de profectu ad perfectiorem gradum movet ſuo exemplo, 1. Motiva cur proficere debeamus. 2. Media quibus proficere poſſimus. 3. Impedimenta quæ nos à profectu remorari conantur, debent ſolvi.

III. *Nuptiæ factæ ſunt, &c. Et crediderunt in eum Diſcipuli ejus*. Joan. 2. Dom. 2. poſt Epiphan.

1. De Sanctificatione Nuptiarum. De hoc propoſito vide multa ſupra Lib. 2. pag. 490. & ſeq.

2. De modo quo intereſſe debemus Conviviis. 1. Piè, cum Chriſto & Maria. 2. Sobriè. 3. Juſtè abſque Detractione, &c.

3. *Dicit Mater Jeſu ad eum*. Interceſſio Mariæ, 1. Prompta. 2. Efficax. 3. Sancta, ob ſalutem & ſalutis negotia.

4. Converſio Aquæ in Vinum, eſt præparatio & ſpecimen Tranſubſtantiationis in Euchariſtia. 1. Chriſtus potuit. 2. Voluit Corpus ſuum & Sanguinem ſub apparentibus ſpeciebus velare. Hinc oſtenditur Chriſti Omnipotentia, inde ſapientiſſimi Amoris ejus pignus exhibetur.

5. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit* . . . *deinde quod deterius eſt*. Ita Mundus Sectatores ſuos ludit. 1. Grandibus allicit, vilioribus paſcit. 2. Divitiis illectos Pauperes facit. 3. Delicias, ſpinis & doloribus finit.

6. *Crediderunt in eum Diſcipuli ejus*. Chriſto cur non credimus nos, poſtquam ille verbis, exemplis, & miraculis, ſe Deum probavit?

IV. *Cùm deſcendiſſet Jeſus de monte* . . . *Ecce Leproſus* . . . *Centurio & ſanatus eſt Puer in illa hora*. Matth. 8. Dom. 3. poſt Epiphan.

1. Chriſtum meritò ſequi debemus, cùm ſit ipſe, 1. Via non Errans. 2. Veritas non fallens. 3. Vita non deficiens.

2. Le-

2. Leproſus eſt Imago Peccatoris. Ut Lepra Corporis, ſic Peccatum eſt Animæ morbus, iſtudque ad illius inſtar, 1. corrumpit ipſos peccatores. 2. Societatem inficit. *Vel*. 1. facilè contrahitur. 2. Difficillimè curatur. 3. Nuſquam plenè inſtauratur.

3. Chriſtus Medicus, ſanat, 1. Citò. 2. Jucundè. 3. Integrè. 4. Quos ſanat remunerat, & mercedem ipſe medicus ægroto ſanato ſolvit.

4. *Vade, oſtende te Sacerdoti.* Confeſſio ſignificatur. Sacerdotes Vicarii Chriſti ſanant Pœnitentes ſimili ferè methodo, &c. *Vid. Dom.* 3. *Quadr.* & Dom. 4. Adv.

5. Centurio ſollicitus de puero ægroto eſt exemplum Parentibus & Dominis, ut illi curent de filiis quibus debent, 1. Amorem. 2. Educationem. 3. Suſtentationem. 4. Exemplum: ut Iſti exhibeant Servis, 1. Benevolentiam. 2. Mercedem. 3. Inſtitutionem verbo & exemplo.

6. *Non inveni tantam fidem.* Fides Centurionis quæ laudatur, excellit 1. Celeritate, 2. Fortitudine. 3. Humilitate. Hinc condemnatur fides noſtra, quæ 1. Tarda eſt & difficilè credit. 2. Inconſtans & debilis eſt, quia citò dejicitur. 3. Superba eſt, & Dei opera ſcrutari ac dijudicare attentat.

7. *Multi ab oriente venient*. Vocatio Infidelium, & Reprobatio Fidelium; Hi reprobantur 1. ob Gratiarum contemptum. 2. ob Occaſionum prætermiſſionem. 3. ob Sacramentorum prophanationem. 4. ob Peccatorum admiſſionem.

8. *Fiat tibi ſicut credidiſti*. De Spe ſeu Confidentia in Deo, quæ ſtatuitur 1. Dei omnipotentia. 2. Dei Sapientia. 3. Dei Miſericordia. Vid. Dom. 4. Quadr.

Dom. 4 poſt Epiphan. V. *Aſcendente Jeſu in Naviculam*... uſque... *Venti & mare obediunt ei*. Matth.

1. Eccleſia Dei jactata perſecutionibus nuſquam mergitur. De Eccleſiæ 1. Firmitate, quæ inconcuſſa vincit Adverſarios. 2. Infallibilitate, ſeu veritate, quæ nuſquam errare poteſt. 3. Unitate, in qua ſola ſalus reperitur.

2. De Tolerantia Calamitatum, quæ quaſi dormiente Chriſto nos verſant, ſed ipſo ita providente, ut 1. Ignorantes doceant. 2. Peccatores mundent. 3. Juſtos coronent. Vide in capitulo ſuperiori concionem integram.

3. Amor ſeu Miſericordia Dei. Ille eſt 1. Æternus. 2. Immenſus. 3. Infinitus. Vide Librum præcedentem cap. 4. art. 1. pag 530. & ſeq.

4. *Modicæ Fidei*. Diffidentia offendit Dei, 1. Potentiam. 2. Sapientiam. 3. Miſericordiam. Vel, eſt 1. Injuſtiſſima. 2. Nocentiſſima. 3. Curatu difficillima.

5. Mare agitatum eſt Paſſionum Appetitivarum figura. Dantur homini, 1. ad Exercitium, ut inde probetur. 2. Ad virtutum, cujus uſui multum proficere poſſunt. 3. ad Coronam, quæ victoribus promittitur. Vel dantur 1. in ſupplicium culpæ. 2. in Probationem virtutis. 3. ad meritum Gloriæ.

6. *Venti & mare obediunt ei*. Solus Deus dare poteſt Pacem, 1. Veram. 2. Integram. 3. Conſtantem.

VI. *Simile factum eſt Regnum Cœlorum homini, qui ſeminavit*, uſque... *Triticum congregate in horreum meum*. Matth. 13. Dom. 5. poſt Epiphan.

1. Ager iſte eſt Cor Humanum: illius inſtar debet, 1. purgari à vitioſis affectibus. 2. inſeminari virtutibus, 3. cuſtodiri diligenter ab Adverſariis. Vel eſt Eccleſia, in qua Tolerantur Peccatores. 1. Hos vocat Deus per ſuam Miſericordiam. 2. Expectat per ſuam Patientiam. 3. Punit per ſuam Juſtitiam.

2. Permiſcentur mali cum Bonis; 1. ut Mali Bonorum exemplo convertantur. 2. ut Boni Malorum vexatione purgentur. 3. ut probati tamdem coronentur.

3. *Accedentes Servi Patris-familias*. Id eſt, Angeli Cuſtodes, qui Nos, 1. Diligunt. 2. Erudiunt. 3. Protegunt. Vide Prompt. de Angelis. Lib. 2. pag. 470.

4. Patientia in Afflictionibus. Vide Dom. 4. poſt Epiph. num. 2.

5. Juſtitia Dei in puniendis reprobis oſtenditur, dum Igni deſtinat Zizania. Unde deſcribitur pœnarum Inferni, 1. Acerbitas. 2. Diverſitas. 3. Æternitas.

6. *Triticum autem congregate*, &c. Merces Dei, 1. Ampla, ſine limitatione. 2. Grata ſine faſtidio. 3. Æterna ſine termino.

VII. *Simile eſt Regnum Cœlorum Grano Sinapis*... uſque *eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*. Matth. 13. Dom. 6. poſt Epiphan.

1. Eccleſiæ, vel Fidei Symbolum in Sinapi. Mirum dictu! Eccleſia 1. fundata eſt, rerum mundanarum repudiatione. 2. Creſcit, Perſecutionum multitudine. 3. Floruit, Humilitatis profeſſione.

2. Fides tribus conditionibus commendatur. 1. Excellentia. 2. Certitudine. 3. Operatione. 1. Nihil eſt glorioſius Intellectui quàm credere. 2. Nihil eſt certius. 3. Nihil eſt operoſius. Vel Fides ſtat, 1. in Corde velut Regina in Throno. 2. in Ore, veluti Legislatrix in Tribunali; 3. in Manu, veluti victrix in Theatro. Vel 1. Corde credimus. 2. Ore confitemur. 3. Manu operamur.

3. Humilitas quæ ex attritione ſurgit, 1. Cautior & ſecurior. 2. Sanctior & purior. 3. Clarior & glorioſior.

4. De Patientiæ utilitate, Vid. Dom. 4. poſt Epiph. n. 2.

5. *Fermentum in ſatis tribus* ſignificat ex Auguſtino Verbi Divini Incarnationem. Triplici ſinu abſconditur Verbum Dei 1. Mariæ Sinu, in quo velatur Humanitate. 2. Sinu Crucis, in quo velatur Peccatoris & Pœnitentis ſpecie. 3. Sinu Altaris, ſeu Euchariſtiæ, in quo velatur accidentibus Panis & Vini, eſtque Amoris æterni Pignus.

6. *Sine Parabolis non loquebatur*. Chriſtus docens, eſt Prædicatorum Typus, illorum ſcilicet doctrina debet captui Auditorum accommodari. Ad inſtar Sinapis, debet 1. pungere vitia & lachrymas movere. 2. Appetitum ci-

ciborum incitare, hoc eſt, virtutum deſiderium & uſum. 3. corruptionem prævertere, hoc eſt, occaſiones peccandi tollere.

ARTICULUS III.

Partitiones Concionum pro Dominic. à Septuageſima ad Paſcha.

Domin. Septuageſ. I. EVangel. *Simile eſt Regnum Cælorum Homini Patri-familias, qui exiit conducere Operarios* . . . uſque . . . *Multi ſunt vocati, pauci verò Electi*. Math. 20.

1. De Gratia vocationis ad Fidem. Vocatio eſt, 1. Gratuita, quia indignos reperit & invitat. 2. Libera, quia nolentes invitans, non cogit. 3. Integra & Generalis, quia etſi aliquos aliis præferat, nullum tamen inſufficienter monet, aut immeritò deſerit.

2. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Triplex Otium damnatur, 1. Vitioſum, quod à virtute abſtinens peccatis vacat. 2. Ignavum, quod nihil aut boni aut mali operatur. 3. Indiſcretum, quod boni quidem aliquid operatur, ſed non bene. Gall. 1. *L'oyſiveté criminelle des Pecheurs*. 2. *L'oyſiveté ridicule des Faineans*. 3. *L'oyſiveté imprudentes des Indiſcrets*.

3. *Ite & vos in Vineam*. De Bonis Operibus, 1. Rationes ſeu Motiva, quibus probatur bonæ operationis neceſſitas. 2. Media, quibus bene ordinentur opera. 3. Impedimenta, ſeu vanæ otioſorum excuſationes. Vel triplex eſt boni operis Conditio. 1. Fit de re bona. 2. cum intentione recta. 3. Gratia & Sanctitate condiatur.

4. Retributio bonorum operum, 1. Vera. 2. Integra. 3. æterna.

5. *Murmurabant*. De Invidia. Vitium eſt, 1. Ex ſua origine, ſeu ex ſuis cauſis, Vile & Indecorum. 2. Ex ſuis Effectibus, Nocentiſſimum. 3. Ex Remediis, curatu difficillimum.

6. *Pauci Electi*. Rationes iſtius paucitatis ſunt, 1. Contemptus occaſionum. 2. Abuſus Gratiarum. 3. Peccatorum perpetratio.

Domin. Sexageſ. II. Evangel. *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen* . . . uſque *fructum afferunt in patientia*. Luc. 8.

1. De verbo Dei. Eſt 1. via non errans. 2. veritas non fallens. 3. vita non deficiens. Vel, 1. Mortuos Peccatores ſuſcitat. 2. Infirmos ſanat & inſtaurat. 3. Sanos nutrit, & corroborat.

2. Tria ſunt impedimenta, quæ verbum Dei effectu privant. 1. Curioſitas, quia eſt ſecus viam, & extra prædicationis ſcopum. 2. Induratio, quæ petræ ad inſtar non ſuſcipit inſitum verbum. 3. Occupationes mundanæ, quæ verbum ſuffocant.

3. Con-

3. Conditiones boni Auditoris, 1. Appetitus cibi cœleſtis, 2. Intentio recta proficiendi, qua res auditæ digeruntur & applicantur. 3. Executio fidelis, ſeu obedientia diligens.

4. *Videntes non videant,&c.* De Excæcatione Peccatorum Induratorum. 1. ejus Cauſæ. 2. ejus effectus. 3. ejus remedia, ſi ſint aliqua.

5. Excæcationem cauſant, 1. Peccator, ſua malitia & indiſcretione. 2. Diabolus, Invidia & ſuaſione. 3. Deus, Juſtitia & punitione.

6. Spinæ ſignificant divitias, quæ, 1. acquiruntur cum labore. 2. poſſidentur, cum Sollicitudine. 3. amittuntur cum dolore. Vel Gall. *Les Richeſſes, 1. s'acquierent avec injuſtice. 2.elles ſe poſſedent avec attache. 3.elles ſe laiſſent avec regret.*

III. Evang. *Aſſumpſit Jeſus duodecim Diſcipulos* . . . uſque *omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Luc.18. Domin. Quinquageſ.

1. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam.* Peccatores Chriſtiani innovant Chriſti Paſſionem, quia imitantur, 1. Perfidiam Judæ, dum à ſequela Chriſti tranſgrediuntur ad ſequelam Mundi. 2. Deriſionem Judæorum, dum videntur ejus minas, preces & promiſſiones deſpicere. 3. Crudelitatem crucifigentium tortorum, dum tot vulnera infligunt, quot peccata admittunt.

2. Peccatores, 1. contemnunt Chriſti dignitatem, 2. Condemnant Chriſti Innocentiam. 3. Laceſſunt Chriſti patientiam.

3. Homo per peccatum amiſit Libertatem, Decorem & Vitam; Chriſtus tria hæc damna reparaturus, 1. Servi pœnas ſuſcepit, ut Hominem ſervum reſtitueret Libertati. *Tradetur.* 2. Deformatus eſt, ut Hominis decorem inſtauraret. *Expuetur.* 3. Mortuus eſt, ut vitam Homini mortuo redderet, *morte afficiens* mortem.

4. Eccleſia per Aſcenſionem Hieroſolymitanam, nos provocat ad triplicem elevationem. 1. *Mentis*, per ſanctas cogitationes. 2. *Cordis*, per ſalutaria Cordis deſideria. 3. *Corporis*, per utilia opera.

5. *Cæcus quidam.* Hominum Cæcitas tribus modis delinquit. 1. Quærunt quod nuſquam reperire poterunt. 2. Amittunt quod ſervare poterant. 3. Præcludunt ſibi acquiſitionem bonorum, quæ ſibi comparare potuerunt.

6. *Qui præibant, increpabant eum ut taceret.* Ita nimirum noxia eſt Societas peccatorum, ut 1. Cæcitatem paſſa eamdem cauſet. 2. Cæcitatis remedium etiam præcludat, dum cœcum impedire conatur ne ſanitatem recuperet. *Vel.* Cæcitas cauſatur, 1. per infirmitatem Facultatis, ſeu Animæ. 2. defectu Medii, hoc eſt, Gratiæ, aut quia medium nullum eſt interpoſitum, ſic ſenſibile ſupra ſenſum non facit ſenſationem viſus. 3. ob nimiam objecti diſtantiam, &c.

IV. Evangel. *Ductus eſt Jeſus in deſertum à Spiritu* . . . uſque *Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Math. 4. Domin. 1. Quadrageſ.

1. Seceſſus in Solitudinem Triplex, 1. *Corporis*, per ſeparationem &

fugam. 2. *Cordis*, per Deſideriorum & affectuum ſanctitatem. 3. *Operis*, per virtutum praxim. Triplex Solitudinis ſpiritus, 1. *Oratio*. 2. *Silentium*. 3. *Pœnitentia*.

2. Jejunii 1. *Motiva*, ſeu rationes cur ſit jejunandum. 2. *Media*, ſeu quomodo jejunare oportet. 3. *Impedimenta*, ſeu excuſationes à Jejunio, juſtæ vel iniquæ. Triplex Jejunium, 1. *Oris*, ſeu abſtinentia à prohibitis cibis. 2. *Cordis*, ſeu abſtinentia, à cogitationibus illicitis. 3. *Operis*, ſeu abſtinentia à vitioſis actibus.

3. Utilitas Tentationis. Vide ſupra de Patientiæ bono. Vel, Tres ſunt Tentationes quibus homo ſolet tentari, 1. *Superbia*. 2. *Gula*. 3. *Avaritia*. Vel, Jejunantes tentantur 1. à Gula & appetitu. 2. à Mundo & Sociis hominibus. 3. à ſeipſis & vanis excuſationibus.

4. *Non in ſolo pane vivit homo*. Verbum Dei, 1. Purgat. 2. Illuminat. 3. Perficit. Vide Dom. Sexageſ.

5. Adoratio Dei, fit 1. Intellectu, per Fidem. 2. Voluntate, per Amorem. 3. Corpore, per ſervitutis officia.

6. Contemptus Mundi, quia ejus Munera ſunt, 1. Vilia. 2. Modica & inſufficientia. 3. breviter duratura.

Domin. 2. Quadrageſ. V. Evangel. *Aſſumpſit Jeſus Petrum, &c.* uſque *donec filius hominis reſurgat à mortuis*. Math. 17.

1. Paucitas ſalvandorum ſignificatur per aſſumptionem trium tantùm Diſcipulorum. Deus, 1. omnes vocat, nullo excepto. 2. Paucos eligit, nullo neglecto. 3. Electos ſalvat, nullos Adultos ſine merito.

2. Seceſſus in Montem ſeorſum, figura eſt Solitudinis. Vide ſupra Dom. 1. Quadrag.

3. *Transfiguratus eſt*. Chriſtus, hìc triplici ſpecie exhibetur. 1. *Figuratus*, per Prophetas. 2. *Deformatus*, ſeu (ut ita loquar) Defiguratus, per Paſſionis Cruciatus. *Loquebantur de exceſſu*... 3. *Transfiguratus*, per Gloriæ oſtentationem.

4. Chriſtus eſt, 1. Salvator. 2. Doctor; *ipſum audite*. 3. Præmium &c. Chriſto configuramur per Patientiam, ut eidem configuremur per Gloriam.

5. Beatitudinis oſtentatio nos provocat ad ejuſdem appetitum. Illa eſt Bonum, 1. *Verum*, non fictum. 2. *Integrum*, non mancum. 3. *Æternum*, non temporaneum. Vel, 1. eſt Gaudium quod omnes ſatiat ſine faſtidio. 2. eſt Præmium, quod omnes remunerat, ſine defectu. 3. eſt Hæreditas, quæ omnibus datur, ſine æmulatione.

6. *Bonum eſt nos hìc eſſe*. Commodum proprium, tribus quaſi digitis totam Mundi molem evertit, nam 1. *Religionis ſacra prophanat*. 2. *Æquitatis Jura corrumpit*. 3. *Charitatis officia extinguit*.

Domin. 3. Quadrageſ. VI. Evangel. *Erat Jeſus ejiciens Dæmonium*.... uſque *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Luc. 11.

1. Dæmoniacus eſt figura Peccatoris, qui poſſidetur à Dæmone, & ab

ab eodem tria patitur mala. 1. *Excœcatur*, ne intelligat. 2. *Induratur*, ne ſentiat, & audiat. 3. *ſit mutus*, ne confiteatur.

2. Confeſſionis uſu ſolvitur mutorum peccatorum ſilentio. Confeſſio, eſt 1. *Juſta*, quia jubetur à Deo. 2. *Utilis*, quia multa bona procurat. 3. *Facilis*, quia modico verbo ſanitatem & ſalutem Animæ comparat.

3. *Tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo.* De Fide, quæ eſt 1. *Simplex*, ſine Curioſitate. 2. *Certa*, ſine dubitatione. 3. *Integra*, ſine exceptione. Contra vero tentant Deum, 1. *Curioſi*, non aſſentientes ſimpliciter. 2. *Dubii*, non credentes firmiter. 3. *Partiales*, de aliquibus malè ſentientes.

4. *Omne Regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.* Odium turbat triplex Regnum, 1. Natale, quia hominem dividit à ſeipſo. 2. Civile, quia fratrem dividit à fratre. 3. Divinum, quia Creaturam dividit è Creatore.

5. *Fiunt Noviſſima hominis illius pejora prioribus.* De Recidiva. Hæc peccat, 1. *Injuſtitia*, quia Diabolum Deo præponit. 2. *Ingratitudine*, quia Benefactorem lædit. 3. *Infidelitate*, quia fidem promiſſam ejurat.

6. Verbum Dei. Vide Domin. Sexageſ.

VII. Evangel. *Abiit Jeſus trans mare Galileæ ... fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Joan. 6. Domin. 4. Quadrageſ.

1. De Providentia. Ex D. Auguſtino, Deus eſt 1. *totus Oculus*, videns noſtras neceſſitates. 2. *Totus Cor*, quod noſtri miſereatur. 3. *Totus Manus*, qui quod novit convenire, & voluerit dare poſſit exequi.

2. Fidentia in Deum. Ab illo debemus ſperare, 1. *Neceſſaria*, non ſuperflua. 2. *Bona* & utilia, non mala & vitioſa. 3. *æterna* & ſpiritualia, potiùs quàm temporalia & corporea.

3. Hoc Miraculum eſt Sacramenti Euchariſtiæ Symbolum & ſpecimen. Vide Domin. 2. poſt Epiphaniam.

4. Ex D. Chryſoſtomo, prandium iſtud eſt Sobrietatis Documentum contra Gulæ vitium, quod eſt, 1. *Indecorum*, quia hominem ad Brutorum vitam dejicit. 2. *Noxium*, quia eſt peccatorum ſeminarium. 3. *Difficile*, quia paucis horis plurium laborum merces abſumitur Peccato, 1. Ciborum quantitate. 2. Qualitate. 3. & refectionis Modo, ſeu avidiùs, ſeu citiùs, &c. edendo.

5. *Hic eſt verè Propheta qui venturus eſt in mundum.* Eſt, 1. Mediator. 2. Doctor. 3. Exemplar. Sanguine, voce & opere.

6. Fuga Honorum. Hi ſuos amatores faciunt diſcordes, 1. cum ſeipſis, ob vehementiorem gloriæ appetitum. 2. cum proximis, ob æmulationem. 3. cum Deo, ob impietatem, ſoli enim Deo gloria debetur.

VIII. Evangel. *Dicebat Jeſus Turbis Judæorum ... Quis ex vobis arguet me de peccato? .....* uſque *exivit de templo.* Joan. 8. Domin. Paſſionis.

1. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Innocentia Chriſti triplex, 1. *Vitæ*,

Vitæ, quia in ſplendoribus ſanctitatis natus eſt. 2. *Doctrinæ*; quia nihil niſi ſanctum docet. 3. *Exempli*, quia eſt Sanctitatis Typus & forma.

2. De Peccato. Offendit, 1. Naturam, non modò quia contra legem naturalem eſt, ſed quia multa mala cauſat naturæ. 2. Gratiam, quam tollit. 3. Gloriam, quam præcludit. Occidit vitam Naturæ, Gratiæ & Gloriæ.

3. *Si veritatem dico; quare non creditis mihi?* Reſiſtere veritati cognitæ, eſt, 1. contra Juſtitiam, quia veritati debetur aſſenſus. 2. contra prudentiam, quia ſtultorum eſt falſum voluntariè amplecti. 3. contra Religionem, quia Deo non creditur, & Spiritus ſanctus contemnitur.

4. Detractio eſt malum, 1. Grande, quia famam vitæ præferendam lædit. 2. Immenſum, quia tres ſimul occidit, detractorem, auditorem, & abſentem. 3. Incurabile, quia vix reſarciri poteſt. Gall. *Une playe tres profonde; 2. un mal tres-contagieux. 3. un dommage irreparable.*

5. De Blaſphemia. Illa triplex eſt. 1. *Sacrilega*, quæ Deo furatur & tollit quod ei convenit. v. g. non eſt Juſtus. 2. *Impia*, quæ Deo tribuit quod ei non convenit, v. g. quòd ſit crudelis. 3. *Diabolica*, quia creaturæ concedit, quod eſt ſolius Dei, v. g. Divinitatem.

6. *Non quæro gloriam meam.* Vana Gloria peccat, 1. *in Re*, cùm de peccatis gloriantur. 2. *in Fine*, quia ſibi attribuit quod ad ſolum Deum attinet. 3. *in Modo*, cùm avidiùs expetit aliorum laudem, & aliis præferri deſiderat.

Domin. Palmarum. IX. Evangel. *Cùm appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis .... Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 11.

1. Chriſtus eſt Rex jure, 1. Nativitatis, quia Deus erat. 2. Electionis, quia huic omnes creaturæ ſuffragatæ ſunt. 3. Acquiſitionis, quia ſuo ſanguine peperit ſibi Regnum.

2. Chriſtus Rex ſubditos homines, 1. *Amat*. 2. *Dirigit*. 3. *Tuetur*.

3. Confeſſio tres Chriſto Palmas conſecrat. 1. Corde dolorem. 2. Ore Confeſſionem. 3. Opere ſatisfactionem.

4. Apparatus ad excipiendum Chriſtum. Præparatio ad Communionem eſt triplex. 1. Prævia, ſeu præcedens, quæ contrarias qualitates tollit, & germanas; hoc eſt, Gratiam, virtutes fidei, ſpei, &c. ponit. 2. Comitans, quæ tempore Communionis deſideratur, ut Humilitas, Amor, &c. 3. Conſequens, quæ Gratias reddit & neceſſaria petit.

5. Rara virtus, humilitas honorata, in Chriſto ſplendet hodie. Humiliare ergo homuncule, 1. *in Te*, quia nihil es. 2. *coram Hominibus*, quia fortè his es minor & pejor. 3. *apud Deum*, quia ab illo ſolo pendet iſtud quo indiges.

6. *Straverunt veſtimenta ſua in via.* Eleemoſyna veſtem, ſeu res mundanas Chriſto conſecrans, eſt 1. Officium ex Juſtitia debitum. 2. Sacrificium peccati expiatorium. 3. Clavis & Pignus ad cœlum obtinendum. Vide Domin. 1. Poſt Pentec. & Dom. 8.

X. De

X. De Dominica Paſchali, vide plures Ideas in Myſteriis Chriſti. Adde, quòd Triplex eſt reſurrectio. 1. Facta, ut Prophetæ Samuelis, hanc plurimi ſimulant. 2. Inconſtans, quæ non diu durat, ut Lazari. 3. Vera & conſtans, ut Chriſti. Priorem deteſtemur, à ſecunda caveamus; Tertiam imitemur. Dominica Paſchatis.

ARTICULUS IV.

Dominicæ à Paſchate ad Pentecoſten.

I. EVANGEL. *Cùm eſſet ſero die illa una Sabbatorum .... Vitam babeatis in nomine ejùs*. Joan. 20. Domin. in Albis 1. poſt Paſcha.

1. Pacis ſemper autor Chriſtus, triplicem nobis pacem deſiderat. 1. *Domeſticam*, hominis cum ſeipſo. 2. *Civilem*, hominis cum Proximo. 3. *Divinam*, hominis cum Deo.

2. *Chiromantia ſacra*, per manum Dei conjicit triplex artificium triplicis Attributi Divini. 1. Omnipotentiæ. 2. Miſericordiæ. 3. Juſtitiæ. 1. *Omnipotentia* ex vulneribus facit Throphæum Humanitatis victricis. 2. *Miſericordia* ex iis conſtituit Aſylum miſerorum. 3. *Juſtitia* ex iiſdem, oſtendet Reprobatorum condemnationem.

3. Infidelitas Thomæ profuit Eccleſiæ. Vide Feſtum D. Thomæ menſe Decemb. pag. 602.

4. Fides laudibus extollitur. Vide ſupra. Dom. 3. Quadrageſ. & Dom. 3. poſt Epiph.

5. *Sicut miſit me Pater & Ego mitto vos*. Inſtitutio Sacerdotum, hi ſunt, 1. *Legati*, & oracula, Dei voluntatem declarant. 2. *Mediatores*, Hominum negotia gerunt apud Deum. 3. *Judices*, ſolvunt & ligant pro meritis.

6. Chriſtiani plurimi, ſunt D. Thoma Incredulo & inconſtante pejores. Hic de Perſeverantia, quæ eſt, 1. ardenter deſideranda. 2. humiliter petenda.

II. Evangel. *Ego ſum Paſtor bonus .... fiet unum Ovile & unus Paſtor*. Joan. 20. Domin. 2. poſt Paſcha.

1. *Ego ſum Paſtor bonus*. Veriſſimum ais ò Chriſte; nam Dotibus Paſtoralibus excellis. 1. *Authoritate* legitima. 2. *Sapientia* vigilantiſſima. 3. *Charitate* copioſiſſima. Chriſtus Diligit, Dirigit, paſcit, & protegit. Vel Homo debet ſubire jugum Chriſti, ob tres rationes. 1. ob Authoritatem jubentis. 2. ob Gratiam adjuvantem. 3. ob Gloriam remunerantem.

2. Bonus Paſtor debet Chriſti Dotes imitari.

3. Domini, ſunt Paſtores Domeſtici, debent Inferioribus, 1. *Amorem*. 2. *Mercedem*. 3. *Inſtitutionem*. De Parentibus, vide Dominic. infra Nativit. & Dom. 3. poſt Epiphan.

4. In-

4. Inferiores debent Superioribus, 1. *Reverentiam* ſeu honorem. 2. *Obedientiam*. 3. *Officium*.

5. *Cognoſco oves meas*. De Prædeſtinatione. 1. Decernitur ante merita, quia Deus gratis præparavit Beatitudinem. 2. Peragitur cum meritis: 3. Conſummatur poſt merita.

6. Signa Prædeſtinatorum. 1. Pietas erga Deum. 2. Charitas erga proximum. 3. Odium ſui ipſius. Vel 1. Appetitus & Profectus de Verbo Divino. 2. Uſus frequens & bonus Sacramentorum. 3. Studium acquirendæ Gratiæ & metus ne diſpereat. Contraria ſigna Reprobos notant.

Domin. 3. poſt Paſcha. III. Evangel. *Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis. Modicum.... Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Joan. 16.

1. Tribulationes noſtræ debent videri nobis Modicum, ſi attendamus 1. ad Præteritum. 2. ad Præſens. 3. ad Futurum. Hoc eſt, 1. ad Peccata commiſſa, quorum intuitu Tribulatio eſt quid modicum. 2. ad Conſolationes divinas, quibus juſtorum miſeriæ condiuntur & minuuntur. 3. ad Gloriam futuram, quibus labores noſtri compenſabuntur.

2. Modicitas Mundi ſpectanda, 1. in vanis honoribus. 2. in divitiis importunis. 3. in voluptatibus falſis & brevibus.

3. *Plorabitis & Flebitis vos*. Lachrymæ Juſtorum, ſunt 1. Sanctæ & Divinæ, quia à Deo & propter Deum oriuntur. 2. Piæ, quia de Proximo & propter proximum fluunt. 3. Fœcundæ, quia uberes virtutum fructus proferunt.

4. Lachrymæ Mundanorum ſunt, 1. Sordidæ & lutoſæ, quia à terra & propter terram manant. 2. Invidiæ & æmulatrices, quia alienæ proſperitati inſidiantur. 3. Steriles & Viduæ, quia non habentes Sponſum Spiritum S. inutiliter fluunt.

5. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*. Conſcientia Bona eſt, 1. Regnum Pacificum, quia ibi nulla eſt Paſſionum ſeditio. 2. Dei Sanctuarium, quia ibi Deus colitur. 3. Beatitudinis prægustatio, quia ibi verum eſt Gaudium.

6. De Patientia in Tribulationibus, & de Beatitudine, vide ſupra in aliis Dominicis.

Domin. 4. poſt Paſcha. IV. Evang. *Vado ad eum qui miſit me .... de meo accipiet & annuntiabit vobis*. Joan. 16.

1. *Vado ad eum qui miſit me*. Diſceſſus iſte Chriſti in ſpecie malus revera erat utilis, 1. ad augendum Diſcipulorum Fidem. 2. ad Spem firmandam. 3. ad Charitatem inflammandam. *Vel*, ut illi Spiritum Sanctum, 1. ardentiùs deſiderarent. 2. digniùs exciperent. 3. cuſtodierent diligentiùs.

2. Diſceſſus Chriſti ſeu derelictio peccatoris, 1. Cauſæ illius. 2. Damna. 3. Signa.

3. Spiritui Sancto, 1. Reſiſtunt Obſtinati, Deſperati, Præſumptuoſi. 2. Spiritum contriſtant, Negligentia, venialium affectus, munda-

næ

næ curæ. 3. Spiritum extingunt, Impudici, Blaſphemi, & omnes in Charitatem defectus.

4. *Arguet Mundum*. 1. *de Peccato* quod commiſit. 2. *de Juſtitia*, quam neglexit. 3. *de Judicio*, quod non timuit. Vel 1. *de Peccato* Ingratitudinis. 2. de Infidelitate injuſta. 3. de Judicio iniquo circa mundana.

5. *Arguet Mundum*, cujus oſtendet 1. Falſas Leges. 2. Fictas delicias. 3. crudelem Tyrannidem.

6. *Docebit omnem veritatem*. 1. per verbum inſpiratum cordi. 2. per verbum Prædicatum auribus. 3. per verbum ſcriptum, oculis propoſitum.

V. Evangel. *Amen dico vobis; ſi quid petieritis .... In hoc credimus, quia à Deo exiſti*. Joan. 16. Domin. 5. poſt Paſcha.

1. Orationis, 1. *Excellentia*, quòd nos faciat Dei familiares, Angelorum ſocios, &c. 2. Utilitas peccata diluit, pœnas ſolvit, neceſſaria obtinet. 3. *Facilitas*, corde & verbo magnum bonum comparat.

2. Conditiones bonæ Orationis, 1. Innocentia orantis, qui ſit in Gratiæ ſtatu. 2. Orationis modus qui ſit humilis & attentus. 3. Æquitas rei petendæ. Vel 1. quòd ſit Orandum. 2. quomodo orandum. 3. quid ſit petendum.

3. Tria in oratione ſunt attendenda, 1. *Principium*, quod debet eſſe purum & ſanctum. 2. *Medium*, quod debet eſſe acceptum & efficax. 3. *Finis*, qui debet eſſe rectus & perſeverans.

4. Item orationis circumſtantiæ ſunt, 1. Cor Deo gratum, de re juſta ſollicitum. 2. Cor Humile, Fiducia erectum. 3. Cor attentum, perſeverantia firmum.

5. Impedimenta Orationis, 1. Iniquitas orantis. 2. Iniquitas modi, quo fit oratio. 3. Iniquitas rei quæ petitur.

6. Cur aliquando Deus orantem audire differat, 1. ob indignitatem noſtram & punitionem. 2. ob probationem & meritum. 3. ut ejus Miſericordia videatur major, quò miſeria noſtra ſentietur indigentior. Interceſſores ſunt adhibendi. Vide Sanctuarium annuum 1. Novemb.

De Feſto Aſcenſionis vide Myſteria Chriſti.

VI. Evangel. *Cùm venerit Paraclitus .... reminiſcamini, quia ego dixi vobis*. Joan. 15. & 16. Domin. 6. poſt Paſcha.

1. Teſtamentum Chriſti abſceſſuri. Legat Eccleſiæ, 1. Spiritum veritatis. 2. Spiritum Charitatis. 3. Spiritum Patientiæ.

2. Spiritus revelat tria quæ Peccatum velare ſtuduerat. 1. Mundi Vanitatem. 2. Inferni Acerbitatem. 3. Beatitudinis Æternitatem.

3. *Teſtimonium perhibebitis de me*. Zelus pro iis quæ Dei ſunt, 1. eſt ex Juſtitia. 2. Fortitudinem petit. 3. Prudentiam deſiderat. Sit *Juſtus, Fortis, Diſcretus*.

4. *Non ſcandalizemini*. Scandalum ex aliis faciliùs ſumere prohibent, 1. *Juſtitia*, quia non debemus temerariè judicare. 2. *Charitas*, quia debe-

mus in bonam partem interpretari. 3. *Prudentia*, quia pejora fortè in nobis experti, aliorum modica exaggeramur.

5. Mundus eſt Juſtis locus, 1. Exilii. 2. Certaminis. 3. Tormenti.

6. Tribulationum Tolerantia. Vide ſupra in plurib. Domin.

VII. De Domin. Pentecoſtes. Vide Myſteria Chriſti.

VIII. De Dominica Trinitatis. Vide ibid.

ARTICULUS V.

Dominica poſt Pentecoſten.

Domin. 1. poſt Pentecoſten.

I. EVANGEL. *Eſtote Miſericordes .... educas feſtucam de oculo fratris tui.* Luc. 6.

1. Miſericordia afflictos levans, eſt 1. de Juſtitia, quia jubetur. 2. de Honeſtate, quia glorioſum eſt aliis dare. 3. de Utilitate, quia abundè remuneratur.

2. Immiſericors peccat, 1. contra Æquitatis leges. 2. contra Decori Rationem. 3. contra Utilitatis propriæ oppignerationem.

3. Eleemoſyna. 1. Quis ad eam faciendam teneatur. 2. ex quo fieri debeat. 3. quomodo fieri convenit. Vid. Domin. Palm. num. 6. & Dom. 8. poſt Pentec. num. 3.

4. *Nolite judicare.* Judicium Temerarium eſt iniquum, quia forma in Judiciis ſervanda caret. 1. *Autoritate*, quia ſolius Dei eſt de cordibus judicare. 2. *Veritate*, quia falſis aut ſuſpectis indiciis nititur. 3. *Ordine*, quia prævertit judicandi tempus, quod erit in extremo judicio.

Domin. 2. poſt Pentecoſten.

II. Evangel. *Homo quidam fecit Cœnam magnam ... nemo illorum guſtabit cœnam meam.* Luc. 14.

1. Hæc eſt famoſa Solis Menſa, nempe Euchariſtia. 1. Ejus *Excellentia*, quia ibi Deus cibus eſt. 2. ejus *Utilitas*, quia inde ſalus oritur. 3. *Abundantia*, quia omnibus quotidie porrigitur & nuſquam deficit. Vid. Dom. 2. poſt Epiph. & Dom. 4. Quadrageſ.

2. Vita æterna. 1. Ad illam omnes ſincerè vocantur. 2. Pauci ſunt qui admittantur. 3. Nullus niſi ſua culpa excluditur.

3. Vocationi Divinæ non obſequuntur, 1. Ambitioſi, qui vilis & honoribus tantùm ſtudent. 2. Divites, qui lucri ſpe detinentur. 3. *Carnales*, qui voluptatibus immerguntur.

4. Ad Cœnam admittuntur, 1. Humiles. 2. Pauperes. 3. Mortificati.

Domin. 3. poſt Pentecoſten.

III. Evang. *Erant appropinquantes ad Jeſum Publicani ... Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.

1. Chriſti benevolentia, omnes peramanter ſuſcepit, etiam miſeriores, unde differentiam Principum Mundanorum, ad quos acceſſus eſt diffi-

difficilis, plurimi conſtat, & ſæpè inutilis eſt: ad Chriſtum acceſſus eſt, 1. Facilis. 2. Gratuitus, 3. maximè Utilis.

2. Ovis perditæ, & Dracmæ parabola, Generis humani requiſitionem ſignificat. Homines perditos Chriſtus, 1. inquiſivit cum magno affectu. 2. redemit cum magno pretio. 3. reſtituit Ovili cum magno gaudio.

3. Pœnitentia lætitiam parit Angelis, quia per illam, 1. Dei gloria prædicatur. 2. Angelicæ ſedes reparantur. 3. Homines, quos amant, & cuſtodiunt, ſalvantur. Pœnitentia debet eſſe, 1. Prompta ſine dilatione. 2. Integra, ſine exceptione. 3. Conſtans, ſine recidiva.

4. Animæ dignitas penſatur, 1. ex Creatione. 2. ex Redemptione. 3. ex Glorificatione. Solus Deus potuit Animam, 1. creare ex nihilo. 2. emere digno pretio. 3. remunerare præmio merito.

IV. Evangel. *Cùm turbæ irruerent in Jeſum .... relictis omnibus ſequuti ſunt eum.* Luc. 5. Domin. 4. poſt Pentec.

1. *Cùm Turbæ irruerent in Jeſum, ut audirent verbum Dei.* De Verbo Dei, vid. Dom. Sexageſ.

2. Navis D. Petri, Eccleſiæ Symbolum. Vid. Dom. 4. poſt Epiph.

3. *Per totam noctem nihil cepimus.* Per noctem ſæculi perditi, fruſtra laborant, 1. Avari. 2. Ambitioſi. 3. Voluptuarii. *Vel*, Mundus nox eſt, in qua homo non videt, 1. Terrenam vanitatem; 2. Cœleſtem felicitatem. 3. Inferni acerbitatem.

4. *In verbo tuo laxabo rete.* De Providentia Dei; De Fiducia hominis. Vid. Dom. 4. Quadrageſ. Gratia Dei, 1. Lux eſt, quæ opera bona ſuadeat. 2. Auxilium eſt, quod juvet. 3. Meritum eſt, quod præmium conciliet.

V. Evangel. *Niſi abundaverit Juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, &c.... tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5.

1. Juſtitia Chriſtiana debet ſuperare Judaicam, quæ tribus defectibus erat obnoxia. 1. erat externa, non interna, *ut videantur ab hominibus.* 2. verbis, non operibus prodita, *dicunt & non faciunt.* 3. ſuperba, non humilis, *non ſum ſicut cæteri hominum.* Chriſtiana vero eſt. 1. Interna. 2. Operoſa. 3. Humilis. 4. Integra, quæ venialia etiam curat, de Animæ munditia plùs ſollicita quàm de corpore. Domin. 5. poſt Pentec.

2. *Non occides.* Triplex homicidium, aliud nocet, 1. vitæ Naturali, ſeu vi amorum, ſeu negatione alimentorum. 2. Aliud nocet vitæ civili, ſeu Famæ, eſtque Detractio. 3. Aliud vitæ divinæ, ſeu ſaluti, eſtque ſcandalum.

3. Ars Iraſcendi ſine peccato, ſtat in tribus circumſtantiis. 1. Prior reſpicit Cauſam ob quam quis iraſci poteſt, ſcilicet ob Deum offenſum. 2. Altera reſpicit Modum, quo iſtud licet, nempe non ultra rationem, aut contra Dei legem. 3. Ultima ad Tempus ſpectat, ut opportunè & tempeſtivè fiat.

4. Ira & odium quod eſt Iræ continuatio, triplicem Pacem turbant. Vid. Domin. 3. Quadrageſ. num. 4. & Domin. in Albis num. 1. Iſtud vitium 1. Deo diſplicet. 2. Diabolo placet. 3. Homini nocet. Reconciliari oportet, 1. ob Authoritatem Dei præcipientis. 2. ob Exemplum Chriſti iſtud facientis. 3. ob præmium condonationem conſequens.

Domin. 6. poſt Pentec. VI. Evangel. *Cùm turba multa eſſet cum Jeſu, nec haberent quod manducarent .... erant autem qui manducaverant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.* Marci 8.

1. *Miſereor ſuper turbam.* 1. De Providentia Dei; 2. de Fiducia in Deum 3. De Euchariſtia. 4. De Gula. Vide Dom. 4. Quadrageſ.

2. *Unde iſtos quis poterit ſaturare?* Vanitas Mundi. Vide Domin. 1. Quadrageſ. num. 6. Dom. 3. poſt Paſcha, num. 2. & num. 4. Domin. 4. poſt Paſcha num. 5.

Domin. 7. poſt Pentec. VII. Evangel. *Attendite à falſis Prophetis ..... intrabit in Regnum Cœlorum.* Matth. 7.

1. Hypocriſis in Juſtitia Phariſaica. Vid. Dom. 5. poſt Pent. Tribus rebus dignoſcitur. 1. Deſideriis malis. 2. Conſiliis perverſis. 3. Operibus vitioſis.

2. Cavere oportet à tribus falſis Prophetis. 1. à Mundo. 2. à Carne. 3. à Diabolo.

3. De Bonis operibus, vide Dom. Septuageſ. Tres conditiones debent reperiri in bono opere. 1. ut ſit de Re bona. 2. cum Intentione recta. 3. In tempore opportuno & modo congruo.

4. *In Ignem æternum mittetur.* Ille eſt 1. Acerbitate intolerandus. 2. Varietate ſuppliciorum multiplex. 3. Duratione æternus.

5. Conformitas voluntatis humanæ cum Divina, 1. *in Opere*, ut velit quod Deus vult. 2. *in Modo*, ſeu ratione qua Deus rem vult. 3. in Beneplacito, ut velit homo quod Deus vult ut ille velit ſeu exequatur.

Domin. 8. poſt Pentec. VIII. Evangel. *Homo quidam erat Dives, qui habebat villicum .... recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16.

1. Homo eſt Dei villicus: Diffamatur quaſi diſſipator à tribus Accuſatoribus. 1. Ab Angelis. 2. A propria Conſcientia. 3. A Peccatis ſuis. *Vel*, Homo tenetur reddere rationem, 1. de Bonis Animæ. 2. Corporis. 3. Fortunæ. *Vel*, Diſſipat 1. Bona Animæ naturalia, civilia, v. g. famam, & Moralia, id eſt, virtutes, & Gratias. 2. Bona Corporis facultates, Pulchritudinem, Robur, &c. 3. Fortunæ, Honores, Divitias, quibus malè utitur.

2. Uſus legitimus bonorum, 1. Animæ. 2. Corporis. 3. Fortunæ. 1. Ad Dei Gloriam. 2. Proximorum ſubſidium. 3. propriam ſalutem.

3. *Facite vobis Amicos de mammona iniquitatis.* De Eleemoſyna, Vid. Dom. Palm. num. 6. & Domin. 1. poſt Pentec. num. 1. 2. 3. Hanc 1. Natura docet. 2. Gratia jubet. 3. Gloria remunerat. Homo ad eam tenetur, 1. ut Homo Homini. 2. ut Chriſtianus Chriſto. 3. ut Beatitudinis candidatus. Vel ut, 1. Homo. 2. ut Peccator. 3. ut Juſtus.

4. Pru-

Digitized by Google

4. Prudentia ſæculi ſuo exemplo Filios Lucis 1. docet. 2. arguit. 3. damnat: quia 1. pretioſiùs æſtimant vilia, quàm Chriſtiani Grandia. 2. Studioſiùs deſiderant & requirunt vana. 3. Laborioſiùs comparant mala.

IX. Evangel. *Cùm appropinquaret Jeſus Jeruſalem; videns Civitatem, flevit... Et erat docens quotidie in Templo.* Luc. 19. Dom. 9. poſt Pentec.

1. Fletus Chriſti tria præſtat, 1. Commiſerationem pro afflictis docet. 2. Pœnitentiam pro peccatis noſtris ſuadet. 3. Lachrymas noſtras ſuo merito perficit. Eſt igitur Exemplum, Documentum, & Complementum.

2. Status peccatoris lachrymas Chriſti provocat, 1. ob imminentem punitionem. 2. ob præſentem Stuporem. 3. ob Auxilii divini negationem futuram. Ægrè ſcilicet Deus perdit Animam, 1. Divinitatis Imaginem, 2. Sanguinis Chriſti pretium. 3. Beatitudinis Hæredem.

3. Eccleſia, ſeu Templum eſt Domus Orationis; in qua, 1. *Subditi* Domino debitum officium pendunt. 2. *Miſeri*, ſuis calamitatibus ſubſidium reperiunt. 3. *Peccatores*, Gratiam & ſalutem ſperare debent.

4. Fit Spelunca Latronum, 1. per Simoniacos, qui ſacra vendunt aut emunt; illi ſunt injuſti erga Deum, cujus Authoritatem vocandi uſurpant; Erga Eccleſiam, cujus miniſteria prophanant; Erga proximum, cujus merita indignè tractant. 2. per Indevotos, qui debitam Deo reverentiam furantur. 3. per Avaros, qui ex Crucifixi pretio domeſticos reditus conſtituunt.

X. Evangel. *Dixit Jeſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tamquam juſti... qui ſe humiliat exaltabitur.* Luc. 18. Dom. 10. poſt Pentec.

1. Præſumptio reddit hominem, 1. Injuſtum, quia debitam Deo gloriam furatur. 2. Ingratum, quia Benefactoris ille obliviſcitur. 3. Temerarium, quia vias ſibi ad Gratiam præcludit.

2. Qua diſpoſitione oportet Templum ſubire? 1. *Corde contrito*, ut Reus, gratiam imploraturus. 2. *Humili habitu*, ut Miſer, ſubſidium emendicaturus. 3. *Affectu religioſo*, Majeſtatem Dei veneraturus.

3. De Superbia. Ejus 1. Cauſæ ridiculæ & vanæ. 2. ejus Effectus formidandi. 3. Remedia difficillima. Triplex ſuperbia, 1. Cordis, quod altiùs ſapit. 2. Oris, quo fit Jactantia. 3. Operis, quod ſupra id quod eſſe debet elevatur.

4. De Humilitate. 1. Nihil illa ſecurius. 2. Nihil æquius. 3. Nihil glorioſius. Eſt igitur Juſtum, Tutum, & Honeſtum humiliari: *Qui ſe humiliat exaltabitur.*

XI. Evangel. *Exiens Jeſus de Finibus Tyri.... ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Marci 7. Dom. 11. poſt Pentec.

1. Chriſtus Medicus, poteſt ſanare ægrotos, 1. omnes, ſine exceptione. 2. citò & facilè, ſine difficultate. 3. Integrè, gratis & jucundè.

2. Surditas eſt grande malum, curatur digito Dei, hoc eſt, Tribulationibus. Harum utilitatem vide Domin. 3. poſt Paſcha num. 1.

3. De Muto, Vide Dom. 3. Quadr. num. 2. & de Detractione. Ejus 1. Principium eſt vile & pudendum. 2. Effectus peſſimi. 3. Damna ad reſar-

ſarciendum impoſſibilia. *Vel.* Detractio inficit ac corrumpit, 1. Linguam Detractoris. 2. Aurem Audientis. 3. Famam abſentis.

4. *Bene omnia fecit.* De Bonis operibus, Vide Domin. Septuageſ. Vel, Silentium malum oritur ex triplici cauſa. 1. ex pudore, in Confeſſione. 2. ex Ingratitudine, in oblivione beneficiorum Dei. 3. ex ſuperbia, dum negligitur uſus orationis, qua neceſſaria humiliter petamus.

Dom. 12. poſt Pentec. XII. Evangel. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.... vade & tu fac ſimiliter.* Lucæ 10.

1. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis..* O vos felices præ omnibus, ò Chriſtiani! 1. ob Evangelii fideique manifeſtationem, teſtibus & miraculis innumeris probatam. 2. ob Gratias & ſubſidia Divina perpetuò præſtita. 3. ob Exempla Chriſti & Sanctorum ſemper propoſita.

2. Dilectio Dei. Hac virtute nulla eſt, 1. Excellentior. 2. Utilior. 3. Facilior. Vel, Dilectionis, 1. Motiva. 2. Media, ſeu Modus. 3. Signa, ſeu Effectus.

3. Dilectio Proximi. 1. *Motiva*, ſeu cur ſit amandus. 2. *Media*, ſeu quomodo. 3. *Signa* ſeu effectus. Vel amari debet, 1. quia Homo. 2. quia Chriſtianus. 3. quia Beatitudinis cohæres & ſocius.

4. Peccatum hominem, 1. Ligat, faciendo ſervum. 2. Spoliat gratia & virtutibus. 3. Sauciat & ægrotum deſerit. Chriſtus Samaritanus hominem, 1. Liberat à ſervitute. 2. Reſtituit illi veſtes & ornamenta. 3. Plagas illius ſanat.

Dom. 13. poſt Pentec. XIII. Evangel. *Cùm iret Jeſus in Jeruſalem.. Fides tua te ſalvum fecit.* Luc. 17.

1. *Occurrerunt ei decem viri Leproſi.* De Lepra peccati, vide Dom. 3. poſt Epiphan. Illa 1. corrumpit ſubſtantiam, id eſt, bona ſpiritualia. 2. maculat pulchritudinem. 3. odioſum & fugiendum peccatorem reddit.

2. Gratitudo eſt, 1. Juſta & honeſta. 2. Utilis & proficua. 3. Facilis & re modica proficitur. *Vel*, accepimus à Deo Fidem, Spem & Charitatem; pro tot beneficiis rependamus, 1. obſequium Intellectus Decretis Fidei, 2. Deſideria voluntatis promiſſis Spei. 3. Ardores Cordis Donis Charitatis.

3. Ingratitudinem 1. Natura ipſa redarguit. 2. Gratia damnat. 3. Gloria punit. *Vel*, 1. Injuſta eſt. 2. Noxia. 3. Infamis. *Vel*, Lædit 1. Deum. 2. Rempublicam. 3. Ingratum ipſum.

4. De Fide. Vid. Dom. 3. poſt Epiphan. Dom. 3. Quadr. num. 3.

Dom. 14. poſt Pentec. XIV. Evangel. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire..* uſque *hæc omnia adjicientur vobis.* Math. 6.

1. Servire Mundo eſt, 1. Pudendum. 2. Noxium. 3. Difficile. Vide Dom. 1. Quadr. num. 6. Dom. 3. poſt Paſcha, num. 2. Dom. 4. num. 5. Servire Deo, eſt, 1. Glorioſum. 2. Utile. 3. Facile.

2. De Providentia Dei. Vid. Dom. 4. Quadr. n. 1. De Fiducia in Deum. Ibid. num. 2.

3. De Dignitate Animæ. Vide Dom. 9. poſt Pentec.

4. De Salute. 1. Nihil eſt majoris momenti. 2. Nihil eſt Facilius. 3. Ni-

Nihil tractatur negligentius. De Avaritia, quæ 1. Religionem. 2. Juſtitiam. 3. Charitatem pervertit.

XV. Evangel. *Ibat Jeſus in Civitatem quæ vocatur Naim . . . Deus viſitavit plebem ſuam.* Luc. 7. Dom. 15. poſt Pentec.

1. Mors; 1. *Certa eſt*, quoad Decretum. 2. *Incertior*, quoad Tempus. 3. *Incertiſſima*, quoad Eventum.

2. Ars bene moriendi. 1. Vive Moriturus. 2. Attende Judicandus. 3. Spera & metue Compenſandus. Vel, 1. Cave ab imminente Morte. 2. proſpice Judicium. 3. Deſidera Cœlum.

3. Peccator ex delicto mortuus, ſuſcitatur 1. Chriſti voce, ſeu hortationibus. 2. Tactu, id eſt, Tribulationibus immiſſis.

4. Commiſeratio Chriſti. De Providentia vide Domin. 4. Quadrageſ. num. 1. vel de Amore Divino, qui eſt, 1. Æternus. 2. Immenſus. 3. Omnipotens.

XVI. Evang. *Cùm intraret Jeſus in domum . . . qui ſe humiliat exaltabitur.* Luc. 14. Dom. 16. poſt Pentec.

1. Hydropicus Avarum repræſentat. Vide Domin. 14. poſt Pentec. Vel Hydropiſis eſt Amor Mundanus, nam hic illius inſtar, 1. Faſtidit bona. 2. Appetit ſuperflua. 3. Congerit noxia.

2. *Si licet Sabbato curare?* Ita, licet Animam, 1. mundare per pœnitentiam. 2. Nutrire per Euchariſtiam. 3. Perficere per bonam operationem. Vel, Dies Dominicus tripliciter celebratur. Abſtinent ab operibus ſervilibus, 1. Alii ut occupentur rebus vanis & ludicris, eſtque *Dies Otioſus*. 2. Alii ut vacent peccatis, eſtque *Vitioſus*. 3. Alii, ut dedantur Divinis, eſtque *Chriſtianus*.

3. De ſuperbia, vid. Dom. 10. poſt Pentec. num. 3.

4. De Humilitate ibid. num. 4. Vel, Sententia Chriſti de Superborum humiliatione, ſancitur & firmatur in tribus Tribunalibus. 1. in Civili, ita enim ſapientes Judicant. 2. in Morali, ita Ratio & Leges docent. 3. in Divino, ita Deus ſtatuit & ſtatutum exequitur.

XVII. Evangel. *Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi; Et interrogavit eum unus ... neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.* Matth. 22. Dom. 17. poſt Pentec.

1. *Quod eſt Mandatum magnum in Lege?* Diligere Deum, eſt Magnum, 1. ob Excellentiam. 2. ob Extenſionem, quia omnes obligat. 3. ob Durationem, quia nuſquam ceſſat.

2. Deus amandus eſt, 1. ob Juſtitiam, quia eſt ſummum Bonum. 2. ob Gratitudinem, quia eſt Benefactor. 3. ob utilitatem, quia inde maxima oriuntur commoda.

3. Amandus eſt Deus, 1. ſemper, in omni tempore. 2. ubique in omni loco. 3. integrè, in omni opere.

4. Dilectio proximi. Vide Dom. 1. poſt Pentec. num. 1. Dom. 12. num. 3.

XVIII.

Dom. 18. poſt Pentec.

XVIII. Evangel. *Aſcendens Jeſus in naviculam transfretavit ... dedit poteſtatem talem hominibus*. Matth. 9.

1. Paralyſis à cerebro, ad morticem facultatem, ac tandem ad membra ſtuporem tranſmittit; In Peccatum, 1. obſcurat intelligentiam. 2. Deſiderandi vim minuit. 3. operationem denique præpedit.

2. *Videns Fidem illorum*. De Fiducia in Deum, Vide Domin. 4. Quadrag.

3. *Quidam de Scribis dixerunt*. De Invidia, 1. ejus cauſæ viles ſunt & pudendæ. 2. ejus Effectus Injuſti. 3. ejus Remedia difficilia.

4. *Tolle lectum tuum*. De Occaſionibus. Has fugere eſt, 1. Actus Fortitudinis. 2. Sapientiæ propoſitum. 3. Neceſſitatis & Juſtitiæ obligans præceptio.

Dom. 19 poſt Pentec.

XIX. Evangel. *Loquebatur Jeſus cum Diſcipulis ..... multi ſunt vocati, pauci electi*. Matth. 22.

1. Eucharisticum Convivium. Vide Domin. 2. poſt Pentec. num. 1.

2. Indigna Communio ſeverè punitur, quia peccator eſt, 1. Perfidus. 2. Irriſor. 3. Sacrilegus: pejor Juda, Judæis, Gentilibus ac Tortoribus.

3. Vanæ excuſationes. Vide Domin. 2. poſt Pentec. num. 2. 3. 4.

4. Paucitas ſalvandorum. Vide Domin. 2. Quadrag. num. 1. Ignis Inferni. Domin. 7. poſt Paſcha.

Dom 20 poſt Pentec.

XX. Evangel. *Erat quidam Regulus ... Credidit ipſe, & domus ejus tota*. Joan. 4.

1. Cura Patrum de Filiis, Dominorum de Servis. Vide Domin. 3. poſt Epiph.

2. Christianis pudendum eſt quod poſt tanta Signa, 1. Fide adeo modica Deo credant. 2. Spe adeo infirma in Deum confidant. 3. Charitate tam tepida Deum ament.

3. Chriſtus Medicus. Vide Domin. 11. poſt Pentec.

4. De Fide. Vide Dom. 3. poſt Epiphan. Dom. 1. poſt Paſcha.

Dom 21. poſt Pentec.

XXI. Evangel. *Simile eſt Regnum Cælorum Homini Regi, qui voluit rationem ponere cum Servis ſuis ... ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Matth. 18.

1. Vide Villicum Domin. 8. poſt Pentec.

2. Condonatio injuriarum eſt, 1. Glorioſa. 2. Utilis. 3. Facilis, quia conformis eſt Cordi, cujus vita amor eſt, & Dei præceptum eſt ſuave.

3. Injurias remittere tenemur, 1. ob Authoritatem Dei id jubentis. 2. ob Exemplum Chriſti condonantis. 3. ob prēmium condonanti promiſſum.

4. Debemus reconciliari Inimicis. 1. Corde; amando. 2. Ore; verbo & precibus. 3. Opere, auxilium, & Chriſtiana officia exhibendo.

Dom. 22. poſt Pentec.

XXII. Evangel. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent Jeſum in ſermone .... Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Matt. 22.

1. Mundana Sapientia inſidiatur Divinæ. Vide Dom. 3. poſt Paſcha nu. 2. 3. Domin. 4. num. 3. 4. Domin. 8. poſt Pentec. num. 4. Quia illa eſt

1. Su-

1. Superbia, iſta humilis. 2. illa Avara, iſta omnibus renuntiat. 3. illa Voluptuaria, iſta mortificata.

2. Debemus Deo, 1. Timorem filialem. 2. Proximo Amorem Patris. 3. Nobis ſeveritatem Judicis.

3. *Cujus eſt Imago?* Dei. 1. Delineatur & inchoatur per Naturam. 2. formatur & firmatur per Gratiam. 3. perficitur & conſummatur per Gloriam.

4. Hypocriſis. Dom. 5. poſt Pentec. num. 1. Dom. 7. num. 1.

XXIII. Evangel. *Loquente Jeſu ad turbas, ecce Princeps unus acceſſit... & exiit fama hæc in univerſam terram illam.* Matth. 9. Dom. 23. poſt Pentec.

1. Parentum cura de Filiorum damno temporali major eſt quàm de ſpirituali & æterno. Iſtud eſt; 1. Injuſtum. 2. Imprudens. 3. Noxium. Vide Dom. 5. poſt Epiph.

2. Mors triplici jure ſtatuitur. 1. Naturali. 2. Divino. 3. Humano. Vide Dom. 15. poſt Pentec. num. 1. 2. 3.

3. Chriſtus Medicus. Vide Dom. 11. poſt Pentec. num. 1.

4. Fidentia in Deum. Vide Dom. 4. Quadrageſ. num. 2.

XXIV. Evangel. *Cùm videritis Abominationem deſolationis ... verba autem mea non præteribunt.* Matth. 24. Dom. 24. poſt Pentec.

1. De Peccato prophanante Animam, quæ eſt Templum Dei. Tria damna cauſat. 1. extinguit Lucem, ſeu Gratiam Intelligentiæ quæ eſt lucerna animæ. 2. diripit & ſpoliat virtutum Theſauros. 3. Idolum colendum porrigit, id eſt, vitia & Dæmonem.

2. Pœnitentia non eſt differenda; quia difficilior eſt; 1. ex parte Dei, ob contemptum irati. 2. ex parte Dæmonis, ob iteratos actus firmati. 3. ex parte Peccatoris ob habitum obſtinationis.

3. *Væ Prægnantibus.* Væ deſideriis bonis quæ non ſortiuntur effectum, quia, 1. hinc Deus indignatus incipit vomere Tepidum. 2. Dæmon Otioſo ſuggerit malum. 3. Deſes ex ſuo pondere labitur ad ſcelera, ſicque ſui oblitus intercipitur à morte.

4. Judicii Externi præſagia, 1. Juſtos lætificant, quia mercedem brevi dandam pollicentur. 2. Peccatores terrent, quia pœnas mox decernendas minantur.

ARTICULUS IV.

Dominicæ ab Adventu ad Nativitatem.

I. EVANGEL. *Erunt Signa in Sole, & Luna ... verba autem mea non tranſibunt.* Lucæ 12. Domin. 1. Adventus.

1. *Erunt Signa.* Horoſcopus conjicit triplex Signorum officium. 1. Creaturæ accuſant Peccatorem. 2. Teſtantur adverſus Peccatorem. 3.

Torquent Peccatorem. Accuſant, quia futuræ ſunt Damni nonnihil participes. Teſtantur, quia præſentes fuere. Cruciant, quia Dei cauſam vindicant & ſuam.

2. In Sole, Luna & Stellis obſcuratis, conjicitur, 1. Chriſtus abſque miſericordia. 2. Maria abſque commiſeratione. 3. Sancti, cùm Angeli, tum homines Beati, abſque Interceſſione.

3. Ex his conjicitur iterum triplicis virtutis extinctio. 1. Fidei. 2. Spei. 3. Charitatis. Dolebunt homines de perverſo harum virtutum uſu: quòd 1. non crediderint rebus per fidem cognitis. 2. quòd non aſſequuti fuerint bona per ſpem promiſſa. 3. quòd non dilexerint amanda.

4. Judicis Chriſti conditiones formidandæ. Ille eſt, 1. Omnipotens. 2. Iratus. 3. Perſpicax & omniſcius..

5. Reus Homo, 1. Citabitur. 2. Examinabitur. 3. Judicabitur.

6. Ibi erit Rei, 1. Convictio ſine excuſatione. 2. Confeſſio ſine abſolutione. 3. Dolor ſine Pœnitentia, ſeu ſine ſatisfactione.

Domin. 2. Adventus. II. Evangel. *Cùm audiſſet Joannes in vinculis .... qui præparabit viam ante te*. Matth. 11.

1. Veritas captiva ſub tribus vinculis. 1. Mendacio. 2. Adulatione. 3. Hypocriſi. *Vel*, ſub timidis & ignavis, 1. Paſtoribus. 2. Prædicatoribus. 3. Judicibus.

2. Tribulationes quantum proſint Juſtis, 1. ad Patientiæ Exemplum. 2. ad Probationem. 3. ad Meritum. Vide ſupra de Patientia.

3. Mundus nunc gaudet, dum triſtantur & vexantur Sancti, ſed vice verſa, Juſti, 1. gaudebunt, dum ille triſtabitur. 2. ditabuntur, dum ille fiet pauper. 3. exaltabuntur iſti, humiliabitur ille. Vide Dom. 3. poſt Paſcha & ſeq.

4. Joannis præconium vide in Panegyricis, menſe Junio.

5. *Mollibus veſtiuntur*. Veſtium Luxus, injurioſus eſt, 1. Chriſtianæ humilitati ac modeſtiæ. 2. Juſtitię & Charitati. 3. mortificationi & pœnitentię.

6. De Chriſto Judice venturo. 1. Ipſi, ad Gloriæ reſtitutionem. 2. Juſtis, ad conſolationem. 3. Peccatoribus, ad confuſionem.

Domin. 3. Adventus. III. Evangel. *Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis .... ubi erat Joannes baptizans*. Joan. 1.

1. *Tu quis es?* Cognitio ſuiipſius. 1. In Natura, eſt opus & Imago Dei. 2. in Gratia, eſt pretium & acquiſitio Chriſti. 3. in Gloria, eſt poſſeſſor & cohæres Dei. *Vel*, 1. reſpectu Dei, eſt ejus Imago. 2. reſpectu Angeli, eſt ejus ſocius. 3. reſpectu aliarum Creaturarum, eſt eorum Dominus.

2. *Non ſum*. Vide in Panegyricis menſe Junio.

3. *Ego Vox Clamantis*. Conſcientia eſt naturale Tribunal, in quo homo, 1. accuſatur. 2. judicatur. 3. torquetur. Illa obit vices, 1. Teſtis, 2. Judicis. 3. Tortoris.

4. *Medius veſtrum ſtetit*. De Præſentia Dei. Vide...

5. Humilitas reſtituit bona quæ ſuperbia abſtulerat. Pacem, 1. cum Deo. 2. cum

2. cum Proximo. 3. cum ſeipſo. Vide Domin. 1. poſt Paſcha.

6. Baptiſmus pœnitentiæ, 1. lavat Peccati maculas. 2. pœnas tollit, 3. Præmium meretur.

IV. Evangel. *Anno quinto decimo Imperii Tyberii.... Videbit omnis caro Salutare Dei*. Lucæ 3. Domin. 4. Adventus.

1. *Parate viam Domini*. Deus ad nos venit affectu, 1. Amoris. 2. Sanctitatis. 3. Humilitatis. Totidem viis occurrimus Deo. 1. Deſiderio & Gratitudine. 2. Munditia & Sanctitate. 3. Abjectione & mortificatione.

2. *Vox Clamantis*. De Conſcientia, Vide Domin. 3. Adv. num. 3.

3. *Omnis vallis implebitur*. De Humilitate. 1. Grata eſt Deo. 2. Honoratur ab hominibus. 3. Proficit Humili. *Vel*, eſt 1. Virtutum mater & Cuſtos. 2. Gratiarum Illex & Theſaurus. 3. Gloriæ Pignus & Menſura.

4. *Omnis collis humiliabitur*. De Superbia. Vide Domin. 10. poſt Pentec.

5. *Videbit omnis Caro Salutare Dei*. Optandus ille Dies, quo dabitur Salutis, 1. Mediator. 2. Doctor. 3. Exemplum.

6. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. Ex Tertulliano Pœnitentia eſt nummus quo debita Deo ſolvuntur, & in eo cavendum eſt, 1. ne ſit *Adulter*, ſeu falſus. 2. *Abraſus*, ſeu lenior. 3. *Scalptus*, ſeu circumciſus. Ita Pœnitentia ſit, 1. *Vera*, non ficta. 2. Auſtera & *doloroſa*, non mollior. 3. *Integra*, non præfecta & decurtata. Vel, Pœnitentia eſt Sacrificium Juſtitiæ, in quo tres victimæ immolantur, 1. *Honor* per confeſſionis pudorem. 2. *Oblectamentum* per Contritionis Dolorem. 3. *Commodum*, per ſatisfactionem.

MONITUM.

EN Lector Benevole, pluſquam ducentas quinquaginta Concionum Ideas & Partitiones, ſingulis per annum Dominicis diebus tractandas. Præmonui non ideo à me hìc præſcribi Leges cuiquam, quaſi hæc propoſita debeat ille verſare neceſſariò; Nemini certè quidquam ſtatuere præſumo; Liberum eſt omnibus, alia propoſita, aliaſve Diviſiones, ingenioſiùs & artificioſiùs excogitare. Has Partitiones protuli, prout conceſſum eſt mihi variis in locis & opportunitatibus, eaſdem pro ſuggeſtu tractare: voluiſſem Ideas fuſiores & ſuis ſubdiviſionibus ac rationibus locupletes tradere: ſed abſtinui, ne in immenſum excreſceret Liber, methodo magis quàm rebus dedendus. Sat mihi viſum eſt, Eccleſiaſtam monere de iis, quæ per Evangelia Dominicalia videntur ad Eccleſiæ intentum & plebis utilitatem convenientiùs expendenda. Arbitror tamen præfatum Idearum Indicem non cariturum ſuo fructu, cùm ex iis diſcere poſſit Eccleſiaſtici muneris Candidatus, formam & Exem-

plum Partitionum; immo in iis, uſus ſum verbis, quæ ſenſu concionis integræ gravida, intelligenti committunt fœtum, & variis modis explicata diverſas & diſtinctas Ideas oſtendunt.

Deſideraret fortaſſe cupidior Eccleſiaſta, ut pari methodo prodidiſſem Ideas pro Diebus Adventus, Quadrageſimæ, & Octavarum. Ultro feciſſem ſatis deſideranti, niſi obſtitiſſet (ut dixi) brevitatis ſtudium. Paucis tamen indicabo, quid in ejuſmodi propoſitis tractaverim. Adventum ſub triplici forma ſeparatim expendi. *Prior eſt de Juſtitia* Chriſtiana, hoc eſt, quid Chriſtianus debeat, *Deo*, *Proximo*, *& ſibi*, tam quoad Corpus quàm quoad Animam. Altera forma exhibet Antiochum Prophanatorem & Machabæum Inſtauratorem; Ille Templum Dei, id eſt, Animam, prophanat per vitia; iſte inſtaurat per virtutes oppoſitas. Poſterior eſt de Juſtitiæ Tribunalibus quatuor, videlicet, Divino, Civili, Eccleſiaſtico & Naturali. Audivi celebres aliquot Oratores, quorum iſta erant propoſita. Aliqui Deſtructione Civitatis Jericho, pingebant ruinam Animæ per peccatum. Alii deſolationem urbis Jeruſalem faciebant Peccatoris puniendi figuram. Alii per peccatum & Pœnitentiam Davidis, ſignificabant varios ſtatus Hominis Peccatoris & Pœnitentis. Alii Moralem Chriſtianam explicant. Alii viam ſalutis docent, &c.

Quadrageſimalia Evangelia diverſis propoſitis abundant.

Octavam triplicem de SS. Sacramento compegi. Prior aperit Inventiones Amoris Divini, qui omnia Divinitatis Attributa manifeſtat in Euchariſtia. Altera exhibet Chriſtum Medicum, qui per Euchariſtiam medetur vitiis. Tertia Doctorem proponit, ut omnium virtutum Exemplar à Chriſto in Euchariſtia ducatur.

LIBER QUARTUS.

EXERCITATIONES

ELOQUENTIAE MULTIFORMIS

SEU

ARS VARIANDI CONCIONES in plures & diverſas Formas.

PRÆLOQUIUM.

FASTIDIOSUM eſſe iiſdem ſemper Dicendi Formis uti, omnes fatentur Oratores, & quemadmodum ex repetitis ejuſdem condimenti cibis palatum nauſeare dicunt: ita cenſent, Auditores ob frequentius iteratas ſimilis formæ conciones, in tædium verti: immo plurimos, Orationes ex earum apparente ſpecie potiùs quàm ex re & natura penſantes, arbitrari aliquando ſimiles eſſe, quæ tamen ſenſu diverſiſſimæ non niſi ſtructuræ ſimilitudine conveniunt. Eamobrem operæ pretium me factu- rum ſuſpicatus ſum, ſi traderem methodos aliquas quibus variari queant ejuſmodi Concionum Formæ. Ea certè Varietas, oſtendet quidem Oratoris Eruditionem & Induſtriam, ſed (quod Eloquentiæ ſcopus eſt) recreando Audientium mentes Varietatis ſtudioſas, iis veritatem propoſitam jucundius ac feliciùs inſpirabit. Adverte alteram hujus Varietattis utilitatem: videlicet, quòd ſi artificioſè tractetur, non mediocriter illa nonnunquam occurrat indigentiæ Prædicatoris, penuria forſitan laborantis: eædem enim rationes, eademque argumenta poterunt eſſe uſui ad verſandum idem propoſitum, modò Forma varietur. V. g. quæ ad ſuadendum Pœnitentiam ſub forma Concionis Deliberativæ profuerant, eadem illam ſtatuent ſub Forenſis orationis, aut Conſultationis, aut Dialogiſmi forma. Eſt igitur iſtius quarti Libri ſcopus ille, Artificium docere quò poſſint Conciones integræ variari. Eas Methodos trado, quæ mihi ſunt familiares, iis utetur, vel etiam novas adjiciet Inventiones Eccleſiaſta, prout Ingenium & induſtria conceſſerint. Utilitas variandæ methodi Concionum.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

De Forma Concionum Partitiva, ſeu quæ fit per Diviſiones,

I. NON opus eſſet hujus Formæ Partitivæ mentionem facere, niſi illa veluti cæterarum caput & fundamentum, iis præmitti deberet: paucis tamen ejus tractatio abſolvetur, quia *pluries in toto* hoc opere de illa actum eſt, maximè in prima Parte Lib. 3. cap. 4. *pag.* 144. ubi de Diviſionum utilitate, fontibus, & formis. Nonnulla commoditatis cauſa repeto.

Fontes unde Diviſiones ducuntur.

II. Fontes Diviſionum ſunt in magno numero, vix enim aliquid eſt notatu dignum, quod caput & ſummam quæſtionis non poſſit ſtatuere. En præcipuos Partitionum Locos. Primò per Evangelii vel præcipuas partes, vel potiora propoſita, vel digniores ſententias. Vide locum citatum pag. 149. Secundò per diverſas Rituum Eccleſiaſticorum circumſtantiam. *Ibid.* Tertiò, ſolemnis eſt Partitio, quæ fit per diverſa Probationum genera, v. g. à Scriptura Sacra; à Patribus; à Ratione; ab Exemplis. Quartò, à Genere. 5. à Specie. 6. à Cauſis. 7. ab Effectis. 8. à Subjectis. 9. ab Incitamentis. 10. à Proprietatibus rerum. Vide ibid. pag. 150. Undecimò, ab Enumeratione Partium. 12. ab Adjunctis. 13. à Comparatione unius cum altero. Ibid. pag. 151. Decimo quartò, ab Aſſertione unius & Negatione alterius. 15. à Mirabili. 16. à Problemate. 17. à Quæſtione. Ibid. pag. 152. Decimo ſextò, à variis Statibus quos aliquis geſſit. 18. à Modo quo res peracta eſt, vel peragi debet. 19. ab Officiis & Debitis, quæ tenetur quis reddere. 20. ab Affectibus qui in aliquem ſcopum conſpirant. Ex his, inquam, & ſimilibus Locis duci poſſunt innumeræ Diviſiones, ſeu illæ ſint ſimplices, V. g. fuit *Juſtus*, *Pius*, *Sobrius*; ſeu conjungantur Adjectivum & Subſtantivum, v. g. *Præſtans Juſtitia*; *Inſignis Pietate*; *Commendabilis Abſtinentia*, ſeu notetur res ad quam attributum ſpectat. v. g. *Pius erga Deum*; *Juſtus erga proximum*; *Sobrius erga ſeipſum*, ſeu adjiciatur oppoſiti defectus excluſio, v. g. *Velox ſine dilatione*; *Integer ſine exceptione*; *Conſtans ſine recidiva*. Vide locum ſupra citatum in Prima parte.

Uſus Diviſionum.

III. Liberum eſt Diviſionem conſtituere ex duobus aut tribus membris, aut etiam ex quatuor. Commodior, & ad probandum habet nonnihil majoris efficacitatis, quæ duabus tantùm conſtat partibus. Elegantior eſt nunc temporis frequentior, Trimembris. Rarior, & brevioribus punctis languidior eſt, quæ fit ex quatuor capitibus. Quæ debeant eſſe Partitionum conditiones, vide loco citato. Addo ſolùm, unam partem non debere alteriùs ſenſum complecti, ſed ab illa ſenſu & verbis differre; Item debere verbis paucioribus, elegantioribus, & aliquid magni ſpondentibus enuntiari.

IV.

IV. De Subdiviſionibus ibidem dictum eſt, ab aliquibus improbari, à cæteris verò uſurpari. Poſteriorum uſum amplecti viſus ſum; ſed cum illa cautione, ut antevertantur duo incommoda, prolixitas & languor. Prolixitatis remedium indicavi; ſi propoſitio quæ puncti vel partis caput ſubdividendum conſtituit, paucis abſolvatur, & à Confirmatione rejiciantur ſuperflua, ut neceſſariis tantùm detur locus. Languorem facilè vitandum eſſe dixi; ſi omnes Subdiviſionis partes intentum probent, & in eumdem ſcopum ita directè conſpirent, ut ſint potiùs rationes probationem ſimul efficientes, quàm membra totum aliquod partientia: deinde, ſi varientur Figuris & Tranſitionibus concinnis & acribus, quæ teporem ex conciſioribus & frequentioribus partibus inducendum præpediant. Cætera ex Prima parte repete. De uſu Subdiviſionum.

ARTICULUS II.

De Forma Gradaria ſeu de Concionibus, quæ per Gradus & Climaces ſucceſſivè increſcunt.

FORMA Concionum quam Gradariam dicimus, nomen traxit ab ipſa rationum ſeu argumentorum diſpoſitione, quæ probationes alternatim per ſucceſſiva incrementa ordinat, ita ut priori poſterior aliquid ſuperaddens, ferè ad inſtar ſcalæ gradum gradui imponentis, Auditorem pellicit per Auxeſes & Climaces, hoc eſt, ſuaſionibus gradatim increſcentibus Auditorem ad veritatis amplexum trahat. Forma Gradaria quid ſit.

Non caret venuſtate iſta dicendi forma, immo plurimùm efficacitatis habet ad ſuadendum, cùm ſingulas rationes in idem ſcopi punctum dirigens, nequaquam illas ab eo diverti patiatur. Non minima tamen ſolertia indiget, ne tædium pariat oratio ſimilitudinem & æqualitatem ſtyli præ ſe ferens ſemper; ideoque adhibenda eſt maxima & elegantiſſima Figurarum & Tranſitionum varietas, quæ ſatietati faſtidioque medeatur. Quod ad praxim ſpectat; Utilitas Climacis.

Exordium, & Introductio hujus Formæ nihil ſpeciale habent, quo ab aliis Orationum Formis differant, pari enim ſtruuntur methodo: ſola ergo Concionis partitio, quæ in hac Forma numerum aſſuetum non ſervat, alias ab iſta diſtinguit; unico nimirum conſtat Puncto Gradaria oratio, cui totum ſuaſionis artificium innititur. Probationes alias non adhibet, quàm in aliis formis uſurpari ſolitas; ſed illas (ut dixi) ita ordinat, ut ſequens præcedenti vim & efficacitatem aliquam adjiciat; deinde ab uno argumento ad aliud ſuaviter & induſtriè progredi debet Eccleſiaſtes; quod præſtabit, ſi quibuſdam Tranſitionum formis uſus fuerit, quæ orationis per gradus increſcentis probationes variando ab Uſus Gradariæ Formæ.

æqua-

æqualitate vendicent. Sunt autem hæc frequentiores Tranſitionum formæ, ſequentibus aut ſimilibus verbis exprimendæ.

Tranſitiunculæ communes.

Tritior & vulgatior Tranſitio fit Enumeratione ſingularum rationum. V. g. *Prima ratio id probans eſt*, &c. *ſecunda ratio eſt*, &c. *tertia*, &c. & ſic ſucceſſivè appellando ſingulos rationum numeros. Id tamen incommodi videtur habere hæc methodus, quòd ubi numerorum multitudo increvit, nonnihil dedeceat numerum toties repetitum pronuntiare. Verba tranſitionibus exprimendis uſurpari ſolita, ſunt hæc; quæ rationi proferendæ præmittuntur; *Addo*, *Adjicite*, *Iterum*, *Ulteriùs*, *Deinde*, *Poſtea*, *&c.* Item non ineleganter tranſibit Eccleſiaſtes Gradarius ſi dixerit, *Quæ huc uſque protuli negotium ſatis conficiunt, at quæ modò dicturus ſum, rem omninò planam & liquidam efficient, &c. Hæc ratio quam mox adduxi, ad aliam fortiorem facit gradum, &c. Alteri meliori dedit anſam, &c.* Item. *Magna fortaſſe videntur iſta, Majora & fortiora audite, &c.* Item, *Cedo gratis, ut dictorum obliviſcamini, modò ad dicenda attendatis, &c.* Hæ, inquam, & ſimiles Tranſitionum formulæ adhiberi poterunt varietatis cauſa; ſed elegantiores omninò erunt, quæ variis figurarum formis fient: at harum exemplar cùm à propoſito tractando & ab oratoria induſtria ferè ſemper pendeant, exercitio & uſu indigent magis quàm typo & ſchemate. De Tranſitionibus actum eſt in 1. Parte Lib. 4. cap. 4. art. 2. 3.

Epilogus tandem claudetur Tropologica peroratione, quæ vim ex præmiſſis rationibus ſugens unam aut alteram concluſionem ſeu Illationem ad Morum informationem convertat.

Exemplum Gradariæ Concionis. Exordiũ

Compendiarium Gradariæ formæ Exemplar, ſit de Charitate erga Deum ſuadenda ob hujus virtutis Nobilitatem.

Them. *Diliges Dominum Deum tuum*. Luc. 10. 25.

„ EXordii Compendium. Res admiratione digna, vobis, hodie propo-
„ nitur N. Deus ſui Amorem Creaturis jubens & Amantes compen-
„ ſans. Sat foret homini, vermiculo, &c. Amorem permiſiſſe; at præce-
„ piſſe, & amantibus ſpopondiſſe præmium, videtur extra fidem & omni-
„ no difficile creditu, &c. Quis non ſtuperet ſi è Regibus potentiſſimus ali-
„ quis, cæteris omnibus primæ ſortis ac pulchritudinis Virginibus dimiſ-
„ ſis, ad vilem & ſordidam demitteretur, quam ad amorem non ſolùm,
„ ſed & ad Thorum nuptialem vocaret? &c. Foret quidem illud ſtupore
„ dignum, &c. at longè magis ſtuporem meretur, quòd Deus omnium
„ Creator, dimiſſis Angelis, & perfectioribus adhuc Creaturis, quas è ni-
„ hilo poterat producere omni decore præſtantes, &c. participem ſui amoris
„ faciat Animam humanam, abjectum, ſqualidumque mancipium, &c.

Iſtud

Digitized by Google

Iſtud nihilominus præſtitit Deus, nec ab ea diligi permiſit tantùm, ſed juſſit & amori mercedem promiſit, &c.

Adeo ſanè res illa ſtuporem meretur ut vix fidem haberet, niſi Deus ipſe verbis diſertiſſimis hanc teſtatus dubium omne ſuſtuliſſet, &c. En reſponſum Chriſti, &c. *Diliges, &c.* Dignum prorſus explicatione prodigium! Hujus explanationi præſentem Concionem Deo dante impendemus, &c. *Ave Maria, &c.*

Introductio.

Introductionis ſumma præcepti de Charitate magnitudinem expendet, his aut ſimilibus verbis.

Audiſtis ſæpiùs N. à Chriſto dictum fuiſſe, maximum Charitatis Mandatum; at hujus aſſertionis rationem fortaſſe non ſatis attendiſtis: Quì fit ergo, ò Chriſte, ut Charitatis mandatum voces primum & maximum? &c. an non præceptum de Fide, de Spe, &c. erit primum & ſummum? &c. de rei veritate ne dubitetis quandoquidem Chriſti aſſertione nititur, at rationem intelligite.

Plurimæ quidem ſunt hujus Effati rationes, ſed ut citiùs curioſitati omnium faciam ſatis, unicam proferam Concionis hujus veſtræque attentionis unicum ſcopum, ſcilicet Charitatis Divinæ dignitatem; hanc (prout Deus ipſe dederit) conabimur hodie verbis & argumentis metiri. Eſtote Attenti.

Punctum unicum de Charitatis Excellentia.

Rationes de Charitatis præſtantia.

1. A Subjecto.

1. CHaritatis dignitatem inveſtigaturi, à nullo fonte ordiemur meliùs quàm ab ipſius ſubjecto, quod eſt voluntas cæteris animæ facultatibus præſtantior, &c. Cordi Charitas infingitur, unde illa trahit imperium quod in reliquas animæ facultates obtinet, &c.

2. Ab Objecto.

2. *Adde* virtutis hujus objectum ſcilicet Deum, à quo dignitatis palmam meretur. Cæteræ quidem virtutes ad Deum ordinantur, ſed ex his nulla hominem reddit Deo conjunctiorem quàm Charitas, &c.

3. Ab Effectibus.

3. Charitatem cum cæteris virtutibus comparate & illam iſtis uſquequaque præſtare comperietis. 1. Charitas virtutes cæteras ſuo ſinu, ceu germen radixve folia, flores ac fructus arboris complectitur; unde ipſa eſt Miſericordia, quæ aliorum calamitatibus compatitur; Patientia, quæ illatas injurias conſtanter excipit, &c. 2. Charitas aliarum virtutum finis eſt & corona; Ideo enim credimus Deum ut diligamus, &c. nec meritum aliquod habet omnis alia virtus abſque Charitate. *Finis præcepti Charitas*, 1. Timot. 1. Item, *Sine Charitate nihil ſum*, ajebat idem Paulus 1. Cor. 13. 3. Charitas æternitate præcellit 1. Cor. 14. *Charitas numquam excidit, &c.* 4. Eſt Anima & Forma cæterarum virtutum, quibus illa operationem præſtat & ſplendorem, &c. 5. Cæteræ quidem virtutes poſſunt à peccatoribus haberi, &c. at Charitas à nullo, niſi fuerit Juſtus, unde D. Auguſt. de laud. Charit. ait, *Habere omnia Sacramenta & malus*

„ *eſſe, homo poteſt, habere autem Charitatem & malus eſſe, non poteſt*. 6. So-
„ la denique Charitas Chriſti Diſcipulos ab aliis diſcernit, Joan. 13. *In hoc*
„ *cognoſcent omnes quia Diſcipuli mei eſtis, &c.* non utique diſcernit fide, mi-
„ raculis, &c. ſed Amore. Ex vitis SS. Patrum habetur, quòd aliquando
„ Dæmon B. Machario apparens fuerit faſſus ſe ab illo ſuperatum, non qui-
„ dem jejuniis, vigiliis, &c. ſed Charitate quam ille habere nullatenus
„ poſſet. Unde D. Auguſt. Lib. 15. de Trinitat. *Charitas eſt donum excel-*
„ *lentiſſimum, quod ſolum diſcernit inter filios regni & filios perditionis*.

Tranſitio. „ 4. *Magna equidem ſunt iſta quæ in Charitatis commendationem diximus,*
„ *at his longè majora audite*. Digniſſima ſunt profectò Creatoris opera quæ
„ ad Mundi ornamentum condidit, &c. Digniſſimus homo, digniſſimus
„ Angelus, &c. At ſi his Charitas comparatur, utrum alteri præferendum
„ cenſetis? An Mundus, iſto etiam perfectior? &c. Nequaquam; ſed his
4. A Dignitate. „ omnibus millies repetitis, Charitas præſtat. Ratio eſt quia hæc omnia
„ quæ Mundi ſunt, naturalis, ideoque inferioris ſunt ordinis, at Chari-
„ tas cùm ſit ſupernaturalis & ſuperioris ordinis, illis ſemper dignitate eſt
„ anteponenda. Philoſophorum placitum, *inferiùs ſupremi præſtat ſuperio-*
„ *re Infimi*. Pluris ergo facienda eſt Charitas univerſo Mundo, & minus
„ foret detrimenti, ſi Elementa, Plantæ, Bruta, Homines, Angeli,
„ &c. perirent, quàm ſi Charitatis vel minimus peſſundaretur gradus, &c.
„ hæc ratiocinanti liquent.

5. A Comparatione. „ 5. Dicam, quod vobis fortaſſe mirabile dictu videbitur, quod nihi-
„ lominus veriſſimum eſt, Charitatem ſcilicet Beatitudini præferendam.
„ Scio hanc illa ſuperiorem, quòd amitti nequeat; Charitas verò ceſſare
„ poſſit; & revera ſæpiùs per peccatum ceſſet: At ſi res ipſæ ex Beatorum
„ æſtimatione penſentur, mallet Beatus quiſque felicitatis voluptate carere
„ quàm Charitate, &c. Ratio petitur ex eo quòd Charitas Amantem Ama-
„ to uniat, &c. nullus autem Beatorum velle poſſit ob quodcumque aliud
„ commodum à Deo ſejungi, &c.

6. Ab Incredibili. „ 6. *Ulteriùs audite* quod præfatis omnibus majus, Charitatis dignita-
„ tem magis declarat. Maternitatem B. Virginis, immo Unione Hypo-
„ ſtatica dignior, ſaltem aliquatenus, Charitas exiſtit; Ideoque (facta
„ hypotheſi nuſquam ſortitura effectum) ſi B. Virgini, ſi Chriſto homini,
„ daretur optio alterutrum ſeligendi; ſcilicet vel Maternitatem, ſeu unio-
„ nem Hypoſtaticam abſque Charitate, vel Charitatem abſque illis; B.
„ Virgo Charitatem Maternitati; eandem Chriſtus unioni *Hypoſtaticæ*
„ libentiſſimè præferret, &c. Ratio eſt, quia cùm nihil ſit Peccato pe-
„ jus, ita Charitate, nihil melius, &c. *Deus Charitas eſt*. Joan. 3. At
„ in caſibus præfatis, licèt (ut dixi) impoſſibilibus, fingitur Charitas
„ ſeparata ab unione Hypoſtatica, vel Maternitate, & cum illis ita
„ ſeparatis à Charitate, comparanda; tunc certè hæc illis præponere-
„ tur, &c.

Epilogus. „ *Epilogus*. Quid jam de Charitate cenſetis, ò Auditores? an credidiſ-

ſetis

ſetis tantam hujus virtutis dignitatem? Patet nihilominus ex præfatis, „ quanti valeat, &c. At quid utilitatis inde reportare licet? Tria omnino „ memoranda inferenda videntur. *Primum* eſt, ut nihil perpetremus un- „ Moralitas. quam quo Charitas lædatur, cùm enim rebus omnibus ſit potior, ut au- „ diſtis, præſtat perire univerſa, quàm vel minimum Charitatis, &c. *Alterum*, ut malit homo Charitatis dono frui in mediis Inferni flammis, quàm „ Charitate privatus deliciis abundare, &c. *Tertium* denique concludendum, „ eſt, ut pro Charitate obtinenda laboremus tantùm, quantùm pro Beati- „ tudine, &c. quantùm pro Deo poſſidendo, &c. „

Heu! quàm peſſimi rerum æſtimatores ſumus qui Charitati præferimus „ omnia etiam viliſſima, &c. quid enim eidem non præponimus? &c. Di- „ ceret merito aliquis, eò dementiæ deveniſſe homines ut ſacrilega conten- „ tione cum Deo decertantes nitantur eò magis Charitatem contemnere, „ quò pluris ille eamdem facere videtur, &c. ò magna Dei de Charitate æ- „ ſtimatio! ò peſſima hominum de Charitate opinio! &c. „

Hìc (ut intuenti patet) ſummatim & compendiariò attigi præcipua quibus Charitas commendari poteſt capita per gradus increſcentia, ut Formæ Gradariæ Methodum & Tranſitiones indicarem in exemplo: facillimum erit cuilibet ſimilem concionandi Formam in quolibet alio argumento condere. De hac ſatis.

ARTICULUS III.

De Forma Concionum Dialogiſtica, quæ Colloquentes Concionatoris & Auditorum Perſonas repræſentat.

I. EST aliud Dicendi Genus, quod Dramaticum & Dialogiſticum poteſt appellari, qui ex Dialogis & Perſonarum colloquutionibus conſtituitur; Iſtud varietate Quæſitorum & Reſponſorum Auditores maximè delectat, eorumque attentionem conciliat ob Sermocinationem, aliaſque figuras hominem frequentiſſimè adorientes, unde recreantur & proficiunt.

II. Artificium Dialogiſticæ Orationis in hoc ſtat, ut plures Perſonæ cum oppoſitis quæſitis & reſponſis colloquentes inducantur. Illud autem fit dupliciter. Vel enim ſolus Concionator plures Perſonas interrogans, earum dubia ſolvit, aut reſponſa refellit: ut v. g. ſi agat de Furto, cum Nobilibus, Judicibus, & Mercatoribus, quos veluti de rei alienæ injuſta direptione ſuſpectos arguit & commonet; vel, inducit plures diverſæ ſortis Perſonas ad invicem colloquentes, & peculiaria conſcientiæ dubia proponentes ac ſolventes. V. g. Aliquis conſcientiæ ſcrupuloſioris, cum altero liberioris & laxioris Moralis Caſuiſta; quos excipit & emendat ſanæ & rectæ Doctrinæ Moderator. Methodus iſta per omnes ferè

Moralis Thæologiæ Materias excurrit, ſed duo præcipuè attendere debet. Primum eſt, ne quidquam proponatur, quod infirmis fortaſſe auribus poſſit nocere, aut occaſionem ruinæ facere; Ideoque cùm in Interrogationibus tum in ſolutionibus maxima debet adhiberi prudentia & cautio; nec etiam difficultas alicujus momenti excitanda eſt, quin plenè & abundè enodetur, ejuſque ſolutio ſufficienter explicetur. Alterum monendum, eſt, ne aliquid Perſonæ tribuatur, quod eidem minùs conveniat, v. g. non debent adſcribi Ruſtico aut ſtupido *rationes & argumenta*, quæ Politum & eruditum ſaperent; omnis enim *Dramatica methodus* deficit, niſi appoſitè ad Perſonas, Res, Locos & temporis opportunitates, accommodet univerſa ex quibus conſtituitur. Caveat etiam Eccleſiaſtes, ne dum vilioris fortaſſe perſonæ vices pingit, ejus vilitatem induat; ſed ſuæ dignitatis memor ita fingat aliorum conditionem, ut eam non effingat, aut à ſua dilabatur.

III. Loci ex quibus eruitur iſtud Dialogiſmi Genus, iidem ſunt, à quibus cætera Genera confirmantur & dilatantur. Frequentiores ſunt, qui petuntur, à Definitione, à Genere, à Differentia, ab Enumeratione Partium, à Cauſis, ab Effectis, &c. Ornatus verò, ſeu Figuræ ſæpius uſurpandæ, ſunt, Interrogatio, Subjectio, Præteritio, Sermocinatio, Hypotypoſis. Proſopopœja, Apoſtrophe, & his ſimiles quæ ad perſonas converti poſſunt.

Exemplum Formæ Dialogiſticæ. De Furto.

Thema. *Non Furtum facies*. Exod. 20.

Exordium à novitate formæ Dicendi.

„ VUlgatiſſimum ſimul & pernicioſiſſimum Crimen nova Impugnationis arte aggredior: hodie N. *Furto* bellum indico. Ah! quot & quanti ſunt Adverſarii, cum quibus mihi nunc decertandum eſt. Quos enim non inficit alienæ fortunæ cupiditas? &c. Quis alterius commodum aut non rapit ſi poteſt, aut non concupiſcit ſi rapere nequeat? &c. Pernicioſiſſimum dixi malum, quid enim in tota Republica tutum, ſi Furtum impunè graſſetur? &c.

„ At illud nova & inſolita methodo impugnare nunc propono; ſcilicet amica & libera collatione, qua hujus Criminis conſciis in colloquium advocatis, eorumque rationibus quibus ſuum ſcelus tuentur auditis, eoſdem de Iniquitate convincam, & omni prætextu quo ſe excuſare nituntur ſublato, eiſdem quamcumque furandi licentiam & occaſionem eripiam, &c.

„ Rei quidem novitas vos ad Audiendum invitat, ſed operis difficultas me terret; de felici congreſſionis eventu ferè deſperarem, niſi Gratiæ ſubſidium B. Virginis mediatione mihi pollicerer, &c. *Ave Maria*.

Intro-

Introductio, Eſſentiam & Naturam Furti declarat.

Quid ſit Furtum.

NE erremus in ambiguo, primùm operæ pretium videtur noſſe quid »
ſit Furtum, & quale peccatum. *Furtum eſt occulta contrectatio rei alie-* »
næ Invito Domino. Hinc patet quænam ſit Furti materia, quænam for- »
ma, quænam denique partes ſeu ſpecies. Ac quidem per *Rem alienam* in- »
telliguntur vel ipſæ *Res*, vel earum *poſſeſſio* ſeu *Jus*, vel *fructus*: alie- »
num eſt autem omne illud quod non eſt ſuum, ſed alterius, &c. Dici- »
tur *Contrectatio*, *occulta*, *Invito Domino*, his tribus verbis explicatur »
Furti forma. Primo quidem ſignificatur injuſta uſurpatio, quæ fit vel »
illatione damni, vel commodi ablatione, vel uſus rei translatione, vel »
alieni boni retentione, &c. Dicitur *occulta*, ut diſtinguatur à Rapina, »
quæ vi, ſed palam uſurpat rem alienam. Adjicitur *Invito Domino*, quia »
de conſenſu domini poteſt quis licitè alienæ rei poſſeſſionem vel uſum in »
ſe transferre. »

Diviſio per Species.

Furtum verò poteſt fieri aut deſiderio, aut reipſa; ſeu ſit rei privatæ, »
ſeu publicæ, ſeu prophanæ, ſeu Sacræ; indeque oriuntur variæ furti ſpe- »
cies, &c. Eſt peccatum mortale, ſi res ſublata ſit pretii notabilis, veniale »
verò ſi minimi, &c. »

En ergo quid ſit Furtum, & quæ ejus ſpecies; at quinam ſunt hujus »
ſceleris Rei? Plures ſunt, quàm ut enumerari facilè poſſint. Ex multi- »
tudine tamen, tres hominum ſtatus ſeligo, qui ut plurimum aliena uſur- »
pant retinentve invitis dominis. Hi autem ſunt *Nobiles*, *Judices*, & »
Mercatores; hos nunc in medium profero, ut ſingulis objiciam quæ qui- »
que admittunt contra Juſtitiam, audiemuſque ſingulorum excuſationes »
eaſdem ſerio examine diſcuſſuri, an ſint probandæ. Hæc eſt Concionis »
Œconomia; Audite. »

Prima Pars. De Nobilium Rapina.

Commendatio Nobilitatis.

I. PArs. Nobilis Conditionis Privilegia velim omnino intacta; Scio »
enim ſtatum illum Reipublicæ prorſus neceſſarium, &c. *Hic pro-* »
ferri poſſunt aliqua Nobilitatis Encomia, quæ grata præoccupatione ac laude »
Nobiles antevertant, ne ex mox objiciendis vitiis malè afficiantur erga Concio- »
natorem. At proh dolor, quot & quanti à vera Nobilitatis virtute dege- »
nerant? Taceo alios defectus ut Furtum memorem. In bonam partem »
accipiatis vos, Nobilitatis Integræ cultores, neminem veſtrum carpit »
mea oratio; ſed mecum ſuccenſete degeneribus Nobilis ſtirpis ſtoloni- »
bus, qui vita & fortè venali nobilitate abuſi, in crudeliſſimam erga mi- »
ſerrimam Vicanorum plebem prolabuntur Tyrannidem, &c. Plurima »
autem ſunt furti genera quibus illi tenuiſſimas horum facultates impunè »
præ-

„ prædantur, ſed hæ nunc occurrunt notandæ. Primò quidem ab iis gratuita & abſque mercede opera violenter extorquent. 2. Eorum Fruges venaticis canibus, Equis & famulitiis ferè ſemper conterunt & conculcant. 3. Ruſticorum filias ipſis parentibus rapiunt ut Servis in mercedem uxores invitas tradant.

Accuſatio de tributariis exactionibus injuſtis.

„ Primum à Nobilibus quotidie fieri nemo diffitetur, &c. Si autem id fiat contra Jus, furtum eſſe conſtat, nam dignus eſt operarius mercede ſua, &c. At quodnam Jus veſtrum? ò Nobiles; cur ejuſmodi operas gratuitò vobis vendicetis, dicite. Vel ſi nullum à re ipſa petitum occurrat, ſaltem fingite, &c. Quid dicturum putatis Nobilem? ò Auditores. Attendite. Nobis debetur (inquiet) gratuitum hoc officium; ſubditi ſunt enim, vel villici; ſi primùm nonne Dominorum eſt frui opera Subditorum, quos natura fecit illis debitores? Gladium gerimus in eorumdem tutelam, ita ut ſi calamitas ex adventante militum exercitu his ingruerit, protinus & amicorum & noſtris, tum precibus, tum ſi hæ fuerint inutiles, viribus, malum imminens amoliamur: pendunt quidem hi pecuniarum Tributa Regi, at nos pro Rege impendimus vitam ſtatim ac juſſerit ad bellum accingi. Noſtris ferè beneficiis vivunt ruſtici, maximam enim anni partem agunt in conductitiis apud nos operibus, ob quæ digna mercede donantur; quidni aliquid gratuiti nobis illi dabunt ultro? *Hæc & ſimilia poterit Eccleſiaſtes ex perſona Nobilis proferre ad defenſionem iniquitatis, quæ poſtea ſolvet ſub Interrogationis figura.* V. g. Hæ ergo ſunt rationes, quibus vos à furto immunes haberi cenſetis? &c. At telis araneis vobis propugnaculum ſtruitis. Nam ut à prima ratione ordiar; videte quàm levi nitatur fundamento. Fortuna, fateor, genuit Ruſticos vobis inferiores, ſed natura minimè, fecit enim æquales. Audite quid ſapientiſſimus hominum de hac re ſenſerit. Sap. 7. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo, &c. nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium, &c.* En quomodo ille Rex & Dominus æqualem naturæ ſortem prædicat. Sed eſto Natura fecerit inferiores, non tamen uſque adeo ſervos, ut laborantium operas conceſſerit vobis gratuitò & abſque mercede, &c.

„ Alias objectiones earumque ſolutiones non proſequor, ne fiam prolixior in re inutili, quæ abundè apud Caſuiſtas explicatur: ſufficit methodum indicaſſe, qua poſſint tractari.

II. *Pars de Judicum Furto.*

Converſio ad Judices.

„ ET *nunc Reges intelligite; erudimini qui Judicatis terram.* Pſal. 2. Ad vos ſpectant hæc Verba, ò Judices. Ad vos (inquam) quos in ſocietatem Juris dicendi aſcivit Deus, &c. Adeſte, rationem Villicationis reddituri; neque enim quos ſupremæ reverentiæ participes fecit, ab examine fecit immunes: ſed (ut ait pſal. 81. 1.) *Deus ſtetit in Synagoga*

Deorum

Deorum (vel ad hebraiſmum, in concilio Judicum) *In medio autem Deos* »
dijudicat. »
Ego quidem ipſius nomine vobis diem dico, vos de Furto accuſaturus: » Excuſatio.
Parcite æquiſſimi Judices, neque enim ſanctiſſimam ſtateram veſtram hæc »
cenſura percellit. De vobis, ait Pſ. 105. *Beati qui cuſtodiunt Judicium,* »
& faciunt Juſtitiam omni tempore,&c. Date, ut integerrimum Juſtitiæ Thro- »
num ab irrogata vindicem injuria. Triplex verò Accuſationis meæ caput »
erit, 1. Vel enim pecunia Jus venditur. 2. Vel injuſta ſententia viola- »
tur. 3. Vel denique in longiores moras ad magnum litigantium diſpen- »
dium illicitè protrahitur. »
1. Quod attinet ad primum accuſationis caput, ita de facto conſtat, »
ut probatione non indigeat. An non munera largitioneſque à partibus » Primum caput accuſationis.
ferè ſemper extorquentur? an non pro re ſeu Judicata ſeu Judicanda »
pretium Laboris propterea impenſi, longè amplius quàm à legibus ſta- »
tuitur emungitur? &c. At quo Jure? quo titulo? Audite quid reſpon- » Objectio.
deant Juris Propolæ. Magno pretio emimus Officia noſtra, (in- »
quiunt:) Immodicis, deinde (ſi fas eſſet ita loqui) injuſtis pecunia- »
rum ſummis mulctati ſumus, nec non quotidie idem mulctationis peri- »
culum facimus, &c. An non ergo licebit nobis qua poterimus ratione »
damna reſarcire? &c. »
Egregiam prorſus Furti excuſationem! Quis amabo vos ad officii plus » Solutio.
æquo conſtantis emptionem coegit? num vobis non licuit ab eo abſtinere? »
num ſaltem huic renuntiare? &c. Alius (inquiunt) emiſſet officium Rei- »
publicæ neceſſarium, &c. Cedite alteri officium veſtræ ſaluti noxium, &c. » Dialogiſmus.
At non poteſt eſſe ſine Judice Reſpublica (ſubjiciunt illi.) Dicam quod »
ſentio, Præſtaret carere Judicibus, quàm corruptis abundare. Sed ne quis »
propterea metuat Reipublicæ; non deerunt æquitatis cultores ſi deprava- »
tores ablegentur; his enim illi fugantur ac præpediuntur. At compenſa- »
mus (inquiunt iterum) injuſtam mulctam tenui pecunia, quæ ultro da- »
tur à Clientibus. Vah quàm injurioſa Juriſconſultis ſententia! quaſi ve- »
rò teneatur miſellus ſuo diſpendio veſtrum reſtituere damnum, cujus »
cauſa nullatenus fuit? &c. Largitus eſt ultro munera, dicitis. Fidem huic »
reſponſo nullam deberi cenſeo, qui ſciam nihil daturos litigantes, niſi pe- »
cuniaria experientia probaſſent nummis apud vos Jus vænire. Non petiiſtis »
forſan, at qui vobis eſt à Secretis veſtras partes agens, artificioſè monuit, »
&c. Cætera prætermitto ab Eccleſiaſta facillimè ſubdenda, ut primum ac- »
cuſationis caput finiam commonendo Judices de injuſta pecuniarum aut »
munerum acceptione, debent enim Juſtitiam reddere aut gratis, aut ſal- »
tem modica eòque juſta mercede contenti. Non pigeat audire Salvianum »
hos omnes ſic perſtringentem L. 4. de gubernat. Dei. *Ad hoc bonor à pau-*
cis emitur, ut multorum vaſtatione ſolvatur: reddunt Clientes miſeri dignita-
tum pretia, quas non emunt: commercium neſciunt, ſolutionem ſciunt: ut pau-
ci illuſtrentur, mundus evertitur.

2. Pari

2 Caput Accuſationis.

„ 2. Pari methodo poterit Eccleſiaſtes inſectari corruptiones quæ in
„ Juſtitia reddenda ſolent occurrere. Quatuor modis corrumpi Judicium
„ humanum aſſerit Gregorius, *Timore*, *Cupiditate*, *Amore*, *Odio*. 1. Ti-
„ more pervertitur Judicium, metu ſcilicet Poteſtatis quam lædere Judex
„ pertimeſcit: Ita Pilatus cui Judæi dicebant Joan. 19. *Si hunc dimittis*,
„ *non es amicus Cæſaris*. O quot Judices Pilatum imitantur! &c. Ad hos
„ dicitur Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere*
„ *Iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æqui-*
„ *tate tua*. 2. Cupiditas magnam apud Judices corruptelam parit, nam, ut
„ ait Scriptura, Eccleſ. 20. 31. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum*,
„ *&c.* Unde ait Iſid. l. de ſummo bono: *Pauper dum non habet quod offerat;*
„ *non ſolùm non auditur, ſed etiam contra Juſtitiam opprimitur*. Item Iſaiæ 1.
„ 23. dicitur: *Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera*,
„ *ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa Viduæ non ingreditur*
„ *ad illos*. 3. Amor alterutrius litigantium, Juſtitiæ violandæ occaſio eſt
„ non minima. 4. Idem cauſat odium quo ſubvertitur æquus Judicis ani-
„ mus, quis enim polliceatur ſibi æquitatem à Judice quem adverſum ſibi
„ aliunde habet? &c.

3. Accuſationis caput.

3. Ultimum Injuſtitiæ caput, quod fit dilatione ſententiæ, qua litigantes grave patiuntur diſpendium, non proſequor, ne morer in compendioſo Dialogiſmi ſchemate; brevem ſolummodò Epilogum addam, quo Judices monebo de facienda reſtitutione.

Epilogus 2 Partis.

„ Pejeraſtis cum furibus, Judices, quos mea pupugit oratio; at cum
„ iiſdem ad Reſtitutionem tenemini. Magnum eſt quod dico, ſed veriſ-
„ ſimum: qualecumque enim fuerit damnum quod veſtra culpa intulit,
„ illud veſtris facultatibus debetis reſarcire ut ſalvemini, non enim di-
„ mittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum, &c. Mecum ergo ad Con-
„ ſcientiæ diſcuſſionem deſcendite; perpendamus quot munera, quotque
„ largitiones à litigantibus emunxiſtis, &c. quot viduas, pupillos, pau-
„ pereſve corruptis Judiciis ſpoliaſtis, &c. Quot & quanta damna perpeſ-
„ ſi ſunt, quos diuturniori quàm par erat, mora in ſolvenda lite detinui-
„ ſtis, &c.

III. *Pars. De Furto Mercatorum.*

Tria Accuſationis capita in Mercatores.

„ Quot beneficia conferat humanæ ſocietati Negotiatorum ſtatus, ne-
„ minem latere arbitror, &c. at quæ damna procreet iniquæ Nego-
„ tiationis uſus quilibet experitur qui Mercatoribus utitur ſæ-
„ piùs: ut plurimum enim conantur fidem frangere qui fidei conſervatio-
„ nem ambire deberent. Hos de triplici furto nunc redarguo, utinam tri-
„ plici monito ſapiant. 1. Vel enim merces pluris juſto pretio vendunt. 2.
„ Vel malitiosè corruptas tradunt. 3. Vel denique res furto ſublatas emunt
„ veneundas, &c.

His

His non addo plura, ut brevitati conſulam, ſed cuilibet facile erit ſingula Negotiationis illicitæ capita percurrere, & appoſitis rationibus improbare. Perorabit autem Eccleſiaſtes hortando Mercatores Injuſtos, ut frugi fiant, nimirum reſtitutionem debitam celeriùs peragendo, & præſcriptas à legibus regulas in exercenda negotiatione obſervando.

ARTICULUS IV.

Forma & Exemplum Diſſertationis Moralis.

AD Dialogiſticam formam adeò pertinet iſta quæ Diſſertatio Moralis dicitur, ut, vix ipſi diſſimilis, fuſius exemplum non poſtulet, illa ſolùm adjiciam quæ huic methodo cenſentur propria. Varias igitur Perſonas ſimul colloquentes ac differentes inducit hoc dicendi Genus, inſtituitque mutuum ex Quæſitis & Reſponſis dialogum, unde tamdem veritas exurgit. Rationes & argumenta non aliunde ſumit Diſſertatio quàm ex iis locis qui ſunt cæteris Dicendi formis communes, maximè Didaſcalico Generi quod in plurimis imitatur. Figuræ frequentiores ſunt interrogatiunculæ, Addubitationes, Suſpenſiones, Exclamationes, Conceſſiones, Converſiones, &c. Obſervatu rurſus dignum eſt, non debere alicui Perſonæ attribui eruditionem aut loquendi modum illius ſtatui vel conditioni minùs convenientem; nec etiam ullum tractari Dubium, aut Objectionem moveri abſque alterutrius plena & integra ſolutione. Diſſertatio Moralis.

Exemplum ſit Controverſia de Mutuo: An v. g. liceat aliquid emolumenti uſurarii accipere, pro pecunia, tritico, vel re ſimili egentibus commodata. Tria Perſonarum genera poterunt Quæſtionem hanc verſare; V. g. 1. *Dives Lucri cupidus*, qui Uſuræ cauſam agit. 2. *Confeſſor ſcrupuloſus*, qui de omnibus, etiam de iis quæ ex juſtitia ſunt, ambigit. 3. *Doctor, æquitatis ſtudioſus*, qui alterius comprimit uſuram, alterius nutantes ſententias firmat. Vel poterunt Diſſertationem inſtituere tres differentis conſcientiæ ſpecies: 1. *Conſcientia meticuloſior*, ſuas anxietates proponit è re aliqua quæ ſalutem ſpectat. 2. *Conſcientia audacior* & liberior, quæ ab oppoſita parte ſtat. 3. *Vir denique eruditionis* & rectitudinis plenus, qui rem bona & ſincera fide dijudicat. Hæ inquam & ſimiles Perſonæ induci poſſunt colloquentes, & alternatis cùm quæſitis, tum reſponſis, ſuum aperientes ſenſum. Plures tribus aut quatuor ad ſummum vix admittendæ videntur, ne ex majore numero fiat difficillimum ab altero alterum ſecernere: modus autem quo perſonæ illæ miſceantur, ſervare debet ordinem; ut priùs moveat quæſtionem ſcrupuloſus, augeat qui audacior eſt, ſolvat qui prudentia præſtat: quamquam & poſſit ordo iſte inverti, ut audax præcedat timidum, ſed convenit ut Exemplum Diſſertationis Dialogiſticæ.

Digitized by Google

qui pro æquo & vero ſtat, ille ſuam ferat ſententiam ultimus, quia iſte eſt ſenſus qui mentem debet occupare. Forma Diſſertationis eſt tota in Proſopopœis & Perſonarum conformationibus. V. g. *Fingite Auditores tres hodie Perſonarum ſpecies, coram vobis ſimul de propoſito noſtro controvertere: Scrupuloſum ex una parte, Temerarium ex altera: Doctor medius ſedeat utrumque auditurus, quid dicturum putatis ſcrupuloſum, &c.* Vel, *Indulgete ut trium Perſonarum diverſos ſenſus prodam veluti earumdem interpres; ſi uſurarius coram vobis adſtas, ſic jam loqueretur, &c.* Epilogus veriorem & ſecuriorem opinionem ſuadet, altera rejecta & ſolidioribus argumentis impugnata.

ARTICULUS V.

De Forma Concionum Forenſi, quæ Judiciale Dicendi genus imitatur.

Judicialis Formæ utilitas.

I. JUdiciale Dicendi genus Eccleſia neſcit, quia Pacis amans, contentioſi fori ſtrepitus ac Lites odit; Ideo Oratores ſacri Civile iſtud Diſceptationis Genus à Chriſtianis pulpitis ablegantes, huic ſubſtituerunt Didaſcalicum, quod Inſtituendis Auditoribus & tradendæ doctrinæ vacat. Ne tamen Eccleſiaſtam lateat Orationis forma, quæ utilitatis non parum conferre poteſt Concionatoris miniſterio, ſi ad ſanctiorem uſum conformetur, hanc à forenſi labe emaculatam Religionis Myſteriis accommodare ſtudui, qua uſus Orator Sacer Auditores Dicendi novitate & varietate recreet, attentos faciat, & dictis aſſentiri ferè cogat.

Judiciariæ Concionis Actor, Cauſa, Reus, Teſtis & Judex.

II. Fori Theatrum & Clauſtrum repræſentat ſacrum Auditorii ſpatium; Actoris vices gerit Eccleſiaſta, qui & Conſiliarii deliberantis partes obit. Rei Perſonam ſubeunt Peccatores, quorum Conſcientia & opera Teſtium loco conſtituuntur. Cauſa tractanda eſt, aut Virtus ſuadenda vel diſſuadendum vitium, atque hac in parte genus iſtud accedit ad Deliberativum: aut laudare oportet facinus egregium, vel indignum vituperare, & tunc confine eſt Generi Demonſtrativo; aut denique, ex Deliberatione & Oſtentatione coaleſcit, fitque mixtum Judiciale Genus. Auditores tandem ſedent aut ſtant in Auditorio, ceu in tribunali Judices & Senatores, ut de re propoſita ſententiam ferant, probent, aut etiam in ſeipſos, ſi opus fuerit, ferant.

Judicialis Generis Partes & Status triplex.

III. Duæ ſunt Concionis Judicialis partes præcipuæ; Accuſatio & Defenſio. Prior Querelam, Expoſtulationem & Exprobrationem complectitur; Altera Purgationem & Deprecationem comprehendit. Triplex Quæſtionis agitandæ poteſt eſſe Status, ſeu Cauſæ conſtitutio ac Gradus, in quo totius Controverſiæ ſumma conſiſtit, quique ex Actoris & Rei con-

conflictatione naſcitur. Primus appellatur *Conjecturæ*; Secundus *Definitionis*; Tertius *Qualitatis*. In primo quæritur, *An res ſit*; in ſecundo, *Quid ſit*; in ultimo, *Qualis ſit*. En Exemplum. Eccleſiaſtes Peccatorem accuſat, in eo quòd Pœnitentiam differat. Prior iſtius Controverſiæ ſtatus qui *Conjecturæ* dicitur, eſt iſte, ut conſtet de Facto, hoc eſt, ut peccator fateatur aut diffiteatur ſe eſſe Procraſtinatorem; ſi enim id neget, tunc urgendus eſt rationibus, quibus evidenter probetur ejus Procraſtinatio; quod probationis genus, cùm plerumque nitatur Conjecturis, ideo Conjecturæ nomen excepit; in hoc ſcilicet Quæritur An ſit, vel non; conjicitur verò rem ita, vel aliter ſe habere. Si Peccator fateatur Pœnitentiæ dilationem, ſicque de facto conſtet; tunc oritur alter Controverſiæ ſtatus, qui *Definitionis* dicitur, quo Quæritur quid ſit ejuſmodi Procraſtinatio, quotuplex & quam ob cauſam, v. g. procraſtinat in ſalutis Negotio; vel quia improbat Confeſſionis Sacramentalis uſum; vel quia ejuſdem praxim metuit; vel quia eandem de die in diem remittit. Ex hoc ſecundo ſtatu fit progreſſus ad Tertium qui *Qualitatis* eſt, quo quæritur Qualis res ſit? An ſcilicet habeat Honeſtatem, Æquitatem, Utilitatem, Facilitatem, &c. & num contrariis vitiis infametur. V. g. An Pœnitentiæ dilatio, honeſta ſit vel inhoneſta, utilis vel inutilis, juſta vel injuſta, &c. Atque hæc Oratori ſacro ſufficere arbitror ut non penitus ignoret quid huic Generi conveniat, cætera fuſiùs tractanda & ediſcenda Oratoribus Civilibus remittimus.

IV. Artificium Methodi Forenſis in hoc ſtat, ut quemadmodum Patronus cauſam pro aliquo, vel adverſus aliquem agens; illum defendit, vel iſtum accuſat, vel neminem peculiariter aggreſſus, omnes inſimulat tamquam delicti communis reos; pari ferè ratione Eccleſiaſta modò ſuſcipiat virtutis partes adverſus ejus inimicos, modò inſequatur vitium, aliàs contra ſcelera univerſaliter pugnet. Qualecumque tamdem fuerit Eccleſiaſtæ Forenſis intentum, tria præſertim debet ille obſervare. 1. *Exordium*, præter illa quæ in aliis Dicendi Generibus notantur tractanda ad conciliandam Benevolentiam, Attentionem & Docilitatem, debet oratorem ſacrum apud Auditores excuſare, quòd forenſes ac contentioſas diſceptationes videatur in ſacrum pulpitum traducere; cujus rei rationem ille reddit, quòd in Cauſa Dei & ſalutis omnis homo debeat patroni vices agere. Ejus exemplum mox dabo. 2. *Introductio*, cauſæ ſtatum perſpicuè explicat, diſtinguitque ea de quibus conſentiunt Adverſarii, ab iis quæ litigio verſantur. 3. *Partitio* varios Quæſtionis ſtatus proponit; ſeu ſint Accuſationis aut Defenſionis peculiares partes; ſeu propoſitum aliquod commune dividatur in ſua Puncta. 4. *Confirmatio*, ſeu probatio, fit per conſuetas aliis Generibus rationes, ſed frequentiſſimis ſermocinationibus formantur. 5. *Epilogus* tandem duo præſtare debet: primum eſt virtutis amplexum aut vitii fugam ſuadere: Alterum eſt ut Auditores

Artificium Concionis in Forma Forenſi.

invitet ad ſimilem ſententiam de re luculenter probata proferendam, ac in ſuæ ſalutis bonum convertendam. En breve Schema.

Exemplum Concionis Forenſis de non differenda Pœnitentia.

Thema. *Non tardes converti ad Dominum, &c.* Eccleſiaſtic.5.8.

Exordium à Nova Dicendi Forma.

» EXordii ſumma. Mirabimini forſitan, Auditores, quòd Eccleſiaſtæ
» miniſterio Evangelico deditus, ſuggeſtum ſacrum hodie conſcen-
» dam Oratoris Forenſis partes acturus: ea enim differentia inter Eccleſiam
» & Forum, &c. ut ferè nihil ſit utrique commune. Quodque admiratio-
» nem augere debet, novam Dicendi formam & Civilibus ſubſelliis in-
» ſuetam audietis, Cauſam ſcilicet eamdem, in qua perſonis non diffe-
» runt Judex & Patronus, Actor & Reus. At mirari ceſſabitis, cùm per-
» ſpexeritis quodnam ſit Peccatoris periculum, quæ ſit Pœnitentiæ efficaci-
» tas, quidve Concionatoris munus. Verſatur ille in proximo diſcrimine
» ſalutis, &c. Pœnitentiam tot malorum præſentiſſimum remedium recu-
» ſat, aut certè illam de die in diem remittit, &c. liquet mihi ſors illius
» ex pœnitentiæ dilatione miſerrimè periclitans, &c. quid ſupereſt, niſi ut
» Charitas novam mihi ſuaſionis artem ſuggerat? &c. Hæc eſt Patroni cau-
» ſam Peccatoris apud ipſum & contra ipſum peccatorem dicturi, &c. Pa-
» troni ergo vices hodie ſubeo, &c. ut neceſſarium mihi ſubſidium implo-
» ret B. V. Maria, eam mecum ſalutate, &c.

Introductio ab Expoſitione.

» *Introductionis ſumma.* Ne in ambiguo verſetur hodierna Cauſa, paucis
» aperiam Quæſtionis ſtatum; ut liqueat quid Adverſarii fateantur, de quo
» inter nos lis nulla moveri debet; quid verò illi diffiteantur, de quo jam
» controvertimus. Peccatorum nemo diffitetur Pœnitentiam eſſe neceſſa-
» riam, & certè fateri debet, nam faciliimum eſſet hujus virtutis neceſſita-
» tem ſtatuere; quid enim aliud ſacræ paginæ inclamant? quid ſancti Patres
» urgent frequentiùs quàm Pœnitentiam? &c.
» At negat Peccator citiùs eſſe pœnitendum, cenſet quippe Pœniten-
» tiam debere in futurum ad placitum differri, &c. Ego moroſioris pœni-
» tentiæ periculum probè ſciens, ejuſmodi dilationem impugno. Iſte
» igitur eſt totius Cauſæ hodiernæ generalis ſtatus, An ſcilicet tutum ſit
» Pœnitentiam quæ hodie fieri poteſt, in poſterum tempus remittere?
» Tutum arbitratur peccator, ego periculoſiſſimum cenſeo. Atque ut
» Adverſarium propiùs adoriar, Impugnationis meæ tres Partes facio. In
» Prima oſtendam, Pœnitentiam imprudenter dilatam, futuram omnino
» *Incertam*. In ſecunda, futuram prorſus *Difficiliorem*. In Tertia, futu-
» ram longè *Infructuoſiorem*. *Vel aliter poteſt enuntiari Partitio*, v. g. Ut ap-
» pareat, qui ſint Adverſarii quos impugno, hos in tres claſſes diſtribuam.
» 1. Alii differunt Pœnitentiam in Tempus Commodum. 2. Alii in Mor-
» bum proximum. 3. Alii in Mortis horam. *Vel iterum alter*. Triplicis

Ge-

Digitized by Google

Generis Adverſarios impugno. 1. Alii rident Pœnitentiam, ſuntque *Impii*. 2. Alii, metuunt, ſuntque Ignavi & *Formidoloſi*. 3. Alii differunt, ſuntque *Negligentes* & Pigri. Tot erunt Controverſiæ hodiernæ Partes. » » »

Confirmatio non indiget (ut dixi) peculiari methodo quæ à cæteris Dicendi Generibus differat; Probantur igitur capitales propoſitiones, iiſdem rationibus & argumentis quibus utitur Genus Deliberativum, niſi quòd Forenſis Oratio Interrogationes, Sermocinationes, Addubitationes, & Proſopopœjas frequentius adhibet. Item Rationes objectas aut objiciendas ab Adverſariis ſolvit. Cæterùm alia omnino conveniunt. Confirmatio.

Epilogus vix differt ab Hortatione vel Dehortatione, de quibus ſupra dictum eſt, niſi quòd Interrogationis forma quæratur hìc ab Auditoribus, numquid non ſit ex juſtitia & veritate illud omne quod ab Oratore adducitur adverſus Peccatorem procraſtinantem? An non iſte periculoſiſſimè ſuas res agat? &c. deinde ad ipſum vel ipſos Peccatores convertitur orationis clauſula, eo modo quo fieri ſolet in Suaſione aut Diſſuaſione, Hortatione aut Dehortatione. Defenſionis exemplum non profero, quia rebus, non verò forma, differt ab Accuſatione. Epilogus.

ARTICULUS VI.

De Forma Concionum Syncritica & Parallela quæ unum cum altero comparat.

I. COMPARATIVA Oratio ea eſt quæ Perſonam, vel Rem ex compoſitione illius cum alia aut pluribus facta, laudat aut vituperat; Atque ut Eccleſiæ intentum adæquet, inde virtutem ſuadet aut vitium diſſuadet Audientibus. Unde communis eſt Generibus Demonſtrativo & Deliberativo: differt à duabus comparationis ſpeciebus, quarum prior inter locos Dialecticos; altera inter Exornationis figuras reponitur, quòd illæ ſint tantùm Concionis partes, iſta concionem integram conſtituat, quam Syncriticam, Parallelam, Comparativam, Compoſitionem & Collationem appellamus. De Comparativæ Concionis Forma.

II. Comparationis Materia ſunt Res & Perſonæ quælibet, quarum una poteſt cum altera vel pluribus comparari. V. g. Deus, Perſonæ Divinæ, Chriſtus, Beatitudo, B. Virgo, Angelus, Homo, Animalia, Plantæ, Metalla, Cœlum, Elementa, &c. In his attenduntur quædam proprietates, virtutes, aut defectus, in quibus una res cum altera compoſita, huic ſimilis aut diſſimilis, dicatur laudem aut vituperationem mereri; V.g. Sanctus aliquis dicitur Deus, ob ſanctitatis participationem; Angelus, ob Miniſterii ſimilitudinem; Cœlum, ob Beneficentiam publicam: Item, B. Virgo, dicitur Dei Patris Filia; Dei Filii Mater; Spiritus Comparativa Concionis Materia.

tus S. Sponſa; Armamentarium ſacrum, Propitiatorium ſalutare, &c. Tot ſunt Comparationum formæ in infinitum multiplicandæ; vix enim aliquid reperias quod non ſit aliis aut Minus, aut Majus, aut Æquale.

Comparatio multiplex.

III. Triplex ergo eſt Comparationis Genus. *A Majori*, cùm unum excedit alterum; v. g. B. Virgo eſt ſanctior Angelis, Purior Cœlis, &c. *A Pari*, cùm æqualitas aut ſaltem ſimilitudo ſtat ex utraque parte; v. g. D. Joannes Evangeliſta, eſt *Propheta*; eſt *Virgo*; eſt *Martyr*. Aut, B. Virgo imitatur Dei Patris Fœcunditatem, 1. *Dignitate Partu*. 2. *Puritate conceptus*, 3. *Affectus Æternitate*. *A Minori*, cùm unum eſt altero inferius, quod ſæpe in vitium vertitur. V. g. Peccator, eſt Saxo durior, Bruto ſceleratior, Dæmone ingratior. Hæc in ſpecie Comparationem inſtituunt à Majori, quæ tamen à Minori etiam ducuntur, ſi attendantur oppoſitæ qualitates, v. g. Saxum eſt mollius Peccatore, Brutum eſt ipſo innocentius, Dæmon eſt eodem beneficiorum memorioſior.

Quæ ſint res Comparandæ.

IV. Item Comparantur, 1. *Perſonæ cum Perſonis*, aut Perſonarum Dotibus v. g. D. Franciſcus eſt Patriarcha, eſt Apoſtolus, eſt Martyr: aut, imitatus eſt Patriarcharum Fœcunditatem; Apoſtolorum Zelum; Martyrum Patientiam: aut, Idem conformis fuit Chriſto Naſcenti, Viventi, Morienti. 2. Componuntur *Perſonæ cum Rebus*, v. g. Apoſtoli & Prædicatores cum nubibus, quia quemadmodum iſtæ continent Lucem, Tonitru, & Rorem, ita illi Lucent ignaris, Tonant obſtinatis, Rorem doctrinæ fundunt in dociles animos. Divus aliquis comparatur cum Solis Ortu, Meridie, Occaſu. 3. *Res cum Rebus* comparantur, v. g. Eccleſia ſeu Templum eſt Cœlum beneficum, eſt Armamentarium munitiſſimum, eſt Tribunal formidandum. Crux Chriſti fuit Ara ſacrificantis, Cathedra Docentis, Tribunal Judicantis, Thalamus Parturientis.

Artificium Comparativæ Concionis.

V. Artificium Comparationis in hoc præcipuè conſiſtit; ut, ſi laudatione opus ſit, deligantur potiores virtutes aut Dotes eximiæ in quibus unum cum altero æqualitatem vel ſimilitudinem habere dicitur; non eſt neceſſe omnes rei proprietates ſigillatim enumerare & comparare, ſatis eſt Eccleſiaſtæ ſi præcipuarum habuerit rationem. Si vituperare oportet, vel malæ qualitates alicujus rei fiunt comparationis pudenda materia; vel laudandæ proprietates proferuntur, à quibus alter dicitur recedere.

Cautiones adhibendæ in Cõparatione.

VI. Quæcumque tamdem Comparatio fiat, cavere oportet ab omni exceſſu vel injuria. Exceſſus eſt, ſi aliquid laudetur aut vituperetur ſupra meritum; in quo peccant plurimæ Metaphoræ quæ rem ita augent aliquando, ut efferant ultra fidem, inde fit Hyperbole & Paradoxum vitioſum, quod Eloquentia ſacra non probat. Injurioſa fieret Comparatio, ſi detraheret uni ut alterum ornaret, & v. g. Sanctorum aliquem deprimeret ut alium ſublimiùs eveheret. Prudens eſſe debet & juſta comparatio Eccleſiaſtica, nec laudat Panegyriſta qui ex direptionibus & fur-

tis,

tis, ornamenta & Donaria conſecrat Altaribus. Cætera quæ ad iſtius Formæ Syncriticæ conſtitutionem ſpectare poſſunt, vix ab aliis Dicendi Generibus differunt, patentque modicum ingenioſo.

ARTICULUS VII.

De Forma Concionum Medico-morali quæ Conſultationem Medicam imitatur.

I. AFFINES ſunt Moralis & Medicina; illa quidem Animam curat, iſta Corpus, ideoque nemini videri debet abſonum, ſi ambæ ſimilem ineant Methodum qua ſuis defungantur vicibus, & Concionator ægritudinum ſpiritualium curationem tractaturus, imitetur aliquando Medicum de corporeorum morborum ſanatione deliberantem & ſatagentem. Quomodo id fieri poſſit paucis trado. Medico-moralis Formæ Concio.

II. Tria ſolent Medici in ſuis Conſultationibus præſtare. Primò Cauſas morbis inquirunt & notant, hæc prior Deliberationis Pars dicitur *Dignoſis*, ſeu cognitio ac diſtinctio Morbi, quæ mali originem, occaſionem, ac differentias perveſtigat & prodit. Secundò, Effectus, ac eventus ex morbo futuros aut metuendos proſpiciunt, eſtque tunc *Prognoſis*. Tertiò remedia aſſignant neceſſaria, fitque *Therapeuſis*, ſeu ſanationis præſcriptio. Triplicem Methodum poſſunt nonnumquam in pulpito ſacro imitari Eccleſiaſtæ, cum de aliquo vitio tollendo agitur; v. g. de Superbia, de Luxuria, &c. *Per Dignoſticam* aperient vitii Cauſas, ideo utentur Locis Dialecticis, à Deffinitione, à Deſcriptione, à Cauſis, ab Enumeratione Partium & aliis Fontibus qui ſunt Didaſcalico Generi communes. 2. *Per Prognoſticam*, prænuntiabunt mala quæ ex præſenti vitio futura ſunt, niſi per remedium citiùs occurratur. Ad hoc conferunt Loci ab Effectis, ab Honeſto vel Inhoneſto, à Commodo vel Incommodo, &c. quibus ſuadetur peccator ad remedium confugere. 3. *Per Therapeuticam* adhibentur remedia communia, ut pœnitentia, fuga occaſionum, &c. & peculiaria, ut v. g. jejunio laſcivientem appetitum comprimere, converſationes mulierum devitare, &c. Obſervanda in Medica Methodo.

III. Artificium Concionis Medico-moralis nihil peculiare habet, niſi quòd in Exordio poteſt inſtitui comparatio inter Moralem Diſciplinam & Medicam. In Introductiones explicatur Methodus Medica, ex cujus triplici parte conſtituitur Concionis diviſio. V. g. Prior Dignoſim imitabitur, cauſas Luxuriæ aperiens. 2. Prognoſim dabit, proſpiciendo metuendos effectus ex Luxuria futuros. 3. Therapeuſim præſcribet, neceſſaria remedia deſignans. Animadvertendum eſt, quòd opus ſit prudentia Artificium Concionis Medico-moralis.

dentia & cautiones, ut nihil explicetur quod poſſit eſſe innocentibus auribus noxium; v. g. cùm agitur de Luxuriæ curatione, illud enim vitium cautè omnino & ſobriè tractare oportet, cùm ſit periculum ne doceantur diſcenda & ignoranda, aut publicentur quæ æternum merentur ſilentium: ſufficit ad Dignoſim vitii diverſas ſpecies modeſtè & caſtè indicare, urgendæ verò ſunt ambæ aliæ partes Prognoſis & Therapeuſis; ut vitioſus periculi monitus feſtinet aſſignata remedia inquirere & adhibere.

ARTICULUS VIII.

De Forma Lamentatoria, ſeu De Concionibus Funebribus.

Lamentatoriæ Orationes olim frequentes; nunc cautè & moderatè uſurpantur.

I. USITATISSIMUM olim fuiſſe iſtud Dicendi Genus, quod Hominibus vita functis parentat, liquet ex pluribus Orationibus, quas de hoc propoſito ſcripſere ſancti Doctores, maximè D. Gregorius Nazianzenus, D. Baſilius, D. Ambroſius, D. Hieronymus, &c. moderatione aliqua videtur caſtigatus ille de Mortuis concionandi frequentior uſus nunc temporis; ne Suggeſtus ſacer pietatis & Religionis tantùm operibus celebrandis dedendus, fiat vanitatis & nequitiæ fictis ac fortè venalitatis laudibus prædicandæ adulatorium Theatrum. Quis enim dignum ab indigno ſecernat? vel quis potentiores Defuncti parentes ſuperſtites cohibeat, ne amico mortuo, etiam ſceleribus infami, jubeant aut procurent haberi orationem, qua in ſpecie Lamentum de abſente prodant, ſed re vera vanitati Gentilitiæ obſequantur, & vitioſæ quondam Mortui vitæ probrum ac maculam conentur abſtergere? Hinc ſapientiſſimè ſtatutum puto in pluribus Diœceſibus, ne ejuſmodi Lamentatoriæ conciones frequentiùs uſurpentur, nec fiant niſi maxima cum cautione, de Perſonis vita & dignitate inſignioribus. De hac concionis forma, quomodo perfici debeat, nunc agitur.

Quatuor tractanda in concione funebri.

II. Quatuor potiſſimùm præſtanda ſunt in Concione Funebri; Primum eſt, ut mortui laudabilis vita celebretur. Alterum, ut Parentum dolor de abſceſſu amici leniatur. Tertium, ut Auditores moneantur de pari ſorte; diſcant ſcilicet alterius exemplo ſe brevi morituros, ad caſum ſimilem ſeſe accingant; affectus mundanos deponant, & de futura vita ſint ſolliciti. Quartum addo tractandum, quod ad omnes ſpectat, ut ſuffragia pro Mortuo ad Chriſtianum morem ab adſtantibus expetantur. Hinc liquet hoc Orationis genus ad Demonſtrativum & Deliberativum pertinere. Prænotata capita brevi decurramus.

Gentilium Apotheoſes.

III. Nolim hìc inſtaurare Gentilium ritus, quibus illi ſuos Heroes & Imperatores in album Deorum referre profitebantur; Apotheoſes, Conſecrationes, aliiſque ſimilibus nominibus nuncupabant ejuſmodi funereos

reos

Digitized by Google

reos honores: Pompam inſtruebant funebrem plurima ſupellectili prædivitem; Rogum conſtituebant columnis, ſtatuis, odoramentis celebrem; Aquilas in ſignum futuræ aſſumptionis ad cœlos, ſurſum laxabant; Panegyricam habebant orationem, qua Defuncti præclariora geſta memorabant; Aras tandem, Templa, dieſque Feſtos inſtituebant, in memoriam Divorum fictitiorum. Prophana ſunt iſta, quæ impietatis plurimum interpretatis officia miſcent; ex his Eccleſia permiſit, quæ Civilia ſunt, & Religioſa ſelegit, cæteris quæ à Fide & Religione exorbitant repudiatis. Ac quidem ritus ſolemnes Eccleſia Catholica ſtatuit, quibus aliquorum Hominum Beatitudinem, ſeu (Chriſtiano ſenſu) Apotheoſim declarat, quam Canonizationem appellat, ſed iſtud nonniſi poſt exactiſſimam vitæ ac operum diſcuſſionem, ac compertiſſimam cognitionem, perficit; quo diligentiſſimè peracto, decernit Defunctum poſſe pro Sancto coli & celebrari. Cætera quæ Concionatoris non ſunt, apud Authores, qui de ejuſmodi Ritibus ſcripſerunt, viſenda remitto, quod mea nunc intereſt, ſpectat ad Conciones quæ de præfatis Hominibus Sanctis fieri debent; ſed de iis abundè dictum eſt Lib. 2. Secundæ iſtius partis, de Genere Demonſtrativo. Canonizatio Sanctorum.

IV. Adverte obiter, Civiles Pompas, quæ in honorem celebriorum virorum fieri apud Chriſtianos conſueverunt, nihil Gentilitatis redolere; ſed eſſe tot Gratitudinis, Pietatis, & Æſtimationis publicæ monumenta, quæ ab Eccleſia probantur; immo intra Templorum ſepta fieri ſolent, non quidem veluti Divinitatis aliquid Hominibus tribueretur, ſed quòd Divinum ſit aliqua ratione iſtud officium, quo ſuperſtites ſtudent Defunctis inſignioribus parentare. Pompæ autem ejuſmodi frequentiores ſunt, quàm ut indigeant deſcriptione quæ oculis omnium conſpiciuntur. Scilicet obnubuntur parietes & Abſides, Aulæis pullis, ſtemmatibus per intervalla conſperſis; inſtruuntur Mauſolæa artificioſis figuris formata; Pyrarum Stylobatis inſcribuntur Epitaphia; plurimis intorſtitiis & facibus luſtratur ſpatium; Funeralia ſacra celebrantur; ac tandem Oratio Commendatoria ab Eccleſia pronuntiatur. Ex his, quod mea refert nonnihil, eſt Epitaphium, cujus ſtructura exquiſitum poſcit artificium. Iſtud nimirum debet eſſe breve, acutum, ſententioſum; verbis grandioribus, ſenſu gravidis, uſu non tritis, ſed probatis conſtitutum; non periodicè fluens ſed commatibus, mox brevioribus, mox longioribus interciſum; quod medium proſam inter & verſus obſervans ſtylum, memorabiliora Defuncti facinora, preſsè, argutè, & concinnè repræſentet; ac peritiſſimi Pictoris inſtar, plus ex dictis intelligendum & conjiciendum tradat, quàm prodat. Pompæ Civiles Chriſtianis Mortuis fieri ſolitæ. Monumenta. Epitaphia.

V. Triplicis conditionis fingi poteſt vir ille mortuus in cujus gratiam Concio Funebris inſtituitur. 1. Vel enim tam eximiæ probitatis fuit, ut proximè in Sanctorum album referendus, jam habeatur pro Beato ſeu Triplex Status Laudandorum.

Canonizationis candidato; tunc cautè & prudenter omninò loqui debet Eccleſiaſta, ne ſcilicet hunc authoritate privata & ardentiore zelo publicè colendum tradat aut afferat, donec Romanæ ſedis calculus acceſſerit; illud quidem ſperandum aut optandum dicere poterit, ſed nullatenus ipſe decernat, quod non eſt privati, ſed publici & ſupremi juris. 2. Vel Defunctus ille fuit aut pietate aut dignitate celebris, non quidem tanta, quæ primum Sanctitatis gradum attingat, ſed nec etiam ullis vitiorum maculis deturpata. 3. Vel denique *pluribus vitiis* ſordibus extitit ille cujus parentalia celebrantur: utrumque *iſtud* genus magnam ingenii & prudentiæ artem deſiderat; maximè quod *poſterius* eſt.

Laudes fictitiæ, & mendaces tacendæ.

VI. Laudis materia triplicis generis poteſt excogitari; vel enim eruitur à Civilibus & Mundanis fontibus, quales ſunt Gentilitii ſplendores: vel à propriis Dotibus & Geſtis: vel à Fictitiis & mendacibus titulis. 1. Abſit prorſus ab Eccleſiaſta ſacro, tribuere cuiquam falſas aut indecoras laudes; hæ ſolùm à vero & Honeſto petendæ ſunt. Non diffiteor tamen poſſe Concionatorem aliquando plurima conjicere & conjicienda tradere, præſertim ſi ſufficientia non defuerint conjecturæ commendatitiæ argumenta; immò non ita ſcrupuloſè agere debet Orator, quin benigniùs & in favorem ſæpè interpretetur, quæ ſpecie levia ſunt, hæc (inquam) poſſunt innoxiè penſari, & exaggerari. 2. Si vitiorum aliquo vel aliquibus laboraverit Defunctus; tunc Eccleſiaſta Pictoris more, qui Antigonum vel Philippum altero oculorum orbatum *exhibiturus*, eam prodidit partem quæ nullo ſorderet vitio; ut ſupra dictum *fuit pag.* 445. ita Eccleſiaſtes poterit Hominem laudare à virtutibus & meritis quæ laudem deſiderant, tacebit verò defectus, & artificioſo ſilentio velabit. Vel ſi notiora ſint peccata quàm diſſimulari poſſint aut debeant; tunc expedit ea nonnihil minuere per argumenta quibus delictum ſolet excuſari, ut ſunt Humanæ infirmitatis principia, occaſionum efficacitas, fallacium Conſiliariorum ſuaſio, &c. Aut certè, Delicta ſunt virtutibus compenſantibus diminuenda, ut ſi cautior ex ruina ſurrexerit aliquis, ſi dotibus eximiis præſtiterit, quarum intuitu & comparatione delicta vileſcant, aut minoris æſtimentur.

Dubiæ.

Defectus hominis qua arte tractandi.

Loci pro Concione Funeb. i.

VII. Tertius iſte Defunctorum laudandorum ſtatus eſt; qui dignioribus titulis inſignitur & à ſordibus ſaltem notioribus vacat; de hoc jam quæritur unde laudationis materia ducatur. Actum agerem, ſi rurſus indicarem Fontes ex quibus oriatur Panegyrica ſupellex: *de his egi fusè* in 1. Parte Lib. 2. de Promptuariis, & in 2. Parte Lib. 2. de Locis Demonſtrativo Generi deſtinatis. Obſervatu nunc dignum videtur, monere Panegyriſtam ſacrum, ne tempus ſacris deputatum abſumat in retexendis Genealogiis, & explicandis Stemmatibus Gentilitiis: *Scio non* modicam laudem eſſe homini, ſi Avorum merita propriis virtutibus adæquet vel augeat: novi etiam, glorioſum eſſe alicui ea præſtitiſſe facinora

Trophanę Laudes vitandæ.

quæ

quæ meruerint honorariè Stemmatis Areæ inſcribi; ſed iſta & ſimilia quæ prophanas Oratorum Claſſicorum adulationes redolent, & ſuperbienti forſitan Familiæ vanitati aſſentantur, minimè decent Eccleſiaſtam, cujus miniſterium comprimendæ potiùs quàm augendæ oſtentationi deditur: Sobriè ergo, prudenter, & Chriſtianè hujuſmodi laudes impendantur, cùm alia ſunt præconiorum capita quæ Chriſtianis conveniant.

VIII. Artificium inſtruendæ Concionis funebris ſingulas ejus partes attendit. 1. *Thema* quidem ſolertia & ingenio plurimùm indiget, ut illud ex Scriptura ſacra diligatur, quod Perſonis, opportunitatis & loco convenerit, laudatur cùm memorandarum virtutum prægustationem & conjecturam tradit. 2. *Exordium* ducitur frequenter à Circumſtantiis, Perſonarum, Mortui, Auditorum & Oratoris; à Dolore, qui adſtantes percellit, & ipſos etiam parietes lugubribus indumentis veſtit, ob jacturam ex morte recente provenientem: Hinc difficultatem dicendi prætexit Concionator, utitur Figuris, Apoſtrophes, Exclamationis, Addubitationis, & ſimilibus quæ attonitum & afflictum animum oſtendunt. Cætera vix differunt à communibus Exordiorum præceptis, de quibus in 1. par. lib. 3. cap. 2. actum eſt. Tertiò, ingreſſus ſeu *Introductio*, aut amittitur, aut ad communes huic parti leges formatur; ut ibid. cap. 3. pag. 131. explicatur. 4. *Partitio* debet fieri eodem modo quo Panegyres diſtribuuntur. Vide ſupra, in hac 2. Par. lib. 2. cap. 1. art. 2. & cap. 3. art. 1. videlicet aſſumantur *aut* varii ſtatus in quibus homo ſe laudabilem præſtitit, ut v. g. fuit *Paſtor Vigilans*, *Sacerdos Pius*, *Judex æquus*, *Princeps Sapiens*, *Dux Fortis*, &c. *vel* virtutes præcipuæ notentur, ad quas veluti ad capita quodcumque geſſit ille revocetur, v. g. *Pietas*, *Æquitas*, *Fortitudo*, *Temperantia*, &c. vel diſtinguatur decurſus vitæ per Ætates quas mortuus egit dum viveret, v. g. *Juventus*, *Adoleſcentia*, *Virilitas*, *Sanctus*, *Virgo*, *Conjux*, *Vidua*, &c. In his, inquam, quod laudabiliter geſtum eſt oportet enumerare, ac debitis exaggerationibus magnificare. Modum in laudibus ſervandum conſule ſupra pag. 452. cætera ſunt Panegyricis paria, niſi quod ad Auditores deflectere debet oratio, ut mox dicemus.

Artificium commune ad inſtruendas Conciones funebres.

IX. Adjicere duxi operæ pretium, Induſtriam quam video familiarem Concionatoribus, cùm nihil aut pauca occurrunt in Mortuo laudanda, aut certè cùm non datur tempus ad Concionem integram de Funere inſtruendam. Fingunt illi aliquo modo perſonam Mortui hominis, eamque vocali tantùm Hypotypoſi exhibitam ſubſtituunt Prædicatoris loco; vel certè ſeſe profitentur eſſe Mortuorum Interpretes, ut eorum nomine moneant doceantque adſtantes, quæ oporteat eos noſſe & facere. Ideo memorant ſolemnem illum ritum, quo Antiqui ſuos mortuos ſepeliebant, nimirum *Sedentes*, quaſi ex Cathedra docturos ſuperſtites;

Artificium pro Concionibus Funebribus, cum pauca occurrunt dicenda, & deeſt tempus.

inde occaſionem ſumunt repræſentandi Mortuos in Sepulchro triplici titulo ſpectandos. V. g. velut, *Præceptores in Cathedra veritatis*, qui viventes de Salutaribus moneant; *Judices*, *in Tribunali æquitatis*, qui Impios de criminibus accuſent & damnent; *Pœnitentes in expiatrice cuſtodia*, qui Amicorum ſuffragia præſtolentur. Sat feliciter mihi aliquando ceſſit in ejuſmodi caſibus tractare de Morte & debita præparationem ad Mortem, de contemptu Mundi, de vanis occupationibus Mundanorum; de Temporis uſu, de Salutis negotio, &c. *His enim propoſitis* poſſunt artificiosè inſeri quæcumque Mortuus laudabiliter geſſit. Deinde ſi Concionator callucrit ejuſmodi Conciones communes, poterit ad datam occaſionem, extempore Mortuis pro ſua parte parentare.

Conſolatio viventium.

X. Ad vivos ſuperſtites deflectere debet Oratio Funebris, ut eorum minuatur dolor de abſentia Defuncti. V. g. Conſolatione indigent Parentes, ob amiſſionem Filiorum: hi ob Parentum jacturam; Maritus de Conjuge mortua; iſta de Marito, &c. Hæ quidem conſolatoriæ vices perficiuntur eadem ferè methodo, qua leniuntur aliæ calamitatum perpeſſiones (ut dictum eſt ſuperiùs:) peculiaria tamen habent capita, ad quæ debent inflecti, ſcilicet pro Perſonarum afflictarum, aut Rerum amiſſarum conditione. V. g. aliter mollitur dolor Patris de *Unigeniti* morte dolentis, aliter Mariti de Conjugis obitu; circumſtantiæ nimirum variant lenimenti rationem & modum. De conſolatoriis argumentis ſatis diximus ſupra: Peculiaria verò ducuntur ab *Adjunctis Perſonarum* aut Rerum. V. g. *Puer* mortuus eſt poſt Baptiſmum ante ſeptennium; ò quàm felix ille, qui conſummatus in brevi explevit multa tempora! ereptus eſt citiùs ne malitia mutaret intellectum ejus; &c. Obiit Filius magnæ ſpei. Feliciſſimus iterum ille, qui tot calamitatibus quibus terra redundat abreptus eſt, ut frueretur cœli deliciis; deſiit militare pro Mundanis Principibus, in quibus non eſt ſalus, ut Deo Regum Regi nomen daret, &c. O Parentes felices, quibus datum eſt poſſe pretioſam in Filiis victimam Deo conſecrare! eò certè iſtud ſacrificium præcellentius eſt, quò victima fuit offerentibus charior, &c. Alia non proſequor Conſolationis ferendæ capita, quia duci ſolent à Locis communibus, veluti quòd Deo ita jubenti & ordinanti ſit parendum; quòd obedientia in his & difficilioribus rebus ſit neceſſaria, ſed & utiliſſima; quòd deceat Chriſtianum ſe præſtare obſequentiſſimum; quòd magnæ mentis viri fuere in ſimilibus caſibus patientiſſimi; quòd ſpes Beatitudinis omnem auferre debeat dolorem plangentium, qui de proprio ſæpè damno potiùs conqueruntur, quàm de ipſius mortui abſentia.

Auditores moneri debent de pari ſorte.

XI. Item, debent Auditores moneri de pari ſorte, ut nimirum ſibi propterea caveant; ſuis rebus aliorum exemplo docti provideant; cogitent de imminente morte, quæ improvidos ſemper intercipit.

eo ferè tempore in quo minus advertebant; vitæ Brevitatem præ oculis habeant; Mundi fallacias obſervent ac deſpiciant; de ſalute ſeriò & citiſſimè ſatagant; Mediatores pro altera vita ſibi devinciant ac procurent, &c. Deinde ſuffragia pro Mortuis fieri ſolita depoſcantur ab Auditoribus, tum ob Humanitatem, quæ iſtud officium pro altero ſuadet; tum ob Neceſſitudinem, quæ amici cauſam agit; tum ob ſuffragii beneficium, quod paucis & modico pretio, rem inæſtimabilis meriti ac compenſationis ſibi comparat, &c. Hoc ultimo propoſito clauditur Oratio Lamentatoria. Suffragia pro Mortuis.

XII. Dum hæc ſcribo, mihi obtingit legere Concionem Funebrem de celebri Muliere, quæ fatis ceſſerat nuper pronuntiatam. Hanc breviter compingo in Exemplum eorum quæ mox dixi. *Thema* erat iſtud. *Memoria Juſti cum laudibus*. Proverb. 10. 8. *Exordium* ait nihil ſolere magis inutiliter tractari, quàm Conciones Funebres, quia in his conſuetum eſt Mortuorum parentibus ſuperſtitibus adulari, &c. Eamobrem nullum huic incommodo præſentius remedium liquet, quàm Mortuos ipſos in Prædicatoris vices ſurrogare; aut ſaltem ipſorum Magiſtrorum vocem inſtitutivam interpretari, &c. *Introductio* explicat illud Pauli 1. Cor. 14. 10. *Nihil ſine voce*, & iſtud Auguſtini tract. 24. in Joan. *Etiam factum verbi, verbum eſt*. Deinde ait quod Mortui *de medio Petrarum dabunt voces*. Pſ. 103. 12. Hinc ſubjicit ſepulchrum præ oculis poſitum, tribus proprietatibus inſigniri, 1. *eſſe Cathedram Præceptoris*; 2. *Tribunal Judicis*. 3. *Theatrum Rei*, vel Pœnitentis; Ideoque Mortuus in Tumulo veluti præceptor in Cathedra nos docet. 2. in Monumento, veluti Judex in Cathedra nos damnat; in Sepulchro veluti Reus in Judiciaria Exedra, vel Theatro, precatur ſuffragium. *Prima pars*, poſtquam præmiſit illud Theodoreti, *Mors eximia Catecheſis*, *Frugi admonitio*, ait tria documenta nobis ex Tumulo dari; ſcilicet, *Humilitatis*, quia omnia mundana ibi pulvereſcunt; *Fortitudinis*, quia hinc diſcimus illa fortiter contemnere; *Abnegationis*, quam voluntariè debemus ante mortem profiteri. *Secunda Pars*, iſtud Sapientiæ 4.16. adhibet. *Condemnat Juſtus mortuus vivos Impios*: tum ait, triplicem ſententiam ex ſepulchro pronuntiari. Prior damnat *inutiliter flentes*, altera flere ſeu *pœnitere impotes* damnat; Tertia *ſtupentes ad ſalutem* ſtimulat, &c. *Tertia Pars* nos ad commiſerationem erga mortuos incitat, quis eſt enim qui officium iſtud non debeat cuicumque afflicto? ſed mortuis potiori jure debet tribui ob ſtatum omnis meriti incapacem, doloribus formidandum, &c. Ideoque humiliter excitantur audientes, ut preces, Miſſas, Jejunia & alia ſimilia ſuffragia præſtent, ut pauperibus largiantur neceſſaria ſubſidia, &c. Exemplum Concionis Lamentatoriæ.

A R-

ARTICULUS IX.

De Concione in Forma Horoſcopi, Chiromantiæ, & Symbolorum.

Horoſcopus quid ſit, & ejus uſus.

I. HOROSCOPUS eſt futuri ſeu boni ſeu mali Prænuntiatio ex apparentibus ſignis vel indiciis ducta. Illa concionandi Forma curioſitatem ſapit, ſed utilitate non caret, modo Chriſtianè & induſtriè adhibeantur nonnulla quæ Aſtrologiæ Judiciariæ conveniunt. Uſum habere poteſt in Natalitiis Beatorum Hominum, Principum; & in ſuſceptione alicujus Expeditionis memorabilis; item in Feſto quocumque inſigniori, quod Aſtrorum aliquam conditionem refert, ut in Aſcenſione Chriſti, Aſſumptione Virginis, &c. In Epinicicis ſeu Triumphalibus victorum, Inaugurationibus Pontificum, &c. Spectat præcipuè ad Demonſtrativum Genus, ejuſque argumenta & ornamenta uſurpat.

Artificium quo fieri poteſt Horoſcopus Oratorius.

II. Artificium inſtruendi Horoſcopi, in hoc præſertim ſtat, ut detractis iis quæ Aſtrologiæ Judiciariæ ineptias redolent, cætera Concioni accommodentur: V. g. Aſtrorum Subſtantia, Motus, Exaltatio, Caſus, Aſpectus deſiderandi vel metuendi, influxus, &c. *Exordium* vindicare nititur Eccleſiaſtam ab odio quod meretur, qui Aſtrologiam Judiciariam adhibet; ideo dicit ſe excuſandum quia nihil contra leges Eccleſiæ dicturum ſe profitetur, nihil niſi Sanctum, Religioſum & utile, &c. *Introductio* verſare poterit Controverſiam de Futuri Conjectura, An ſcilicet iſtud poſſit ab homine in hac vita etiamnum degente prænoſci & prænuntiari? An detur conjiciendi ſufficiens cauſa? Vel explicatur, qua ratione & methodo Aſtrologus utatur ad res futuras proſpiciendum. *Partitio* deſumitur ex aliquibus Circumſtanriis quæ aliquid magni pollicentur: Cætera ſunt Panegyricis ſimilia.

Exemplum Horoſcopi.

III. Exemplum Horoſcopi tractandi ſit Nativitas D. Joannis Baptiſtæ. Thema ſit iſtud Lucæ 1. 66. *Quis putas Puer iſte erit?* Præpoſito (ut dixi) Exordio præoccupationem exhibente, & præmiſſa Introductione de difficultate conjiciendi futurum; Partitio fiet in eas perfectiones quæ prænuntiantur, v. g. prædicitur Joannes futurus, *Veritatis Præco*, *Sanctitatis Exemplar*, *Puritatis Martyr*. Prior Pars conjiciet priorem titulum, ex eo quod 1. ſcribit D. Chryſologus ſer.

De S. Joann. Baptiſta.

88. *Joannes ſit Antiſtes de Antiſtite, Sacramenti filius inter Sacramenta conceſſus, Angelus de ore Angeli, Sancta delatus in viſcera.* Altera pars proſpicit Sanctitatem, ex eo quod (ut ait idem Chryſologus ſerm. 89. *In Zacharia & Elizabeth reatus occidit, quia in illis parabatur, unde tota Sanctitas naſceretur.* Tertia Pars prænuntiat Puritatem ex illo Auguſt. ſerm. 1. de Joann. Baptiſt. *Quaſi ex aliquo ſimilis Domini, præmittitur filius ſterilis ante Filium Virginis, neſcio quod majus miraculum ipſa nativitate de-*

Reclamans. *Concluſio* vix differt ab aliis dicendi Generibus. Aliud Exemplum de S. Petro Apoſtolo. Thema, illud Apocalypſ. 9. 1. *Vidi ſtellam cecidiſſe de Cœlo*, &c. *Exordium*. [Mirabimini fortaſſe Auditores, quod pulpitum hodie conſcenderim facturus Horoſcopum, &c.] Ratio eſt, quia iſtud obſervationis genus non convenit Oratori ſacro; immò prohibetur ab Eccleſia, &c. [At mirari deſinetis cùm didiceritis non omnem methodum quæ Aſtrologos imitatur, prohiberi, ſed illam ſolùm quæ fundamentis vanis, &c. nititur. Aſtrologia quam hodie profiteor, vera eſt, Religioſa, & ab Eccleſia probanda, &c.] *Introductio* comparat Beatos Homines cum Aſtris, in quibus tria obſervantur. 1. Caſus. 2. Exaltatio. 3. Aſpectus. Eadem in Petro Apoſtolo notabuntur, 1. ejus Peccatum. 2. Elevatio per pœnitentiam. 3. Efficacitas ad ſuggerendam peccatoribus Pœnitentiam ejus exemplo, &c. Item de Aſcenſione Chriſti, ille 1. Exaltatur ut noſtræ Exaltationis ſpem faciat. 2. Mediatoris vices acturus conſcendit. 3. Judex dicitur venturus, ac de fides & peccatores damnaturus: Inde poteſt triplex Solis Aſcendentis aſpectus tractari. 1. *Aſpectus æmulationis* ſeu imitationis. 2. *Aſpectus Miſericordiæ*. 3. *Aſpectus Terroris*, *& Juſtitiæ*.

De S. Petro Apoſtolo.

De Aſcenſione Chriſti.

IV. Chiromantia eſt aliud Divinationis ſeu Conjecturæ genus, quod ex inſpectione Manuum proſpicit aliquid boni ſperandum bonis, mali timendum malis; ut v. g. de Plagis quæ manibus Chriſti ſunt inſculptæ. Thema. *Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat*. Job 27. 11. vel illud Joannis 20. 20. *Oſtendit eis manus*. *Exordium* ducitur ab Excuſatione & præmunitione, ut mox dictum eſt de Horoſcopo. *Introductio* plurimas rationes adducit ob quas Chriſtus Cicatrices ſervare voluit; ex his tres ſeliguntur, videlicet ut ſint Præjudicia, 1. *Omnipotentiæ*. 2. *Miſericordiæ*. 3. *Juſtitiæ*. Etenim ex Cicatricibus, 1. *Omnipotentia ſtruit Humanitatis Victricis Trophæum*. 2. *Miſericordia, aperit Peccatoribus Aſylum & condonationis pignus*. 3. *Juſtitia, oſtendit Impiis cenſuram & exprobationem perpetuam*. Ubi obſervandum eſt quòd non debeat Orator ſacer immorari in recenſendis & explicandis pluribus ineptiis quibus Ars tum Horoſcopi, tum Chiromantiæ abundat; nil niſi Sanctum, verum, utile & probatum oportet proferre: iſtæque & ſimiles comparationes ab ejuſmodi rebus ductæ, non adhibentur, niſi ut aliqua ob novitatem recreatione, Auditores ingenioſius ad Concionis ſacræ ſcopum pelliciantur.

Chiromanticæ Concionis uſus.

V. *Symbolum eſt Rei latentis & occultæ ſignum ſeu Imago, quæ ingenioſa ac recondita Similitudine Perfectionem vel Imperfectionem, virtutem aut vitium repræſentare poteſt*. De Symbolis dictum eſt 1. Parte Lib. 2. cap. 5. in Promptuario Miſcellaneo. Ibi quidem Symbolum erat pars orationis, hic verò Concionem integram conſtituit, & ad Formam Syncriticam ſeu Parallelam accedit. Artificium quo inſtituitur nihil habere videtur peculiare, quo à Demonſtrativo genere ſecernatur, idem enim

Symbolica Concio.

ferè

ferè eſt Exordium, eadem Introductionis forma; Partitio tantùm diſſimilis eſt, in eo quòd adhibeat res quaſdam quæ proprietatibus ſuis virtutes laudandas explicent. V. g qui D. Franciſci Saleſii vellet exprimere *Innocentiam*, *Humilitatem & Charitatem*, poſſet id præſtare triplici Symbolo. 1. *Apodis* avis, quæ ſine pedibus fingitur, & nuſquam viſa eſt inſidere terræ. Adderetur iſtud Lemma vocale, NESCIT CONTAGIA TERRÆ. 2. *Bombice*, ſeſe ſuis ſtaminibus involvente, cum addita inſcriptione, OPERITUR DUM OPERATUR. 3. *Phœnice*, è mediis flammis reviviſcente, aſſumpta hac Epigraphe, *SIBI* CHARITATE SUPERSTES. Ex his (inquam) quæ aſſumuntur tamquam Symbolicæ Comparationis capita, conſtituuntur partes Concionis Symbolicæ, quarum ſingulæ peculiaris Symboli naturam & proprietates diſcutiunt & rei de qua tractatur attribuunt, ut v.g.ſi dicatur: B. Virgo Maria, eſt 1. *Cœlum animatum*. 2. *Altare propitiatorium*. 3. *Sanctitatis Exemplar*; examinabuntur Cœli Natura, Fœcunditas, Incorruptibilitas, Influxus, &c. quæ omnia oſtenduntur convenire Virgini; idem de cæteris Comparationis partibus fieri debet: cætera ex Forma Syncritica & Panegyrica require.

ARTICULUS X.

De Forma Concionum quæ fit per Paradoxa.

De Paradoxo, quid ſit.

PARADOXUM vox eſt Græca, mirabile aliquid & ultra opinionem ſonans; uſurpatur autem hìc ut appellet quamdam dicendi Formam, quæ verſat Quæſtiones à communi & plebejo ſenſu abhorrentes, quales in Chriſtianis pulpitis permultæ ſolent cum laude & voluptate tractari; Ejuſmodi eſt illa D. Chryſoſtomi: *Quòd nemo læditur, niſi à ſeipſo*. Item D. Chryſologi ſer. 45. Incarnationis Myſterium prodigiis ſeu Paradoxis fœcundum repræſentantis, ſub hac Verborum forma, *De Deo convertitur in Hominem; de Domino in Servum; de Judice in Reum*.

Hujus Methodi utilitas.

Oſtentationem præ ſe fert iſta Concionandi ſpecies, quæ argumentum inſolitum & ferè inauditum verſans, Auditores rerum novitate ac miraculo ſuaviter pellicit. Cæteris Concionum Ideis permixta non parum prodeſt tum varietate methodi quæ ſatietatem ab æqualitate aut ſimilitudine ſtili promanantem vitat, tum Efficacitate ſuaſionis quæ avidis & curioſis mentibus jucundè ac fortiter illabitur. Non deſunt Eccleſiaſtæ, qui toto tempore Adventus, Quadrageſimæ, vel Octavarum non alia forma texunt Conciones quàm paradoxis; at (ni fallor) continua Paradoxorum ſeries faſtidii aliquid videtur ingerere ob æqualitatem qua auditores fatigantur; præſtat ergo variam alternatim adhibere formam quàm ſimilem

ſimilem ſemper uſurpare. Duo nihilominus in hujus formæ uſu occurrunt animadverſione digna. Primo monetur Eccleſiaſtes, ne vanæ exiſtimationis deſiderio paradoxa ſectetur eaque frequentiùs uſurpet, ut ſibi faciat nomen rerum inſolitarum pollicitatione. Alterum notabile Auditorum ſtudet ſaluti, quæ ſublimioribus paradoxis & ſubtiliùs excogitatis rebus luditur potiùs quàm ſtabilitur. Eamobrem meritò conſulitur Concionatori ut modum in hujus formæ uſu ſervet; tum ne ſit frequentior, tum ne levioribus aut ſubtilioribus conceptibus attenuata evaneſcat.

Artificium conficiendi ſeu excogitandi Paradoxa duobus maximè capitibus conſiſtit; nempe ut Eccleſiaſtes probet aut in uno & eodem ſubjecto coire & ſociari quæ ſunt ſibi invicem contraria & unionis incapacia, aut disjungi quæ ſocietatem indiſſolubilem inierant & vinculo individuo connectebantur. Primæ formæ exemplum eſto iſtud B. Virginis naſcentis Encomium, paradoxis ex contrariorum nexu conſtans, oritur quippe ex Parentibus Impuris Pura, ex Nobilibus Humilis, ex ſterilibus fœcunda. Ita Crux laudatur quòd Chriſtus fecerit ſibi ex ejus doloribus voluptatem, ex opprobriis Gloriam, ex Infirmitate virtutem. Alterius ſpeciei typus erit Euchariſtia, quæ prodigiis abundans, exhibet nobis in altari Deum Gloria ſpoliatum, Beatum voluptate carentem, Viatorem Miſeriæ expertem. Hæc quidem à ſenſu communi abhorrent, quæ tamen reipſa vera ſunt, quia ibi Deus Gloria externa per exinanitionem Euchariſticam privatur; ipſiuſmet corpus Beatitudine donatum, glorioſis dotibus ac debitis non fruitur; nec idem quamvis ſub Paſſionis commemoratione repræſentatum quidquam pati poteſt quo doleat. Sic etiam paradoxis laudaretur qui extitiſſet Innocens & Pœnitens, exaltatus & humilis, Dives & pauper, &c. Facillimum eſt, ut meditanti liquet, ejuſmodi paradoxa confingere; at difficultatis nonnihil habet hujuſmodi forma ut exactiſſimè tractetur.

Artificium Paradoxorum.

Methodus ergo in hoc Genere tractando adhibenda ab aliis Generibus diſtat (ut dixi) in eo, quòd hæc oſtendat quantùm diſſideant Quæſtionis Termini quorum connexio intenditur, vel quàm fortiter inter ſe cohæreant quorum disjunctio probatur; inde enim fit Paradoxum, quod ad ſyllogiſmi formam redactum, concluſionem ſuggerit admiratione dignam. V. g. *Difficillimum eſt efficere, ex doloribus voluptatem, ex opprobriis Gloriam, ex Infirmitatibus virtutem, quique illa præſtiterit laudem meretur maximam: At Chriſtus ea omnia perfecit Cruci affixus; operoſiſſimum igitur & laude digniſſimum perfecit negotium.*

Methodus ſtruendi concionem Paradoxam.

Partes Concionis Paradoxæ, eadem ferè methodo inſtruuntur qua cæteræ, niſi fortè *Exordii ſcopus* ab aliis nonnihil differat in eo quòd Auditorum animos parat, ut rem inſolitam ſtupore & admiratione dignam excipiant. *Introductio* verò rei paradoxæ naturam & proprietates perpendit, deinde, ad Effectus ſeu partes paradoxas in qua Concionis diſtributio ſit, progreditur. Partes tandem Concionis ita explicat, ut primùm

mùm aperiat difficultatem ſpecialem in puncto propoſitam, poſtea eam enodet ac ſolvat probando factum fuiſſe in caſu de quo agitur, quod priùs videbatur aut Impoſſibile aut ſaltem difficillimum.

ARTICULUS ULTIMUS.

Corollarium, quo ſummatim explicatur Methodus, qua juxta præmiſſas Regulas poſſit inſtrui Concio, ejuſque materia veſtigari, digeri & ordinari.

SECTIO PRIMA.

Ars veſtigandæ, ordinandæ & examinandæ Materiæ.

Materia quid ſit. Prima & Secunda.

I. MATERIAM appello quaſcumque res ex quibus tota Concionis ſtructura coaleſcit, eſtque veluti fundamentum Ædificii Oratorii, quod Formæ inducendæ, aliiſque Ornatibus appoſitis ſubſternitur. Eſt autem Materia Concionum duplex, Prima & Secunda. *Materia prima*, eſt Thema, ſeu Propoſitio quæ Concioni præſcribitur tractanda: *Materia ſecundam* voco Argumenta & Rationes, quibus præfixum Thema probatur & amplificatur.

Thema Concionis.

II. De Themate dictum eſt ſæpius, illud ſeligi debere, quod magnam ſui expectationem faciat, quod propoſitum tractandum prænuntiet, & paucis verbis ex Scriptura Canonica, vel aliquando ex Officio Eccleſiaſtico deſumptis, præmoneat Auditorem de rebus dicendis, ac ejus attentionem conciliet. Iſtud ſæpe abſque verſione proponitur; nonnumquam poſt latinam propoſitionem, idiomate vulgari repetitur; aliàs brevi & eleganti paraphraſi Exordii vice explicatur.

Propoſiti tractandi conditiones.

III. Propoſitum illud aſſumi debet ab Eccleſiaſta, quod fuerit ad mores formandos magis accommodum, & ſi ſpeculativum plus nimio fuerit, ad praxim & uſus peculiares inſtituendis moribus idoneos artificioſè inflectatur. Operæ pretium eſt, ut Eccleſiaſta prius quam de propoſito tractando conſtituerit, precibus ſe dedat petiturus humiliter à Deo quid convenientius fuerit & utilius Gloriæ divinæ ac Auditorum ſaluti; deinde ab ipſo poſtulet gratiam & vires quibus poſſit præmonſtratum opus feliciter ac ſalubriter ad placitum finem perducere. Poſtea proſpiciendum eſt, in quo dicendi Genere verſetur Quæſtio tractanda, num in Didaſcalico, num in Demonſtrativo, aut Deliberativo & in aliquo peculiari genere ſub his comprehenſo; diverſas enim probationum & argumentorum rationes, ac tractandi methodos poſtulant diverſa Dicendi genera. Item debent Auditorum conditiones, aliæque circumſtan-

ſtantiæ cùm Perſonarum tum Rerum, quibus Concio eſt accommodanda, penſari.

IV. Prælegendi ſunt Authores qui de ſimili propoſito tractando ſcripſere, in his annotare oportet quomodo & qua ratione penſum ſuum illi abſolvant; obſervanda ſunt argumenta quibus rem probant; ac denique methodus attendi debet, ut ſi quid in ea eximium & conveniens occurrerit, iſtud ad præſentem uſum ingenioſè convertatur. Item conſulere oportet Tractatum de Affectibus, ac de Figuris, ut inde Orator ebibat quomodo motum propoſito convenientem poſſit excitare, & appoſitis figuris ornare, quo enim iſta menti altiùs inhæſerint, eò facilius occurrent etiam minus attendenti. Induſtriæ quibus præmuniendus eſt Orator.

V. Duplici methodo poteſt conquiri Materia propoſito neceſſaria. Vel enim Eccleſiaſtes ſtatuit Concionis propoſitum & Ideam priùs quàm rationes & argumenta rei tractandæ propria collegerit, vel ad prius factas collectiones ſuum propoſitum, ſuamque Ideam ille accommodat: Induſtriam nonnihil diſſimilem utraque Compoſitionis methodus deſiderat. Prior quidem, quæ ſibi præfixit Ideam tractandam ante collectam ſupellectilem oratoriam, pendet ab Oratoris ingenio & ſolertia. Ubi enim contigit aliquod propoſitum expendendum ſtatim; ille ſeriò apud ſe meditatus excogitat Ideam ſeu Partitionem, prout, potuerit. V. g. de Pœnitentia, conſtituit tres ejus conditiones expendere; videlicet. *Celeritatem, Integritatem & Perſeverantiam*, ſeu quod debeat eſſe Prompta ſine mora, Integra ſine exceptione, conſtans ſine recidiva; En propoſitum utile, quod tres continet partes, ad quas ſigillatim probandas exquirendæ ſunt rationes; Oportet tunc conſulere Promptuaria, de quibus actum eſt in prima parte Lib. 2. vel Librorum indices compendiarios; vel ſane Collectiones quæ aliunde obtigerint; atque ex iis ſeligendum eſt, quod unicuique parti ſtatuendæ viſum fuerit expedire. Ut v. g. quid pertineat ad ſuadendam iſtam priorem propoſitionem de Pœnitentiæ acceleratione; deinde quid ad ſecundam; tum quid ad tertiam ſpectaverit, quæ omnia ſuis capitalibus propoſitionibus ſunt ordinatè & pro ſua dignitate aut validitate ſubjicienda, ut mox dicetur. Altera methodus colligit tumultuariè, quodcumque de re tractanda occurrit in Promptuariis vel in Libris idem propoſitum expendentibus. V. g. quidquid fuerit de Pœnitentia; tum poſtquam multa ſupellex codicem exceptaneum impleverit, ex illa eruitur Idea tractanda; quæ à præcedente differt, quod illa non pendeat niſi ab Oratoris Induſtria, quæ propoſitum ſibi format prout libuerit aut potuerit; poſterior verò pendet maximè ab Exceptaneis, quibus ſeſe accommodare omnino debet. Utraque conquirendæ materiæ methodus utilis eſt & probatur, ſed ingenio præcellere videtur quæ ex ſola Oratoris induſtria ſucreſcit. Duplex Methodus conquirendæ Materiæ idoneæ.

Methodus qua digeritur & Ordinatur Materia collecta.

VI. Methodus qua prudenter digeri debet corrogata de aliquo propoſito tractanda ſupellex, hæc videtur commodior. Videlicet, ut Charta ob eam rem paretur, in cujus albo tot deſcribantur claſſes quot ſunt Concionis partes ſtatutæ; cuilibet Claſſi præfigatur propoſitio capitalis, cui ſubjiciantur ſummatim argumenta præfata capiti convenientia, quæ argumenta characteribus Arithmeticis diſtincta notentur, prout viſa fuerint ordinanda ob dignitatem, efficacitatem, aut artem. V. g. in Exemplo mox apponendo de Charitate, præfigitur claſſi pro introductione deſtinatæ, Propoſitio illa: *Nulla majoris momentis quæſtio fieri potuit quàm ea quæ de vitæ æternæ acquiſitione movetur*. Vides argumenta iſtud probantia ſucceſſivè ordinata & Arithmeticis notis deſignata. Idem actum eſt de propoſitione quæ primam Concionis partem conſtituit, nempe, *Nullum eſt ad vitam æternam obtinendam Medium honeſtius Dilectione*. Idem de aliis capitalibus propoſitionibus fieri oportet; ideo nimirum ut rationes ſummatim ordinatæ ſtatim objiciantur oculis & menti, propter eaque Orator faciliùs dignoſcat an ſcopo conveniant omnia, an verò aliquid exorbitet.

Artificium quo examinantur Concionis Argumenta & partes.

VII. Ad Ordinationem Concionatoriæ ſupellectilis pertinet Concionis materiam probatitio ſpecimine formare; non ſecus ac Pictor, qui Formæ alicujus prima Lineamenta carbone ſæpius, donec arriſerit, deſcribit, priùs quàm vivos colores adhibeat; Ita Eccleſiaſtes rudi calamo varias Concionis formandæ Ideas delineet, varia methodo inſtruat, quæque viſa fuerit præcellere Idea, ſeligatur. Aliàs dictum eſt, multum ad tractationis perſpicuitatem conducere, ſi argumenta & rationes formentur ad modum ſyllogiſmi, quo nimirum dignoſcitur, an omnia ſcopum præciſè attingant. V. g. Collectiones infra ponendæ de Charitate, ſic poſſunt Syllogiſmo examinari: *Medium pro vita æterna conſequenda, quod eſt Honeſtius, Utilius & Facilius, eſt uſurpandum; At Dilectio Dei eſt Medium Honeſtius, Utilius, & Facilius; Ergo &c.* Vides quàm bene inferatur uſus Charitatis, ex Honeſtatis, Utilitatis & Facilitatis rationibus. Jam verò tres inde propoſitiones exurgunt, pari methodo examinandæ. V. g. Illud Medium, quod eſt nobilius omni virtute morali; quod perficit virtutes etiam Theologicas; quod denique eſt pretioſius omni Creatura, illud eſt Honeſtius; atqui ejuſmodi eſt Charitas; Ergo, &c. Aliæ Partes idem ſubeant examen, & inde Orator dignoſcet omnia argumenta in ſcopum directè collineare, nihilque eſſe quod à fine propoſito aberret. His præmiſſis, oportebit convenientia ornamenta cùm ex varia eruditione, tum ex idoneis figuris, tum ex aliis pigmentis Eloquentiæ aptis ordinatam ſupellectilem expolire, & in ſuſcitandum Affectum convertere, ut ſupra dictum eſt abundè.

S E-

SECTIO II.

Exemplum de Materia colligenda & ordinanda.

EXemplum methodi mox explicatæ, ſit Amor Divinus ſuadendus. Aſſumo pro Temathe Dialogum Chriſti cum Legiſperito, relatum à D. Luca cap. 10. 25. *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Quæſtio verſatur in genere Deliberativo: nimirum Vita æterna obtinenda: Propoſitum ſeu Finis eſt, ſuadere Amorem Dei tamquam Medium ad Vitam æternam conquirendam neceſſarium. Prima & rudis Concionis delineatio Ideam efformat (ut dixi) ex triplici Generis ſuaſivi Fonte, ſcilicet *à Bono Honeſto, Utili & Facili:* Propterea ſtatuitur hæc Concionis partitio: Ad Vitam Æternam promerendam Amor Divinus Medium eſt aptiſſimum, eo ſcilicet nullum eſt Honeſtius, nullum Utilius, nullum Facilius. Deinde efformatis ſingularum Concionis partium Ideis, Tyro noſter, unamquamque leviter delineat, ac diſtinctis in Charta capitibus probationes debitas ſubjicit, hoc ſequenti aut ſimili modo. Rudis delineatio Concionis præſentis.

Thema. *Magiſter, Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? .... Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Luc. 10. 25.

Exordii ſcopus genuinus eſſe videtur oſtendere, Quanti ſit momenti ſolutionem propoſitæ Quæſtionis audire & perdiſcere; ideoque Materia huic fini apta conquiri debet & digeri hac ferè ratione, quæ rudem tantùm & leviter ordinatam Exordii formam pingit.

E plurimis quæ fieri poſſunt Quæſtionibus, nulla proponitur callidiùs, nulla ſapientius ſolvitur quàm ea quæ à Legiſperito prolata, à Chriſto enodatur. Hæc eſt Exordii propoſitio bifida, priori membro ſenſum Judæi complexa, altero Salvatoris reſponſum continens. Hìc narrari poterit pauciſſimis Verbis Dialogi hujus hiſtoria, deinde propoſitionis bimembris ſubjiciantur hæ probationes. Calliditas Phariſæi ex ipſius prava interrogatione liquet; non enim ſciſcitabatur ut diſceret, ſed ut caperet in ſermone, ſi poſſet, redargueretque aut Inſcitiæ aut Imprudentiæ. Sapientia Chriſti patet, ex eo quòd quærentem ipſum ingenioſè compellit ſua reſponſione quæſtionis ſolutionem proferre. Exordii, finis, Materia, & Diſpoſitio.

At quævis fuerit Legiſperiti mens, nobis tamen utilis fuit, quòd Chriſto dederit anſam docendi Media quibus vita æterna comparari queat. Hoc nos ipſi diſcimus ab ejus ſapientiſſimo reſponſo, quod penitiùs Dei auxilio freti mox perpendemus, &c.

Hæc aut ſimilia poterunt Exordio materiam ſubminiſtrare; ea poterunt amplificari ex circunſtantiis, quæ malitiam Calliditatis Judaicæ &

cæ & Sapientiam Chriſti Judæorum ſalutem nihilominus curantis oſtendunt.

Introductionis Materia diſpoſitio & examen.

Introductionis materia conquiri debet in eum finem, ut probetur quanti ſit momenti Quæſtio propoſita, & à nullo debuiſſe ſolvi alio quàm à Chriſto: ſic igitur ordinabuntur capita probanda, eorumque rationes.

Nulla majoris momenti Quæſtio fieri potuit ea quæ hodie proponitur, &c.

Rationes Introductioni aptæ ordinantur.

1. Quia hìc agitur non de quovis bono terreno quod ad corpus ſpectet, ſed de Salute Animæ, qua nihil charius, &c.

2. De vita æterna, qua nihil felicius, &c.

3. De poſſeſſione Dei, qua nihil pretioſius, &c.

At tanti momenti Quæſtio à nullo debuit ſolvi niſi à ſolo Chriſto.

1. Quia nullus viam Beatitudinis novit melius Chriſto, &c.

2. Quia nullus tutior hujus rei magiſter, quàm Chriſtus qui nec fallit nec falli poteſt.

3. Quia nullus noſtri amantior Chriſto, &c. Ideoque quæſtionis tantæ ſolutio à Chriſto petenda, audienda, & executioni mandanda.

Concionis Partitio.

„ Quodnam ergo reſponſum dabis ò Chriſte? Quod Medium ad vitam
„ æternam obtinendam docebis? Brevis eſt & accurata reſponſio, eam au-
„ dite: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Medium ergo iſtud eſt, Di-
„ lectio Dei. O mira prorſus ſolutio! ò nobis omnino neceſſaria! ò Me-
„ dium prorſus laudandum & amplectendum! Atque ut Medii à Chriſto
„ indicati excellentia pateat, tribus rationibus id penitus oſtendam, ſcili-
„ cet ad vitam æternam conſequendam Medium aliud à Dilectione eſſe nul-
„ lum Honeſtius, nullum Utilius, nullum Facilius. Hoc ſi bene proba-
„ verim, vos, (ni fallor) ſuaſero Diligere, illud eſt Concionis præſen-
„ tis ſcopus & œconomia, eſtote attenti.

Primæ Partis Materia & diſpoſitio.

I. P. *Nullum eſt ad vitam æternam, obtinendam Medium Honeſtius Dilectione.*

Breviter præmittitur, quantam vim habeat alicujus propoſiti Honeſtas, ut ſui amorem creet; deinde Honeſtas Dilectionis divinæ probatur ex ejus excellentiis.

Præſtantia & Honeſtas Charitatis.

1. Eſt nobilior omni virtute morali, quia ad Deum immediatè *tendit*, &c.

2. Præſtat virtutibus Theologicis, ſcilicet Fide *& Spe; tum quia fortiùs* unit hominem Deo; tum quia hæc tandem ceſſabunt, ſed illa numquam, immo ſemper manet, ideòque ab Apoſtolo dicitur harum major; tum denique quia omnium virtutum forma eſt Charitas, ipſis operationem, perfectionem & meritum largiendo.

3. Pretioſior eſt omni Ente creato, quia hoc qualecumque fuerit, ordinis eſt ſemper Inferioris, Charitas verò ſuperioris. Immo videtur non-

nonnihil excellentior ipſa Maternitate B. Virginis, addo & nobiliſſima unione Hypoſtatica, &c. Ratio petitur ex eo, quod Charitas ſit nexus Amoris cum Deo, &c. At B. Virgo, & ipſe Chriſtus (ſi hæc fingi poſſit hypotheſis) mallent quacumque alia perfectione etiam pretioſiſſima carere, quàm Charitate, qua Creatura & Creator amore mutuo connectuntur.

II. P. *Nullum ad vitam æternam obtinendam Medium Utilius Dilectione.*

Secundæ Partis Materia & diſpoſitio.

Plures ſanè moventur Utilitate quàm Honeſtate, quæ forte paucos afficiat; utilitatis cupidis ſua reſponſione providit Chriſtus, nam Medium docuit quo nullum eſt utilius. Hoc probatur.

1. Quia & in hac vita magnam meretur mercedem, &c.

2. Quia eſt ſemen Gloriæ & principium omnis meriti, &c.

3. Quia certiſſimè conſequitur vitam æternam quam Deus præparavit diligentibus ſe.

III. P. *Nullum ad vitam æternam obtinendam Medium Facilius Dilectione.*

Tertiæ Partis Materia & diſpoſitio.

Fuerit ſane Honeſtiſſimum illud Medium; fuerit Utiliſſimum, non ideo tamen movebit puſillanimes; ſi ſcateat difficultatibus, &c. At quàm ſapienter occurriſti deſidioribus, ò Chriſte! Medio iſto nullum facilius. Probatur.

1. Quia omni ætati, ſexui, conditioni, diſpoſitioni convenit, &c. plurimos enim reperias qui nequeant jejunare, vigilare, &c. at nullum qui non poſſit amare.

2. Probatur à contrario, quia ſi vita æterna penderet à Doctrina, à divitiis, &c. deſperarent Ignari, Pauperes, &c. at his non promittitur vita æterna, ſed Deum Diligentibus, &c. Quis non facillimè diligat? Quæ ratio cur id non fiat facilè? &c.

3. Probatur à ſolutione objectionum. At dicet fortaſſe aliquis, Dilectio nos ad difficillima impellit; v. g. ad Præceptorum Divinorum executionem, ad pœnitentiam, &c. Eſto, hæc præ ſe ferant aliquid difficultatis; at ſi dilexeris, nihil difficile comperies. Probatur exemplo eorum quæ Amor prophanus operatur, quæ difficillima ſunt, &c. quanta operari debet Divinus ſi adſit?

Epilogiſmus.

Epilogus claudet Concionem Suaſione Dilectionis ex rationibus præmiſſis evincendæ. Tota enim Oratio brevi hoc ſyllogiſmo poteſt comprehendi: Ad conſequutionem Vitæ Æternæ nobis tantopere deſiderandæ amplecti debemus Medium Honeſtum, Utile & Facile; At Dilectione divina nullum eſt Medium Honeſtius, Utilius & Facilius; ergo illud amplectendum & adhibendum.

Ex mox allato Concionis parandæ Exemplo liquet Tyroni quomodo Collectiones ad priùs efformatam Ideam accommodet. Hic probationes ſolummodò delineavi leviter, & craſſiori (ut dicunt) Minerva,

nerva, poſſunt verò & debent impinguari, dilatari & expoliri, tum fuſiori rerum ſummatim notatarum explicatione, tum aliarum rationum è Promptuariis quæſitarum inſitione; tum denique debitis Eloquentiæ pigmentis ac leporibus. Sufficientibus autem intervallis debent diſtingui hæc excogitatæ Ideæ capita, ut ſpatium ſatis amplum relinquatur in exceptanea Charta, quo diſtribuantur argumenta propoſitum probatura.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.
SUGGESTUS
ELOQUENTIÆ CHRISTIANÆ,
SEU
DE PRONUNTIATIONE.

PRÆMONITUM.

SUGGESTU conſummatur Evangelicum munus & in ſacro pulpito concinnè prolata Eccleſiaſtæ ſupellex, facilè conſequitur Eloquentiæ Chriſtianæ intentum, quod eſt ſuadere ad virtutem, aut à vitio revocare, ad gloriam cæleſtem hortari, vel à pœna æterna deterrere. Excogitaverit quidem Concionator aptiſſimas rationes, tum ad faciendam fidem, tum ad affectus pelliciendos: eas diſtribuerit in debitum ordinem & locum, eaſdem decorarit elegantiſſimo ſeu verborum ſeu ſententiarum ornatu; Auditoribus tamen nondum proderit, donec aures oculoſve grata deliniens paratæ Concionis prolatione, utriſque verbo illapſus ſuaviter inſpiret ſalutis ſcientiam. Id autem fit Pronuntiatione quæ in ſuggeſtu peragitur, de qua præceptiones tradendas mox aggredior. Fateor tamen priùs cum optimis Eloquentiæ Magiſtris, non minimam ſubire difficultatem, qui Pronuntiationis gratiam depingere nititur: Quis etenim calamo poſſit repræſentare quod animo, quod voce, quod geſtu incaleſcens Orator pronuntiat in pulpito? Sanè mens & lepor dicentis pinguntur ſeipſis, non verò coloribus: non verborum circuitu, ſed actionis venuſtate. At ne res tanti momenti deſit Chriſtiano Eccleſiaſtæ, ſelectiora elegantioris Pronuntiationis documenta, nec-non Concionatori Evangelico magis idonea, ex celeberrimis Authoribus huc tranſſumpta, ſacro Suggeſtui conabimur accommodare. Cui denique ſubjiciemus Artem Memoriæ, quantùm ſcilicet induſtria poteſt adjuvari.

CAPUT I.

De Pronuntiatione in Genere, ejus Eſſentia, Utilitas, Partes, Proprietates expenduntur.

Pronuntiatio-nis Definitio.

SYNONYMA ſunt Pronuntiatio & Actio, quamvis illa propriè vocem Oratoris ſignificet, iſta Geſtum. Definitur autem Pronuntiatio latè & genericè ſumpta, *Pars Eloquentiæ, quæ vocis Corporiſque motus, rerum & verborum dignitate cum quadam venuſtate moderatur*. Hujus Definitionis verba ſe ipſis patent, ſatque produnt Pronuntiationis eſſentiam, cujus finis eſt, gratam & decoram tum Vocis tum Corporis moderationem, rebus & verbis accommodatam Oratori comparare.

Pronuntiatio-nis Utilitas.

Utilitas Pronuntiationis ejuſque Excellentia, ex triplici capite liquent. Primum quidem ex celeberrimorum Oratorum decretis. *Eloquentiæ palmam ſola Pronuntiatio meretur*, ait Demoſthenes: *Cæteris Rhetoricæ partibus jure dominatur*, inquit Tullius; Non tamen refert qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quàm quomodo efferantur, dixit Quintilianus. Alia Pronuntiationis Encomia ſileo ne ſiam moroſior; ſufficiunt hæc, ut quiſque noſcat quanti fuerit illa momenti apud Oratoriæ Artis Principes, quantique apud nos ſit facienda ex illorum ſenſu.

Pronuntiatio-ne Conciona-tores alii aliis præcellunt.

Idem evincitur experientia, qua nobis conſtat Concionatorum alios aliis præſtare ſolius ferè Pronuntiationis gratia. Plurimos enim doctiſſimos & aliunde diſertiſſimos adeo miſerè & infeliciter concionari videmus, ut Auditoribus non mediocre faſtidium pariant inſuavi rerum etiam optimarum ſuggeſtione; alios verò eruditionis tenuiſſimæ, ita omnium aures ſibi vendicare rebus etiam leviſſimis, ut admirationem moveant, animoſque audientium quocumque voluerint inflectant. At cur alter alterum de litteris longè melius meritum dicendo ſuperat? Scrutare, & comperies id fieri Pronuntiationis elegantia, quæ doctum in ſuggeſtu deſerit, unde ſit aurium oculorumque cruciatus; minus verò eruditum comitatur & ornat, indeque Auditorum voluptas evadit. Adde exempla famoſiſſimorum Divini Verbi Præconum, quos in ſacris pulpitis declamaſſe ad miraculum Hiſtoria memorat, quorumque Conciones typis mandatas evolvimus. D. Antonium Uliſſiponenſem, Bernardinum Senenſem, Vincentium Ferrarium indico, ut cæteros prætercam. Hos inquam fuiſſe miniſterii Evangelici Heroas

rous dubitabit nemo qui reſcierit, quòd illi hominum perditiſſimorum & pervicaciſſimorum millia ſuis prædicationibus revocavere ad frugem. At ſi horum triumphos quos ſuggeſtu reportaſſe audimus conferre lubeat cum ſcriptis quæ habemus, quibus illi tot victorias adepti ſunt; fatebimur ſanè Apoſtolicos viros præcelluiſſe in pulpitis quadam dicendi virtute quæ ipſos in voluminibus deſtituit, tantumque eoſdem Concionantes diſcrepare à ſeipſis ſcribentibus, quantùm à vivis mortui & vera à fictis. Qui fit iterum, ut idem ſibi tantopere ſit diſpar? quæ inæqualitatis cauſa? Pronuntiationis Elegantia, qua Deo & natura obſecundantibus affati ſunt dicentes, ſcribentes verò derelicti: languet nimirum niſi moriatur in Codicibus Eloquentia quæ in ſuggeſtibus viget ac triumphat.

Hujus rei cauſam naturalem inveſtiganti occurret ratio, tum à ſenſibus, tum ab imitatione petita. Etenim cùm ſenſus ſint animæ duces ejuſque in corporeis rebus conſiliarii, nec iſta quidquam intelligat ſenſibile vel ſingulare, niſi quod illi docuerint; hinc fit ut eadem illorum affectus omnino ebibat; quæ horruerint horreat; amplexetur quæ amplexu digna cenſuerint: at cùm Pronuntiatio ſenſus corporis omnimodè afficiat, ſeu voce & geſtu quibus aures & oculos movet; ſeu circunſtantiis ſingularibus, quæ à Pronuntiante effinguntur ingenuè; his percellitur anima quæ incauta & rerum ponderi vix attenta ſugit à ſenſibus affectum, quo illi ineſcati & fortè illuſi, Oratori feliciter Pronuntianti adhæſere. Adde Imitationis vim, qua fit ut Auditores facilè imitentur quod in Oratore advertunt, & dicentis affectibus compatiantur ferè ex neceſſitate æmulandi quod intuentur vel audiunt. *Cur Pronuntiatio affectus Auditorum moveat.*

Ex his prorſus conſtat quantùm valeat in Oratore Pronuntiatio; ſed utinam his illecti quotquot ad ſacros ſuggeſtus accedunt, gratæ Pronuntiationis venuſtatem ac virtutem æſtimarent, ediſcerent, aſſequerentur. At, proh dolor! quanti inſiliunt in pulpita, qui de Pronuntiationis elegantia ne vel minimùm audiere? quanti audire deſpiciunt, horrent quanti? heu quot defectibus, quot vocis geſtuſque vitiis auguſtum miniſterium fœdant! quot probra Eccleſiæ inurunt indecora, addam, infami Pronuntiatione! Crediderim ſanè Eccleſiaſtem non parum delinquere qui rectè pronuntiandi methodum voluntariè neglexerit vel abjecerit. Sed de his cùm aliàs dixerimus abundè, nunc ſatis. *Prædicator Pronuntiationis artem negligens delinquit in majeſtatem Evangelii.*

Partes Pronuntiationis duæ ſunt; nimirum Vox & Geſtus, quarum elegantiam illa curat. Vox quidem aures afficit, hiſque ſuaviter illapſa, intellectui lumen, voluntati affectum inſpirat. Geſtus verò oculos grata corporis compoſitione delectans, animam ſimul cum ſenſibus in optatum finem jucundè prolicit ac pertrahit. De utroque mox dicemus, poſtquam Pronuntiationis in genere proprietates annotaverimus; breviter tamen, vix enim non conveniunt cum proprietatibus utriuſque ſpeciei, ſcilicet Vocis & Geſtus. *Pronuntiationis partes duæ, Vox & Geſtus.*

Pronuntiationis virtutes communes.

Tres ſunt Pronuntiationis virtutes, quarum Prima eſt, ut ſit Naturalis, id eſt, Naturam in debito ſtatu ſitam imitetur; eſt enim notabile placitum Artis Oratoriæ, ut qui dicturus eſt, non aliter pronuntiet in ſuggeſtu publico quàm in colloquio familiari pronuntiaret apud viros melioris notæ, niſi fortè in priori paulò altiùs loquatur & aliquando ferventiùs ſeſe moveat quàm in poſteriori, nimirum ob Auditorum multitudinem & diſtantiam: caveat tamen Concionator, ne tantum ſe demittat, ut majeſtati ſui miniſterii aliquid detrahat. Hinc errant qui falsò putant Prædicatorem debere vel poſſe à genuina pronuntiatione diſcedere. Falluntur, inquam, quia nihil minùs gratum, minùſve ſuave nihil proferent, quàm quod extra naturæ vires & terminos. Duplici exemplo Granatenſis lib. 6. cap. 2. Rhetorices, Novitium Eccleſiaſtam ad propriam & naturalem pronuntiationem revocare nititur. Primum eſt de mulierculis duabus acriter invicem contendentibus, quarum inflexiones vocis, dictorum Figuras, affectus denique varios variis actionibus optimè explicatos Concionatori unitonia vocis & languore geſtus laboranti optabat in remedium & exemplum imitandum: alterum eſt de Pictore qui avem manu prehenſam penicillo adumbraturus, intuebatur propriam manum naturalem avem prehendentem, cujus veram & germanam ſpeciem nitebatur imitari. Idem præſtet Orator & naturaliter pronuntiet, tum Suggeſtus palmam (niſi cætera obſtent) facilè merebitur.

Prima Pronunt. virtus ut ſit Naturalis.

2. Ut Vocem cum Geſtu componat.

Secunda Pronuntiationis virtus eſt ut vox cum geſtu omnino concordet nec aliter illa loquatur quàm iſte ſignificet: eidem quippe intento utrumque collaborat. Hinc peccant qui aliò vocem, manum aliò convertunt, v. g. qui Deum vel Cœlum alloquuti, vultum manumve ad homines aut ſolum declinant; hi enim ſolœciſmum in Pronuntiatione perpetraſſe dicuntur.

3. Varia ſit pro varietate 1. Cauſarum 2. Partium Orationis. 3. Sententiarum. 4. Verborum.

Tertia Pronuntiationis virtus eſt ut ſit varia; ſcilicet pro varietate rerum actionis diverſitatem exigente, modò lenem, modò acrem; aliquando remiſſam, aliàs vehementiorem. Hæc autem Pronuntiationis varietas in quatuor rebus præcipuè conſiſtit. Primò, in Generibus Cauſarum. 2. in Partibus Orationis. 3. in Sententiis. 4. in Verbis. 1. Genus laudativum poſtulat Pronuntiationem magnificam, ſublimem, ſuavem, ornatam, lætam & moderatam. Vituperatio, acriorem & duriorem; licèt Auditoribus gratam & ornatam. Oratio Funebris, magnificam quidem & ornatam, ſed ſubtriſtem & compatientem. Genus ſuaſorium vel diſſuaſorium, ſollicitam & non nihil de eventu anxiam, ſublimem tamen, ſuavem & fortiter urgentem. Genus Didaſcalicum, gravem, ſed facilem, moderatam, familiarem & demiſſam. 2. Exordium decet Pronuntiatio temperata, verecunda, nonnihil moroſa, gravis & modeſta. Aliquando tamen exigitur acrior & vehementior, ut cùm Exordium ſumitur ex abrupto. Narrationi & Partitioni convenit Pronuntiatio

tio lenis, gravis, diſtincta & aperta. Contentioni, acris, agilis, vehemens & urgens. Epilogo, feſtina & velox, flexibilis in affectum qui movendus eſt, conciſa & valida. 3. Sententiis & figuris, ſua debetur Pronuntiatio. 4. Idem de verbis dicendum, de quibus Canones tradentur poſtea. Hæc de Pronuntiatione in genere, quatenus Voci & Geſtui communis eſt, ſat ſunto; plura de ſingulis ejus partibus mox dicentur fuſiùs & commodiùs.

CAPUT II.

De Voce, quæ eſt Pronuntiationis prima Pars & ſpecies.

ARTICULUS PRIMUS.

De Vocis Eſſentia, Utilitate, & Proprietatibus.

VOCIS Eſſentia ſeu natura ediſcenda eſt à Phyſicis, quibus incumbit docere quid ſit Vox, quo organo, quibuſve mediis formetur: Nobis aliter diſcutienda eſt Vocis natura, ſcilicet quatenus Morali conſecrata, Oratoris conceptus rationeſque Auditoribus explicat, ut eorum Mores efformet in melius, ſeu divina Myſteria prodat, ſeu hortetur ad virtutem, aut à vitio deterreat.

Utilitas & virtus Vocis in Eccleſiaſta pluribus commendatur, tum in ſacris Codicibus tum in prophanis. Cætera Vocis encomia apud S. Scripturam taceo, ut illud ſolùm referam quo toties fulguris & Tonitrus nomine appellatur. Sic Pſaltes Regius Pſ. 103. nu. 7. ait, *Ab increpatione tua fugient; à voce tonitrui tui formidabunt*; quod Auguſtinus de Voce Prædicatorum intelligit. Sic D. Baſilius explicat illud Pſ. 28. 3. *Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit*. Concinit Hieronymus in illud Pſal. 76. 19. *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota*. Idem in Apolog. ad Pammachium Epiſt. 50. ſic ait de Apoſtolo noſtro; *Paulum Apoſtolum quotieſcumque lego, videor mihi non verba audire, ſed Tonitrua*. Nec ſanè immerito Prædicatoris Vox Tonitru dicitur, cujus virtutem illa imitatur: fulmina enim (ſi fides adhibenda ſit Senecæ lib. 2. qu. nat. c. 31.) dum feriunt venenatos ſerpentes, venenum extingunt, ipſis ſerpentibus illæſis; quid aptius in Eccleſiaſtæ vocem transferri poteſt quæ ſcelerum venena in peccatoribus abſumit, ipſis integris? Prophanorum teſtimonia de Vocis energia referre piget. Dicam ſolùm quod Tullius l. de perfecto Orat. ait de Pericle; Ab Ariſtophane Poeta, fulgurare & tonare

Vox in Oratore quantùm utilis.

1. Ex Scriptura & Patribus.

nare & permiſcere totam Græciam dictus eſt. Quintilianus l. 2. c. 16. in Oratore deſiderat ut non loqui, ſed quod Pericli contigit, fulgurare & tonare videatur. Oratio (ait Plinius Junior lib. 3. Epiſt. ad Tacitum) magnifica & excelſa, tonat, fulgurat, &c. Ex his liquet quantam vim & efficacitatem in Oratoris Voce omnes agnoſcant; quod etiam experientia conſtat & ratione.

2. Experientia. Vocis ſcientia peritus Tibicen dicitur pro libito armaſſe Alexandrum lenem & exarmaſſe furentem. Aliqui Muſicæ Magiſtri feruntur hæc arte ita præſtare, ut aſſumentes Vocis tonum quem cuique Paſſionis excitandæ aptum norunt, lachrymas excutiant vel moveant riſum auditoribus incautis & nolentibus. Experientiæ faveat ratio, quam licet forſitan

3. Ratione. conjicere ex magna ſoni cum ſpiritibus & humoribus quibus Paſſiones tum corporis tum animi cientur affinitate: ita enim hæc tria, ſcilicet ſonus, ſpiritus & humores ſibi invicem cognata videntur, ut prioris motus ad alia duo facillimè tranſmeet; ſed id fiat ex naturali ſympathia, ſeu ex propagatione motus aerem Voce pulſantis, deinde ſpiritus ac poſtea humores, tum denique affectus.

Veſtræ igitur operæ pretium ſit (ò Concionatores) ſcientiam Vocis ediſcere. Quantùm Vox polleat in pronuntiatione didiciſtis pluribus; quantum valeat in movendis Affectibus ſcitis; ne vos pigeat aſſequi quod virtutem & venuſtatem Concionibus dabit, quodque ſi defecerit, actionem veſtram omni gratia & efficacitate ſpoliabit. Optimum Artis conſilium eſt ut antequam ſuggeſtum conſcendatis, probetis Vocis tonum cuique parti Concionis idoneum, cuique figuræ & affectui convenientem; Vocem exploretis, qua deinde in pulpito utamini.

Vocis Proprietates quatuor. Proprietates vocis, alii plures, pauciores alii enumerant; nos cum Fabio l. 11. c. 3. quatuor aſſignabimus, nimirum ut ſit Emendata, Dilucida, Ornata, & Apta: his totidem opponuntur defectus, ſi ſit Vitioſa, Confuſa, Indecora, & Impropria. Virtutibus enumeratis aliæ famulantur, quibus illæ vel conſtant vel fulgent. De ſingulis acturi ſumus Articulis ſequentibus, hac methodo, ut primùm vocis Dotes indicemus, deinde alias virtutes harum famulas, poſtea Vitia cuique Vocis virtuti contraria, demum remedia prout facultas adfuerit docebimus.

ARTICULUS II.

Vox Oratoris ſit emendata.

Quid requiritur ut Vox ſit Emendata ſeu Pura. EMENDATIO ſeu Puritas eſt prima Vocis proprietas ſeu virtus; Id eſt, Vox careat omni vitio ſeu naturali ſeu acquiſito, quod Auditores ipſumque Oratorem ſua pravitate fatiget. Emendatam facient vocem tres aliæ ejuſdem virtutes; nimirum, ſi ſit Naturalis, Integra & Virilis.

I. Vox

I. Vox ſit Naturalis, ideſt, naturaliter, debitè, facilè & liberè ab organo Voci proprio, medio ſcilicet palato, & ore decenter aperto proferatur. Huic virtuti ſequentia opponuntur Vocis vitia. 1. Aliqui enim extremis labris prementes verba, dimidiatim tantùm pronuntiant. 2. Alii dentibus & lingua his alliſa exſibilant, necnon ſputo & ſaliva proximiores Auditores ſæpiùs aſpergunt. 3. Alii gutture & imo ferè pectore verba vomunt potiùs quàm loquantur. 4. Alii naſo ſpiritum emittentes Voce & loquela buccinant. 5. Alii denique vocem ultra vires intendunt & quaſi incendio vel homicidio territi, aut lupi conclamatione penè exhauſti acriùs vociferantes, ſuas fauces aliorumque aures aſperioris ſoni cruciatu miſerrimè torquent. His Defectus mederi non ita facilè eſt, præſertim ſi à natura vel longo uſu fuerint inflicti: nihilominus pro remedio conandum eſt, 1. Ut vox proprio reſtituatur organo, quod eſt (ut dixi) medium palatum. 2. Pronuntiatio fiat libera lingua, & ore mediocriter reſerato, quantùm à natura fuerit conceſſum ad loquutionis venuſtæ gratiam.

1. Sit Vox Naturalis. Vitia naturali Puritati Vocis oppoſita. Remedia.

II. Vox ſit Integra, ideſt, ſibi conſtans, firma, continua, integro ſpiritu & ſenſu verba & propoſitiones cum ſuis Commatibus & Sectionibus diſtinctè & articulatim pronuntians. Integritati Vocis opponitur, 1. Vox tremula. 2. Dimidiata. 3. Anhelans. 4. Dictiones & propoſitiones indebita interpolatione diſcindens. Cauſæ & remedia tot defectuum ſunt, 1. Tremulæ Vocis, metus adſtantium vel Inopia memoriæ, quibus vox intercipitur ob interceptionem vel avocationem, vel aliquando nimiam abundantiam ſpiritum linguæ inſervientium. Tollitur trepidatio mediocri audacia loquendi, ſeu pronuntiandi uſu frequenti & debilioris memoriæ exercitio. 2. Dimidiata pronuntiatio. 3. Brevior anhelitus. 4. Et ſenſuum incongrua diſciſſio, iiſdem ferè cauſis adſcribuntur iiſdemque remediis curantur. Vel enim oriuntur ex pulmone debiliori, qui continuæ pronuntiationi non ſufficiens Oratorem deſtituit cùm vires deficiunt; Vel ex defectu attentionis ad ea quæ dicuntur, vel denique ex Ignorantia dicentis ſemetipſum non intelligentis. Si pulmo debilitatem aut Aſthmate laboret, conſulendi ſunt Medici qui alterutri defectui remedium ferant; vel imitandus Demoſthenes, qui pulmonis reſpirationiſque vitio vexatus, firmitatem laterum ſibi comparaſſe dicitur, pronuntians Orationem poſt aſcenſum & deſcenſum montis, vel longiſſimi ſpatii decurſum. Si verò diſtractio vel Ignorantia ſupradictos defectus cauſet, remedium in promptu eſt, attendere ad ea quæ dicuntur, vel eorum intelligentiam conſequi. Conetur igitur Orator ita Integrè pronuntiare, ut integritatem ſenſuum, propoſitionum, periodorum, ac periodi membrorum exactè obſervet & fideliter diſtinguat.

2. Integritas Vocis. Vitia Integritati contraria, eorum Cauſæ & remedia.

III. Vox ſit Virilis, ideſt, virum redoleat integrum, ſit maſcula, plena, fortis & gravis quæ majeſtatem auguſti miniſterii deceat. Ab hac virtute recedit, 1. Vox effeminata, ſpadonem, puellam vel puerulum imitata. 2. Mollior & gracilior. 3. Vox demiſſior, plus nimio vulgari & tri-

3. Virilitas ſeu Gravitas Vocis.

Vitia contraria.

trita quaſi ſolet reperiri apud homines ſortis abjectæ, hæc enim ut dicebamus nuper, dedecet Eccleſiaſtæ dignitatem. Quantùm ad remedia, Fabius Lib. II. c. 3. cenſet, I. Vocis effeminatæ vitium poſſe arte & victus ſobrietate ſuperari; ſi verò affectu, negligentia aut prava conſuetudine ſit partum, protinus ablegetur à ſuggeſtu, qui, ut jubet D. Paulus, alios non patitur Oratores quàm viros. 2. Debilitas & exilitas Vocis, ſi oriantur ex pulmonis vitio, Medicorum arte curandæ ſunt; ſi caſu vel incuria inoleverint, enitendum eſt ut in melius emendentur: *eſt enim quædam vox exilis & gracilis laudanda, utpote quæ facilè penetrat in aures Auditorum cum facili verborum intellectu.* 3. Vox tandem viliori familiaritate ignobilis dimittatur & ad dignitatem majeſtatemque Oratoris cum hominibus gravioribus colloquentis aſſurgat.

Remedia.

ARTICULUS III.

Vox ſit dilucida.

Diluciditas Vocis, & quibus Cauſis fiat.

DILUCIDITAS eſt ſecunda Vocis virtus, in eoque conſiſtit ut vox ſit omnino Intelligibilis, quæ verba omnia & ſenſus ad aures Auditorum facilè & integrè tranſmittat. Diluciditati Vocis famulantur tres aliæ ejuſdem Dotes; ſi fuerit, I. Diſtincta & articulata. 2. Clara & nitida. 3. Fortis & Auditorium complexa.

I. Diſtinctio & Articulatio Vocis.

I. Vox ſit Diſtincta, aperta & articulata, quæ Pronuntiationem, periodos, dictioneſque in ſuas partes diſtributas oſtendat. Duplicis defectus vitio plurimi deviant ab hac Vocis diſtinctæ virtute; alii enim moroſitate nimia peccant, alii nimia celeritate. Qui morantur, ſyllabatim pronuntiant & Dictionum articulos videntur numerare, quaſi ſingulæ ſyllabæ eſſent Dictiones paribus intervallis disjunctæ: hinc fiunt lenti, tardi & frigidi, ac propterea tædium, ſomnum, frigus & oſcitationem Auditoribus creant. Qui celeriùs pronuntiant, duplici celeritatis vitio laborant; vel enim tanta velocitate decurrunt totam Concionem, ut Auditoribus non dent ſpatium percipiendi & retinendi tum verba tum ſenſus qui rapiente impetu prætereunt; indeque fit ut miſeri Auditores eſcis prætervolantibus inhiantes, ſed impaſti & famelici abſcendant. Alii autem nimia loquendi præcipitatione partem Orationis ac præſertim periodorum ultimas dictiones & ſyllabas abſorbent, ita ut ab Auditoribus *non* perceptæ nec intellectæ dentibus vel faucibus dicentis vorentur. Cauſæ moroſitatis poſſunt eſſe, I. Stupiditas dicentis. 2. Linguæ tarditas vel metus ne illa balbutiet ſeu hæſitet. 3. Diffidentia memoriæ labilioris. I. Stupiditati medeatur excitatio & in pronuntiatione grandiorum figurarum & affectuum privata & frequens exercitatio. 2. Linguæ tarditas excitatione etiam vincitur, balbuties vero ſeu blæſitas, partim moroſitate mediocri cura-

Vitia diſtinctioni Vocis oppoſita, Moroſitas & Præcipitatio.

Pronuntiationi Moroſæ, & Præcipitatæ cauſæ.

Remedia.

Digitized by Google

curatur, partim etiam fortiori ſyllabarum pronuntiatione; ſed cavendum eſt ne mora in tarditatem vitioſam labatur. Demoſthenes tanta linguæ blæſitate laborabat, ut pro Rhetorica diceret letholica, ſubſtituens ubique litteram L. pro R. hoc vitium omnino curaſſe dicitur immiſſo in os calculo, quo craſſitiem blæſæ linguæ reſtituit inculpandæ pronuntiationi. 3. Memoriæ diffidentia ſanatur prudenti & mediocri audacia per exercitium frequens acquiſita. Cauſæ celerioris pronuntiationis poſſunt eſſe, 1. Oſtentatio de facilitate dicendi. Quidam enim falsò arbitrantur ſe ſua volubilitate Eloquentium nomen & Gloriam merituros. 2. Diffidentia memoriæ qua Tyro perterritus videtur ſibi Concionis terminum numquam ſat citò aſſequuturus, veritus ſcilicet ne deficiat re infecta. 3. Temperamentum corporis calidus & bile nimio plus ardens, quo fit ut vel lingua fortè tardior & innatæ temperamenti præcipitationi non æqualis hæſitet; vel temperiei celeritati obſequuta deglutiat plurimas Concionis partes. Pro remedio, 1. Apage volubilitatis oſtentationem in Eccleſiaſte ſacro, qui nihil ambire prorſus debet præter Dei gloriam. Cæterùm quamvis ignarum vulgus hanc linguæ velocitatem Eloquentiæ dotem falsò putet, errat tamen, nec ideo errori obſequendum; at ſapientiores & Artis Oratoriæ principes, longè aliter ſentiunt, & ejuſmodi volubilitatem improbant tamquam majeſtate Oratoris omnino indignam, & Auditorum utilitati maximè noxiam; ablegetur ergo à ſacro ſuggeſtu, & ad debitam Vocis gravitatem redigatur. 2. De memoriæ diffidentia mox diximus eam exercitio curari; adde quantum ad celeritatem quam cauſat attinet, Oratorem debere ſecuritatem apud Deum quærere, & apud ſe ſtatuere finem Concioni imponere ſi neceſſitas ipſum ad illud cogat; Ideoque Locos cõmunes paratos habeat aliquos quibus mores perſtringat, ſicque Concionem finiat prudenter captata in hunc finem opportunitate: ſed de his abundè diximus l. 5. de Memoria. 3. Præcipitatio linguæ ex temperie orta corrigitur (ut ſupra monuimus) tum attentione ad dicenda ne celeriùs fluant, & ne lingua diſcordet à mente ſed ei pareat; tum mediocri mora quæ tarditatem & accentum longiorem devitet; tum validiori pronuntiatione quæ ſingulas ſyllabas paulò fortius proferens medeatur celeritati quæ aliter earum plures deglutiret. Caveat tamen qui hoc utitur remedio, ne validior prolatio ab alia pronuntiatione differat ſono vel accentu vel intervallo. Caveat iterum ne duriùs ultimas periodorum ſyllabas pronuntiet, terminus enim periodi non nihil remiſſiùs proferendus eſt quàm aliæ ejuſdem partes quæ ſequentibus præmittuntur.

Pronuntiationis Volubilitatis cauſæ & remedia.

II. Vox ſit Clara, ideſt, mediocri ſubtilitate aerem ſecans aureſque diſtinctè & integrè attingens. Vitia huic Vocis virtuti contraria, ſunt Vox obſcura, obtuſa, ſurda, confuſa, rauca, aſpera, bubula. Tot vitiorum cauſæ aliæ ſunt à Natura, aliæ à Caſu. Naturales quidem defectus Vocis claritatem & nitorem depravantes curantur vel ſanè minuuntur exercitio & induſtria Vocem ab imo gutture ad proprium organum re-

2. Subtilitas & nitor Vocis.

Vitia oppoſita.

Eorum Cauſæ & Remedia.

Aaaaa vocan-

vocante, illamque ibi debito & ſuavi tono moderante. Si verò caſu hæc Vocis vitia ſuccreverint, ut raucitas quæ contrahitur aliquando ex guttula ſalivæ laryngem incauti Oratoris ſubeunte; aliquando ex vehementiori & longiori vociferatione; aliquando ex multitudinis adſtantis halitu & reſpiratione fauces exaſperante, præſertim cùm locus eſt anguſtior, aut tempus nimio calore æſtuat; aliquando tandem ex frigidiore aere & vehementiori aura vocalem arteriam lædente, ut quando ſub dio Concio habetur, vel etiam ex frigore eamdem arteriam poſt Concionem citiùs conſtringente: His inquam fortuitis defectibus medemur ut plurimùm brevi mora, in qua paulisper & artificiosè ſilentes vel demiſſiùs nonnihil loquuti vires & leporem voci reſtituimus: etenim ſi majori conatu loqui tentaverimus, eò magis fauces exaſperabimus. Juvat etiam retenta ſaliva ſiccitatem faucium diluere. Denique ſi malum increverit & organi vocalis inflammationem minetur, Medici quàm primùm conſulantur, qui vel phlebotomia, vel gargariſmi aliiſve medicamentis raucedinem amoveant. Remedium raucitatis fortuitæ vulgare eſt & populare, ſed experientia probatum, juſculum ex Napi decoctione cum ſaccharo confectum mediocriter calidum, una hora ante Concionem ſorbere.

Raucitatis Cauſæ & remedia.

III. Vox ſit fortis & ſufficiat totius auditorii ſpatio: Thracalus quidam, hac Vocis dote adeo præſtitiſſe dicitur ut cauſam agens *in tribus* conciſtoriis, in ſingulis facilè audiretur atque etiam intelligeretur. Nolim tamen ita Oratorem inclamare ut vires abſumat aut fauces exacerbet vehementiori conatu. Sed de hac Vocis proprietate dicemus *poſtea fuſiùs*.

3. Fortitudo Vocis.

ARTICULUS IV.

Vox ſit Ornata.

Ornatus ſeu Gratia Vocis & ejus Cauſæ.

ORNATUS eſt tertia Vocis laudanda proprietas, cujus beneficio ſit ut Vox ſit Grata, Sonora, & aures Auditorum ſuaviter demulcens. Ornata erit Vox ſi tribus aliis donis fuerit prædita, nimirum ſi fuerit, 1. Flexibilis. 2. Suavis. 3. Animata.

1. Flexibilitas Vocis.

I. Vox ſit Flexibilis in varios ſenſus & figuras quibus Oratio conſtat. 1. Curet ſollicitè Eccleſiaſtes qui vocem inflectere conatur ne in *cantum* deflectat; Indecorum eſt enim Concionatori canere in pulpito; pronuntiet, non canat. 2. Fugiat molliuſculè deſinentes pronuntiationes, quæ felium more videntur Auditoribus blandiri. 3. Abſtineat à querulis tonis & vocibus. 4. Denique recedat à flexibilitate & mutatione ſubitanea & duriori, quæ ab extremo ad extremum quaſi impertranſito medio identidem migrant; videntur enim hæ mutationes ſubitaneæ tot ſubſultus vocem frangentes, & quaſi tolutariæ pronuntiationes à ſuggeſtu ſacro amovendæ. Concionator igitur ita vocem grata flexibilitate (prout ratio po-

Vitia contraria.

Remedia.

ſtu-

ſtulabit) variet, ut à decoro necnon inæqualiter æquali ſono minimè recedat.

II. Vox ſit Suavis, ideſt, quæ gravi ſimul & venuſta dulcedine aures pulſet. A Vocis ſuavitate deviat, 1. Vox acris & ſicca. 2. Clamoſa. 3. Quærula. 4. Vocales aut conſonantes malè ſibi cohærentes & cacophonia aurem vellicantes ſimul & tumultuatim proferens. Caveat Concionator, 1. Ne vox ejus aceſcat, præſertim in exclamationibus, quæ ſi fuerint ſubitæ & breviores ſiccius proferuntur. 2. Curet ne zelo & fervore abreptus nimio plus incandeſcat, ſicque calorem immodicum in fauces trahat, improbo enim clamore vocalis arteria dicentis aureſque audientium laceſſuntur. Magnæ prorſus dexteritatis eſt Vocem ab initio Concionis ſic moderari, necnon in qualibet Orationis parte invigilare Pronuntiationi, ut Vox numquam à laudabili ſono excedat; ſi verò exceſſerit, tunc artificioſa remiſſione (ut diximus ſupra) Vocis organa recreabuntur. 3. Vox querula in integram, æqualem & firmam commutetur. 4. Cacophoniam quæ fit ex ſimilium vocalium aut aſperiorum conſonarum concurſu ſonum indecorum edente, omnino devitet Orator Suavitatis ſtudioſius. 2. Suavitas Vocis. Vitia contraria. Curatio.

III. Ad Ornatum Vocis maximè confert quòd ſit Animata, ideſt, ex animo bene affecto proficiſcatur, quæ ab ore dicentis in aures audientium eoſdem affectus tranſmittat. Contraria ſunt, 1. Languor. 2. Stupor & inertia. 3. Vaga & indifferens pronuntiatio, nihil certi ſignificans, ſed quæ rei cuicumque æqualiter convenire poſſit: aliqui enim oculis immotis, eodem vultu, eadem Voce veluti de libro recitant totam Concionem. Ii ſanè videri poſſent ſtatuæ niſi Vox ac rictus utcumque declararent homines. Hi omnes defectus ex iiſdem penè cauſis orti, iiſdem etiam remediis curantur. Procedunt autem, 1. Vel à natura quæ ſtupidum & inertem fortaſſe hominem peperit. 2. Vel ab ipſius Oratoris affectu, zelo & ardore erga auditorum ſalutem carentis. Si naturæ ſint vitia, ſunt quidem ad ſanandum difficilia, vel certè ipſius Oratoris exercitatione curentur. Si verò ex depravatione affectus inoleverint, curentur ſedula meditatione, qua diſcat Orator quanti ſit momenti negotium quod tractat, ſcilicet Dei Gloria & proximorum ſalus: Cogitet maledictum iri qui opus Dei facit negligenter, maximum verò mereri præmium qui commiſſo miniſterio fideliter. His & ſimilibus Inertiam ſuperet Concionator & in ſemetipſo excitet zelum ac fervorem circa debitum Concionis finem ac Intentum, ad quem deinde Auditores adigat, tranſmiſſo in eorum voluntatem affectu quo ipſe prior incanduit. Nam, ut ait D. Gregorius, *ad ſupernum deſiderium inflammare nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur; nec enim res quæ in ſeipſa non ardet aliam accendit*. Plura de methodo Affectuum movendorum, habes ſupra in Promptuario l. 1. 3. Vox ſit Animata. Vitia.

ARTICULUS V.

Vox ſit Apta.

Aptitudo ſeu Accommodatio Vocis ad ttia ſpectat.

APTITUDO ſeu proportio Vocis eſt quarta ejus proprietas & virtus, quæ in hoc ſita eſt ut Vox ſit propria, *idonea & accommodata*, 1. Oratori. 2. Auditoribus. 3. Auditorio. 4. *Rebus dicendis: quæ accom*modatio Vocis ejuſdem varietas poteſt appellari.

1. Vocis Accommodatio ad Conditionem Oratoris.

I. Oratori Vox ſit Apta & Idonea: ideſt, Vox conveniat dicen*tis ſe*xui, ætati, ſtatui & intentioni; non enim decet loqui mulierem adinſtar viri; Juvenem ad inſtar ſenis; Ruſticum ad inſtar hominis docti & exculti; Oratorem denique perorantem ſicut qui Concionem inciperet. Proportio igitur Vocis omnino ſervetur & accommodetur ad hæc quæ modò notavimus, necnon ad alias circumſtantias temporis & loci, quæ dicturis aut dicentibus occurrunt; proprios enim ac ſpeciales Vocis tonos & affectiones hæc ſingula poſcunt, quos accuratus Eccleſiaſtes conabitur aſſequi pro rerum opportunitate.

2. Vox Auditorum ſtatui & multitudini proportionata ſit.

II. Auditoribus Vox adaptetur, ideſt, ut pro qualitate & conditione Auditorum loquatur Orator. Auditores autem, 1. *Alii ſunt* Ruſtici. 2. Alii exquiſita educatione inſtituti. 3. Indocti & ſtupidi alii. 4. Alii Docti & ſolertes. 5. Alii in ſceleribus indurati & rebelles. 6. Alii pietate & Religione celebres. 7. Alii denique *numero pauci*. 8. Alii vero multitudine plures. Sua cuique ex his Auditoribus Vox propria eſt. Convenit Vox, 1. Ruſticis, paulò durior. 2. Urbanis & cultis, ſuavior. 3. Indoctis, facilior, ſicut ſtupidis acrior. 4. Gravis & decora

Qualis Vox variis Auditoribus ſit Apta.

Doctis. 5. Vehemens, rebellibus & induratis. 6. Grata & libera, piis ac Religioſis. 7. Remiſſa, paucioribus. 8. Fortior & intenſior Multitudini congruit. Hinc facilè eſt diſcere quantum aberrent qui Auditorum nulla ratione habita, omnes omnino eadem Voce alloquuntur. Hujus verò vitii remedia ex dictis patent, ſcilicet Vocis ad Auditorum qualitates varias laudabilis accommodatio.

3. Vox ſit Auditorii ſpatio, Diſpoſitionis & ſitui adaptata.

III. Auditorio Vox ſit apta, ideſt, ejus ſpatio ſeu ſtricto ſeu lato, necnon Auditorum multitudini Vox accommodetur. Ubi maximè notanda eſt Auditoriorum varietas. 1. Alia enim ſunt ſub dio & in *aperto ae*re. 2. Alia parietibus clauduntur. 3. Alia ſurda ſunt & obtuſa. 4. Alia Sonoroſa. 5. Alia Anguſta. 6. Alia Spatioſa. Horum ſingula variam & diverſam poſtulant Vocem. De his Canones ſequentes traduntur. 1. Au-

Auditorii varietas & quæ Vox ſingulis conveniat?

ditoria ſub dio, ſunt duplicis generis; vel enim ſunt ædificiis proxima, vel in campo aperto ſita; utriſque convenit Vox clara, diſtincta; aerem facilè ſecans & robuſta; neutris congruit Vox obtuſa, præcipitata, aut debilis, niſi Concionator Vocem ad neceſſariam ſubtilitatem, articulationem & fortitudinem induſtriè & prudenter reduxerit;

non

non tamen ultra naturam trahat, ne violentia lædatur. Utrique iterum Auditorio convenit, ut Concionator obſervet qua parte ventus ſpiret; ita enim ſuggeſtum ſtatuat ut vox ad Auditores deferatur; nam ſi in contrarium ventum conatus fuerit loqui, faucium exacerbationem contrahet, ipſoſque Auditores Concione fraudabit. Si Auditorium fuerit juxtà ædificia ſitum, ita ſe diſponat, ut à tergo habeat murum, & à fronte aerem apertum, ac ſi fieri poſſit, liberum ab omni re quæ Vocis delationem impedire queat. Concionantis capiti tabulatum, velum, aliudve tegumentum imponatur, quo Vox ad Auditores reflexa præpediatur ne ſurſum evaneſcat. Eadem (quantum poterit) obſervet Concionator ſi Auditorum in aperto campo fuerit ſitum, & pegma ſeu pulpitum conſcenſurus, curet ut habeat à tergo penſile aliquod velum, quo arceatur ventorum flatus & verborum ad Auditores tranſmiſſio fiat liberiùs. Item in utroque Auditorio, caveat Orator ne ſolis radiis à fronte poſitis gravetur. 2. Quantùm ad Auditoria parietibus ſepta, qualia ſunt Templa & his ſimilia loca ſpectat, his Vocem omnino accommodet Orator. 3. Si ſurdeſcant, Vocis ſubtilitate ſurditas vincetur, ideoque ſatagendum eſt ut Vox in mediocrem exilitatem formetur, modò tamen non aceſcat. 4. Si locus fuerit ſonoroſus, Vox liberrimè & ſuaviſſimè fluet; cavendum eſt nihilominus à nimia Echo ſeu Vocis repercuſſione, quæ Oratoris pronuntiationem confundit & obſcurat; validior autem eſt Echo cùm templa ampliora ſunt & fornicibus abundant. Remedium erit, primò explorare quomodo Vox ſe habeat in ejuſmodi auditorio; an ſcilicet feliciter aerem ſecet aureſque audientium pervadat, quod ipſe etiam Concionator experitur: Si videatur Echo nocere Voci, tunc Vox ipſa exilior & acutior reddatur induſtria Concionantis; nam craſſior & fortior efficitur confuſa & minimè intelligibilis ex commixtione ſoni ab Echo prodeuntis: Deinde pronuntiatio fiat moderatior & nonnihil lentior, præcipitatus enim ſermo repetitione ab Echo facta prorſus abſorbetur. 5. Si Auditorium fuerit anguſtum, Vocem moderare oportet & anguſtiæ loci adaptare: ſonus enim robuſtior brevi ſpatio arctatus, fit durus, inſuavis & Auditorum aures offendit. 6. Si Auditorium ſpatioſum ſit, vocem nonnihil intendere debet Orator pro loci amplitudine; caveat tamen ne à naturali vocis tono recedat, vociferetque ultra ingenitas vires; etenim ſi exceſſerit, hinc plures orientur defectus. 1. Vocis organa incandeſcent, vel alio modo lædentur nimia muſculorum vocalium intenſione, vel deſtituent Oratorem antequàm penſum abſolverit. 2. Auditores pulpito viciniores offendentur acriori Vocis tono, qui à remotioribus non ſentitur ob diſtantiam. 3. Nimio Vocis boatu grandius ſpatium occupare contendente tota Pronuntiationis venuſtas evaneſcet. Propterea optimum conſilium datur Concionaturo, ut dum conſcendit ſuggeſtum, cogitet ſe ſermonem habiturum cum duobus aut tribus ſodalibus, ſed

ab

ab invicem paululùm remotis, & ita Vocem ad ipſos dirigat ut velit ab omnibus audiri. Sic conſulit Didacus Stella de modo Concionandi Cap. 32.

3. Vox ſit Rebus dicendis accommodata.

3. Vox ſit Rebus accommodata, Varia ſcilicet pro varietate partium Orationis, Figurarum & Affectuum: Hæc enim Varietas ſi bene diſpoſita fuerit ab Eccleſiaſte, ornatiſſimam efficiet Concionem & gratiſſimam Auditoribus, qui varietate Vocis non recreantur minus quàm rerum. Vix explicari poteſt verbis, quot modis Vox induere debeat varietatem, affectibus enim variis, Figuris ſingulis nec non pluribus Concionis partibus propria, & ſpecialis Vox debetur. Explicabimus tamen exemplis (prout fas erit) cùm Pronuntiationis praxim poſt Tractatum ſequentem de Geſtu trademus. Interea notandi ſunt maximè duo defectus qui circa Vocis varietatem occurrunt, Unitonia nimirum ſeu Vocis æqualitas & ejuſdem inæqualitas. 1. Unitoniæ vitio laborant nonnulli, qui eodem vocis tenore & ſono totam Concionem decurrunt abſque ulla vel ſanè modica Vocis inflexione, quaſi in libro legerent quæ pronuntiant in pulpito. Cauſæ Unitoniæ poſſunt eſſe, 1. Defectus & debilitas memoriæ, unde fit ut aliqui ſibi metuentes nihil magis attendant quàm ut dixerint, Concionemque abſolverint. 2. Ignorantia ſcientiæ Vocis, Monotonos reddit aliquos, qui aut non didicerunt aut neglexerunt artem methodumve variandæ Vocis. 3. Sunt fortè nonnulli qui in Unitoniam labantur ex affectatione; arbitrantur quippe ſe Eloquentium nomen merituros hac Vocis æqualitate quæ volubili linguæ & celeri Pronuntiationi videtur commodior. Remedium eſt, 1. Laudandæ tonorum varietati ſtudere diligentius. 2. Seſe frequentius exercere in Pronuntiatione alicujus Concionis, vel ſaltem ejus partis, quæ maximam Figurarum affectuumque varietatem contineat, quales ſunt Dialogi frequentibus interlocutionibus diſtincti, Apoſtrophes, Exclamationes, Interrogationes, Obſecrationes, &c. 3. Horrere Unitoniam quaſi maximum Auditoris ſupplicium, vix etenim dici poteſt, quantùm diſcruciet adſtantes continua ejuſdem Vocis & accentus repetitio. Scio Voces aliquas ita rudes & ingratas, ut non ſint flexu faciles, attamen nulla Vox adeo infelix eſt, quin variè pronuntiari poſſit per varios ſenſus, ſi ad id ſtudium & diligentia adhibeatur. 2. Unitoniæ oppoſitus eſt alter Vocis defectus, qui dicitur Inæqualitas, cujus vitium tripliciter peccat in debitam varietatem quæ Vocem ornat. 1. Multi fugientes Unitoniam, Vocem identidem quaſi ſubſultantes ac glomeratis paſſibus ſeu potiùs gradibus variant, alternatim ab imo ad ſummum, modò remiſsè modò acutè pronuntiantes. 2. Alii non attendentes ad Concionis ſenſum variant indebitè & inordinatè; vociferant acriùs cùm moderatè loqui oportet, moderatiùs loquuntur, quando acriùs invehi ratio poſcit. 3. Varietatem Vocis alii deformant & vitiant fœdo ac inſuavi accentu, quem è patria

Defectus circa Vocis varietatem.

Unitonia, ejuſque cauſæ.

Unitoniæ Remedia.

Inæqualitas & ſubſultatio Vocis.

Cauſæ.

patriiſ-

patriiſque laribus traduxere in pulpitum. Prioribus duobus Inæqualitatis vitiis medeatur Orator attentione ad ſenſum & Figuras Orationis quibus accommodare vocem debet, ut ſæpè diximus. Ultimum curet dimiſſione patrii accentus, quia ea Pronuntiationis natura eſt, ut omni accentu (præter Rhetoricum) carere debeat. Remedia.

Ad vocis elegantiam addo; ineſſe aliquibus à natura certum vocis leporem, certam Gratiam, & efficacitatem, quarum ratio Artem latet; aliquæ enim voces, aliunde non omnino emendatæ, adeo movendis affectibus ſunt aptæ, ut ſolo tono lachrymas vel terrorem excitent: aliæ verò ſat emendatæ ita ſiccæ ſunt & exanimes, ut in motibus ciendis minimè valeant; & aliquando ſi moveant, id efficiant non ſeipſis, ſed rerum & rationum pondere. Utriſque enitendum eſt, ut quod natura dedit emendent, quod verò negavit, id (Deo propitio) Arte & exercitio aſſequantur. De Voce ſatis, de Geſtu deinceps agendum. Voces aliquæ naturaliter affectus movent. Aliquæ contra.

CAPUT IV.

DE GESTU, SEU ACTIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

De Geſtus Eſſentia, Virtute, Partibus.

GESTUS ſeu Actio definitur, Corporis totius elegans compoſitio, rebus dicendis ingenioſè conformata. Qua definitione Actionis natura videtur ſatis patere; ſcilicet, quòd Corporis partes præcipuas ita moderetur & componat, ut harum nulla à venuſtate vel à rebus quæ tractantur in Concione recedat, ſed omnes omnino utriſque conformentur & exactè accommodentur. Geſtus Definitio.

Notandum eſt maximè, triplex Dicentium genus convenire aliquo modo in Actione, & in eadem plurimùm diſcrepare: ſunt autem Concionator, Comœdus & Declamator. His inquam tribus Actio communis eſt, ſed diverſa ratione, atque ut ab ultimo incipiam; Declamator quidem Geſtum curat, ſed videtur magis ſollicitus verborum quàm rerum, unde recitationi Orationis deditus, vix attendit ad ciendos affectus. Concionator verò rerum & affectuum magis quàm cujuſvis alterius negotii curam ſuſcipit. Comœdus, Hiſtrio, Mimus, Joculator & his ſimiles Theatrici, ſe totos affectibus movendis & depingendis impendunt, plùs quàm deceat Eccleſiaſtem; ita enim illi ſtudent perſonas earum- Differentia inter Actiones Prædicatoris, Declamatoris & Comœdi.

rumque mores & paſſiones in Theatro exhibere, ut eadem induant & in ſe transferre conentur, atque illis ſimiles & penè iidem fieri ambiant: Si factum aliquod narrent; non tam verbis quàm geſtu id præſtant, ſed ipſimet factum, factique circunſtantias ob oculos adſtantium genuinè ponunt. V. g. ſi Cytharædum depingant, vel ipſi Cytharam aſſumentes eamdem pulſant, vel ſi ea careant, dextra manu ſiniſtræ volam quaſi Teſtudinis pinacem ſeu tabulatum convellunt. Hæc Concionatorem ſacrum maximè dedecent, eaque fugiat tamquam ſuo miniſterio indigna: Eccleſiaſtes enim Geſtum curat & Actionis *ſollicitus eſt*, ſed ſenſum affectumque magis ſpectat quàm verba & voces; perſonas quidem earumq; facta deſcribit, ſed Geſtibus minùs quam verbis, lingua cum modico Geſtu prodit, non verò Corporis imitatione perſonas effingit.

Prædicatorum plures Hiſtrionum Geſtus imitati, laudantur ab imperitis, improbantur à ſapientibus.

Ex dictis patet quantum aberrent Concionatores qui tot Geſticulationes edunt in pulpito, totque perſonas induunt: hi enim à majeſtate Eccleſiaſtis demittuntur ad vilem Mimorum ignobilitatem. Hujus erroris exemplum tradit Fabius de Oratore arteriam brachii tentante ut Medicum ageret in pulpito. Eraſmus ridet Prædicatorem qui narrans quomodo Chriſtus cruce onuſtus inceſſiſſet, ingeſtum onus grave bajulantis, Corpus incurvavit. Eumdem ait, cùm exaggeraſſet verbis, quàm horribilis fuiſſet ille totius populi Judaici ſtrepitus cùm omnes una *voce clamarent*, Crucifige, Crucifige, juſſiſſe univerſum cœtum quantùm poſſet vociferari, Crucifige, Crucifige. Alios videas qui ut Pictores ſimulent, fingunt ſibi tabellas & pluteos pictorios cum penicillis, *actionemque Pictorum* imitantur, quaſi ipſi vellent eam artem in ſuggeſtu profiteri. Pudet recenſere plura exempla Oratoris majeſtati incongrua, hæc in odium malæ imitationis ſufficient Tyroni contra legitima Eloquentiæ dogmata non rebelli. Non deſunt tamen qui Geſticulationes & perſonarum æmulationes laudant in Eccleſiaſte; ſi viderint exactè repræſentantem ſculptores, alioſve artifices; iratos, afflictos aliave paſſione concuſſos; rem factumve aliquod exhibentem accuratè, non ſecus ac fecit aut faceret ille ipſe de quo agitur; mirantur continuo, extollunt, prædicant quaſi numquam ſic fuiſſet loquutus homo. Nec etiam deſunt Auditores, & præſertim ruſtici & mulierculæ, qui ad ejuſmodi mimicos Geſtus moveantur: ſepè hæc apud ignaros malè probantur, ab omnibus Doctis & peritis damnantur in Eccleſiaſte, cujus Geſtus moderatiores eſſe debent. De his Fabius apud Granatenſem lib. 6. cap. 7. *Non carent improbis adulatoribus hæ ſcenicæ actiones quæ vulgus imperitum recreant & movent; ſed Oratorum Principibus cenſentur à pulpito ablegandæ.*

Geſtus accommodetur conditioni Oratoris, Auditorum, locorum, &c.

Notandum iterùm quod jam ſupra attigimus, Geſtum debere omnino concordare cum Voce & rebus dicendis, ne ſi differat, dicatur Orator commiſiſſe Actionis ſolœciſmum. Item Geſtus convenire debet, 1. Oratoris conditioni, aliter enim Actionem edit plebejus, aliter illuſtris; aliter ſenex, aliter junior; Doctor aliter, aliter minus eruditus

pro-

pronuntiat. 2. Auditoribus, qui diverſam etiam Actionem pro diverſa qua ſunt forte poſtulant. 3. Loco denique, tempori & aliis circunſtantiis quæ poſſunt occurrere, Actio ſit accommodata.

Partes Actionis tot ſunt quot humani Corporis præcipuæ quæ oculis Auditorum inter dicendum objiciuntur, & quæ ipſos aliquo affectu pulſare queunt. Sunt autem ſex potiores, quarum Geſtus curare debet Orator. Scilicet, 1. Truncus Corporis. 2. Caput. 3. Vultus. 4. Humeri cum Brachiis. 5. Manus. 6. Pedes. De ſingulis nunc agendum. Partes Geſtus.

ARTICULUS II.

De Geſtu Corporis ſeu ejus Trunco.

1. TRUNCUS Corporis ſit Erectus, ideſt, ejus Figura & ſtatus non incurvetur, ſeu ſtet ſeu ſedeat; ſed iſte Rectitudinis ſitus ſit naturalis, modeſtus & gravis, non violentus, non ferox vel audax, non rigidus aut ſtupidus. Adverſus hanc Corporis venuſtam Erectionem tripliciter errant plurimi; 1. Alii enim adeo rigent immodica & duriore Corporis rectitudine, ut vel ſtipites inanimes, vel Corpora ſude à pedibus ad caput transfixa videantur. 2. Aliqui humeros ſublevantes dorſum in arcum flectunt. 3. Nonnulli contra inflexi, ventris tumorem indecorè oſtendunt. Actio Corporis, ſeu ejus Trunci Geſtus. Vitia.

2. Moveatur Corporis Truncus, ſed mediocriter, graviter & venuſtè: ita tamen progrediatur ut excurſiones fugiat. Contra hunc Canonem peccant multi tripliciter. 1. Qui ſtipitibus vel ſtatuis inanimis ſimiles, nulla re moventur, adeo ut crederes mortuos aut lapideos, niſi vox & rictus proderet homines vivos. 2. Qui Corporis Truncum miſerè & continuò torquent in omnem partem, modò in dorſum, in pectus modò, modò in alterutrum vi & furore inflectentes. Horum etiam aliqui intra pulpitum deſiliunt inſtar Urinantium, ut ait Stella cap. 33. Aliqui ad ſingulas dictionum vel certè propoſitionum pronuntiationes toto Corpòre & Voce ſubſultant. 3. Qui perpetuò excurrunt in ſuggeſtu, nunc in hanc nunc in illam partem: Illis poteſt objici quod Flavius Orator à ſuo Antagoniſta nimiùm procurrente ſciſcitabatur in dedecus, quot millia paſſuum declamaſſet. Quintilianus probat lentam, brevem & moderatam procurſionem, ſed locorum conſuetudini videtur aliquid concedendum, ut Italiæ: nihilominus Eccleſiaſtes ſacer ſi progrediatur, id moderatè & religiosè præſtet; non verò leviter, invenuſtè & audaciter procurrat. 2. Trunci Corporis Motus. Vitia.

3. Corporis ſtatus ita diſponatur, ut Dicentis pars anterior, mediam Auditorii partem (quæ ut plurimùm præcipua eſt) ſpectet ferè ſemper; ſi verò in alterutrum latus aliquando declinet, id mediocriter & ex parte 3. Trunci Corporis Converſio.

tantùm faciat, medium ſpatium non omnino deſerens. Etenim ſi ſecus ſeſe geſſerit converſione integra in unum Auditorii latus, fiet, ut media pars Auditorum Concione fraudabitur interim, & poſterior Dicentis pars in Auditores à quibus declinat indecorè convertetur, quod utrumque vitium prorſus devitandum eſt Eccleſiaſtæ.

4 Trunci Corporis ſitus, ſcilicet ſtare & ſedere quando debeat.

4. Corpus non erigatur adeo ut ſtet ſemper, ſed aliquando ſedeat, cùm ſcilicet opportunitatis ratio ſeſſionem popoſcerit. *V. g.* ſtet Orator, 1. per totum Exordii decurſum. 2. Cùm integrè pronuntiata *prima*, ſeu Introductionis, ſeu partium Orationis propoſitione vocatur Orator ad contentionem. 3. Cùm acriùs & vehementiùs loqui oportet, præſertim cum Peroratio expenditur, ſtandum eſt donec Concio abſoluta fuerit. Sedeat Eccleſiaſtes; 1. initio Introductionis, & ſingularum Concionis partium, quamdiu exponet primas propoſitiones & Period. quæ nullam ferè actionem poſcunt præterquàm manus; 2. Cùm ex vehementi & acri aliqua Pronuntiatione fatigatus moderatiorem aggreditur. 3. Cùm narratur vel exponitur aliquid, liberum videtur aut ſtare aut ſedere. Caveat autem Eccleſiaſtes, 1. ne alternatim, identidem, ſubitò & indiſcretè ſedeat & ſurgat; ſed alterutrum præſtet moderatè, prudenter & intervallis diſtinctis, cùm ratio id exigit. 2. Ne pulpiti ſedile ſit inferius, ejus enim ſitus talis eſſe debet, ut à ſtatione mediocriter inflexum excipiat, permittatque Auditoribus videre mediam & ſupremam Corporis partem, ipſique Oratori det ut liberè, facilè & nonnihil manu demiſſa partem anteriorem ſuggeſtus tangere poſſit ipſique alterutrius manus vola inniti. Caveat denique ne ſuppedaneum pulpiti profundius ſit, debet enim Oratoris ſuperiorem partem ad mediam uſque Auditoribus oſtendere: *ita* ut brachii demiſſi ſitus pergulam media manu pulſare poſſit.

ARTICULUS III.

De Geſtu Capitis & Vultus.

Capitis duo officia in Geſtu.

CAPUT Corporis & Actionis princeps, duo præſtat, decorem nimirum & ſignificationem. Decorem confert Caput, ſi fuerit urbanè, naturaliter & modeſtè rectum ac compoſitum. Significat verò, motione levi & moderata; Capite enim annuimus, repudiamus, averſamur, minamur & indignamur. Contra Decorem capitis peccat, 1. Geſtu ejus ab aliis partibus vel à Concionis ſenſu diſcordans. 2. Si ſæpiùs & longiùs fuerit diſcoopertum. Debet quidem tempore primi Exordii diſcooperiri, deinceps verò operiatur & tegatum, niſi juſta cauſa aliter fieri poſtulet; ut v.g. ſi nomen Jeſus, vel B. Virginis pronuntietur, modò frequentiùs id non fiat: item ſi perſona ordinis ſublimioris, aut ingrediatur Cœtum, aut ad illam dirigatur Oratio. 3. Manum velamento

Vitioſi Geſtus Capitis.

mento Capitis ut reſtituatur, frequentiùs admovere, indecorum eſt & vitioſum. 4. Solo Capite Geſtum facere, vel ipſum rotare, vibrare, & excutere, Phanaticum redolere ait Fabius. Contra ſignificationem peccat omnis Capitis motus qui indiſcretè & temerè excitatur.

2. Vultus maximè dominatur Actioni, iſque verborum vices frequenter obit, & antequam fuerit dictum aliquid, ſæpe amorem vel odium ex ſolo aſpectu conciliat Oratori. Urbanitatem, modeſtiam, gravitatem, & Religionem præ ſe ferat vultus Eccleſiaſtis; & quamvis opportunitatis ratio poſtulet aliquando exordiri ab improviſo vel terrore, vel dolore, vel admiratione; nuſquam tamen Orator vultum deturpet aut inficiat indigno & indecoro timore, mœrore vel ſtupore. Ab his errant, qui vultu cernuntur plus nimio inculti, hilares, leves, audaces, perfricta & procaci fronte, pietate & devotione carentes; item mobiliores, qui vultum modò in unam partem, modò in alteram frequentiùs convertunt; qui firmiter & fixè alicui Auditorii puncto ita adhærent, ut aliò non divertentes ſtatuæ immobilitatem æmulentur.

Vultus efficacitas & elegantia in Geſtu.

Vultus vitioſi habitus.

Color Vultus non caret ſua venuſtate, eò gratior eſt, quò rebus dicendis aliiſque circumſtantiis eſt accommodatior. 1. Vultus pallor, metum vel triſtitiam ſignificat. 2. Macilentia, dolorem, ſollicitudinem & pœnitentiam. 3. Ardentior genarum rubentium color, zelum aliquando indicat, aliquando in ſignum lautioris victus, Eccleſiaſtæ probroſum trahitur.

Color.

Supercilia etiam ad Actionem ſpectant, ſicut & Frontis diſpoſitio. 1. Exporrectio Frontis hilaritatem, ejuſdem corrugatio triſtitiam ſignificat, utraque ad moderationem reducenda eſt, nam ſi excedat, non minimum dedecet; modeſtè igitur & devotè explicetur. 2. Supercilia, nec immota ſint omnino, nec nimium mobilia; ſublata, declarant arrogantiam; demiſſa, verecundiam; adducta, torvitatem; inæqualia, ſeveritatem cum lenitate conjunctam; aliud ſublatum, aliud depreſſum, crudelitatem notat, ut Piſoni objiciebat Tullius.

Supercilia.

Oculi primas in Actione partes ſubeunt, in his enim animus dictus eſt habere ſedem, ſuntque animæ miniſtri & indices. Oculorum hi ſunt uſus laudandi. 1. Sint Modeſti. 2. Mediocriter aperti. 3. Ad cœtus partem quam alloquitur Orator convertantur, niſi cùm indignabundi & avertentis perſonam gerit. 4. Omnes quidem Auditores intueantur, ſed præſertim eos (ut mox dixi) ad quos Eccleſiaſtis dirigitur ſermo. Hac ratione vitatur oculorum otium & ſtupiditas, qua certo puncto ita videntur addicti & defixi, ut hinc ad alias partes non diſcedant: ſic igitur oculi conſpiciant omnes ut nullos deſpiciant. 5. Affectuum ſimulachra & proditores ſint oculi; in ſublime elati, arrogantiam & ſuperbiam indicant; demiſſi, humilitatem & triſtitiam; ſurſum elevati, Orationem; averſi, negationem, faſtidium, diſſimulationem, aut negligentiam; clauſi, meditationem & metum de memoria, &c. Improbantur oculi

Oculi. Eorum diſpoſitio laudanda.

Oculorum vitioſa diſpoſitio.

Digitized by Google

arrogantes & feroces, nimium diducti & dilatati, clauſi, limi, vagi, otioſi, mobiliores, & tandem defixi in unum & determinati.

Nares. Nares ſignum edunt magnæ iræ vel lenitatis; ſed in Eccleſiaſta, nihil ferè decorum ſignificant. Abſonum quidem eſt, nares corrugare, inflare, iis ronchos edere, reſpirare vel loqui, eas tandem frequentiùs perfricare vel emungere improbatur.

Os, & Labia. Os ad Pronuntiationem venuſtam confert maximè. In eo laudantur modeſtia, & mediocris dilatatio, quæ decoræ loquutioni conveniat. Oris vitia ſunt, labia nimium diducere, nudare dentes, labra mordere, ſugere vel lambere; ſalivam frequentius & indecenter expuere; ridere; longiori accentu aliquas dictiones vel litteras pronuntiare; ſemiclusis labris, vel extremis, vel denique preſſis dentibus vocem emittere, damnatur.

Mentum. Mentum pectori affixum, vel altiùs ſublatum, inurbanum cenſetur. Barbam crineſve ſæpiùs componere, ſcopula odorata pectere, manibus fricare, non decet Eccleſiaſtem Chriſtianum.

ARTICULUS V.

De Geſtu ſeu Actione Humerorum, Brachiorum, Manuum & Pedum.

Humeri. HUMERI, ineptè (ut diximus ſupra) flectuntur in arcum, vel in altum jactantur; quod poſterius vitium emendaſſe dicitur Demoſthenes imminente ſupra pulpitum anguſtius haſta, quæ incautiùs & indecentiùs ſubſilientem pungens commoneret deprimendos eſſe humeros. Sint ergo humeri recti & plani, non verò arcuati vel inflexi.

Brachia. Brachia non minimam in Actione partem obtinent; ſignificant enim plurima, non quidem ſola, ſed qnatenus cbſequuntur manibus; unde illorum actio vix à motu manuum poteſt ſeparari. Hæ tamen dotes in Brachiis laudantur. Sint libera, expedita, & manibus concinnè famulentur. Hæc ſunt Brachiorum vitia. 1. Si fuerint rudiora & ad decoram inflexionem difficilia. 2. Laxiora; juxta latera corporis fluentia ſine regimine, quaſi paralyſi motum voluntarium extinguente laborantia. 3. Cubitis pulpito inniti dum alterutra munus caput ſuſtinet, indecorum eſt: in aliquibus quidem Figuris licet nonnihil inniti; v. g. in Communicatione, &c. & familiari inſtructione, ſed nuſquam manus capiti ſupponi debet. 4. Brachia flectere in arcum, manibuſque lateribus inniti, non decet Eccleſiaſtem ſacrum 5. Brachia brachiis innectere aliquando videtur licere, ut cùm orantes proſternimur; numquam tamen decorum eſt brachiis aerem verberare frequentiùs, ad inſtar digladiaturi.

Manuum varii Uſus. Manus verò, ſine quibus trunca eſſet Actio ac debilis (ut ait Quintil. lib. 11.) vix dici poteſt quot motus habeant, cùm penè ipſam verborum copiam

copiam proſequantur. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, hæ propè loquuntur. Manibus poſcimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, interrogamus, negamus, &c. Hæ ita in Pronuntiatione valent, ut in tanta per omnes gentes nationeſque linguarum diverſitate, omnium hominum communis ſermo videantur. Hæc ex Fabio Manuum geſtus deſcribente; Nos earumdem actiones, virtutes, & vitia breviter exhibemus.

1. Admiramur, utraque manu ſublata & ad ſupremam pectoris partem nonnihil accedente, volam utriuſque ad populum convertentes, caputque in dorſum parumper reclinantes. Idem præſtamus erga Deum, manibus & oculis in Cœlum intentis. Admiratio.

2. Averſamur, cùm vultu in ſiniſtrum latus converſo, manus extenſas & mediocriter elevatas in oppoſitam partem conjicientes, rem odioſam repellimus. Idem facimus unica manu dextra, quæ leviter ad carpum incurvata & quaſi ſuſpenſa, repetito repulſionis motu abigat quod deteſtamur. Averſatio.

3. Deprecamur Deum utraque manu vel ſublata, volis ad ſeinvicem converſis; vel demiſſâ; vel articulatim connexa. Deprecatio.

4. Diſtribuimus res ſimplices, aut Argumenta conglobata, aut Inductiones, aut Partitiones longiores, Indice manus dextræ (cæteris parum comploſis) Pollici ſiniſtræ primùm, deinde aliis digitis alternatim admoto, ut partes enumerentur. Diſtributio.

5. Dolemus & Triſtamur, manibus inter ſe pectinatim junctis, iiſque vel ad ſupremum pectus ſublatis, vel ad cingulum demiſſis. Idem teſtamur, Dextra manu mediocriter extenſa & pectori admota. Dolor.

6. Exclamamus, Brachiis ſurſum decenter extenſis, utraque manu nonnihil explicata & ad invicem converſa, necnon parùm inverſa, qua rei magnitudo notetur. Exclamatio.

7. Hortamur, brachiis manibuſque paululùm diductis, & ad illum cujus intereſt converſis, quaſi ambirent ipſum complecti. Hortatio.

8. Exponimus & Narramus, utriuſque manus Indice vel Medio ad Pollicem utriuſque applicato, cæteris verò digitis mediocriter diductis & incurvatis, ita ut quælibet manus ſic compoſita ab alia recedat & ad eamdem redeat alternatim. Idem ſola Dextra modo ſupra mox dicto compoſita præſtat, motum à medio ſpatio incipiens verſus dextrum latus, dum Siniſtra interim ſupra pulpitum quieſcit. Expoſitio.

Plura de Manuum Digitorumve officiis ac dotibus ſcribere ſuperſedeo; tum quia id negotii explicatu eſt difficillimum, verba enim ſcribentis pronuntiantium Actionem Geſtumve debitum vel indebitum adæquare nequeunt; tum quia plurimi de his ſcripſere fuſiſſimè, ut Quintilianus Lib. 11. cap. 3. Granatenſis ex illo referens, Lib. 6. Eraſmus Lib. 3. Cauſſinus Lib. 9. &c. tum denique, quia meliùs imitatione optimorum Oratorum diſcuntur, quàm docentium calamo. Deinde Pronuntiatio-

nis

nis Exercitatio & Speculum de quibus acturi ſumus duobus ſequentibus Capitibus, indicabunt plura quàm Regulæ ſolis verbis explicatæ. Priùs tamen de vitiis aliquibus quæ Actionem Manuum deformare poſſunt, Tyro monendus videtur.

Vitioſi Geſtus Manuum.

Ad laudabilem Manuum compoſitionem plurimùm valet earumdem noſſe vitia, quæ Odium ſola cognitione parient ut vitentur, & probatiorem Geſtum Actionemve ex contrariorum occaſione & improbatione docebunt. Sunt autem hæc Manuum præcipua vitia.

1. Vitioſum & indecorum eſt, digitos Manuum explicare & ab invicem nimium diducere.

2. Digitos Manus per extremam eorum partem ſimul cum ſummitate Pollicis connectere ad inſtar ſcribentis.

3. Digitos Manuum preſſius ad invicem junctos, & aliquando nimia rectitudinis affectione in contrariam partem inflexos porrigere & extendere.

4. Manus in Pugnum ad inſtar Pugilis aut Laniſtæ certaturi contrahere.

5. Munus fricare, purgare, intueri; ungues mundare; hiſve caput, aliamve corporis partem ſcabere, indecorum eſt.

6. Sola Manu ſiniſtra Geſtum facere, nemini probatur: ad Dextram igitur actio præcipuè pertinet; Siniſtra autem vel adhibetur in partem Geſtus, ut cùm exponimus aut narramus; vel ſupra pulpitum quieſcat, dum altera officio Geſtus fugetur.

7. Manibus invicem alliſis frequentiorem plauſum edere.

8. Pulpitum frequentiùs & duriùs verberare.

9. Manus ſupra humeros levare, vel infra Cingulum ſeu medium corpus deprimere, communi Oratorum decreto prohibetur.

Pedibus ſupplodere aliquando probatur, ſed raró, modeſtè & magna ratione ac prudentia ſupploſio fiat.

Cætera quæ de Geſtus virtutibus aut vitiis tradi poſſent, uſu & exemplo (ut dixi) obſervabit diligens Eccleſiaſtes ut illas in ſe transferat, hæc verò fugiat ſi poſſit. Interim caveat ne Geſtus decentioris affectatione nimia ſuſpicionem in ſe trahat Eloquentiæ mollioris & comptioris, quæ ſacro pulpito non congruit. Vitet etiam deſidiam quæ laudandæ actionis incuria, ad Geſtus turpes & improbatos delabatur. Cæterum norit ſe quiſque, & Actiones Oratorias non minùs ex natura ſua & temperie dimetiatur, quàm ex Rhetorum ſanctionibus.

CAPUT IV.

Exercitatio ſeu praxis vocis & Geſtus.

ORATORUM commune Placitum eſt, neminem poſſe Pronuntiationis gratiam aſſequi, ſi priùs in ejuſdem Praxi & uſu ſeſe non exercuerit frequentiùs; poſſe verò plures etiam imperitiorum & rudiorum feliciter tandem pronuntiare, ſi diligenter & aſſiduè in efformandis Voce & Geſtu incubuerint. En quid ad hoc Quintilianus ait lib. 11. *Ediſcere autem quo exercearis erit optimum: nam ex tempore dicenti avocatur cura Vocis, ille qui ex rebus ipſis concipitur affectus: & ediſcere quàm maximè varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem & flexus habeant, ut ſimul in omnia paremur.* Ideo ut Magiſtris, rationi & experientiæ obſequamur, aliqua tum S. Scripturæ tum SS. Doctorum Exempla proponimus, indicata in ſingulis ſententiis genuina pronuntiatione, quæ ſi memoriæ tradiderit, recitaritque ſæpiùs Eloquentiæ Tyro, poterit vitia ſeu Vocis ſeu Geſtus emendare, & utriuſque comparare virtutes. Plura videat exempla apud Granatenſem l. 6. c. 9. & ſeq. ex quo etiam nos iſta deſumpſimus. Alia permulta ſimilia frequentiſſimà ſunt tum in Bibliis, ac præſertim in Pſalmis, Prophetis & Pauli Epiſtolis; tum in SS. Patribus & præcipuè Baſilio, Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, & aliis qui Eloquentia præſtitere.

Exercitationis in Pronuntiatione Utilitas & modus.

D. Paulum ad Corinthios 1. Epiſt. cap. 6. ſcribentem audiamus, ejuſque verba repetamus, perpendentes quæ Vocis aut Geſtus varietas variis dictionum ſententiarumve ſententiis conveniat. Sic igitur ait: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos & non apud Sanctos?* Orator hæc verba pronuntians, Interrogantis, objurgantis & admirantis habitum induat; Voce quidem nonnihil demiſſâ, acri tamen, quaſi velit Corinthium auditorem pungere ac ſeveriùs increpare, eo quod apud ſæculares judicari poſtulet; quod Paulus agit turpitudinem hujus actionis oſtendens. Pro Geſtu verò, Brachia paululum diducta, manum utramque reſupinam & modicè dilatatam protendat ad Auditores converſus, quibus videri debet vultu ſubtriſti & parumper irato. *An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?* Hìc Paulus à majori ad minus argumentatus concludit Chriſtianum non eſſe indignum qui de ſæcularibus litigiis judicet, immo eſſe digniſſimum, quandoquidem de Angelis (ſcilicet Dæmonibus) judicium, quod

Exemplum Pronuntiationis ex D. Paulo.

altero

altero longe majus eſt, ipſe (Deo ſic volente) peraget. Tot ſunt hæ Interrogationis figuræ, quæ eumdem Vocis & Geſtus habitum, niſi fortè paululum acriorem & ſeveritate increſcentem, poſtulant. Ubi notabit Eccleſiaſtes Tyro, quòd quamvis hæ percontationes ſimilem ferè Pronuntiationem deſiderent, non debet tamen qui iſta pronuntiat, brachia manuſque eodem ſitu extendere immota omnino, quaſi forent ſtipites inflexæ; ſed liceat utramque nonnihil movere, præſertim ad diſtinctionem ſingularum Interrogationum, modò ab habitu his debito non diſcedant, aut ſi diſceſſerint, ſtatim redeant. *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Senſus verborum eſt, Gagnæo Interprete, ſi neceſſe fuerit de ejuſmodi judicare quæ ad communem hominum uſum pertinent (ita enim interpretatur, *Sæcularia Judicia*) contemptibiles & abjectos de Eccleſia præficite hujuſmodi judiciis. Pronuntiatio verò ejuſdem ſententiæ poſcit remiſſionem Vocis & Geſtus. Illa tranſeat ab Interrogatione ad Conceſſionem aliquid ſtatuentem; ideoque Orator hìc loqui debet moderatiùs. Granatenſis tamen putat hæc verba dici per quamdam Hyperbolen & Ironiam, ac propterea majori adhuc quàm præcedentia verba vehementia debere pronuntiari. Geſtus autem, ſecundùm ſenſum quem ex Gagnæi Interpretatione verbis dedimus, debet Vocis remiſſionem imitari, ideſt, brachiorum & manuum idem ferè habitus ſervetur, ad ſe tamen corpuſque nonnihil adductis. *Ad verecundiam veſtram dico*; Ideſt, vos pudefaciam, quaſi non ſit apud vos qui componere inter vos hujuſmodi litigia norit, aut fortè qui ſe ad hoc judicium de rebus vilioribus demittere velit, his ſe digniorem reputans. Hæc verba aliam omnino Pronuntiationem requirunt: Vox ſcilicet conetur exprimere objurgationem fraternam, acrem tamen, ſed admiratione mixtam. Geſtus ſit admirantis. *Sic? non eſt inter vos ſapiens quiſquam qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Hujus ſententiæ ſenſus patet. Pronuntiatio verò exhibeat redarguentem cum Interrogatione ſeveriore, & admiratione quæ in prolatione Vocis iſtius *ſic?* emphaſim aliquam habentis jubeat pauliſper immorari. Vox ſit Magiſtri acriùs increpantis, Voci Geſtus concordet. *Sed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud Infideles.* Hæc verba, tum Vocis tum Geſtus acrimoniam & admirationem petunt; ita ut majori niſu & mora proferantur hæc duo monoſyllaba, *Et hoc*, quia emphatica ſunt, ut indignitatem rei magis oſtendant. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Hæc eſt mollior increpatio; quaſi Paulus diceret ad Chriſtianos; Non quidem caret delicto quòd ſint inter vos litigia ex mutuis injuriis orta, cùm enim deberetis potiùs injuriam ab aliis pati, ſeu fraude ſeu alio damno ab his illato, vobiſmetipſis injurias infertis: attamen ſi ejuſmodi litigia ex vobis orta fuerint, debent apud vos judicari, non verò à ſæcularibus Judicibus. Hæc Apoſtolus miro artificio proſequitur figuris & ſchematibus elegantioribus Orato-

rum

ſum proferens ſenſum quem mox ſimpliciori Interpretis ſtylo explicui. Verba autem proximè relata lenem & gravem admirantis Pronuntiationem volunt; ſed quæ ſequuntur longè acriora ſunt. *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Hæc duplex Interrogatio majore ſpiritu atque impetu pronuntianda eſt. Aliam verò Vocis Geſtuſve figuram, expoſcit quod ſequitur; *Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus?* Hæc pronuntientur zelo & ſeveritate indignabundi, & increpantis Chriſtianos de turpitudine Litium, quibus mutuæ injuriæ occaſionem dedere. Sed inſtandum eſt ac immorandum pauliſper in his verbis; *Et hoc fratribus*; emphaſim enim habent ad turpioris facti notationem hæ dictiones, *& hoc*, ideoque Voce & Geſtu ſpeciali ſunt proferendæ. Deinde ſubdit Apoſtolus: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare; Neque fornicarii, neque Idolis ſervientes, neque adulteri*, &c. *regnum Dei poſſidebunt*. Hæ ſententiæ diverſam Pronuntiationem expetunt. Prior quidem acris Interrogatio eſt, *An neſcitis?* &c. Altera verò monitionis figuram induens, Vocem paulò altiorem & brachii manuſque mediocriter extenſæ comminationem deſiderat; Tertia vero propoſitio Affirmationem continet clariùs pronuntiandam & ſuis articulis diſtinguendam. *Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*, &c. Prior pars hujus ſententiæ pronuntiatur cum modica mora & inſtantia Corinthios admonente de prioris converſationis ſeu vitæ ſceleribus; deinde molliori Pronuntiatione exprimendi ſunt articuli ſequentes, quibus vitiorum priorum condonatio declaratur.

Operoſum nimis eſt ſingulis rebus genuinam Pronuntiationem aſſignare.

Plura referre & ſingulatim diſcutere, ſuperfluum videtur, ne dicam nimis operoſum: hæc in exemplum ſufficient Tyroni, ut inde Pronuntiationis formam addiſcat. Poterit autem alia ſeu S.Scripturæ ſeu SS.Doctorum loca varietate figurarum & interlocutionum inſigniora memoriæ mandare, deinde privatim recitare; tum proprio judicio & induſtria comperiet verum Pronuntiationis habitum, vel certè ad illum proximè accedet: ac denique quod defuerit, quodque privata experientia non fuerit aſſequutus, eruditiorum Oratorum conſultatione, colloquio & imitatione conſequetur tutiùs & faciliùs, quàm ſcriptis præceptionibus, quæ præſentia Magiſtri deſtitutæ non poſſunt longo verborum circuitu adæquare vivæ Vocis actionifve virtutem & efficacitatem. Hoc eſt Peritiorum & Sapientiorum conſilium, quo Eloquentiæ Candidatus proficiat. Interim ſubjiciam aliqua S.Scripturæ loca, in quibus varietas Pronuntiationis planiùs eluceſcit. Videndus Granatenſis à quo etiam horum plurima tranſſumpſi; accuratiùs ille & fuſiùs negotium hoc expendit l.6. cap.7. & 8.

Uſu, lectione, colloquio, & Imitatione diſcitur.

Loca præcipua S. Scripturæ, in quibus Pronuntiationis varietas magis elucet.

Primum occurrit Moyſis Canticum mira varietate Pronuntiationis diſtinguendum. Deuteronomii 32. Hujus initium eſt, *Audite Cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*, &c. uſque ad nu.43. Liber Job non parum utilis videtur ad Pronuntiationem, abundat enim figuris, dialogis & mutuis percontationibus, præſertim caput 3. quod Indignantis & execrantis af-

Job.

Cccc c fectus

ſectus plurimos exhibet. Quartum, quod corrigentis & monentis formam refert. Caput ſextum, quod hominis mœrore confecti conqueſtiones prodit. Idem reperire licet in ſingulis ferè hujus libri capitulis, quorum vix ullum eſt quod non habeat quo doceatur Pronuntiationis ſtudioſus.

Pſalmi. Pſalmorum liber totus Oratorius eſt, & Pronuntiationis varietate frequentiſſimus. Celebriores autem ad hoc videntur ex Pſalmis iſti: Quadrageſimus ſextus, qui incipit, *Deus auribus noſtris audivimus*, &c. Pſ.49. à Granat. notatus, qui incipit: *Deus Deorum Dominus locutus eſt*, &c. tunc verò Vocis varietatem magis oſtendit cùm Deum increpantem inducit num.16. his verbis, *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras Juſtitias meas; & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum?* &c. uſque ad finem. Pſ.51. *Quid gloriaris in malitia?* &c. Pſ.58. *Salvum me fac Deus*, &c. item Pſ.72. Pſ.77. qui incipit, *Attendite popule meus*, &c. Objurgationibus plenus eſt iſte Pſalmus. Pſ.93. *Deus ultionum Dominus*, &c. Pſ.108. *Deus laudem meam ne tacueris*, *&c.*

Prophetæ. Iſaias. Jeremias. Prophetarum libri magnam etiam Pronuntiationis varietatem oſtendunt, quàm imitari poſſit hujus Artis Candidatus, præcipuè Iſaias & Jeremias, necnon amborum iſte ultimus frequentiſſimus eſt grandioribus Eloquentiæ ſchematibus, legantur & perpendantur priora ſex ejus capitula. Evangelium, quamvis Hiſtoria ſit, ideoque ſtylo fuſiori & planiori digeſtum, minimè tamen caret exemplis ad Pronuntiationem idoneis; atque ut cætera taceam, illud tantùm refero quod Granatenſis proponit ex Matth.15. nu. 1. cùm Scribæ & Phariſæi Dominum adierunt ut ipſum increparent ex eo quòd Diſcipuli ejus Diſciplinam Synagogæ non curarent: ſic enim ajunt, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditionem Seniorum?* &c. Hæc objurgatio magna Vocis geſtuſque ſeveritate & vehementia proferenda eſt, quia Judæi Domino ſuccenſere & quaſi piaculum grande objicere contendebant, quòd ejus Diſcipuli comederent illotis manibus. At longè alia Voce pronuntianda eſt hæc reſponſio Chriſti; *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter Traditiones veſtras?* &c. quæ verba modeſtam correctionem notantia, modeſtè & graviter proferenda ſunt. D. Paulus totus ad Pronuntiationem compoſitus eſt: mira enim varietas tum ſententiarum, tum figurarum occurrit in ejus Epiſtolis quæ ad efformandos Concionatores videtur aptiſſima. Ideo aſſiduè legendus, meditandus, immo ſi fieri poſſit, addiſcendus. Plura ad exercitium Pronuntiationis exempla videri poſſunt (ut ſæpe dixi) apud Granat. loco indicato. Nunc pro Coronide hujus libri appono Suggeſtus Speculum, in quo ſeſe intuitus Orator notabit an bene vel malè in Pulpito ſacro ſe gerat.

(Margin notes: Evangelia. — beside "tula. Evangelium"; D. Paulus. — beside "renda ſunt. D. Paulus")

CAPUT V.

Speculum, ſeu idea Practica Suggeſtus Chriſtiani.

AD grande Speculum ſemet intuitus Demoſthenes, fertur (ut diximus ſæpe) ita compoſuiſſe Actiones Oratorias, eaquè induſtria deformitatem Geſtus adeo conformaſſe ad laudabilem Pronuntiationis venuſtatem; ut Declamatorum omnino princeps, grata & decora corporis compoſitione evaſerit. Oratoris Celeberrimi facto edoctus, Speculum, ſeu mavis Ideam Practicam Suggeſtus, Eccleſiaſtæ Tyroni propono; Methodum ſcilicet ac formam qua uti debeat in iis dumtaxat quæ ad ſacrum Pulpitum ſpectant: plures enim in his (quæ minima non ſunt) maximè aberrant, cæſpitant, labuntur, ignorantes quid deceat Concionatorem; quid agere debeat antequam Suggeſtum ingrediatur; quid ingreſſus; quidve ingreſſurus; quid ſit faciendum, ſi Prælatus, ſi Princeps, aliuſve primi Ordinis Auditor adſuerit, vel incœpta jam Concione acceſſerit. His inquam aliiſque circumſtantiis pluribus, quæ ſæpiùs accidere poſſunt & imperitum Eccleſiaſtem in fœdos lapſus pertrahere, poterit quiſque Eloquentiæ Novitius mederi ſequentibus Regulis, à quibus tamquam à Speculo diſcat quid faciendum quidve fugiendum ſit ipſi Concionem habituro. *Speculi hujus utilitas.*

Tribus autem Articulis, ſicut & temporibus Prædicatoris officium ſpectantibus diſtinguetur iſtud poſtremum hujus Partis caput. Primò explicatur quid agere debeat Eccleſiaſtes Suggeſtum Ingreſſurus; ſecundò, quid Ingreſſus; tertiò, quid tandem Egreſſus. Hæc tria quæ Concionem aut præcedunt aut comitantur, aut conſequuntur, brevi perſtringo. *Partitio Capitis.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quid conveniat Eccleſiaſtæ Suggeſtum ingreſſuro.

NON immoror in expendenda Præparatione quæ Concionem longè antecedit, quales ſunt Eccleſiaſtæ Vocatio, Eruditio, Solertia, Structura Concionis, aliaque ejuſmodi, de quibus in Apparatus libro diximus ſatis; Illam igitur Diſpoſitionem remotam ſupponens, aliam exhibeo praxi & Suggeſtui proximiorem, cujus formam & uſum laudabiliorem deſcribo, qualia ſunt quæ decent mox Concionaturum. *Præparatio proxima.*

1. Eccleſiaſtes paratam Concionem iterum examinet ad Artis Metho- *Eccleſiaſtes Concionem*

 dum,

iterum ſedulò examinet, fideliter memoriæ committat, & profundè meditetur.

dum, & propoſiti Thematis finem, tamquam ad Amuſſim extra quam nihil exorbitare debet, ſeu abundantia ſeu defectu. Deinde memoriæ Concionem tradat integram, quaſi ne verbulum præterire velit; quamquàm, ut ſupra dixi, poſſit aliquando verba alia aliis ſubſtituere, præſertim cùm incanduerit zelo adverſus depravationem morum. Hac ratione fit ut dicenda fideliter fortiterque complexus, ſui juris omnino fiat ad liberiorem Pronuntiationem & ad Vocis Geſtuſque moderationem, cui vix intendere poterit, ſi attentione ad memoriam imparatam occupetur ac diſtrahatur. Item feriò meditetur Concionis ſenſum, ac præcipuè ejus ſcopum, quem præ oculis ſemper habeat; at ad ipſum conſequendum omnes animi vires affectuſque adigat.

Oret.

II. Commendet ſe Deo, Orationique Mentali vacet priuſquàm Suggeſtum conſcendat. Quandoquidem enim *omne datum optimum & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*; Jacob. 1. 17. nec aliquid vel minimum poſſimus efficere abſque eo, ſine quo nihil fit: aliunde vero Miniſterium Evangelicum ſit maximè arduum & operoſum; meritò ſuadetur Concionaturus implorare auxilium ejus, cujus opus agit, cujus *manu obſtetricante educetur coluber tortuoſus*; Job. 26. cujus *Sapientia aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas*; Sap. 10. 21. Heu qui Deum negligis! quò tendis ſolus ſine duce difficillimum iter confecturus? quid abſque juvante negotium Angelis formidandum aggrederis? fruſtra vociferabis, laborabis fruſtra, fruſtra denique abſumeris, quia Chriſtus nec juſſit te loqui, *nec retia laxare in capturam*. Ora, inſta apud Deum, ut tibi Ductum, Juvamen, aliaſque gratias impendat & tunc voti compos fies. Audi Auguſtinum his verbis commonentem Eccleſiaſtem. *Orando pro ſe ac pro illis quos eſt alloquuturus, ſit priùs Orator quàm Doctor; & ipſa hora accedens priuſquàm exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut ructet quod impleverit, & quod ructaverit effundat*. Auguſtin. lib. 4. de Doct. Chriſtiana.

Benedictionem à Parocho poſtulet.

III. Benedictionem à Prælato, eorumve Vicariis petat & excipiat: ea eſt enim ſacrorum Antiſtitum dignitas, ut Dei Majeſtatem mundo exhibentes, magna virtute polleant in legitimo Sacerdotalium Officiorum uſu. Nihil intereſt ad Prædicatoris munus, quòd eorum aliqui fortè deficiant ſeu natalium ſeu morum gloria, ſat ſit quòd ſacram occupent ſedem, quæ voluntate Chriſti & Miniſterii neceſſitate cenſetur Gratiarum gratuitarum collativa. Poſtulet ergo Eccleſiaſtes Concionaturus Benedictionem à Prælato vel à fungente ejus vicibus, ſeu id fiat inter Miſſarum ſolemnia, ſeu alio tempore: Genuflectat cum omni humilitate ante Altaris ſuppedaneum, dicatque voce gravi & mediocriter ſubmiſſa; *Jube Domne benedicere*: Interim dum Sacerdos Benedictionem profert, hos aut ſimiles actus formare nitatur. 1. Cogitet ſe cum Apoſtolis coram Chriſto proſterni Legationis Evangelicæ miſſionem accepturum. 2. Reputet ſe indigniſſimum tanto Miniſterio ſibi demandato, ideo-

ideoq;ab ipſo Chriſto in Euchariſtia latitante humiliter poſcat ut det quod juſſit, nimirum facultatem ritè exequendi munus impoſitum. 3. Deteſtetur omnem Concionis finem alium à Gloria ipſius Dei, cujus præſidio fretus, factaque profundiſſima coram Altari inclinatione, ad Suggeſtum pergat.

IV. Dum petit Pulpitum Eccleſiaſtes, ſemet intra ſe colligens attendat ſemper ad ſublimitatem Negotii commiſſi; præ oculis animæ perpetuo habeat varia munera quæ Prædicatoris Officio recluduntur. Nunc recordetur quòd Angelorum vices ſubeat, Auditorum tenebras veritatis luce depulſurus: Nunc meminerit ſe Legatum à Deo ad homines miſſum, ut partes ſui Principis fortiter ſuſtineat adverſus rebelles: aliquando cogitet ſe Medicum, cui ex mandato Chriſti incumbat varios adſtantium languores cum omni ſollicitudine curare: denique nuſquam obliviſcatur, quòd de verbis etiam minimis, ſicut de aliis omnibus quæ à Concionatoris munere pendent, ſit rationem exactiſſimam redditurus coram Deo & Angelis. His & ſimilibus attendens Prædicator, ad Suggeſtum devotè & modeſtè tendat: caveatque ne oculos vagè & indiſcretè per aream vibret, ne etiam obvios alloquatur, niſi fortè juſta ratio id fieri poſtulet, ſed breviter & religioſè ſalutationes allocutioneſve excipiat, tamquam majori & digniori negotio occupatus.

ARTICULUS II.

Quid conveniat Eccleſiaſtæ Suggeſtum ingreſſo.

I. PULPITUM conſcendat Eccleſiaſtes eâ corporis totius modeſtia, devotione ac compoſitione, quæ decet Majeſtatem gerentis tam ſanctum, tamque auguſtum Miniſterium. Tum breviſſimè oret converſus ad Altare majus. Orantis ſtatus duplex eſſe poteſt; Alii enim ſtantes orant, oculis ad Crucifixum, ſi commodè videri poſſit, intentis, manibuſque ante ſupremam pectoris partem junctis: Alii vero genuflectunt oraturi. Uterque orantium ſitus laudandus, ſed maximè cavenda eſt tunc temporis Oratio prolixior, ne faſtidium inde Auditor excipiat: ſufficit oratiuncula ad inſtar ſalutationis Religioſæ Crucifixo exhibendæ, qua Orator iterum breviter poſtulet Divinum præſidium. Hìc caveat Eccleſiaſtes triſtari aut alio moveri modo, ſi fortè paucioribus conſtare viderit Auditorium; vel inaniter lætari aut gloriari, ſi pluribus abundare perſpexerit: opus Eccleſiaſtis non eſt, ſed Chriſti qui dignatus eſt etiam ad mulierculam ſermonem habere; pauciores ſunt, fateor, ſed ex paucioribus plures forſitan ex Concione proficient; eſto, unicus tantùm Converſionis affectum inde reportet, magnum ſanè eſt

Compoſitio Concionatoris Suggeſtum ingredientis.

Auditorum paucitate non moveatur.

eſt unam lucrari animam, pro qua Chriſtus fudit ſanguinem paratus iterum fundere. An Apoſtoli concionabantur tantùm ad numeroſos hominum Cœtus? minimè, ad quoſcumque, etiam pauciſſimos; Magiſtros imitare, Eccleſiaſtes, munus demandatum imple, & paucos hortare ea Charitate eoque zelo, quo plures. Caveat iterum Concionator de paucitate Auditorum fortè triſtatus, ne præſentes eam ob rem increpet, innoxii enim ſunt & inculpabiles: tutiùs ergo eſt penſum aggredi illudque fideliter perſolvere, aliarum rerum cura inutili *dimiſſa*.

Compoſitio Concionatoris Suggeſtum ingreſſi.

II. Eccleſiaſtes peracta oratiuncula, convertat ſe ad mediam Auditorii partem quæ præcipua videtur; niſi Prælatus, Rex, Princeps, *hiſve* ſimiles adfuerint, hi enim locum Auditorii præcipuum conſtituunt. Stet aperto capite, manu dextra præhendens Sacerdotalem Galerum (ſi eo utatur) quem ſtatim ſiniſtræ remittat, vel amoto caputio (ſi illud habuerit) eam oſtendat gravitatem vultus, totiuſque Corporis majeſtatem, quæ non faciat ſuſpicionem audaciæ, ſuperbiæ, vel etiam metus. Apage frontem oculumve qui aliud ſapiant quàm Religionem & pietatem. Apage vultus audaces, feroces, vagos, inconſtantes & perpetuò circumcurſantes, comptiores, lautiores, abſque cauſa & ratione hilariores, aut triſtiores. Tum Concionator Figuram Crucis manu dextra formet à capite ad pectus, &c. more ſolito, ſed fugiat in hoc ſigno efformando præcipitationem & levitatem, qua nonnulli indevotionem produnt.

Concionator debet Benedictionem petere ab Epiſcopo Diœceſano, ſi adſit.

Si verò interfuerit Concioni Epiſcopus, *hæc ſunt obſervanda. Vel eſt* Diœceſanus vel externus: ſi Diœceſanus & proprius, nemini dubium eſt Concionatorem debere ab eo benedictionem petere antequam exordiatur. Si autem externus fuerit Epiſcopus, controvertunt Doctores an debeat dare Benedictionem ſolemnem in aliena Diœceſi; quidam negant, quia cenſent Benedictionem eſſe actum Juriſdictionis à Canonibus prohibitum extra propriam Diœceſim; quidam affirmant, quia putant Benedictionem ſpectare ad Dignitatem Epiſcopalem, quæ ubique eadem eſt. Vide

An ab Externo?

Barboſam de officio & poteſtate Epiſcopi, 2. parte Alleg. 16. num. 12. & 13. ac 3. p. Alleg 111. num. 3. Crediderim eſſe ex Concionantis reveren-

Quomodo petenda ſit Benedictio ab Epiſcopo.

tia erga Epiſcopalem Dignitatem, petere Benedictionem ab Epiſcopo etiam externo, præſertim ſi nullum fuerit periculum ne Diœceſanus rem improbet ac de illa offendatur; quod vix præſumendum videtur, cùm hoc ſpectet ad omnes Prælatos quibus eadem occaſio communis eſſe poteſt. Notandum eſt Prælatos non ſolere Benedictionem Concionatoribus dare die S. Veneris. Modus autem Benedictionis petendæ ab Epiſcopo, hic eſt, ut Concionator peracta verſus Crucifixum precatiuncula ſeu, genuflexus ſeu ſtans; antequam aliquid aliud faciat, profundè inclinatus genuflectat coram Prælato, dicens mediocri vocis tono, *Jube Domne benedicere*; tum accepta Epiſcopali Benedictione, modeſtè ſurgat, Cruciſque ſignum ſupra ſe formet, deinde ordiatur.

3. The-

3. Thematis verba proferantur graviter, diſtinctè, voce mediocri, quaſi tentando quomodo in Auditorio ſe habeat; Geſtu careat Thematis pronuntiatio, caveatque ab acriori tono & à prolixiori propoſitione. Alii Thema proferunt latino tantùm idiomate; Alii patrium & vernaculum addunt in alterius interpretationem; utrique laudandi, ſed poſteriores videntur ad plebis captum & intelligentiam magis accommodati. Deinde exordiatur Eccleſiaſtes Voce leni & ſedata, quæ (ut dixi) vocis repercuſſionem ac loci reſonantiam prudenter exploret: non tamen exordientis Vox ſit adeo demiſſa, ut nulli ſit intelligibilis; nec etiam ita vehemens ut Auditores lædat ipſumque Oratorem ſtatim fatiget; vix enim ab eo Vocis tono quem exordiens aſſumpſerit recedet. Geſtus in Exordio ſit modeſtus & rarus; ſtatus Corporis erectus; aliqui dextra manu Geſtum mediocrem edunt, plurimi nullum; manus ſub pallio geſtiens indecora eſt. Veſtis devotè, decenter & religiosè ſit compoſita. Hoc Pronuntiationis Actioniſve habitu integrum percurratur Exordium, Vocis mutatione vix aliter mutata quàm ut commata, periodos, propoſitioneſque diſtinguat. Aliquando tamen juſta ratio aliter pronuntiari poſcit, ut cùm Exordium ducitur ex abrupto, ab inuſitato & ſimilibus Locis, qui vehementius initium poſtulant, quale eſt iſtud Ciceronis: *Quouſque tandem abutere patientia noſtra, Catilina?* &c. Magna tamen cautione & prudentia indigent ejuſmodi ſubitanea initia ut bene fiant. Aliquas etiam Exclamationes & Apoſtrophes breves patitur Exordium, ſi res ita fieri poſtulet. Denique finito Exordio, invocetur divinum auxilium per interceſſionem B. Virginis, cujus ſalutationem aliqui pronuntiant alta voce, aliqui ſubmiſſa, ſed utrique genuflexi & ad altare converſi.

Thematis pronuntiatio qualis eſſe debeat.

Vox.

Geſtus.

Inolevit mos inter Concionatores, ut ſi adſuerit Prælatus, vel Princeps, vel alter ſublimioris Ordinis, eos officioſo aliquo ſermone alloquantur. Id verò ſi faciendum fuerit, hæc videntur obſervanda. 1. Exordii materies in breviorem formam redacta præmittatur. 2. Expleto Exordio, fiat profunda inclinatio Antiſtiti vel Principi, ipſum appellando nomine ipſius conditioni proprio. Sic in noſtra Gallia, Prælato dicimus, *Monſeigneur;* Regi, *Sire;* Reginæ, *Madame;* Regiæ ſtirpis Filiæ innuptæ, *Madame*; Principi, *Monſeigneur*; Principiſſæ Conjugatæ aut Viduæ, *Madame*. 3. Dein ad ipſos dirigatur ſermo officioſus quidem & veneratione conditus; ſed brevis, gravis, ab adulatione immunis, acuminibus ingeniosè digeſtus, ex viſceribus cauſæ ſi fieri potuerit eductus. 4. Tum ab ejuſmodi alloquutione fiat ad B. Virginis ſalutationem induſtria tranſitio.

Dei auxilium B. Virginis interceſſione petatur.

4. Surgens à genuflexione & invocatione Concionator ſedeat corporis trunco ſupra ſedile decenter erecto; veſtem iterùm aliamve privatam ſupellectilem ita componat, ut non videatur curioſitatem aut comitatem ambire. Caput aperiat vel aſſumpto manu dextra Galero, vel amoto Caputio

putio (prout uſus erit) deinde Cœtum ſalutet mediocriter inclinatus & ea modeſtia quæ Dei opus deceat, initio ſalutationis facto ab ea Auditorii parte quæ eſt verſus Altare majus, per mediam ad oppoſitam regionem. Si vero Prælatus alterve ſublimioris ordinis omni exceptione major adfuerit, ad ipſum ſolum dirigatur ſalutatio, quæ fit Capite verſus ipſum profundè inclinato, ipſumque inter ſalutandum appellet Eccleſiaſtes nomine conditioni ejus congruo (ut ſupra mox dixi.) Deinde ſedens Concionator, capite tecto, manibuſque ſupra pulpitum poſitis, Introductionis primam periodum ſeu propoſitionem pronuntiet ſedatè, diſtinctè, Voce mediocri, ſed intelligibili, & abſque Geſtu. Tum recitatis quatuor aut ſex lineis poterit ſurgere & Propoſitionis partes explicare ac probare, ſtans & rectus, Geſtu adhuc modico uſus. Non immoror in expendenda diutiùs Introductionum Pronuntiatione, cùm enim illæ innumeris ferè modis ac methodis ſtruantur, vix aliquid certi poteſt de hac re præſcribi: ſufficiat Tyronem monere, Introductionem debere ut plurimùm eſſe cæteris partibus ſedatiorem. Tandem proponatur Concionis diviſio ſeu partitio (niſi fuerit propoſita in Exordio.) Proferatur autem articulatim, diſtinctè, clarè & dilucidè ut omnes eam capientes intentum Orationis ſcopum intueantur & intelligant. Eadem ſervet Orator initio cujuſcumque Partis: hoc eſt, cum exorditur quodlibet punctum, immo etiam & novam materiam ſeu rationem, ſedeat capite velato, manibuſque pulpito innixis quamdiu primam periodum pronuntiat, &c. quemadmodum initio Introductionis faciendum diximus, niſi ratio fieri aliter expoſcat.

5. Plurima inter concionandum occurrere poſſunt, quæ Tyroni Eccleſiaſtæ imperito & imparato faceſſere queant negotium, niſi moneatur quomodo in his ſe gerere debeat. Eamobrem hæc ſunt advertenda. 1. Si Prælatus, vel aliquis ejuſmodi ſupremi gradus, cœtum ingrediatur Concione jam incœpta; tunc Concionator pauliſper ſileat dum ille ſederit; interim ipſe breviſſimam dictorum recapitulationem meditetur, quam Prælato alterive id honoris merenti faciat hoc modo. Facta illi profunda inclinatione & appellatione pro qualitate ſtatus, ut antea dixi, dicat v. g. *Illuſtriſſime Domine*, vel ut fert Gallicum idioma, *Monſeigneur*, tale propoſitum expendere ſtatueram; hæc taliave jam dixi, quæ breviter reſumo; nunc ſuperſunt hæc & talia dicenda, quæ proſequor, &c. Stet capite autem aperto converſus ad perſonam cujus gratia retexit jam dicta, qua repetitione facta ad priorem ſtatum dicendis congruum redeat. 2. Evenit ſæpè ut inter concionandum tumultus excitetur; ob id non moveatur Eccleſiaſtes, ne ſi vel ſileat vel diſtrahatur, ſtrepitus fiat major, ipſique Auditores ab attentione ad Concionem divertant ad tumultuantes. Conſultius eſt igitur Concionem proſequi, vel ſaltem poterit paucis verbis voce & geſtu graviter prolatis ſilentium indici. 3. Accidit nonnumquam ut aliqua gloriola mentem feliciter

Con-

Concionantis ſubeat; huic ne det locum probus Eccleſiaſtes; ſed D. Bernardi exemplo dicat vanitati, Propter te Concionem non inchoavi, nec etiam propter te Concionem aut proſequar aut abſolvam. Caveat ergo ab omni oſtentatione ſeu jactantia, nec alios ſugillet in ſui laudem, dicens fortè; Nemo unquam his æqualia vobis dixit: attendite ad Conceptum quo nullus eſt exquiſitior, &c. Hæc & ſimilia jactantiæ verba exulent ab ore Concionatoris qui meminiſſe debet, Dei eſſe beneficium illud de quo gloriaretur: unde Apoſtolus ipſum ſic redargueret: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Corint. 4. 7. Item caveat, ne ſe tardiùs monitum de Concione facienda dicat; verba enim iſta videntur ad oſtentationem ingenii ſpectare. 4. Denique, ſi memoria inter dicendum labatur aut confundatur, conſulat Eccleſiaſtes librum 6. præcedentem ubi de Memoria egimus.

6. Ad Epilogum ſeu Perorationem perducta Concio, ſerveat ardentiùs, contendendo Voce & Geſtu ut finis intentus obtineatur. Quomodo autem id fiat docetur ſuperius l. 3. de Oeconomia..... Superſunt duo notanda. Primum eſt, ut Concio exitum ſortiatur gratum, elegantem & ex omni parte felicem; quod fiet ſi Orator Auditorum intellectu ſufficienter inſtructo, eorumque affectu ad executionem dictorum ſatis excitato, claudat Orationem ſolerti Epiphonemate, quo ſingulis Gloriam cœleſtem optet in compenſationem praxis eorum quæ audierunt. Deinde abſoluto penſo Benedictionem toti Auditorio devotè & modeſtè impertiatur. Nonnulli Concionatores non vulgaris famæ, aliquando ſe pulpito ſurripiunt abſque Peroratione, relictis Auditoribus partim ſtupefactis ex improviſo & ſubitaneo receſſu, partim territis ex Concionis ſenſu forſitan aliquid terribile incutiente. Ut v. g. ſi actum fuerit de Prædeſtinatione, de Reprobatione, de Judicio Extremo, &c. Sed non video quid profit hæc ſubreptio, quam nuſquam in uſu fuiſſe apud Oratores celebriores lego. Tremefacti dimittuntur Auditores, ſed quid inde boni fiet? an terror poterit eſſe Concionis finis? immo, eſt medium quo tamquam ſtimulo adigitur plebs ad boni amplexum. Qui Auditores deſerit territos, nec terrori medetur ſpe alicujus ſolaminis, nec illo utitur in aſſecutione alicujus boni, imitatur Medicum qui vulnus fodit, aperit, exaſperat; nec ullo fomento aut remedio dolorem mitigat vel periculum tollit; ita ſe res habet in negotio noſtro; dimittetur Auditor Prædeſtinationis, Reprobationiſve myſteriis formidandis territus; quid tum? deſperabit fortè tot difficultatibus exanimatus, ſalutis curam omnino deſpiciet animo cadens & metu furoris divini fractus. Plures non affero hujus Subreptionis peſſimos effectus; ſatius ut dixi Concionem abſolvere ne manca ſit, & terrore incuſſo prudenter uti ad urgendam de ſalute ſollicitudinem. Alterum obſervandum, eſt de Benedictione petenda ab Epiſcopo ſi adſit. Caveat ergo Concionator ne præſente Antiſtite benedicat Auditorium in Concionis fine, eſt enim iſtud opus & officium Præ-

lati tunc præſentis. Sic igitur Concionem finiat ut ſenſim declinet ad petitionem Benedictionis, quam genuflexus, capite detecto & manibus junctis poſtulare debet ab Epiſcopo. Tandem è ſuggeſtu modeſtè & religiosè egrediatur.

ARTICULUS III.

Quid conveniat Eccleſiaſtæ è Suggeſtu egreſſo.

1. EGRESSUS Pulpito Eccleſiaſtes ſecedat in locum aliquem commodum, ſi haberi poſſit, ut ſanitati poſſit conſulere. Etenim cùm Prædicationis decurſu, Pronuntiationiſque tum Voce tum Geſtu defatigentur omnes ferè Corporis partes, operi (pluſquàm inexpertis videtur) laborioſo occupatæ; laxentur ſcilicet nervi, ſpiritus excitentur, moveantur humores, Arteriæ, præſertim vocales, inflammentur, Brachia graventur, ſingula denique membra horaria contentione concutiantur, quiete, fomento & levamine indigent. Ideo non abs re, quin potiùs, magna cum ratione Prædicatori conſulitur ſeceſſus privatus, in quo ſolus cum ſocio ſibi vacet, quieſcat, igne foveatur, ſiccetur ſudor, aliiſque fruatur levamentis neceſſariis quæ ipſum deceant.

2. Gratias Deo reddat maximas, quòd ad tantum Miniſterium fuerit ab eo aſſumptus; hoc ſe indigniſſimum reputet, *cogitans plurimos nunc* ſilere Concionatores, qui longè meliùs ipſo, accuratiùs & utiliùs functi fuiſſent hoc negotio, ſi fuiſſent ad illud delecti. Ne ſibi ſuadeat Deum debitorem fore propter penſum abſolutum, nam, ut ajebat Chriſtus Luc. 27. 10. *Nemo habens ſervum arantem*, &c. *gratiam habet ſervo illi quia fecit quæ ei imperaverat*, &c. *Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus*. Hinc moneatur Eccleſiaſtes ne intumeſcat de felici Concionis ſucceſſu, neve ambiat popularem applauſum, aut amicorum laudibus infletur, nam, ut ſæpe dixi, gratia & auxilio Dei factum eſt quidquid laude dignum in opere occurrit; ad ipſum ergo referat quod ab ipſo ſolo ortum eſt. Immo veniam humillimè petat à Chriſto, quòd tanta negligentia, tanta ignorantia, tantis denique defectibus commiſſum negotium fuerit exequutus.

3. Caveat Eccleſiaſtes à ſordido quæſtu pro compenſatione miniſterii Evangelici. Scio à D. Paulo ex lege dictum, *Non alligabis os bovi trituranti*. 1. Corint. 9. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* &c. *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Idem ibid. Ideoque meritò Concionator hoſpitium, alimenta, aliaque ejuſmodi excipere poterit per modum Eleemoſynæ & retributionis; at imprudenter, importunè, & ſcandaloſè

(ſi

(ſi ita loqui fas eſt) exigere & extorquere remunerationes pecuniarias, videtur Eccleſiaſtæ Apoſtolico probroſum ejuſque Miniſterio maximè injurioſum. Chriſtus hanc Diſcipulis ſanctionem ſtatuerat Matth. 10. 8. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Paulus verò ſic de ſe loquebatur Actor. 20. 33. *Argentum & Aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut & ipſi ſcitis*, &c. Ita igitur Concionator retributionem accipiat, ut minimè credatur ejus avidior, ſed ex Evangelico labore nihil aliud ſperare quàm Dei gloriam & Auditorum ſalutem.

4. Speculo denique finem dabit Doctor Angelicus, Chriſtum Concionantem Prædicatoribus tamquam perfectiſſimam Evangelici miniſterii ideam proponens. Ille 3. p. qu. 40. art. 1. expendens textum D. Remigii in Matth. ſic ajentis, Tria refugia legitur Dominus habuiſſe, Navim, Montem & Deſertum, &c. ad quorum alterum quotieſcumque à turbis comprimebatur, conſcendebat: ſic inquam reſpondet ad hæc D. Thomas; Actio Chriſti fuit noſtra inſtructio; & ideo ut daret exemplum Prædicatoribus, quòd non ſemper ſe darent in publicum, quandoque Dominus ſe à turbis retraxit. Quod quidem legitur feciſſe propter tria. 1. Quandoque quidem propter corporalem quietem: unde Marc. 16. dicitur quòd Dominus dixit Diſcipulis; *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum: erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant*. 2. Quandoque verò, cauſa Orationis: unde dicitur Luc. 6. *Factum eſt in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. Ubi ait Ambroſius lib. 5. Luc. quòd ad præcepta Virtutis ſuo nos informat exemplo. 3. Quandoque verò, ut doceret favorem humanum vitare: Unde ſuper illud Matth. 5. *Videns Jeſus turbas, aſcendit in montem, &c.* dicit Chryſoſtomus homil. 15. in Matth. Per hoc quòd non in civitate & foro, ſed in monte & ſolitudine ſedit, erudivit nos, nihil ad oſtentationem facere & à tumultibus abſcedere, &c.

CAPUT VI.

DE MEMORIA

ARTICULUS PRIMUS.

Memoriæ utilitas & Differentia.

Memoriæ neceſſitas.

MEMORATIVÆ Facultatis neceſſitas ad omne Diſciplinarum genus ita conſtat, ut jam probare ſit omnino ſupervacaneum; ac præſertim in Eloquentia deſideratur tamquam iſtius pars non minima; cùm nec ſupelle&ilem Oratoriam corrogare, nec Orationes à ſuggeſtu pronuntiare iſta queat abſque Memoriæ beneficio. Hinc plurimùm commendari ſolet ab omnibus hæc Animæ vis quæ præteritorum recordatur. *Memoria* (inquit Tullius 1. de Invent. 9.) *eſt firma Animi rerum & verborum ad Inventionem perceptio*. Idem lib. 1. de Orat. 18. ait: *Memoria eſt Theſaurus omnium rerum; quæ niſi cuſtos inventis excogitatiſque rebus & verbis adhibeatur, intelligemus omnia, etiamſi præclara fuerint, in oratione peritura*. Eſt quaſi Horreum mentis, in quod optimarum artium fruges reconduntur, ſuo tempore repetendæ. Eſt Theſaurus exquiſitis ſcientiarum opibus locuples, in varios uſus pro opportunitate explicandus. Eſt Muſarum Mater, Abſentium Vinculum, Mortuorum Vita, Vivorum Magiſtra, egregiè Factorum Monimentum. *Magnum beneficium* (inquit Caſſiodor. Epiſt. 21. lib. 5.) *oblivionis neſcire detrimentum, & quædam ſimilitudo cœleſtium eſt, tempore decurſa ſemper habere præſentia*. Sileo cætera quæ ſolent in Memoriæ commendationem proferri, ut citiùs meminerim eorum quæ ad Eccleſiaſtam ſpectant & præceptis ſubſunt.

Triplex eſt Memoriæ Species.

Triplex eſt Memoriæ ſpecies: Alia *Senſitiva*, *Rationalis* alia, alia *Artificialis*. Prior ab organorum Memorativorum conformatione petitur; ſecunda vim ſumit à Ratione & Judicio; poſterior ab artificioſa ſpecierum ſenſibilium diſpoſitione vel comparatur, vel juvatur. Unicam libentiùs dicerem Memoriam Naturalem, quæ cæteris veluti auxiliatricibus utitur: ad evidentiorem tamen rei declarationem, tres præfatas Memoriæ ſpecies ſecerno, & quid unicuique conveniat aperio, unde prudens Eccleſiaſta intelligat quid ſibi conducere cenſuerit.

AR-

RTICULUS II.

De Memoria Senſitiva.

MEMORIA Senſitiva eſt Animæ Sentientis facultas, quæ vim habet retinendi quidquid illi creditum fuerit, petiturque potiſſimùm ab organorum ſenſitivorum certa conformatione vel temperie, quæ ejuſmodi rerum tenacitati eſt idonea. Quid ſit Memoria Senſitiva.

Hac parte excelluiſſe dicuntur Fabius Maximus, & Lucullus, qui omnes omnium gentium hiſtorias Memoria tenebant. Mithridates Rex Ponti, qui viginti duas linguas callebat. Themiſtocles, qui cives omnes Athenienſes proprio vocabat nomine. Cyrus qui omnes etiam numeroſiſſimi exercitus milites ſingulos nominatim appellabat. Cynæas Pyrrhi Legatus, qui poſtero die quàm ingreſſus Romam fuerat, Equeſtrem ordinem & Senatum propriis nominibus ſalutavit. Methrodorus Philoſophus, qui dictorum ab aliis non modò ſenſum, ſed & verba referebat. Hæc ex Plin. lib. 7. cap. 24. & Solin. Polyhiſt. cap. 7. Seneca initio Controverſiarum, narrat ſe valuiſſe aliquando Memoria uſque ad miraculum, quippe qui duo millia nominum, eodem ordine quo ſibi dicta fuerant ſtatim redderet. Hortenſius verò, tanta Memoria fuit, ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto iiſdem verbis recitaret. Noſtro ſæculo præſtitere Memoria, E. Cardinalis Perronius, qui non tantùm lecta, ſed & audita verbatim continuò reddebat; Guillelmus Poſtellus Neuſtrius, qui à Gallia ad Sinarum Imperium omnes Orientis regiones ſe peragraturum gloriabatur abſque interprete. Plures ſunt qui in præfata memorandi facultate præcelluere, quique eadem nunc præcellunt, quibus gaudendum eſt quòd feliciter nati ſint in ea parte quæ omnibus, ſed maximè Oratori neceſſaria eſt: at multo plures in ea fortaſſe deficiunt, quos etiam omni in dicendo gratia deficere neceſſe eſt. De Curione Tullius in Bruto, refert quòd labilis adeo memoriæ fuerit, ut aliquoties cùm tria propoſuiſſet, aut tertium quæreret, aut quartum adderet; quare licèt expeditam ac profluentem haberet vim verborum, carebat tamen dicendi laude ob Memoriæ defectum. Idem etiam omnium riſu exceptus eſt, qui cùm dicturus eſſet contra Titiniam, & ſubitò totam cauſam oblitus eſſet, Titiniæ veneficiis & cantionibus id factum fuiſſe dicebat. Alios taceo Memoria aut tenaci aut labili celebres; horum diverſitatem paucis perſtringo. Aliqui Memorioſi.

Alii, ea donantur Memoria quæ citò ediſcat, ſed etiam citiſſimè obliviſcatur. Alii, magnam difficultatem experiuntur, ut aliquid Memoriæ tradant & infigant, ſed quæ ſunt tradita diutiſſimè ſervant. Alii utroque modo præſtant, facilitate ſcilicet ac tenacitate; utraque alii deficiunt. Sunt qui ſolutam orationem faciliùs retinent, ſunt etiam qui ſtri- Variæ dotes Memoriæ.

ſtrictam tenaciùs complectuntur. Aliqui uno Idiomatis delectantur genere, aliqui alio; atque iterum in ſingulis Memoriæ ſpeciebus maxima diverſitas notatur, prout ad facilitatem vel difficultatem; labilitatem aut tenacitatem, quævis acceſſerit.

Varietatis in Memorando cauſæ.

Varietatis circa memorandum vix numerabiles cauſæ afferuntur cùm primis duæ, ſcilicet Temperies Cerebri & Ingenii conditio. Ad Memoriam plurimùm valet Cerebri temperamentum, eſt enim veluti ſolum & ager in quo rerum ſpecies ceu *phantaſmatum ſemina ſeruntur*; Eſt Tabula, Tela, Area, & fundamentum, cui *memorandæ effigies* inſcribuntur, inſculpuntur, ac innituntur; ideoque illius naturæ conformantur, quantum ad exceptionem & retentionem ſpectat. Quibus ſubſtantia Cerebri mollis eſt; non ea tamen mollitie, quæ in aqueam vel arenoſam defluat; ſed quæ ad viſcoſam, & aeream teneritatem cum mediocri duritie ac ſiccitate accedat; illis diſpoſitio eſt ad bonam Memoriam; niſi cætera defuerint. Mollities enim illa faciliùs & citiùs ſpecies inſculptas ſuſcipit, quarum firmitati & conſervationi durities mediocris omnino inſervit. Mollities plùs nimio aquea, tenacitati memorativæ inepta eſt, in ea enim imagines impreſſæ non diutiùs ſtant, quàm ſi aquæ fluidæ mandarentur; ſubitò enim characteres huic inſcripti delentur, ob humidarum ſcilicet partium citiùs reſtitutam æquabilitatem, quæ præcedentis ſcripturæ veſtigium nullum oſtendit. Alia etiam mollitudo arenæ inſtar figuras inſcriptas facillimè excipit, ſed eaſdem non diſſimili celeritate deletas experitur. *Iſtud* patet in pueris *aliiſque* cujuſvis ætatis, quibus eſt humidius cerebrum, ac proinde memoria labilior. Cerebrum nimia duritie conſtans, difficile eſt ad Memoriam, quia huic non ſecus ac æri vel marmori ſpecies inſculpuntur maximo labore; adeo induratur in aliquibus, ut repetitis conatibus Adamantis more reſiſtat; in quibus ſuperari poteſt ejuſmodi duritia, in his ſpecies inſculptæ diutiſſimè ſervantur. Iſtud liquet in ſiccioribus cerebris, ac præſertim in Senibus, in quibus ob humorem à diuturno calore per ætatem annoſam abſumptum exſiccata cerebri mollities, vix apta eſt ut aliquid novi poſſit Memoriæ mandare; quamvis ex his aliqui, eorum quæ priùs juvenes didicerunt recordentur; alii verò penitus oblivioſi ſunt, & omni Memorandi virtute deſtituuntur. Eſt & alia hujus rei cauſa, nempe ſpirituum Animalium copia vel defectus: non enim quæcumque cerebri Mollities, qualis eſt humidior & nimium aqueo liquore conſiſtens, idonea eſt Memoriæ, hanc nimirum extinguit potiùs quàm juvet, niſi ſpiritu ac calore perfundatur. Fluidior ergo aut frigidior cerebri ſubſtantia officit Memoriæ, cui favent calor & ſiccitas, ſi temperentur. Ob nimiam ſiccitatem, vel ob nimium frigus, Senes (ut dixi) memoria deficiunt; Pueri verò, ob nimiam humiditatem. Item organorum conformatio valet ad Memoriam, quibus ſinciput geminum frontis cornu protendit, ac etiam quibus occiput poſteriore

tuber-

tuberculo intumeſcit, Memoria felicior eſt; tum quia vis apprehenſiva, quæ in productione mamillari ſeu ſincipite vigere cenſetur, vegetior ob capacioris organi conformationem, validiùs excipit rerum ſenſibilium ſpecies ac eaſdem fortiùs infigit Memorativæ facultati, unde hæ illi altiùs & profundiùs imprimuntur ac inhærent, tum quia vis Memorandi quæ in occipio reſidere æſtimatur, præſtantior comperitur, ubi hæc poſterior pars capaciorem ſinum cerebro & ſpiritibus aperuerit. Sed adverte iterum, quòd quæcumque fuerit capitis aut organorum forma ſeu figura; niſi ſufficiente ſpiritu perfundatur & ſuſcitetur, in ſtuporem & ſtoliditatem Memoriæ prorſus ineptam declinabit.

Ingenii conditio vim Memorativam cum ipſa Cerebri temperie partitur, pro eo enim ferè modo quo illud operatur, facultatem etiam Memorandi juvat vel impedit. Acre quidem ingenium, quod res fortiùs apprehendit, eas (ut dixi) validiùs & profundiùs Memoriæ inſculpit, quas iſta tenaciùs complectitur: molle verò & languidum, tarditatem & languorem Memorandi inducit. Res clarè & dilucidè intellecta, Memoriæ faciliùs inhæret, quàm quæ confuſè & obſcurè percipitur. Quæ magis placent ac Genio ſunt gratiora, in Memoriam citiùs involant, eique diutiùs adhæreſcunt: hinc alii Proſam, alii Verſus retinent faciliùs, prout nimirum in his fuerint delectati: hinc etiam præmiis propoſitis, vel pœnarum metu Memoria proritatur, quia his mens acuitur, fitque ad apprehenſionem & impreſſionem ardentior.

Ingenii conditio ad Memoriam prodeſt.

Medicorum intereſt, ea præſcribere quæ memoriam juvent, augeant vel inſtaurent; notabo tantùm iis rebus plurimùm lædi, quæ vel nimium humorem ſeu vaporem ad cerebrum tranſmittunt, his enim hebetatur Memoriæ acies, aut ſpecierum ordo confunditur, ejuſmodi ſunt Ebrietas, crapula & his ſimilia: vel quæ debitam humiditatem cerebri nimium exſiccant; quales ſunt Vigiliæ, curæ, nicotiani fumi immoderatiores: vel quæ calentes animæ ſentientis ſpiritus aliò avocant; ut ſunt formidines & pavores, aut metus ex improviſo occurrentes. Sic Demoſthenes apud Philippum Regem orans memoria lapſus eſt; ita plures alii, ob adſtantium vel multitudinem vel dignitatem obmutuere, grandi nimirum timore ipſos percellente, & ſpiritus neceſſarios facultati Memorativæ ſurripiente.

Memoriæ ſubſidia vel nocumenta externa.

ARTICULUS III.

De Memoria Rationali.

RATIONALEM Memoriam dixi, quæ ratione & judicio utitur, ut commiſſas & exceptas rerum ſpecies inſtauret. Senſitivæ facul-

Quid ſit Memoria Rationalis.

facultati inſita eſt, eique ita innititur, ut ab ea plurimùm dependeat; non adeo tamen illam conſequitur, ut illius gradus imitetur; poteſt enim in tenui ſentientis Animæ Memoria, vigere illa quæ ratione & judicio pollet: optima eſt, quæ ex utriuſque partis præſtantia conſtituitur. Ad illius uſum conferet hæc aut horum aliqua (prout conducere viſa fuerint) præcepta obſervare.

Media quibus rationalis Memoria juvatur.

1. Clara rei perceptio.

1. Intelligenda ſunt & dilucidè percipienda, quæ Memoriæ mandare oportet: Hac enim evidentia illicitur facultas *Animæ rationalis*, quæ Senſitivæ apprehenſioni reſpondet, atque ex ritè *intellectis ſpecies* intelligibiles ſibi proprias format, quas ſuo ſinu veluti genuinos partus complectitur ac peramanter fovet.

2. Ordo rerum ediſcendarum.

2. Ordo rerum ac materiarum ratione & judicio diſpoſitarum juvat Memoriam, ei enim facillimè reſtituit quod in ea fuerat olim repoſitum, eamdem in repetitione methodum ſequutus, quam in repoſitione obſervaverat; prius nimirum via eſt ad poſterius, ipſumque prodit ſequela & concatenatione, qua unum cum altero colligatur. Ad hoc ergo præſtat Concionem ſeu Orationem in debitas & legitimas partes diſtribuere, haſque iterum in alias ſectiones ſubdividere: Quemadmodum enim ſi de Domo dicere propoſueris, & initio facto à fundamentis, deinde ad parietes, poſtea ad tectum progredi ſtatueris, ac tandem ſingulorum partes eo ordine, quo vel à natura vel ab arte ſolent conſtitui, tractare & expendere volueris; vix in ejuſmodi decurſu poterit Memoria deficere, quia ab uno ad alterum, à *primo ad ſecundum*, ab hoc ad tertium, ordine, quaſi manu ſeu filo ducetur illa: ſic Oratio per partes optimè inter ſe ordinatas diſtributa, ac Memoriæ conſignata, ab eadem nullo negotio redditur, dum eodem ordine, quo repoſita eſt repoſcitur. Hujus rei ratio videtur eſſe, quòd ille ordo ſit veluti Pædagogus intellectivæ Memoriæ quamque aberrare non patiatur; aut ſit veluti via Animæ rationali grata & accomodata, per quam illa lubentiùs progreditur, dum aliquid ita ordinatum ediſcit; ac etiam per eamdem utpote commodiorem & notiorem alacriùs regreditur, dum recordari neceſſe eſt.

3. Rerum Memorandarum ſumma oculis ſubjecta.

3. Proficit Memoriæ, rerum ediſcendarum vel repetendarum ſummam perſpicuam texere. Etenim quemadmodum plurium propoſitionum nimia confuſio vel amplitudo, impedit ne intellectus percipiat quod Memoriæ mandandum eſt; ita ſi ordinentur & paucis colligantur, eaſdem faciliùs apprehenſiva facultas complectitur, & Memoriæ profundiùs infigit. Induſtria eſt igitur ad Memoriam non mediocriter utilis totam Concionis ſeriem compendiario ſenſu contrahere, ac ejus brevem ſed claram epitomem intellectui ſub uno intuitu proponere. Deinde poſtquam contractæ Orationis capita perceperit & penetrarit Eccleſiaſtes, tunc eorumdem faciliùs recordabitur, ac etiam cætera quæ ab his dependent promptiùs ediſcet.

4. Scri-

4. Scriptio juvat plurimorum Memoriam; videtur enim vis imaginativa nonnihil attentior ad propoſitum quod verſatur dum illa ſcriptioni dat operam; & ſpecies quæ ſcriptionis tempore diutiùs penſatur, moram facit commodam intellectui ut eam meditetur, pingat & Memoriæ inſculpat. 4. Juvat ſcribere res ediſcendas.

5. Ad Memorandum valet maximè noctis & ſilentii tempus, ac etiam non parum ad hoc confert, poſt unam aut alteram Concionis lectionem ſero factam ſomno ſeſe dare: quamquam nec hujus rei cauſa eſt in promptu. Fortaſſe dum nox eſt & ſilentium, animus fit attentior ad ediſcenda; quia nec viſu nec auditu diſtrahitur. Vel forſitan ob modicum ſoporem quieſcentibus ſpiritibus animalibus, per quos turbari & diſſipari poterant ſpecies Memorativæ, hæ liberiùs ac ſedaciùs percipiuntur à Facultate, ipſique commodiùs ut profundiùs imprimuntur: fortè quia ſopitis iiſdem ſpiritibus ac modico ſomni tepore refrigeratis, ſuperior mentis apex tunc nonnihil vigilantior eſt, ut immiſſa confusè phantaſmata ordinet ac inſculpat, unde ad ſomni ſolutionem comperiuntur ordinata & inſculpta. 5. Tempus noctis, ſilentii ac ſomni.

6. Aliqui Notis textus ſummam brevi continentibus & ad marginem adſcriptis utuntur, tamquam Memoriæ artificialis inſtrumentis, quibus Memorativæ ſpecies ſuſcitantur & reſtituuntur. 6. Notæ Marginales.

7. Exercitatio Memoriæ, præcipuum eſt ejus ſubſidium aut remedium. Tullius c. de Orat. num. 18. Monet Pythagoreorum more Memoriam eſſe exercendam, ita ut quid quoque die dixerimus, audierimus, vel egerimus, commemoremus veſperi. Ea ſanè methodus optima eſt ut ſtudiorum jacturæ occurratur, qui enim legit auditve abſque ejuſmodi lectorum vel auditorum repetita meditatione, eorum citiùs obliviſcitur, cùm minimè habuerit ſpatium quo ſpecies lectionis vel auditionis potuerint facultatem penetrare eique inſculpi. Si quis (ait Fabius l. 11. c. 2.) unam maximamque artem Memoriæ quærat, Exercitatio eſt & labor, multa ediſcere; multa cogitare, & ſi fieri poteſt quotidie, potiſſimum eſt. Nihil æquè vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Hujus rei ratio videtur eſſe, quia per Exercitationem, vis imaginativa comparat ſibi habitum, quo rerum phantaſmata faciliùs poſt repetitionem plurium actuum format, ac eadem in Memorativa organa promptiùs tranſmittit: ipſa etiam Memoriæ facultas fit per frequentem uſum expeditior ad excipiendas & reſtituendas ejuſmodi ſpecies ſibi commiſſas. 7. Exercitatio Memoriæ.

ARTICULUS IV.

De Memoria Artificiali.

Quid ſit Memoria Artificialis.

ARTIFICIALIS Memoria eſt methodus quædam, qua per imagines ſenſibiles, aut quaſi ſenſibiles, certa diſpoſitione ordinatas, repræſentantur, ac quaſi ob oculos reponuntur rerum ſpecies, quare recordari volumus. Ab Arte ſumpſit nomen, quia Artis opus eſt ejuſmodi figuras Memoriæ auxiliarias invenire, eaſdem ordinare, ac iiſdem rerum Memorandarum ſignificatioмem attribuere & addicere.

An ſit utilitas?

Venditari ſolet ejuſmodi Ars Memorativa & plurimum ab aliquibus commendari, & revera egregium foret iſtud Artis beneficium, ſi promiſſis ſtaret: At non eſt hac de re pars omnium æſtimatio: ab aliis enim ferè inutilis, immo noxia cenſetur. En quid Eraſmus lib. 2. de Ratione Concion. de illa ſentiat. [Iis, *inquit*, qui anxiè obſervant Artem, interdum evenit, quod ſolet illis, qui machinis nimiùm operoſis aliquid moliuntur, ut plus ſit negotii in apparanda machina, quàm futurum erat in opere vulgari more conficiendo. Ita citiùs ediſcas quæ velis meminiſſe, quàm ſingula in locos & imagines digeras; ut jam duplici ſit opus Memoria, rerum de quibus paras dicere, & locorum atque imaginum, quas ſubinde novas fingere oportet.] Fallor, niſi benè ſentiam cum præfato Oratore, Artificialem iſtam Memoriam plus adferre impedimenti quàm adjumenti, & nativæ facultati magis officere quàm proficere: Immo felici opus eſt Memoria naturæ beneficio conceſſa, ut res ipſæ, & Imagines & earum nexus ac colligatio ediſcantur. Quamquam nolim negare Memoriam non modicum ſubſidium ducere ab artificioſis imaginibus, ſi paucæ fuerint, & ſi judicio diſpoſitæ vim habeant referendi res Memorandas ac earum ordinem. Ad commodum igitur eorum qui hac arte uti voluerit, brevi trado, quæ cæteri ſolent in hoc propoſitum explicare.

Uſus explicatur.

In eo igitur ſtat hæc Ars, quòd figuris ſignificantibus & ordinatis repræſentet res Memorandas, quæ illis ſunt per intellectum attributæ; non ſecus ac pictatia vel ceratæ tabellæ, quæ capitalibus verbis inſcriptis Memoriam monent, ut recordetur eorum quæ his indicibus deſignantur: v. g. repoſui in Pugillaribus voces ſequentes, *Concio*, *Domus*, *Æger*, &c. Statim atque adverto priorem dictionem, tunc meminiſſe incipio, quòd debeam Concionem inſtituere, vel curare ut fiat de propoſito quod occurrit. Vox altera monet me fortaſſe de domo curam habere, ſicut & tertia docet me ægrotum inviſere, vel eidem aliquid ſimile præſtare. Quemadmodum igitur ſingulæ voces delititiis membranulis inſcriptæ ſubjiciunt Memoriæ res plurimas quæ his ceu capitibus indicantur, ita ex figuris in aliquo

aliquo ſpatio diſpoſitis conjiciuntur & deſignantur quæcumque debent Memorari. Eamobrem,

Adverte, tria præcipuè in ejuſmodi Arte deſiderari: primum eſt ſpatium in quo figuræ Memoratrices collocentur; ſecundum eſt Figura ipſa ſeu ſpecies quæ rem Memorandam repræſentat: tertium eſt res illa quæ per figuram pingitur & adumbratur. His omnibus addi poteſt quartum, ſcilicet ordo ac diſpoſitio tum locorum, tum figurarum, tum rerum, nec non & horum omnium ad invicem proportio & illigatio.

Tribus rebus Memoria Artificioſa conſtruitur.

Spatium Memorativum multiplex excogitari poteſt: Alii enim ſumunt Theatrum vel Amphitheatrum cum ſuis partibus quibus ſingulis adſcribunt ſingulas res Memorandas: Alii deligunt Palatium, Domum, Templum, Monaſterium, &c. Alii utriuſque Manus explicatæ utramque partem variis figuris diſtinguendam: Alii Tabulam ligneam, vel aream pictoriam; vel denique aliquid ſimile quod figuras excipere poſſit. Ejuſmodi ſpatium ſeu locus, debet diſtingui aut ſaltem fingi diſtinctum per ſuas partes prout illæ ad invicem ordinantur; ita autem diſtributæ, & ordinatæ concipiantur, ac pluries repetita meditatione imaginativæ facultati adeo imprimantur, ut facillimum ſit & expeditiſſimum eas ſibi exhibere; quaſi ob oculos illæ perpetuo reponerentur. Ratio eſt, quia ſpatium illud cum ſuis partibus erit inſtar Pugillarum quorum foliis Agenda inſcribentur, & quo promptiùs locus iſte occurret Phantaſiæ, eò citiùs & faciliùs res inſcriptas repræſentabit.

1. Spatium Memorativum.

Hic notant in hac Arte periti, quòd ſpatium iſtud, vel eſt præſens atque conſpici poteſt à dicturo; talis foret paries, aut tabella coram Concionatore propoſita; vel abeſt, & ſolùm per vim Imaginationis fingitur. Si prius, debet locus ille nec eſſe lucidior qui oculorum aciem lædat, nec obſcurior qui viſum fugiat, nec etiam remotior aut vicinior: ſed in proportionata diſtantia & perſpicuitate ſit poſitus ut videri & diſcerni poſſit. Deinde addunt, quòd præfati ſpatii partes debent eſſe diſtinctæ, non ſolùm loco & ſitu, ſed etiam figura: quia (inquiunt) ſi eſſent ſimiles, confunderent Memoriam ob ſimilitudinem formæ quæ diverſas rerum Memorandarum ſpecies indiſtinctè repræſentarent. Item ex pluribus ſpatii partibus debent notari & deſignari aliquæ ad certos numeros æquè diſtantes: v. g. de quinario in quinarium, quæ partes ſic notatæ ſint Memoriæ labilioris perfugium, & veluti in aquæductuum tubis inſpectoriæ ſtationes. Hæ, inquam, ſtationariæ loci partes Memoriam juvant, ut præcipuarum ſeu capitalium rerum recordetur, & cùm opus eſt eas repetere per interpolatos numeros, eaſdem citiſſimè exhibent. V. g. cùm petuntur omnia quinaria, ut 5. 10. 15. 20. 25. 30. &c. vel denaria, ut, 10. 20. 30. 40. &c. Hæc quæ docentur obſervanda in ſpatiis præſentibùs, faciliùs advertuntur in ſuppoſititiis, hoc eſt, in iis quæ per imaginationem finguntur; liberum eſt enim phantaſiæ quaſlibet partes in propoſito ſpatio comminiſci; v. g. in Pariete

vel area finguntur ad libitum partes quarum altera præcedit, altera ſequitur. Atque ejuſmodi ſpatii notatarum vel ſuppoſitarum partium uſus erit iſte, ut in his ceu in locis, capſis & Thecis repoſitoriis collocentur rerum ſpecies, quæ ab iiſdem repoſci debeant, cùm occaſio fuerit earumdem meminiſſe.

Figuræ Memorativæ. Figuræ Memorativæ ſunt certæ corporum formæ, quæ per ſpatii præfati partes diſtributæ & mentis tantùm induſtria his attributæ, intellectum per ſenſibilium ſpecierum apprehenſionem deducunt in rerum Memorandarum recordationem. V. g. cùm in pariete, vel alio quovis ſpatio repoſitam eſſe Coronam Imperialem adverto, tunc memini vel Imperatoris, vel Regiminis, vel alicujus rei alterius, ad quam Corona poteſt referri. Obſervandum eſt autem in his Figuris, ut aliquam proportionem ſeu relationem habeant cum re Memoranda, quò enim meliùs illæ huic convenerint, eò faciliùs & aptiùs hanc ſignificabunt, ac Memoriæ reſtituent evidentiùs. Ita Corona convenienter indicat Imperium, Telum ſignat militiam vel mortem, &c. Ideo notari debet convenientia inſignioris figuræ cum ipſa re ſignificanda. Verum quidem eſt, quòd ſunt res plurimæ quæ nullam cum figuris ſenſibilibus habent convenientiam, ut v. g. Deus, Angelus, Anima, &c. Sed in his fingi debet per artem congruentia quam natura negavit. Ita videmus Pictores varias corporum formas rebus incorporeis tribuere, quæ per ſpecies ſenſibiles ſuſcitant rerum inſenſibilium Memoriam. De his abundè agit Pierius in Hieroglyphis. *Ad propoſitum advertunt hujus* Artis præceptores, quòd illæ figuræ erunt ad Memorandum aptiores, quò & ſitu & forma fuerint à communi uſu ſeu ſenſu remotiores. Ut v. g. ſi fingantur inverſæ, vel alio ſimili modo contra naturam, rationem, aut uſum diſpoſitæ: Tunc enim magis afficiunt vim imaginativam, nimirum ob inſolentiam rei, quæ aſſueto modo ſita nullatenus aut parùm afficeret.

Res Memorandæ. Quantum ad res Memorandas attinet, nihil aliud notandum occurrit, niſi quòd ex his aliæ propriis & appoſitis figuris effingi queant, aliæ verò non poſſint. Prioris Generis ſunt Imperium, Bellum, Juſtitia, &c. quæ corona, jaculo, ſtatera, &c. adumbrantur. Poſterioris ſunt, ſoni, odores, ſapores & ſimilia quæ alienas adſciſcunt figuras quibus pingantur, prout libuerit ingenioſo Artifici. Cætera plurima quæ in hanc rem præcipiuntur, ſed quæ implicatiſſima videntur & ſuperflua, prætereo ut ad uſum & methodum accedam.

Praxis Memoriæ Localis. Qui ergo Artificiali Memoria uti voluerit, ſic præfata documenta ad praxim revocabit. In exemplum ſit Concio quæ occurrerit: ejus partes præcipuas attendo, v. g. Exordium, Introductionem, Puncta, & Epilogum; atque rurſus quid in his ſingulis fuerit præcipuum noto, nec non prout in charta diſponitur capitatim & ordinatè concipio: deinde, pro ſpatio Memorativo, fingo mihi Monaſterium, cujus Veſti-

Veſtibulum erit ſpeciale ſpatium Exordio repræſentando deſtinatum; Introductioni deputabitur Clauſtrum; tum pro tribus Concionis partibus aſſignabuntur tres Monaſterii partes, ſcilicet Chorus pro prima parte, Bibliotheca pro ſecunda, Refectorium pro tertia; poterunt aliæ partes ſeligi, iſtud enim liberum eſt. Jam igitur habes, ut memineris Exordii per Veſtibuli ſpeciem, quæ tuæ Imaginationi occurrit; Introductionis, per Clauſtrum; primæ partis, per Chorum; ſecundæ, per Bibliothecam; tertiæ, per Refectorium; & ſi phantaſiæ altiùs inhæſerint hæ domus partes præfato modo diſpoſitæ, non poteris aliquam Concionis partem defectu Memoriæ prætermittere; ſtatim enim obverſabitur imaginationi ordo conſtitutus iſte. V. g. mihi eumdum eſt per Veſtibulum ad Clauſtrum, à Clauſtro ad Chorum, ab hoc ad Bibliothecam, ab iſta ad Refectorium; tàm bene etiam recurrent Concionis partes his locis affixæ. Poſtea res eſt de ſingulis partibus, quæ hoc ferè modo abſolvi poteſt. Partior Exordium in ſua membra, v. g. Propoſitionem, Ratiocinationem, Inſinuationem, Invocationem, &c. video quid in unaquaque parte contineatur, perpendo ſenſum & verba; ſciſcitor num in his ſit aliquid quod poſſit aliqua repræſentari figura; totidem partibus fingo diſtributum Veſtibulum, deinde ſingulis Veſtibuli partibus tribuo ſingulas rei ſic diſtributæ partes. V. g. Primam Exodii Propoſitionem mihi fingo per Janitorem jaculo armatum: Ratiocinationem pingo per ſcamnum, quod ſtatim poſt januam apertam indiſcretè poſitum, tibias ſubeuntium lædit. Deinde Inſinuationem exhibeo per Chartam Geographicam quæ inverſo ſitu objicitur ſubeuntibus. Tum pro Invocatione, fingetur Superior qui ſubeuntes excipiat jucundiùs vel aſperiùs. His igitur, præfata ratione diſtributis & aſſignatis, dum Imaginativa Facultas ab una ſpatii parte ad alteram procedit, continuò (inquiunt Artiſtæ) repræſentat Memoriæ ſpeciem Propoſitionis, Ratiocinationis, Inſinuationis & Invocationis; atque cùm facilè ſit imaginari notatas ſpatii partes, facilè dicunt futurum, ut res his partibus attributæ Memorentur. Idem de Introductione per Clauſtri partitionem, ac de cæteris Concionis partibus per alia Monaſterii ſpatia faciendum arbitrantur. An bene id ſuccedat hæc res, non mihi ita liquidum eſt; quibus id commodius & utilius viſum fuerit; iis, ut feliciter Ars Memorativa proficiat, precor.

Alii dum Perſonarum recordari volunt, earum attendunt vel nomina vel officia, vel quid ſimile quod magnam cum ipſis habeat connexionem; deinde Figuras quæ cum iiſdem proportionem aliquam ſortitæ ſunt imaginantur, quas in ſpatii partibus præfatis collocatas ſibi fingunt, quaſque dum ordinatè repetunt, ac per imaginationis vim decurrunt, his protinus rerum Memorandarum ſpecies Memoriæ repreſentant. V. g. ſi Pontificum Romanorum ſeries ſit ediſcenda, poterit dividi in tot Claſſes quot ſunt ſæcula quæ à Chriſto ad nos effluxere; atque

Alia ratio Memorandi per Nomina & Figuras.

que

que ſæculum quodlibet reponatur in ſuum ſpatium; deinde cujuslibet ſæculi Pontificum notentur nomina vel proprietates, quæ ſuis figuris (ut mox dixi) exprimantur: ut puta Leo Pontifex, per Leonem ferocientem, primum quidem, per unipedem Leonem, ſecundum, per bipedem, &c. Clementem per Agnum vel Columbam, &c. tum ejuſmodi Figuræ diſponantur per partes Memorativi ſpatii, prout cuilibet ſæculo eſt aſſignatum. Quibus peractis, facilè eſt (inquiunt) ab eodem ſpatio Pontifices repetere per figuras *in prædicto ſpatio repoſitas*, quæ ſenſus eò magis afficiunt, quò hæ fuerint viſæ à communi uſu remotiores; ut ſi fingatur Leo unipes aut monoculus: atque eadem methodo repetuntur Imperatorum, Regum, aliorumque ſimilium Illuſtrium nomina & Geſta.

Alia per Characteres Arithmeticos.

Alii, Notis ſeu Characteribus Arithmeticis utuntur, hiſque deſignant quodcumque voluerint in Memoriam revocare. V. g. agitur de repetitione viginti ſeu rerum ſeu Nominum; his ſingulas notas numerales aſſignant, primam ſcilicet primæ rei; ſecundam alteri; & ſic de cæteris, uſque ad ultimam; dum verò recordari opus eſt, ſingulos numeros percurrunt, horumque ſubſidio reſtituunt Memoriæ per ordinem res vel nomina quibus indigent. V. g. ſi quæras omnia ternaria, continuò recordantur earum rerum quas affixere numeris 3. 6. 9. 12. 15. 18. Si quinaria expoſcas, meminerunt nominum quæ inſcribuntur numeris 5. 10. 15. 20. Idem de quibuslibet Memorandis præſtandum arbitrantur.

Alia per marginales Notas.

Alii, Characteres Arithmeticos inſcribunt præcipuis Concionis partibus, eoſque pingunt in marginibus Chartæ; his non ſecus ac figuris Memorativis juvari & ſuſcitari dicunt Memoriam. Alii, Majuſculas litteras adhibent numerorum loco, eaſque etiam marginibus inſcribentes, iiſdem notant potiores orationis recitandæ partes.

Alias methodos ad Memoriæ ſubſidium excogitavere alii, ſed (ut quod ſentio non diffitear iterum) eas plus impedimenti allaturas quàm adjumenti crediderim, memoriæ præſertim labiliori, quæ in numeroſa ſpecierum, figurarum ac ſpatiorum cùm partitione, tum concatenatione, confunditur ac luditur: nolim tamen alicui hac in re legem ſtatuere; ſuas quiſque probet vires, ac quæ his juvandis conferre viderit; deinde methodum quam ſibi commodiorem ſenſerit, uſurpet.

ARTICULUS V.

Quid faciendum eſt cùm labitur Memoria inter Concionandum.

Variæ cauſæ cur quis labitur Memoria, dum Concionatur.

EVENIT nonnumquam, ut Eccleſiaſta inter Concionandum obliviſcatur eorum quæ Memoriæ mandaverat; inde anxietas maxima,

ma, & eò aliquando major, quò nihil occurrit ad propoſitum, immò tenebræ caliginem menti videantur prorſus offendere. Quid in ejuſmodi moleſta nocte agere queat Orator moneo, ſi priùs adverterim plures hujus rei cauſas. Fortaſſe id factum eſt, Deo ita permittente, ut hinc frangatur Oratoris plus nimio de ſe opinantis Præſumptio; vel etiam ut inde ex humiliationis merito proficiat. Id fieri poteſt ob metum Memoriæ vires præpedientem; ſeu quia mericuloſior eſt qui dicere debet, ideoque ſtatim ac pulpitum ingreſſus cœtum conſpicit, mens pavet, hæret lingua, oculi ſtupent, res & verba deficiunt; ſeu quia oritur formido ex inopinato alicujus perſonæ ſpectabilis adventu, aut ex alio notabili caſu improviſo Concionantem interturbante. Forſitan aliò mens incauta diſtractione avocata deerrat ab Orationis textu & ſcopo. Id ſæpiùs accidit ex labilitate Memoriæ, ob quam deficit à ſuo penſo qui ſibi fidens illud ſuſceperat explendum. His prænotatis, remedium [prout ſuggeri poſſe arbitror] indico ad peculiares defectus cauſas appoſitam.

Primùm, ubi Orator præſenſerit defecturæ Memoriæ indicium, ociùs coram Deo humilitatis affectu apud ſe abjectionem profiteatur: dignum ſe verecundia imminente reputet; atque à Deo veniam gloriolæ, cujus ambitione ductus pulpitum fortaſſe conſcenderat precatus, ab eodem ſubſidium poſtulet: quod ſi non adfuerit, pudorem quo ſuffunditur humiliter acceptet in peccati pœnam, vel obedientiæ aſſenſu quo Divinæ voluntati de rebus ita diſponenti velit obſequi, etiam cum famæ diſpendio. Secundò, Metus quo Memoria ſolet deficere, minuitur ex propoſito, quo Concionator ſecuritatem ſibi facere conatur. Si ex naturali formidine oritur, vix curari poteſt; nonnihil tamen firmatur per illum mentis habitum, quo quis apud ſe conſtituit, de inſtante caſu non curare; hoc enim ita ſemel ſtatuto, redit Animi æqualitas, cui ſæpiùs ſuccedit rerum Memorandarum imago. Juvat etiam, ſuaderi quòd Auditores vix advertant defectus quos Orator intra ſe experitur: immo evenit ſæpe, ut in his quibus ſibi magis diſplicuerit Eccleſiaſtes, iis arriſerit Auditoribus. Adde, quòd ſi per temporis ſpatium aliquatenus ſufficiens duraverit oratio, nollem Eccleſiaſtam fieri de reſiduo tantopere ſollicitum; ſed conſulerem, ad concluſionem Moralem ex dictis natam ſtatim converti, & ita ſortiri Concionis finem. Aliquando proficit, nonnihil digredi ad Moralem objurgationem in qua tantiſper morabitur Orator, dum Memoria reſtituatur; ideo præſtat aliquibus moralitatibus in varios Peccatorum ſtatus eſſe præmunitum, ſcilicet hæ poterunt ad datam opportunitatem adhiberi; nimirum, cùm deficiunt quæ fuerant parata. Vix anteverti poteſt metus ex variis & inopinatis caſibus incutiendus, niſi eo quo dixi, mentis habitu, quo deponat Orator ſollicitudinem aliam, quàm de obſequio ſoli Deo præſtando, nec aliquam Perſonam in quocumque gradu conſtitutam, aliter eſſe Eccleſiaſtico muneri penſandam,

Remedia quibus Memoriæ excidenti occurritur. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

quàm

quàm cæteras quæ de plebe ſunt, non diſſimili pretio ſanguinis redemptas, non diſpari affectu Chriſto charas, &c. Quomodo cùm illis agendum ſit, cùm advenerint per Concionis inchoatæ tempus, dictum eſt ſupra in hoc lib. 5. cap. 5. art. 2.

Quintum. Codicem aliqui audacter conſulunt ut deficienti Memoriæ ſubſidium ferant: repetunt ſcilicet vel à ſocio, vel à pera; quod aliquando ſat feliciter ceſſit, ut primo intuitu reſtituantur dicendis. *Interea*, poterit Eccleſiaſtes brevi ſed ingenioſa excuſatione, *ab infirmitate forſitan* humana deſumpta, præſentis caſus verecundiam minuere apud *Auditores*.

Sextum. Optimè aliquando contigit, ut Eccleſiaſta celebris, Memoria nonnihil lapſus in Concionis ferè medio, ita ſibi conſuluerit. Ex induſtria *ille* vultum dolentis citò induit, atque in hæc aut ſimilia verba prorupit: (Parcite, Auditores, & indulgete, ſi modico temporis intervallo filum Orationis abrumpam; id jubet Charitas, cui omnes parere tenemur; debui veſtræ pietati commendare aliquos in mortis agone laborantes; hujus officii non memini in Concionis initio, me jam hujuſce rei ſtimulat cura; metuerem ne ex mora fortaſſe periculoſa fierem culpabilior; date igitur ut Concionem pauliſper interrumpam, donec preces ad Deum pro indigentia laborantis fuderimus.) Interim dum bonus homo jubet Auditores proſterni ac orare, ſeque fingit proſtratum & orantem intra ſuggeſtum, ſibi proſpicit & adhibito codice opportunum Memoriæ fert ſubſidium, quò citiùs peracto, ad reſiduum penſi redit nihilo mutatus, abſolvitque ſibi *per omnia ſimilis*. *Aſſuetum* &

Septimum. optimum Memoriæ præfugium eſt, didiciſſe diligentiùs præcipua Concionis, ac etiam partium potiſſima capita, ut ſint quaſi itinerarii indices, quibus viator ab errore ad ſemitam tutiorem revocetur: Eamobrem Eccleſiaſtes habeat in mente repoſitum quomodo incipiat primum punctum, quomodo ſecundum, &c. Item, quibus verbis explicentur res aliquæ notatu digniores quæ variè inſperguntur Concionis partibus, & ob ſuàm dignitatem faciliùs occurrunt Memoriæ eamque in ſuum ſitum reſtituunt.

ARTICULUS VI.

Operis totius Concluſio.

Peroratio ad Deum. SUPEREST ut poſtremas huic Operi metas figam Exordio non abſimiles, videlicet ut à Divinæ Gloriæ, ſalutiſque humanæ ſtudio negotium auſpicatus, inde finem ponere velim. Gratias tibi ago Summe Deus, Pater Luminum, ac omnis boni conſilii cùm Parens tum fautor optime; quòd mihi Minorum tuorum minimo & indigniſſimo ſervo ſuggeſſeris propoſitum quod tua ope abſolvi. Tibi, Tuæque Eccleſiæ (quan-

(quantùm per infirmitatem meam licuit) ſtudere conatus ſum, hac Pauli Concionatoris tui Idea, quam cæteris Verbi tui Diſpenſatoribus imitandam præſtituo. Si quidquam boni, ſi quid laudis hac in re actum eſt, illud omne ad te refero, velut ad originem unde fluxit; mea verò ſunt plurima quæcumque deficiunt, quorum à te veniam humiliter efflagito. Da Domine ut pro votis ſuccedat hocce intentum meum, quod eſt, ut iſtud Eccleſiaſtæ Sacri Exemplar à Paulo exſcripto profit Evangelici miniſterii cooperatoribus efformandis. Hinc (te donante) fiant Infantium linguæ diſertiſſimæ (Tyrones Eccleſiaſtas ſic compello) ut in omnem terram diſſeminato veritatis verbo, erudiantur homines ad Juſtitiam & ſcientiam ſalutis: Ita nimirum, Natura, Arte, & Gratia per te omnium bonorum Fontem præmuniti, noxium quodcumque ex agro tuo evellent, ſalubre verò & utile ibidem te ſatagente plantatum, illi feliciter irrigabunt.

Peroratio ad D. Paulum.

Ignoſce ò Paule, Vas Electionis, Os Chriſti, Evangelii Tuba, Veritatis Præco, Doctor Gentium, &c. Ignoſce, inquam, ſi auguſtum Nomen tuum huic operi præfigere ſum auſus. Temeritatis reum me fortaſſe arguit audacior illa Epigraphe; At (ut optimè noſti) & obſequium quo te revereor, & officium quo Eccleſiaſtis ſanctioribus prodeſſe ſtudeo, audaciæ crimen nonnihil amoliuntur; immo excuſationem culpæ videntur religioſo prætextu adſtruere. Eloquentiæ tuæ Divinæ formam conatus ſum hìc expingere, metuo ne imperito penicillo deformaverim; illud iterum à te indulgeri humillimè precor: ſed ex rudi & manca Imaginis tuæ delineatione, ſatis Ideæ oratoriæ effulget, quæ ſufficiat efformandis Concionatoribus. Ea quippe eſt rerum perfectiſſimarum conditio, ut minimis etiam ſui partibus proſint cæteris imperfectioribus. Agnoſce igitur ſpeciem tuam in hoc Eccleſiaſta exſcripto; injurioſa tibi lineamenta dele, niſi malis coloribus genuinis temetipſum expingere. O utinam te Oratorum Typo integrè fruerentur miſerriſſima hæc tempora, quibus Eloquentia verè Chriſtiana penè concidit! quàm uberes partus funderent Eccleſiaſtica pulpita, te nimirum docente fecundata; quæ te neglecto ſterileſcunt! Felices Evangelici Miniſterii Cooperatores, qui tutiſſimum & abſolutiſſimum Concionatorii Muneris Exemplar tunc in vera effigie tua ſortiti, haberent, quod imitationis certam ſuggereret formam & Eloquendi rationem optimam, huc uſque deſiderandam, exhiberet. At quoniam iſtud non conceditur, da ſaltem ò Paule, ut tuis precibus conciliatus Deus, idoneos in ſuam Meſſem operarios mittat, ipſoſque hac, quam à te mutuatus ſum, Chriſtiani Oratoris Inſtitutione proficere, largiatur.

Peroratio ad Lectorem & Eccleſiaſtas.

Ad vos tandem mea convertitur oratio, Eccleſiaſticæ Sortis ſtudioſi; vos huc uſque alloquutus nunc ſiſto linguam & calamum, & totius operis hujus Epilogo ad vos redeo, ut inde finiam unde initium duxi. Eloquentiam Chriſtianam ex D. Pauli cùm Doctrina, tùm exemplo deſum-

ptam delineare, ejuſque methodos ad uſum expetitum præſtare conſtitui: eam ob rem Præceptiones univerſaliores ex celebrioribus Oratoribus conquiſitas in prima parte quinque libris diſtributa explicui; in altera verò peculiares regulas, & ſpecialia exempla totidem libris diſpenſata ſubjeci, quibus præmiſſorum præceptorum praxes liquerent Tyroni cuilibet. Faxit Deus, ut intentum ſcopum attigerim. Res jam tuo judicio dirimenda relinquitur, Lector benevole, an feliciter mihi ceſſerit, & tuo palato ſapiat iſtud meum opus. Si arriſerit, da mecum Gloriam Deo, cujus eſt omne quod eſt optimum: Si ſecus tibi videatur, indulge benignius mihi publicæ cenſuræ periculum facienti hoc ſtudiorum meliorum ſpecimine: in cavillationibus verſari ne ambias: *Nihil* (inquit Hieronymus Epiſt. ad Præſidium) *tam facile quàm otioſum & dormientem de aliorum labore & vigiliis diſputare*. Defectus aut humaniter corrige, aut ſapientiore genio ductus aude meliora: Vos autem Eccleſiaſtici muneris Candidati, hortor iterum ut deterioribus dimiſſis, utiliora ſeligatis, hiſque ad Dei Gloriam, proximorumque ac veſtri ſalutem utamini: Denique non me piget meam erga Romanam Eccleſiam rurſus teſtari fidem. Chriſti igitur Vicario advolutus, illum his Hieronymi verbis alloquar; *Papa Beatiſſime, ſi minùs peritè aut parum cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & ſedem tenes*. Uno dicam verbo, me, meaque dicta & facta, Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ judicio, prout Canones Sacri ſanciunt, ſubjicio, probaturus tantum quæ probaverit, cætera repudiaturus.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
QUÆ
In hoc Opere tractantur.

A

ACcedia ſeu Negligentia ; quid ſit, quæ remedia illi conveniant, & aliquæ de ea concionum Partitiones. Pagina 336
Acclamationis Figura. 212
Actoris Geſtus à Concionatoris Pronuntiatione maximè diſtat. 743
Adagium quid ſit. 94
Addubitationis Figura. 212
Adjuncta quid ſint; Locus ab Adjunctis petitus. 73
Adjunctionis Figura, quæ plura ad unum refert. 195
Admonitionis Figura. 213
Admonitio, ſeu Concionis Admonitoriæ Forma. 664
Adoleſcentiæ Dotes & maculæ. 488. Ideæ laudatoriæ. 555
Adoratio Chriſti in Cunis poſiti. 464
Adoratio Dei perficitur Intellectu, voluntate & corpore. 512
Adventus propoſita plura per Dominicas tractanda, Ideis concionatoriis formata. à Pag. 690. ad 692
Adulator depingitur. 201
Adulterare Verbum Dei, eſt alium à Spiritu Sancto Sponſum Eccleſiaſticæ Eloquentiæ ſubſtituere, v. g. vanam gloriam, &c. 46
Adulterium eſt grande piaculum. 398
De S. Ægidio, idea Panegyrica. 587
Æmulatio. 334. ejus Incitamenta. 335
Ænigma, quid ſit & quid proſit Concioni Eccleſiaſticæ. 93.94
Ætas, Locus Oratorius inde petitus. 75. 76. attendi debet ad Commotionis effectum. 264.272
Ætatis tempora ſunt Laudationis ſeges. 488
Affectiones, Locus Oratorius hinc deſumptus. 77
Affectus Humani, de iis Opiniones variæ; eorum nomina & utilitas. 260. 261
Affectuum natura debet cognoſci ab Oratore. 261.275.292
Affectuum ſedes, numerus, & diverſitas. 262. uſq; 264
Affectuum Cauſæ, Deus, Appetitus ſentiens, &c. 264.265
Affectus Lenes & vehementes. 263
Affectus, ut ſuſcitentur, oportet attendere Auditorum Conditiones, Patriam, Ætatem, Sexum, Genium. 266.267. Oratoris ipſius Dotes ad hunc finem appoſitas. 267. 268
Affectuum Incitamenta. 269. & ſeq.
Affectuum Tractandorum methodus. 270 & ſeq.
Affectus humanos incitare per ſpecies & Imagines ſenſibiles, validum eſt Oratoris ſtratagema, ſed difficile & rarum. ibid. & ſeq.
Affectus Humani ſpeciatim expenduntur. 275. & ſeq.

Digitized by Google

Affectus Lenes, Faceti & Mordaces. 345
Ars tractandi Affectus Humanos in Eccleſiaſtico Pulpito. 292. & ſeq. Exemplum quo Affectuum tractatio demonſtratur. 345.346
Affectus excitandi in Suaſorio Genere. 630
Affectus moventur à concinna Pronuntiatione. 731
Afflictiones tolerandæ. 640. & ſeq. Vide Tribulatio.
De S. Agnete V. & Martyre, Ideæ Conc. 559
Alphonſus Lupus Capuccinus, Prædicator eximius, feliciter uſus eſt Conformationis ſenſibilis figura. 272
Ambitio circa Sacros & Civiles Gradus, impugnatur. 317.318.319
De Ambitione Partitiones Concionatoriæ. 319
Ambitio Cordis, oris & operis; 319. ejus Punitio ibid.
Amoris nomen, natura, Definitio. 276 Incentiva, Illices, Cauſæ, &c. 277
Amor duplex, alter Dei, Mundi alter. ibid.
Amor Dei in Homines, æternus, Immenſus, omnipotens. 687
Amoris Divini Effectus; ligat, ſpoliat, cruciat, &c. dulcis Tyrannus. 279. 280
Amoris Divini ſigna, Teneritudo, Præpoſitio, Operatio. 171
Amor Divinus non poteſt certò dignoſci in homine. ibid.
Rationes cur homo teneatur Deum amare Teneriter. 172. Præcipuè. 176. Effectivè. 180
Amoris hominis in Deum, excellentia, utilitas, &c. 294. & ſeq.
Amoris Divini Proprietates. 296. & ſeq.
Amoris erga Proximum Incitamenta, Conditiones, ſigna. 301. & ſeq.
Amor eſt operoſus. 305
Amoris Pravi deſcriptio, effectus, & remedia. 281
Amor ſui ipſius, ſuſpectus eſt & periculoſus. 307. malus eſt; & qui ſint ejus effectus. 309.310
Amare ſeipſum, cur & quomodo poſſit homo laudabiliter. 305.306
Amor Mundanus, & ejus mali effectus. 311
Amplificationis neceſſitas, utilitas, Definitio, ſpecies, & differentia ab Argumentatione. 240.241
Amplificationis Materia & Forma. ibid. & 243.
Amplificationis Methodus, verba, Figuræ, Situs. 244.245.& ſeq.
Amplificatio per Incrementum & Diminutionem 247.& ſeq. per Comparationem 249 & ſeq. per Ratiocinationem 251. per Congeriem. 252
Amplificationis *Exemplum practicum*. 253. & ſeq.
Amplificatio Periodi. 259
Amplificatio Propoſitionis. 258
Anadiploſis, ſeu Conduplicationis Figura. 193
Anagrammatiſmus. 58
De S. Andræa Apoſt. Id. Conc. 599
Angelorum exiſtentia, dignitas, officia, &c. 469. in fin. Amor erga Homines. 471
Loci oratorii unde Angeli commendantur. 469. & ſeq.
Angeli ſunt virgines cœli. 470
Angelorum ſimilitudo in Homine, quomodo ſtatuenda. ibid.
Angeli Cuſtodes. 473.555
Ideæ Concionat. de Angelis. 555.556
Angelici Hominis Dotes. 527
Animæ Attributa, quæ ad laudem & vituperium conducunt. 482. & ſeq.
Animæ Rationalis dignitas. 306. 466.
Anima, Templum Dei prophanatur à peccato. 689
Animi Dotes ad Eloquentiam aptæ. 14
Animalium Laus, unde ducatur. 517
De S. Anna Chriſti Avia, Id. Conc. 580
Annominationis figura, quid ſit. 195
Antecedentium circumſtantiæ & Adjuncta. 73
Antitheſis & Contrapoſitum, Figura Verborum. 196. Figura Sententiarum 197. uſus & cautio. 198
De S. Antonio Abbate. Id. Conc. 558
De S. Antonio Paduano Minorita. Id. C. 572
Antonomaſiæ Figura. 188
Apologus, quid ſit, & quid proſit. 95
Apologus Leænæ annuatim uniparæ, jactantiam Leporis menſtruatim multiparæ confringens. 25
Apophthegma, quid ſit. 95
Apoſtolus quid ſit; ejus vocatio, & hominis Apoſtolici Dotes. 499.500
Apo-

Digitized by Google

Apoſtolos illiteratos & ſine Arte cur ſelegit Chriſtus. 19.20.500
Apoſtrophes figura. 205
Apotheoſis quid ſit, & quomodo fiat. 712.713.
Appetitus ſentiens 264. ejus Dominium periculoſum. 325.326
Apparatus Eloquentiæ Chriſtianæ. 3
Appoſitæ & Aptè Dicere, ad Oratoris, & Auditorum conditionem, aliaſque circumſtantias. 538.539
Argumentatio quid ſit, & quotuplex ejus ſpecies. 156
Argumenta, quomodo debeant adhiberi & ordinari. 107
Argumentorum varietas & uſus. 162. 229
Argumentorum diſpoſitio triplex. 160. 161
Armamentarium, quid ſit. 51
Ars Oratoria, quid ſit, ejus origo, utilitas, officia, &c. 15.16
Ars Oratoria vindicatur ab Incurioſis & deſidibus. 17.18. non obeſt Gratiæ, nec improbatur à D.Paulo. 19
Artis nimia cura, tripliciter exorbitans improbatur. 21.22
Artium Liberalium & Servilium notitia prodeſt Oratori. 95.96
Aſcenſio Chriſti. 464
De Aſcenſionis Myſterio Ideæ Conc. 541. 542. Horoſcopus. 719
Aſſumptio B. Virginis. Id. C. 553
Aſtrologiæ peritia Oratori utilis. 92
Athenienſes Judices reſcindebant Exordia in oratoribus. 109
Attentio quomodo concilietur. 111
Attributa Dei & de iis Id. Concion. 530
Attributa Hominis cujuſcumque Ætatis, ſexus aut ſtatus. 490. & ſeq.
Avari deſcriptio. 208. Increpatio. 209. Cruciatus. 317
Avaritia, quæ mala cauſet, & quomodo comprimi debeat. 315.316. de illa plures Ideæ Concion. 262
Avaritiæ cauſæ & effectus. ibid.
Avaritia impugnatur & diſſuadetur. 623. 632.633
Audaciæ definitio, incitamenta, effectus & remedia. 288
Audire Oratores eximios quomodo poſſit utiliter Eccleſiaſta. 31.32
Auditores, quomodo efficiantur, attenti, benevoli & dociles. 111
Auditores facilè commoventur per oculos & ſpecies ſenſibiles. 270.271
Auditorum ſuadendorum conditiones penſandæ. 720.675.676
Auditores non debent commoveri ad tremorem aut ſimilem motum, eo tantum fine, ut metuant, &c. ſed ut per commotionem revocentur ad meliorem morum formam. 761
Auditorium, debet ab Oratore Sacro æſtimari, velut valetudinarium ſanitatem expectans ab ipſius concione. 757
S. Auguſtinus Eccleſ. Doct. de illo Ideæ Concion. 585.586
Authoritas Scripturæ Sacræ prævalet Argumentis aliunde ductis. 433
Autores an ſint plures imitandi, & qui conveniant Eccleſiaſtæ ſacro. 33.34

B

Baptiſmus Chriſti . . . .
De S. Barnaba Apoſtolo Id. Conc. 572
De S. Bartholomæo Apoſt. Id. Concion. 584
Beati Homines, quomodo Laudari debeant. 475
De S. Benedicto Abbate Id. Conc. 566. 567
Benevolentia quomodo concilianda. 111
De S. Bernardo Abbate. Id. Conc. 583
De S. Bernardino Senenſi Minorita Id. Conc. 571
Blaſphemia triplex. 678
Bona extrinſeca, unde homo laudari poteſt. 477
Bona Animæ. 489
Bona Corporis. 485. & ſeq.
Bona Fortunæ. 484
Bonorum trium uſus legitimus. 684
De S. Bonaventura, Eccleſ. Doct. Card. Minorita. Id. Conc. 577

C

De S. Cæcilia Virg. Mart. Id. Conc. 599
Calamitatum tolerantia, ſuadetur Concione integra. 640
Carnis deſideria comprimuntur. 314. Hominem in Brutum tranſmutant. 314.315

Digitized by Google

De S. Carolo Borromæo Eccleſ. Card. Archiep. Mediol. Id. C. 598
Catachreſis, ſeu vocis abuſio. 188
De S. Catharina Senenſi v. Id. Concion. 568
De S. Catharina Virg. & Martyre. Ideæ Conc. 599
De Cathedra S. Petri. Id. C. 558
Cathecheſes de Myſteriis Religionis. 375. & exemplum. 377. de Præceptis. 389. & ſeq. de Articulis Fidei. 359. & ſeq. de virtutibus & vitiis. 390. & ſeq.
Catechiſmus ſeu Catecheſis, quid ſit, quæ ejus Materia, quæ forma & Methodus. 357. 358. Grandis, Mediocris, Humilis. 358
Catecheſeos exercitatio, Humilis. 359. Temperata. 361. Grandis. 369
Catecheſeos de Fide Exemplum. 362. & ſeq. 369 & ſeq.
Catecheſeos dignitas, utilitas, &c. 363
Cauſa in Quæſtione verſanda, Finita & Infinita. 37
Cauſarum tria Genera. 96
Cauſa, Locus oratorius inde petitus. 63. & ejus uſus. 74
Cauſa Materialis & Formalis. 63. Efficiens & Finalis. 64
Charitatis excellentia demonſtratur. 697. & ſeq. 726. 727.
Charitatis officiis erga Proximum dediti, Martyribus æquantur. 502
Chiromantia Sacra. 679. 719
De S. Chriſtoforo Mart. 580
Chriſtus ex quibus capitibus laudari debeat. 460
Chriſtus non eſt Circumforaneus ex d. Ambroſ. 197
Chriſtus quid pro Hominibus fecerit. 306 307. ſuadet verbo, exemplo, & præmio. 313
Chriſti colloquium cum Samaritana, expenditur Paraphraſticè. 414. & ſeq.
Chriſtus eſt via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. 460
Chriſti vita expenditur, ejus Ingreſſus in Mundum, Progreſſus per Mundum, Egreſſus è Mundo. 462. & ſeq.
Chriſti Myſteria verba & exempla. 462. & ſeq.
Chriſti Tituli. 465. & ſeq. Chriſtus Advocatus Hominum. 465. Doctor. 676. Exemplar. 465. Medicus. 672. 685. Paſtor. 679. Rex. 678. Samaritanus ſaucium viatorem curans. 687. Ruina & Reſurrectio multorum. 670
Chriſtus Innocens triplici titulo. 678. 679. Lachrymatur, cur? 685
Chriſtus in Homine formatur triplicis Artis Methodo, Sculptoriæ, Pictoriæ, & Topiariæ. 676. 177
De Chriſti Myſteriis Concionatoriæ Ideæ.
De Nativitate. 533
De Circumciſione. 534
De Nominis Jeſu Impoſitione. 536
De Adoratione Regia. 537
De Paſſione. 539
De Reſurrectione, ibid. & 540
De Aſcenſione. 541
De Pentecoſte. 543
De SS. Trinitate. 545. 546
Chriſtiani Attributa, ſtatus, dignitas, obligatio & Notæ. 497. & ſeq.
Chriſtiani Nomen infame olim apud Infideles, nunc glorioſiſſimum. 497. 498
Chriſtianus debet Nomini & dignitati reſpondere. 498
Chriſtianus malus in die Judicii attonitus & confuſus. 71. ad Auſteritatem incitatur. 199. increpatur à D. Chriſoſtomo & Salviano. 498
Chronographiæ Figura. 208
Cicero ineptam Eloquentiæ valetudinem arte domuit. 14
Circumciſio Chriſti. 463. Id. Concion. 534.
Circumſtantiæ & Adjuncta undecim. 75. & ſeq. Perſonarum. ibid. Rerum. 77
De S. Clara V. 582
Clementia quid ſit, ejus Incitamenta & effectus. 344. 516
Clericorum ſtatus, Mores, Virtutes, &c. 507. 508
Clericus non debet prophanis operibus vacare. 509
Climax ſeu Gradatio, figura. 194
Concio in forma Climacis quid ſit quomodo fiat, & ejus exemplum. 595. & ſeq.
Codex Collectaneus quomodo inſtruendus. 102. 521
Codex pax Juris Civilis. 90
Cœcitas Mundanorum. 675
Cœcitas per peccatum. ibid.
Cœlum cum Eccleſia comparatur. 396
Cognitio ſui ipſius. 691
Collectionum utilitas & ſtructura. 102. 522.

522. quinque methodi ad collectiones compingendas. 217
Commiſeratio quid ſit & quomodo excitetur. 333
Commodum proprium charitatem extinguit, corrumpit Juſtitiam & Religionem pervertit. 676
Commonitio Genus orationis quomodo fieri debeat, & quæ in ea ſint obſervanda. 662
Commotio pars Perorationis quomodo fiat. 166 167
Commotio excitari debet, ut quid ulterius ſuadeatur vel diſſuadetur, ad morum inſtitutionem. 735
Communio indigna. 688
Commutationis figura. 196
Compar, ſeu Iſocolon, figura. 196
Comparata, & Locus à comparatione ductus. 66
Comparationis Figura. 205. 206
Comparatio ſpecies Amplificationis. 294
Comparativa concio, ſeu Parallela. 488
Quæ Comparari poſſunt inter ſe. 489
Compaſſionis exemplum ex D. Cypriano. 202
Compenſationis figura. 198. 199
Complexionis figura. 192
Compoſitio præcipitantior improbatur. 25
Compoſitio artificioſa & laudabilis. 216
Conceptuum à Scriptura Sacra formandorum methodus. 80
Conceſſionis figura. 199
Conciliatio ſpecies orationis, quid ſit, & quomodo fiat. 660
Concilia quomodo adhibenda in Concionibus. 83. 84
Concinnitas ſtyli, quid ſit. 225
Concio non debet redundare multitudine Rerum, ſublimitate Conceptuum, ſubtilitate Quæſtionum, nec etiam vilitate comparationum ac verborum ſordere. 21. 22
Concionis Exemplum methodicum proponitur, & peculiari ad regulas examine diſcutitur. 169. & ſeq.
Conciones communes, verſatiles & Tranſlatitiæ aliquando utiles. 456
Concionum variandarum methodus. 694
Concionum variæ Formæ: Gradaria, 695 Dialogiſtica & Dramatica. 699. Diſſertatio Moralis. 705. Diſceptatio Forenſis. 706. Medico moralis Conſultatio. 711. Parallela & Syncritica, 709. Paradoxa. 720. Aſtronomica. 718. Symbolica. 719 Lamentatoria, ſeu Funebris Concio. 712. cum exemplis.
Concionator quo mentis habitu debet ſuſcipere Propoſitum tractandum. 722. adire & ſubire pulpitum. 726 727
Concionator, curioſus, comptulus, ſciolus. 22. 23. Iners & imperitus. 16. 17. Plagiarius, de Furto reus. 56. Simoniacus & propola ob ſacrorum nundinationem. 36. Vide Eccleſiaſtes, Prædicator, Orator, &c.
Concluſio, eſt Amplificationis apta ſedes. 259. Vide Peroratio.
Concluſionis Panegyricæ ſenſus . . . .
Concluſionis ſuaſoriæ Formulæ & Figuræ. 635
Concomitantium circumſtantiæ. 73
Concordia cordis, oris & operis. 324
Concupiſcentia carnis impugnatur. 314
Conduplicationis figura. 193
Confeſſio, juſta, utilis & facilis. 687
Confeſſio tres Palmas victrices Deo appendit. 677
Confirmationis Sacramentum, quid ſit, quis ejus Effectus, & quæ ad illud præparatio requiratur. 403
Confirmatio, pars orationis, quid ſit, & quomodo fiat. 155
Confirmationis figura. 208
Conformitas voluntati Divinæ. 685
Confutatio, pars orationis, in quo ſtet. 162. 163.
Congeries, figura Sententiarum. 200
Congeries Forma & ſpecies Amplificationis. 252
Conglobata. 200
Conjugata. 58
Conjugii neceſſitas, Sanctitas, &c. 491
Conjugium triplex, Naturale, Myſticum, Morale. ib.
Conjugium Animæ cum Deo. ib.
Conjugium Eccleſiæ cum Chriſto. ib.
Conjugum officia mutua. 492
Conſcientia bona, eſt Beatitudinis prægustatio. 680
Conſcientia triplicis generis Diſſertationem movet. 703
Conſequentium circumſtantiæ. 73
Conſolatoria oratio, ejus argumenta & artificium. 240. 241. Vide Lamentatoria.
Conſultatorium Genus. 612. & ſeq. ejus uſus & praxis. 630. Vide Deliberativum.

Con-

Digitized by Google

Conſultatio Medico moralis quid ſit, & quomodo fiat. 712
Contemptus, ſeu deſpectio. 335
Contradictoria, Locus ab his petitus. 72
Contraria, & Locus à contrariis ſumptus. 70 71
Controverſia, quid ſit, & quomodo fieri debeat. 422. cum Gentilibus, Judæis & Mahumetanis. 424. & ſeq. cum Hæreticis privatim & publicè. 429. 430
Controverſæ Concionis Exempla, 441. 442. methodus multiplex. 433
Controverſiæ Exemplum de Realitate Christi in Eucharistia. 441
Controverſiſtæ Dotes, Vocatio, Eruditio, Probitas, Prudentia, &c. 422 & ſeq.
Converſionis figura. 192. 205
Copia in ſtylo laudabilis. 226
Cordis Humani Mundo dediti variæ anxietates. 201
Cor Humanum eſt Ager Myſticus. 673
Corporis Attributa, quæ conferunt ad laudem & vituperium. 580
Corporis dotes ad Eloquentiam aptæ vel ineptæ. 13. 14
Corporis delectationes cavendæ & comprimendæ. 325. 329
Corpus, Templum Dei. 329
Correctio, Figura verborum. 196. Sententiarum. 200
de SS. Coſma & Damiano MM. Ideæ Concion. 590
Credere ſupra ſe, abſque ſe, & contra ſe. 373
Crux fuit ſtatera, ex mente Job, in qua peccatum appenſum leve debet apparere. 82. 83
Crucis Exaltatio. 588
de S. Cruce, variæ Id. Conc. 570
Cupiditas. Vid. Avaritia, Concupiſcentia, &c.
Curioſitas in Fide reum facit, non peritum. 374
Curioſitas nimia, in rebus, verbis, geſtis, veſtibus, pronuntiatione, &c. improbatur. 21. 22. 23

D

DÆmoniacus, figura peccatoris. 677
Dæmonis cum Chriſto, de multitudine ſequacium contentio ex D. Cypriano. 210
Dæmon Eccleſiæ ſemper inſidiatur. 367
Decalogus, ejuſque *ſummaria* explicatio, ac de ſingulis præceptis, Partitiones Concion. 391. & ſeq.
Decorum. Vide Honeſtum.
Decreta Pontificia, & Decretales, quid ſint. 85
Definitio, quid ſit, ejus partes, differentia & uſus. 55. 56. 57
Definitio, figura ſententiarum. 201
Deformitas corporis. 486. 487
Defuncti quomodo ſint laudandi. 453. eorum variæ ſunt conditiones, quibus accommodare oportet Concionem. 714 715
De Commemoratione omnium Defunctorum Id. Conc. 599
Dehortatio, quid ſit & quomodo fiat. 655. 657.
Delectare debet Orator, cur & quomodo. 9
Delectationes Corporeæ improbantur. 325
Deliberativum dicendi Genus, quid ſit; ejus Materia, Forma, &c. 612. & ſeq. Vide Conſultatorium Suaſorium.
Deliberativi Generis Partes integrantes & praxis. 630. & ſeq. Motiva. 614. & ſeq.
Demonſtrativum Dicendi Genus, quid ſit, quotuplex, quæ ejus Materia, Forma, ſpecies, &c. 425. ad 454
Demonſtrativi Generis Fontes. 458. & ſeq. Vid. Panegyris.
Deprecationis Figura. 213
Deſcriptio. 58. ut eſt Figura Sententiarum. 206
Deſiderium quid ſit, ejus *Incitamenta* & remedia. 283. 284. 313
quid Deſiderare debeamus. ib.
Deſideria inefficacia, prægnantibus ad partum non pervenientibus ſimilia. 689
Deſperatio, ejus definitio, cauſæ, effectus, ac remedia. 287. 288

De-

Detractio, quale malum. 286.678.686
Detractionis deſcriptio à D. Bern. 206
Deus, cur Eloquentiam Chriſtianam ſibi vendicet. 12.13
Deus Aff. ctus Humanos impellit quo voluerit. 264
Deus ex quibus capitibus laudari debeat. 458. & ſeq.
Dei Attributa, de iis plures Id. Conc. 530. & ſeq.
Dei unitas. 156. 157. Trinitas. 545. 546
Dialogiſmus quid ſit, quomodo Concionem formet, & ejus exemplum methodicum. 699. & ſeq.
Dicendi Genera, Grande, Mediocre, Humile. 222
Dicentis conditiones, ſympathia, probitas, Authoritas, Eloquentia. 268
Didaſcalicum ſeu Doctrinale dicendi Genus, quid ſit, quæ ejus utilitas & ſpecies. 355.356
Didaſcalicæ Exercitationes de Articulis Fidei, de Præceptis, &c. 389. & ſeq. Vide Catecheſis.
Diffidentia de Deo, plura ejus Attributa offendit. 672
Digeſtum, pars Juris Civilis. 90
Dilectio Dei eſt Mandatum maximum. 294. & ſeq. 688. Vide Amor, Charitas.
Dilectio Proximi in quo ſtet. 301. & ſeq. & ſigna. 304. & 392
Dilemma, ejus uſus apud Oratores. 159
Diligere Inimicos, quàm magnum ſit. 347
De S. Dionyſio Areopag. M. Id. Concion. 594
Disjunctionis Figura. 195
Diſpoſitio, quid ſit, quotuplex, &c. 106. & ſeq.
Diſpoſitio Naturalis, Artificialis, Analytica, compoſitoria. ibid.
Diſpoſitio Partium Concionis. 108. Exordii. 109. Introductionis. 131
Diſpoſitio Diviſionum & Subdiviſionum. 146. 152. Perorationis. 162
Diſpoſitio Argumentorum. 160
Diſſertatio Moralis & ejus forma. 705. & ſeq.
Diſſimilia, Locus ab his petitus. 70
Diſſolutio, Figura quæ prætermittit conjunctiones. 195
Diſſuaſio & Diſſuaſionis à rebus Mundanis exemplum. 650.651
Diſtributio, Figura Sententiarum, quid ſit. 201
Diviſionis Oratoriæ neceſſitas, & utilitas. 144. uſus apud veteres. 145. ejus Locus ac forma. 146
Diviſionis conditiones octo. 146. 147
Diviſionis Inventio, ſeu Fontes varii. 148. ab Evangelii partibus; à Ritibus Eccleſiaſticis; à Genere; à Specie; à Cauſis; ab Effectis; à Subjectis; ab Incitamentis; à Proprietatibus; ab Enumeratione partium; ab Adjunctis; à Comparatis, &c. 149. 150. recenſentur cum exemplis. 672
Divitiæ, quis earum ſit uſus legitimus. 200
Divitiæ acquiruntur cum labore, poſſidentur cum ſollicitudine, amittuntur cum dolore. 675
Docere debet Orator, cur & quomodo? 2
Docilitas comparatur per dilucidam propoſiti explicationem. 109
Doctrinale Genus. Vid. Didaſcalicum.
Dolor, Affectuum ſpecies, quid ſit, qui ejus effectus, & quomodo minuatur. 286. Vid. Pœnitentia, Triſtitia.
Domeſticum Promptuarium, unde homo privatus laudari poteſt. 490
Dominicus Dies, quomodo celebrandus. 392
Dominicalia propoſita, ſeu Argumenta, quæ in Evangeliis per omnes Dominicos dies anni occurrentes tractari ſolent, Ideis Concionatoriis formata, à 670. ad 671. à Nativitate ad Septuageſ. à 671. ad 674. à Septuageſ. ad Paſcha à 674. ad 679. à Paſcha ad Pentec. à 679. ad 682. à Pentec. ad Adv. à 682. ad 689. ab Adv. ad Nativit. à 689. ad 692
De S. Dominico, Ord. Prædic. Fundatore. Id. Conc. 582
Dominorum debita erga Famulos. 393
Dotes ad Eloquentiam deſiderandæ. 13. 14
Dubitatio, Figura Verborum. 197

E

Eccleſia cum Cœlo comparatur. 396 jactatur fluctibus, non mergitur. 672. Eſt Granum Sinapi. 673
Eccleſia eſt Domus Orationis. 685
Eccleſiaſtes, ejus vocatio ad Prædicatoris

ris miniſterium. 41. Eruditio. 43. 89. Probitas. 45. Intentio. 46. Zelus. ibid. Prudentia. 49
Educatio. 76. debet attendi ad Commotionis effectum. 267
Educatio eſt altera Natura, & quid ad Laudationem conducat. 493
Educationis methodus. 483
Effecta, Locus ab Effectis ductus. 65
Electorum ſalvandorum paucitas, unde. 674
Eleemoſyna, de illa Concionis Idea in exemplum. 100. 101. eſt donum Dei. 419. 621. 622. ejus effectus. 682. Motiva Eleemoſynam ſuadentia. 684
De S. Eliſabeth. Reg. Portug. Id. Conc. 577
Elocutio quid ſit, & ejus Proprietates, Perſpicuitas, ornatus, & Accommodatio. 184 & ſeq.
Elocutionis vitia. 236
Elogium, quid ſit. 449
Eloquentiæ Chriſtianæ Diffinitio. 3. Cauſæ. 4. Dignitas, ibid. Utilitas, & Encomia. 5. Tres Species, Heroica, Humana, Divina 6. Finis 7.
Eloquentiæ Chriſtianæ Officium eſt Docere, Delectare & Flectere. 8. 9. 10
Eloquentiæ Chriſtianæ Cauſa Primaria Deus, ideo illam ſibi peculiariter vendicat. 10. 11. Cauſæ ſecundæ, Natura. 14. Ars. 15. 16. 17. Exercitatio. 24. Meditatio. 25. Imitatio, &c. 33 34
Eloquentiæ Chriſtianæ Materia. 37. ſubjectum, ſeu Orator. 41
Emblema, quid ſit, & quid proſit. 94
Emphaſis, quæ altiorem facit ſenſum. 225
Encomium, quid ſit. 450
Energia, ſeu Evidentia, eſt Styli virtus. 224
Enthymema, Argumentationis ſpecies, quis ejus uſus apud Oratores. 158
Enumeratio Partium, quis ſit iſte Locus Oratorius, & quis ejus uſus. 59. 61
Enumeratio, Perorationis pars, quid ſit, & quomodo fiat. 165. 166
Epidicticaoratio, ſeu Demonſtrativum Genus. 449
Epilogus quid ſit. 164
Epilogus Generis Suaſorii. 634
Epiphania, ſeu Manifeſtatio Chriſti. 464. Id. Conc. 537. 538
Epiphonema, ſeu Acclamatio. 212
Epiſcopus, quid ſit, ejus Tituli, Dignitas, Officia, &c. 504. 505
Quomodo Prædicator debet petere Benedictionem ab Epiſcopo, ante & poſt Concionem. 756. 758
Epitaphia, quomodo inſtrui debeant. 713
Epulonis Divitis & Lazari diſſimilitudo. 70. 399
Eruditio Prædicatori neceſſaria. 44. 89
Ethopœja, ſeu ſermonis imitatio. 210
Evangelium, ejus *Expoſitio* pro Exordio Con. 118. quomodo poteſt Paraphraſticè tractari. 411. & ſeq. Interpretatione, Homilia, Capitatim, Sententioſè, Parabolicè, &c. 412. 413
Evangeliſta & ejus Dotes. 500
Euchariſtia ſuadet unionem & concordiam Chriſtianis. 302
Realitas Humanitatis Chriſti in Euchariſtia probatur & propugnatur contra Adverſarios. 441. & ſeq.
Euchariſtia eſt famoſa Solis Menſa quæ olim mediis in Arenis Arabiæ viſebatur, exquiſitiſſimis cibis inſtructa, ex D. Hieronymo. 682
De S. Euſtachio Mart. Id. Conc. 590
Exaltatio S. Crucis. 588
Examen Concionis quomodo faciendum. 722
Exclamationis Figura. 214
Excæcatio Peccatoris. 675
Exemplum quid ſit, & quomodo argumentum ab illo ducatur. 69. 70
Exempla & Hiſtoriæ in Concionibus, qua ratione adhiberi debeant. 89
Exercitatio ad Eloquentiam comparandam; ejus utilitas. 24. 25. in Dicendo. 26. in Legendo. 27. 28. 29. in Scribendo. 29. 30. in Audiendo. 31 in Imitando. 33
Exercitatio, ſeu praxis ad formandam Pronuntiationem, Geſtum & vocem. 751. & ſeq.
Exercitationes Corporeæ, ut ſunt Equitatio, Venatio, &c. *unde ſumitur* Laudationis materia. 486
Exercitus cum Oratorio apparatu comparatio. 1. 105. 109
Exordium Concionis; ejus Definitio, Neceſſitas, virtutes & vitia. 109. & ſeq.
Exordiorum uſus & origo. 110
Fontes, Diſpoſitio, Elocutio, Pronun-

nuntiatio, &c. 113.114. & ſeq.
Exordii Examen per ſingulas partes. 115. 116
Exordii ab Introductione differentia. 131
Exordia, ab Expoſitione Evangelii, & explicatione Thematis. 117. 118. à Viſceribus Cauſæ. 120. ab Adjunctis Perſonarum & Rerum, ab Occaſione. 16.122.123. ab Exemplis. 125. à Parabola. 126. & ſeq. ex Abrupto & ab Invocatione. 127. ab Opinione. 128. ab Incredibili. 129
Exornatio. Vid. Ornatus.
Expolitio. Vid. Ornatus.
Expoſtulatio, ſpecies Orationis, quomodo fieri debeat. 661
Exprobratio, Objurgatio, quid ſit. 661
Externa Bona, quomodo ad laudem conducunt. 477
Externa Bona ſunt Fortunæ mendacia, quæ Hominem non efficiunt majorem vel minorem. 489 490
Extrinſeci Loci. 66

F

Fabula quid ſit & quid proſit. 95
Facetiæ non conveniunt Eccleſiaſtæ Sacro. 345
Facilitas, quæ eſt Suaſionis Motivum, quid ſit, & ex quibus conſtet. 625. uſus & Exemplum hujus Loci. 626
Famulorum Debita dominis. 394. Obedientia, Fides, Miniſterium. 494. 556
Feſti Dies tripliciter celebrantur. 392. 671
Fidei neceſſitas. 364. Excellentia. 370 371. operoſitas. 367.374. Certitudo. 371. Latitudo. 372. Meritum. Ibidem.
Fides, ex tribus Proprietatibus commendatur. 673.676
De Fide Catecheſis, Demiſſa. 359. Mediocris Formæ exemplum. 362. & ſeq. Grandis. 370. & ſeq.
Fides Centurionis magna. 672
Fideles reprobantur, quare. ibid.
Fiducia in Deum, quibus argumentis ſuſcitari poſſit. 338.677
Figura quid ſit, quotuplex, & quid obſervandum in uſu Figurarum. 190
Figuræ Verborum, per Additionem. 191. & ſeq. per Detractionem. 194. per Similitudinem. ibid. & ſeq.
Figuræ Sententiarum, quæ Docent. 197 quæ Delectant. 205. quæ Movent. 212
Filii debent Parentibus, Amorem, Reverentiam, Obſequium, ſeu Officium. 392.493.556
De S. Felice Capuccino. Id. Concion. 571
Forma Dicendi, Grandis, Temperata & Demiſſa. 39. Exponendo, Argumentando, Amplificando. ibid.
Forenſis Diſceptationis ad Concionum uſum accommodatio. 706
Fortitudinis Laus. 514.515. ejus partes. ibid.
Fortitudo Zeli. 47
Fortuna, Locus Oratorius hinc ductus. 76. & ſeq. quid in illa ſpectandum. 484. Hominem non facit aut majorem aut minorem. 489
S. Franciſcus Aſſiſias Inſtitutor FF. Min. Ejus Stigmata. 591. ejus Feſtum. ibid. & 592
S. Franciſcus Paulenſis Minimorum Patriarch. 567.568
S. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Geben. Viſit. Inſt. 560
S. Franciſcus Xaverius Societ. Jeſ. Indiar. Apoſt. 601
Fuga, Paſſio Appetitus, quid ſit, quidve efficiat. 285.313
Fuga Peccati, quomodo ſuadeatur. 321
Funebres Orationes. Vide Lamentatoria.
Furtum, quid ſit, qui ejus Effectus & damna, ac de eo Id. Concion. 138. 394.700

G

Gabriel Archangelus, cur ad B. Virginem miſſus. 474
Gallorum Mores. 266
Gaudium, Affectus ſpecies, quid ſit, quomodo excitetur, aut mitigetur. 286
Gaudii Sancti & perverſi oppoſitæ rationes. 324. & ſeq.
Genethliaca, ſeu Natalitia oratio. 605
Genius, ſeu Indoles Perſonæ, Nationis, &c. veſtigari & attendi debet. 264.267

De S. Genoveſa Virg. 557
Genus, Locus argumentandi à Genere. 60
Genus Dicendi triplex, Didaſcalicum ſeu Doctrinale, Epidicticum ſeu Demonſtrativum, Scepticum ſeu Deliberativum. 39 96. Sublime, Temperatum, & Humile. 223
Gentiles, quomodo ab Eccleſiaſta in Diſputationibus ſint tractandi. 424. 425
D. S. Germano Epiſc. Id. Conc. 581
Germanorum Indoles. 266
De SS. Gervaſio & Protaſio MM. 573
Geſtus Concionatorii, Eſſentia, Virtus, Partes. 743.744. & ſeq.
Geſtus accommodari debet Oratori, Auditori, Rebus, &c. 744
Geſtus Corporis, ejus & vitia. Trunci Corporei Motus, Converſio, Situs, &c. 745.746
Geſtus Capitis vitia, virtutes. Vultus, color, habitus; Supercilia, Oculi, Nares, Os, labia, mentum. 746. 747
Geſtus Humerorum, Brachiorum, Manuum. 748.749
Geſtus vitioſi Manuum. 749
Geſtus Prædicatoris quantum differre debet à Mimicis Hiſtrionum Geſticulationibus. 743.744
Geſticulatoria & Hiſtrionica Pronuntiatio admirationem creat Plebeculæ & Aniculis, ad commiſerationem & cenſuram provocat peritos. ibid.
Gloria Dei præcipuus eſt ſcopus, in quem collineare debet Eccleſiaſta Sacer. 454
Gradaria Concionum Forma, quæ ſit per Gradus & Climaces, quid ſit & quomodo inſtituenda. 695.696
Gradatio, Figura per Additionem, quomodo fiat. 194
Grammatici Laus. 512
Gratia Chriſti. 462
Gratia Divina in tribus ſtatibus metuenda. 343
Gratia vocationis ad Fidem. 676
Gratia Auditorum conciliari debet, quomodo. 109
Gratitudo. 514. ejus Incitamenta & Effectus. 686
Gratulatoria Oratio. 608
Gregis erga Paſtorem debita. 393
Gulæ vitium, ejus Effectus, Remedia, & de illa Partitiones. 326. 327. & 677

H

HAbitus, Locus oratorius eſt, quid ſignificet. 76
Hæreſis, ex quibus capitibus impugnari poteſt. 432.433
Hæreſis de Falſitate redarguitur & convincitur. 434. & ſeq.
Hæretici quomodo tractandi ſunt in Diſputationibus privatis. 420. publicis. 430 431.
Hieroglyphica, quid ſint, & quid proſint Oratori. 93
D. Hieronymus an vapularit, quia Eloquentiam excolebat. 20
De S Hieronymo Doct. Id. Conc. 591
De S Hilario Epiſc. Id. Conc. 557
Hiſtoria Eccleſiaſtica quomodo in Concionibus debeat adhiberi. 88. Profana. 91
Homicidium Triplex, Naturale, Civile, & Morale. 393.683
Homilia quæ Evangelium Paraphraſticè expedit. 411
Homo ſolus dicitur propè Paſſiones experiri & regere. 262
Hominis Dignitas. 306.465
Homo eſt villicus Evangelicus ad rationem reddendam citandus. 684
Homo ex quibus capitibus laudari poſſit. Vide Promptuarium Humanum. 477
Homines Beati, quomodo ſint laudandi. 475
Homines Defuncti liberiùs laudantur quàm viventes. 453
Homoioptoton, ſeu ſimiliter cadens, Figura. 196
Honeſtas, & Honeſti ratio, quid ſint, quomodo ſuadeant. 616
Honorum Fuga. 677
Horoſcopus de ſignis Cœli. 690
Horoſcopi Forma Concionatoria. 718. Exemplum de Chriſto Aſcendente, 13 de S Joanne Baptiſta oriente. 718
Hortatio quid ſit & quomodo perficiatur. 655. & ſeq.
Humerorum Geſtus indecori. 748
Humilitas honorata, rara virtus. 484. unde ſuadeatur. 678
Humilitas, eſt ſecura, Juſta, Glorioſa, utilis. 685. Exaltatur. 687. ſuadetur. 691

De

De S. Hyacintho Confeſſ. Ord. Prædic. Id. Conc. 583
Hydrops eſt Figura Avari. 317. Amoris Mundani. 687
Hyperbole, quid ſit. 189. Figura Sententiarum. 211
Hypocriſis. 684
Hypotheſes ſeu Propoſitio peculiaris, debet Theſim ſeu propoſitionem generalem ſtatim excipere. 38.39
Hypotypoſis, Figura, quæ rem ita pingit, ut ferè videatur. 208

I

De S. JAcobo Majore Apoſt. Id. Conc. 579
De S. Jacobo Minore Apoſt. Ideæ Conc. 568
Ideæ Concionatoriæ pro Myſteriis, ac Feſtis diebus, à pag. 530. uſque ad 605.
pro Dominicis à 670. ad 692
Idololatræ, quomodo in Controverſiis ſunt tractandi. 425
Idoloroeia, ſeu Simulacri fictio. 209
Jejunium, quale deceat Chriſtianum. 137
Eff.ctus ejus. 146
Jejunium Triplex. 676. quot Tentatores experiatur. 677
Jeſu Nomen imponitur. 463
De Sancto Nomine Jeſu. Id. Concion. 536
De S. Ignatio Loyolæo Societ. Jeſu Inſtit. Id. Conc. 581
Ignis Inferni acerbitas, &c. 684
Imago & ſpecies ſenſibilis, Tabellarum, Calvariarum, & ſimilium Conformationum uſus, an probentur in Eccleſiaſta. 271.272.273
ut aliquando feliciter ſuccedant, quid obſervandum. 270.271
Imago Dei in homine ſplendet. 689
Imitationis utilitas & methodus. 32.33.35
ejus virtutes & vitia. ibid.
Imperium Eloquentiæ, ſtatuitur per Argumentationem, Amplificationem, & Affectuum Commotionem. 239
Imperiorum Laus. 517
Incarnatio verbi Divini, opus eximium. 388
Cauſæ inductivæ illius. 460
Incarnata eſt ſecunda Trinitatis Perſona, non vero aliæ; cur? 461
De Incarnationis Myſterio. Id. Conc. 537
De Incarnatione Catecheſis. 375
Paraphraſis. 377. & ſeq.
Inciſum, & Comma, quid. 217
Incitamenta ad ſuadendum idonea. 616
Incitatio Genus Orationis quomodo fiat. 658.659
Incrementum, Amplificationis ſpecies. 251
Incurioſorum Artis Eloquentiæ excuſationes vanæ. 18
præſumptio. 19
Indignatio, increpationis Figura. 215
Indignationis Affectus. 335
Indoles ad Eloquentiam. 14. ad Commotionem. 267
Indoles quid conducat ad laudationem. 482
Inductio quid, & Locus ab Inductione petitus. 69
Inductio Argumentationis ſpecies. 156
Infideles quomodo in Diſputationibus tractandi. 424
Ingeniorum diverſa genera & variæ dotes. 14
ut feliciter utantur Locis Oratoriis. 54
Ingratitudo. 686
Injuriæ condonandæ. Id. Conc. 129.347
633
Inimici diligendi. cur & quomodo. Id. Conc. 688
Inimicorum odium diſſuadetur. 344
ſuadetur Dilectio. 348
Injuſtitiæ effectus. 513
De SS. Innocentibus Martyr. Id. Conc. 604
Inſtitutivum, ſeu Doctrinale Dicendi genus, quid ſit, quomodo differat à Catecheſi, & qua ratione perficiatur. 389
Inſtitutiva methodus de Decalogo. 392
de Præceptis. 395
de Sacramentis & virtutibus, &c. 406 & ſeq.
Intentio quæ conveniat Eccleſiaſtæ. 47.519.755
Interceſſio Sanctorum, quantum valeat. 400
Interpretatio Figura Sententiarum. 202
Interrogationis Figura. 314.315

Intrinſeci Loci, qui. 55
Introductionis utilitas, differentia, Exempla. 131.& ſeq.
Eſſentia ejus explicatur. 132
uſus ejus apud veteres, ibid.
quomodo ab Exordio diſtinguatur. 131
Introductionis ſitus, in principio Concionis poſt Exordium, & poſt Partitionem in capite cujuſcumque puncti ſed brevior. 134
Introductionis Exemplum & Examen. 135
Introductionis Conditiones, proximitas, brevitas, ornatus. 135
Pronuntiatio. 136
Introductionis Fontes. 136
à Genere, à Toto, à Definitione, ab Enumeratione partium. 136.137
à Simili, à Contrario, à Conceſſione. 139
à ſuppoſitione, à Paradoxo, ab Expoſitione, &c. 140
Invectiva Genus orationis, quid ſit & quomodo fiat. 661.662
Inventio quam neceſſaria ſit Oratori. Vide Promptuarium.
Invidia, quid ſit, quæ ejus remedia. 331. Id. Conc. 688
Invocatio B. Virginis in Exordii ſine apponenda. 114
De S. Joachim. Id. Conc. 565
De S. Joanne ante portam Latinam. Ideæ Conc. 571
De S. Joanne Baptiſta. Id. Conc. 573. 587
De S. Joanne Evangeliſta. Id. Concion. 604
De S. Joſepho Chriſti Nutritio. Id. Conc. 563.564.565
Iræ Definitio, Incitamenta, effectus & remedia. 289.290.343
Ira adverſus inimicos ſedatur. 348.349
Ira Pacem triplicem turbat. 684
Ars Iraſcendi abſque peccato. ibid.
Ironia ſeu illuſio quid ſit. 189
Figura ſententiarum. 211
Judæi, quomodo in Controverſiis tractandi. 426
Judex quas virtutes habere debeat. 510. 511. 703
Judiciariæ ſententiæ Conditiones. ibid.
quatuor modis corrumpuntur. 704
Judiciale Genus vix habet locum in Eloquentia Sacra, ejus loco ſubſtituitur Didaſcalicum. Vide Didaſcalicum.
Judicialis ſeu Forenſis forma in Concionando. 706
Judicium, eſt Oratori maximè neceſſarium. 54
Judicium Temerarium, quot modis peccet. Id. C. 682
Juramenti conditiones ſunt, Veritas, Juſtitia, Judicium. 392
Jus Canonicum, quomodo diſtribuatur. 84.85
Jus Civile & illius *Partitiones*. 90
Juſtitia quibus corruptelis ſit obnoxia. 511. 512
Juſtitia Chriſtiana, debet ſuperare Judaicam. 683
Juſtitiæ officia & debita. 514.515.522
Juvenum mores. 266

L

Lachrymæ Chriſti grande aliquid innuunt. 685
Lachrymæ Juſtorum, Puræ, Piæ, Fœcundæ. 680
Lachrymæ Impiorum Impuræ, Iniquæ, ſteriles. ibid.
Lamentatoria ſeu Funebris oratio, quid ſit, & quomodo inſtituatur. 712
Lamentatoria Concio quatuor potiſſimùm præſtare ſolet, Laudat defunctum, ſolatur Parentes, Auditores monet de pari ſorte, & ſuffragia emendicat. 712
Lamentatoriæ Concionis Fontes & Artificium. 715
Lamentatoriæ Conciones verſatiles & communes. 716
Lamentatoriæ Concionis Exemplum. 717
Latro de Supplicio Crucis fecit Martyrium. 503
Laudatio & Laudatoria Concio. 448. & ſeq.
Modus in Laudatione ſervandus. 452
Laus alicujus Sancti unde *ducatur*. 520 521 on.
De S. Laurentio Martyre. Id. Conci 582
Lazari cum Epulone comparatio. 70
Lectio, quæ methodus ſervanda ad utiliter Legendum. 27.28.29
Lenes Motus, qui ſint. 345
Lenitas & Clementia ſuadetur. 344.516

Lepra eſt Peccati figura. 672.686
Legum notitia. Vide Jus Canonicum, &c.
Liberalitas, in quo conſiſtat. 516.633
Libri utiles rari, qui ſint ad Legendum Eccleſiaſtæ utiles. 28.29
Linguæ vitia impugnantur. 409
Livor. Vide Invidia.
Loci. Vide Promptuarium.
Loci Dialectici. 77. & ſeq. Intrinſeci. ibid. Extrinſeci. 66. Oratorii. 75. 77. & ſeq. Theologici. 78. & ſeq.
Loci ad Laudationem idonei. 457. ad Laudandum Deum, Chriſtum, B. Virginem, Angelos & Divos. 458. & ſeq.
Loci ad laudandos homines apti. 476. 477. ad privatum hominem. 490. ad publicum. 496. & ſeq.
Loci ad ſuadendum & diſſuadendum appoſiti. 614. & ſeq. 633
Locorum uſus apud D. Paulum. 97. apud D. Chryſoſtomum. 97.98
Praxis & uſus Locorum in Concione inſtruenda. 100
De S. Luca Evangeliſta. Id. Conc. 595
De S. Ludovico Rege Galliæ. 584
De S. Lupo Epiſc. 587
Luſtrica Oratio, quæ in Baptiſmate fieri poteſt. 606
Luxuria quid ſit, & qui ejus damnandi effectus, quæ illius remedia, ac Concionum Ideæ. 329. 330. 394. Vide Concupiſc. & Carnis Deſid.

M

Magiſtratus, à quibus laudabiles ſint. 510
Locus à Majore, & quis ejus ſit uſus. 67
Malorum Pœnæ Tolerantia ſuadetur. 640. & ſeq.
Malum timore aut pudore perfunditur ex Tertull. 71
Mandatum magnum eſt Dilectio; cur. 687
De S. Marco Evangeliſta. Id. Concion. 567
De S. Margareta V. & M. 578
De S. Maria Magdalena. 578.579
B. Maria Virgo. Fontes unde illius laudatio inſtituatur. 467. & ſeq.
Mariæ Dignitas, Authoritas, Benignitas. 468
Maria eſt Archivium & exemplar omnium virtutum. 469
De Feſtis B. Virginis. Ideæ Concionatoriæ.
De Conceptione. 546. de Nativitate. 548. de Præſentatione. 549. de Annuntiatione. 550. de Purificatione. 551. de Viſitatione. 552. de Aſſumptione. 553
De S. Maria Angelorum. 554
De B. Mariæ V. Roſario. 554
Maritorum debita. 393.492
De S. Martha. V. Id. C. 580
De S. Martino Epiſc. 599
Martyrium multiplex, affectu & effectu. 501.502
Martyrii cauſæ, cautiones, & Incitamenta. 502.503
Martyrum ſanguis, ſemen Chriſtianorum. 503
Martyrium Mundanorum, Diabolicum. 504
Materia in concionibus tractanda, univerſalis eſt & particularis, ſpeculativa & practica. 37
Materia Concionis quomodò conquiri debeat, digeri, & examinari. 102. 108.519.722.725. Exemplum. 726
Materia Panegyribus conveniens. 519. 521
Materia Suaſorio Generi apta. 613
Mathematicæ ſcientia quid proſit Oratori. 92
Mathematici laus. 513
De S. Matthæo Apoſt. Id. Conc. 589
De S. Matthia Apoſt. Id. Conc. 562
Matrimonium triplex, Eccleſiæ cum Chriſto, Animæ cum Deo, Mulieris cum viro. 491
Matrimonii utilitates & Incommoda. 491
Medicinæ ſcientia utilis Concionatoribus. 92
Medicus, quas conditiones habere debeat. 512
Medico-moralis concionandi forma. 711
Meditatio, quantùm proſit Eccleſiaſtæ ad concionem parandam. 25.26
Memoriæ utilitas & differentia, eſt Triplex. 764
Memoria Artificialis, quid ſit, quid juvet, & in quo ſtet illius induſtria. 770

Me-

Memoria Rationalis, quæ judicio & ratione formatur & utitur. 767. quomodo juvetur. 769
Memoria Senſitiva quæ organis & Facultatibus naturalibus ad memorandum aptis ſtatuitur; ejus plures differentiæ, Dotes & cauſæ. 762. 763. ſubſidia. 767
Quid fieri conveniat, cùm Memoria inter concionandum labitur. 715
Mendacium, ejus effectus & remedia. 394
Mercatores de Furto rei. 704
Metaphora quid, cur inventa, & ejus uſus. 187
Metonymia quid ſit. 188
Metus, Animæ Affectus incitamenta, effectus & remedia. 289
S. Michael Archangelus, ejus Encomia. 474. Id. Conc. 590
Militares Exercitationes. 487
Militum conditiones. 512
Miniſter Dei qualis eſſe debeat ex D. Bernardo. 192
Locus oratorius à Minori, & ejus uſus, 67
Miracula, quæ & quomodo in Concione citanda. 89
Miſericordia, ejus præcellentia & partes. 526
Miſericordiæ opus ex Juſtitia, Honeſtate & Utilitate. 682
Miſeriæ & Calamitates, cur à Deo permittantur. 641
Monialibus velandis & vota emiſſuris, propoſitæ Concionum ideæ. à 667. ad 670
De S. Monica. Id. Conc. 571
Moralis Diſſertatio quid ſit, & quomodo fiat. 705. & ſeq.
Moralitas quid ſit & quando adhibenda. 169. an in fine generali Concionis, an ſingulis partibus. ibid.
Mores Oratoris & Auditoris ſunt obſervandi & attendendi ad felicem Moralitatis effectum. 268. 269
Mors qualis ſit, & Ars bene Moriendi. 687
Mors ſtatuitur triplici Lege. 689
Mortificatio eſt Martyrii genus. 501
Motus. Vide Affectus, Commotiones.
Motus inconditi, tumultuarii & ſine Arte. 4
Mulieres comptiores increpantur. 203 209
Mundanus deterretur à vanitatibus Mundi. 691. & ſeq. ſervire Mundo, quàm putidum & difficile. 687
Mundus, ejus Incommoda. 199 ejus amor depingitur & impugnatur. 311. damnatur ab Indecoro, Incommodo & Difficili. 652. & ſeq. ludit Sectatores. 654
Mundus, eſt Juſtis Exilium, Certamen, &c. 682
Mundi contemptus. 677. modicitas. 681. Lachrymæ inutiles. ibid.
Mundus nox eſt & Laborantes fatigat, fatigatoſque vacuos dimittit. 684
Mundus arguitur à Spiritu S. 681
Myſterium Religionis, quid ſit. 375. quomodo de Myſteriis habendæ ſunt Catecheſes. 375. 376. & ſeq.
Myſteria quomodo paraphraſticè & expoſitoriè tractanda. 377. & ſeq.
Myſteria quomodo tractentur Encomiaſticè & in forma Panegyricæ orationis. 376. & ſeq.
Myſticus ſenſus. Vid. Scriptura Sacra.

N

Narratio, quid ſit, & quatuor ejus Dotes. 141. 142. ejus diſpoſitio & ornatus. 144. Narrationes improbabiles. 144
Natalitia Oratio quid ſit, & quomodo fiat. 605
Natio, & Locus ab illa petitus. 75. 477
Nativitas, quomodo conferat ad Laudationem. 480
Nativitatis Chriſti Fructus. 462. 463
De Nativitate Chriſti, Ideæ Conc. 533. 534
De Nativitate Virg. Id. C. 548
Natura eſt ſecunda Eloquentiæ cauſa; quas illa Dotes ſuggerat Animæ, & Corpori. 13. 14
Locus à Natura petitus. 75. 482
Neceſſarium, Suaſionis motivum. 624. & ſeq. ejus ſpecies. 414
De S. Nicolao Epiſc. Id. Conc. 601
De S. Nicolao Tolentinate Ord. S. Aug. Id. C. 588
Nobiles qui per vim aliena rapiunt. 701
Nobilitas, qua ratione materiam laudis ſuppeditet. 478. 510
Nomen, quid ejus conſideratio conferat
ad

ad Orationis materiam. 481
Nominum obſervatio. 121
Nomen Jeſu. 122.463.536
De S. Norberto Ord. Præmonſtrat.Inſtit. Id. C. 571
Notatio Nominis. 58.59
Nuptiarum Sanctificatio. 671
Nuptialis Oratio, ſeu Epithalamium. 607.

O

Objectionis Figuræ uſus. 203
Objurgatio, quid ſit, & quomodo perficiatur. 661
Occaſio captanda in figuris & Commotionibus vehementioribus. 263
Occupatio & præſumptio, Figura Sententiarum. 203
Odium turbat triplex Regnum. 677
Odium, quid ſit, ejus cauſæ, effectus & remedia. 283.344
Odium ſui ipſius, quid ſit ex Sententia Chriſti. 308
Odium bonum & malum. 312
Oeconomia Eloquentiæ Chriſtianæ quid ſit & quomodo fiat. 105. & ſeq. Vide Diſpoſitio.
Officium Oratoris. 8.9.10
Opera Bona ſunt amoris ſigna. 171.304. ſunt Fidei teſtes. 374. cur & quomodo fieri debeant. 407
Operum bonorum retributio. 674. Conditiones. 684
Oppoſitorum Locus. Vide Contraria.
Optationis figura. 215
Orationis, conditiones ex Chananææ exemplo. 140
Orationis exercitium ſuadetur. 407
Orationis impedimenta, &c. 681. cur aliquando non ſortiatur ſuum effectum. ibid.
Orationis Rhetoricæ cum Exercitu comparatio. 1.105.109
Orationis tria dicendi Genera, & partes quinque. 40
Orator Chriſtianus, quis ſit, ejus officium & dotes. 8. Vide Concionator, Eccleſiaſtes, Prædicator.
Oratoris officium eſt Docere, Delectare, Flectere, & quid ad hoc juvet aut noceat. 9.10.11
Oratoris Exercitatio. 24. in Dicendo. 25. in Legendo. 25.26. in Scribendo. 28.29. in Audiendo. 31. in Imitando. 32.33
Oratores evaſere plurimi per Exercitationem. 23
Oratoris Ingenium, Diligentia & Judicium. 53.54
Ordo quàm ſit neceſſarius in omnibus. 10. & 106
Vide Diſpoſitio.
Ornatus oratorius, an deceat Eccleſiaſtam ſacrum, & quomodo adhibendus. 183
Ornatus Eloquentiæ in quo conſiſtat. 185 186. Vide Elocutio.
Oſtentativum Dicendi Genus, ſeu Demonſtratio & Panegyris, quid ſit, quæ ejus ſpecies & formæ ac quomodo perficiatur. 449 523. & ſeq.
Otium fugiunt omnia, ſolus homo illud amat. 336
Otii tres ſpecies, Vitioſa, Deſes, Imprudens. 674
Ovis perditæ Parabola, repræſentat humanum Genus. 683

P

Panegyricæ Orationis origo & laus. 469. & ſeq. ejus differentia ab Hiſtoria. 455
Panegyricæ Orationis difficultas unde oriatur. 455
Panegyricæ Partitiones unde hauriantur, 519.520
Panegyris in alicujus Sancti laudem, quomodo inſtrui debeat. 520.521
Panegyreon variæ formæ, & modi diverſi. 523. & ſeq.
Panegyris Hiſtorica. 524
Panegyricæ Partitiones, de Deo, Chriſto, B. Virgine, de Angelis, de Beatis, &c. à pag. 531. ad pag. 605
Papa eſt Eccleſiæ Militantis Caput viſibile. 499
Parabola quid ſit, & Loci ab illa ducti uſus. 68.94
Paradoxum quid ſit, & quomodo in ejus Forma Concio inſtruatur. 720
Parallela Concionandi Forma. 710. & ſeq.
Paralyſis, peccatum ſignificat. 688
Paraphraſis, genus Didaſcalicum, quomodo fieri debeat. 377. De Evangelio occurrente. 411

Parentes debent Filiis Suſtentationem, Educationem, Exemplum, ſeu vitam Naturalem, Civilem & Divinam. Alii ſunt Idololatræ, partiales alii, alii Crudeles. 393. 493. 494. 556
Parentes, locus Oratorius hinc petitus. 478
Locus à Pari, & ejus uſus. 67. 68
Poroimia, quid ſit. 189
Parrheſia, ſeu Licentia, quæ figura. 215
Partes Concionis præcipuæ quinque. 108
Partitionum conditiones. 146. 147
Partitiones, ſeu Diviſiones, variari debent. 145. & ſeq. 229
Partitiones Concionatoriæ per omnes Anni Dominicas, à pag. 670. ad 692
De Paſchatis Myſterio. Id. Conc. 540. 541
Paſſio Chriſti. 465. De illa. Id. Conc. 465. 540
Paſſiones, propriè experitur & regit ſolus homo. 262
Paſſionum numerus & effectus. 263. 264
Paſtorum Officia. 393
Patientia in adverſis ſuadetur. 641
Patria, locus oratorius inde ſumptus. 76
ejus temperies & mores attendi debent. 266. 478
SS. Patrum teſtimonia quomodo ab Oratore citanda. 86
quomodo in Controverſis tractanda & explicanda. 423
S. Paulus Eloquentiæ (poſt Chriſtum) Princeps, ejus eſt exemplar & Typus. 35
De Converſione S. Pauli. 559. de ejus Feſto. Id. Conc. 576
Pauperum cura. Vide Eleemoſyna.
Pax triplex nobis deſideratur à Chriſto. 679
Peccator vult omnia ſua eſſe bona, præter ſeipſum. 157
ejus effugia & excuſationes vanæ, in Mulieris Samaritanæ exemplo. 419
Peccatores renovant Paſſionem Chriſti. 675
Peccator mortuus, triplici modo ſuſcitatur à Chriſto. 687
Peccator in Judicio extremo citabitur, examinabitur & damnabitur. Id. C. 689
Peccatum, ejus fuga ſuadetur. Id. C. 321. 322. quot mala cauſet. 321. 675
Peccatum offendit Naturam, Gratiam & Gloriam. 678
Peccatorem, ligat, ſpoliat & ſauciat. 686
Pentecoſtes Feſtum. Id. Concion. 543. 544
Periculum in occaſionibus fugiendum. 326
Periodus, ſeu Verborum circuitus in oratione, quas partes habeat, & quomodo fiat. 218
Periodus bimembris, trimembris, quadrimembris. ibid.
Periodi ornatus, & ejus uſus. 219
Perorationis neceſſitas & natura. 164
ejus partes ſunt, Enumeratio ſeu recenſio. 165
Commotio, ſeu Affectuum excitatio. 166
Perorationis Forma. 168
Perſonarum Adjuncta. 75. 76
Perſpicuitas, quid ſit. 185
Perſuaſionis conditiones. 7
defectus. 8
Petitoria Oratio. 607
De S. Petri Apoſtoli Cathedra. 558
de Feſto illius. Id. C. 575. 576
De S. Petri vinculis. Id. C. 581
De S. Philippo Apoſt. Id. C. 568
Philoſophia quid proſit Eccleſiaſtæ. 91
Philoſophi laus. 513
Pietas in Patriam & Parentes. 514
De S. Placido M. Ord. S. Bened. Id. C. 593
Plantarum laus. 517
Pœnæ mala cur permittantur, & quid utilitatis conferant. 640. & ſeq.
Pœnitentia ſæpe excitanda. 331
rationes quibus ſuadetur. 332
Conc. Id. ibid.
Angelos recreat. 684
non differenda. 689
Pœnitentiæ conditiones: 684
diſcuſſio, & examen. 691
Pœnitentia, triplicem palmam victricem Deo appendit. 414
Polemicæ, ſeu Controverſæ Exercitationis methodus. 421. & ſeq.
Polyſynthetum, figura per Additionem. 194
Pontifex ſummus, cur triplici Corona inſignitur. 499
Poſſibile, quod eſt Suaſionis motivum; quid

quid ſit. 624. & ſeq.
Præconium, quid ſit. 449
Prædeſtinatio decernitur ante merita, peragitur cum meritis, conſummatur poſt merita. 680
Prædeſtinatorum Signa. 680.681
Prædicatio. Vide Concio. Ejus impedimenta, Curioſitas, Durities, & Occupatio mundana. 674
Prædicator. Vide Concionator, Eccleſiaſtes, Orator.
Prædicatorum Tituli honorarii. 5
Prædicator ſine Arte. 37
ejus vocatio. 41
Eruditio. 43
Probitas. 46
Zelus. 47
Prudentia, &c. 48
Prædicatoris ſtatus ac conditiones. 508
Prædicatior negligens Pronunciationis artem, peccat in majeſtatem Evangelii. 731
Prædicatoris ſpeculum, quo docetur, quid agere debeat, antequam ſuggeſtum ingrediatur, poſt ingreſſum & egreſſum. 756.757
Prælatorum Status, Dignitas, vocatio, periculum. 505
officia & Dotes. 506.507
Prælaturæ ambitus. 318.319
difficultas & periculum. 505
Prælaturæ ſtatus. Id.Conc. 120.121
Præoccupatio & Præmunitio emollit opinionem Auditoris. 203. ejus exemplum. 204
Præſentia Dei, Idea Concion. 531
Præſumptio quid ſit; ejus remedia, & Partitiones Concionis. 339
Præteritio & Prætermiſſio, Figura. 204
Praxis & uſus dictorum in Concione debent ſtatim oſtendi ab oratore. 8
Principum laus. 509. & ſeq.
Privativè oppoſita. 73
Probitas dicentis ad ſuadendum apta. 268
Progreſſus in acquirenda perfectione. 671
Promptuarium ſeu Argumentorum Theſaurus, quid ſit, & ejus diverſitas ac utilitas. 52.53
uſus. 54. Vide Loci.
Promptuarium Dialecticum. 55. & ſeq.
Oratorium. 74. & ſeq.
Theologicum. 79
Miſcellaneum. 100.101
ejus Methodus varia. 103.104
Promptuarium Epidicticum, ſeu Loci unde eruuntur Argumenta pro Panegyribus. 457. & ſeq.
Promptuarium Divinum, & Fontes Oratorii peculiares Deo, Chriſto, B. Virgini, Angelis, & Divis. 458. & ſeq.
Promptuarium Domeſticum, Hominis Privati laudationi deſtinatum. 478. & ſeq.
Promptuarium Publicum, Sacrum. 496. & ſeq. Civile. 497
Promptuarium Miſcellaneum, Animalibus, Plantis, & Inanimis laudandis aptum. 517. & ſeq.
Promptuarii Oratorii uſus demonſtratur, apud D.Paulum. 97
D.Chryſoſtomum. 97.98
in Concione inſtruenda. 99
Pronunciationis eſſentia, utilitas, partes, proprietates, &c. 101
Pronuntiationis partes Duæ, Vox & Geſtus. 702
Pronuntiatio artificioſior & curioſior reprehenditur. 23
Pronuntiatio variari debet pro opportunitate. 702
Pronunciationis exercitatio & praxis. 751. & ſeq.
Prophetæ mali, à quibus cavere debemus. 684
Propoſiti Concionatorii varietas. 227
Proſopographia & Perſonarum deſcriptio. 206
Proſopopœia, ſeu Perſonarum fictio. 209
De S.Protaſio M. Id. Conc. 573
Proverbium, quid ſit & proſit. 95
Providentia Dei, cur mala pœnæ permittat. 642
Providentia Dei de nobis curat. 677
Proximus, cur & quomodo ſit diligendus. 301. & ſeq.
Proximi Dilectio. 301.302. & ſeq. ejus motiva, media & ſigna. ibid.
Prudentia Concionatoris, quæ. 49
Prudentiæ virtus, quid ſit, quæ illius Dotes. 515
vera & falſa. ibid.
Prudentia Sæculi arguit Chriſtianos. 685
Pudor, quid ſit & unde excitetur. 340
Partitiones. 341
Pudoris mali remedia. 342

Digitized by Google

Pudor in Confeſſione peccatorum lenitur & diſſuadetur. 341. 342
Pueritiæ virtutes & laudis materia. 488. 556
Pulchritudo eſt materia laudationis & vituperationis. 585
Purificatio B. Virginis. Id. Conc. 551
Puritas in Eloquentia. 185

Q

Quadrageſimale Jejunium. 676. à quibus Tentatoribus impugnetur. 676
Quadrageſimalia propoſita per ſingulas Domin. tractanda à 674. ad 679.
Quæſtio apud Oratores...
Quærimonia, orationis ſpecies, quomodo inſtruatur. 661

R

Raphael Archangelus, Tobiæ Dux ac Medicus. 475
Ratiocinatio. 251
Rationes quibus propoſitio firmatur. Vide Argumenta.
Redemptio hominis lapſi, difficilis. 381
Regionis temperies attendi debet ad ſuaſionis effectum. 266
Relata, oppoſitorum ſpecies. 73
Religio in Deum & ejus officia. 513
Religioſus ſtatus, ejus bona. 509
Ideæ Concion. à 667. ad 670
Religioſa virgo, eſt ſponſa S. Spiritus. 667. Martyr. ibid.
moritur, ſepelitur, ſuſcitatur cum Chriſto. 667
Judicium profert contra Mundum. 668
eſt Spectaculum, &c. ibid.
Beatitudinem prægustat. 669
Sacrificium Deo gratum offert. ibid.
Innocentiæ reſtituitur. 669
Triumpho potitur. 670
Repugnantia, ſeu oppoſita. 72
Rerum circumſtantiæ. 76. & ſeq.
De Reſurrectione Chriſti. Id. C. 129. 540. 541. 542.
Reticentiæ figura. 204. 216
Rhetoris laus. 194
Robur Corporis, materia laudis & vituperii. 486
Roſarium B. Virginis. Id. C. 554

S

Sabbatum triplici modo celebratum. 392
Sacerdos & ejus dotes. 508. eſt Legatus, Mediator & Interpres Dei. 679
Sacramenta quomodo ab Oratore explicanda. 405. & ſeq.
Salvandorum paucitas. 674. 677
Salutatorium Genus. 608
Salutis deſiderium excitatur. 308. 687
Samaritanæ Mulieris cum Chriſto colloquium. 414. 415
Sancti ab hominibus viatoribus colendi, invocandi, & imitandi. 396. 397. & ſeq. Id. Conc.
Sancti quomodo hæc inferiora cognoſcant. 402
an velint nobis patrocinari. ibid.
Sanctos imitari tenemur, titulis Juſtitiæ, Honoris & Commodi. 404. 476
Obſervanda in Sanctorum panegyribus. 475. unde laudentur. 520
De Sanctorum omnium Feſto, plures Ideæ Conc. 596
Satisfactio pro Adami peccato difficilis. 382
Scandalum, quale peccatum. 393
De S. Scholaſtica Virg. Id. Conc. 561
Scriptionis frequentandæ Documenta. 29. 30
Scriptura Sacra, non caret floribus Oratoriis. 20
ejus Commendatio. 79
quadruplex Senſus. 80
uſus multiplex in Concionibus. 81
Eloquentia Divina. 183
Scurrilitas abneganda à pulpito Sacro. 10
Senſus Scripturæ Sacræ, Litteralis, Moralis, Allegoricus, Anagogicus. 80. 81
Sententia, quid ſit apud Oratores. 91
Sententia Judiciaria, quæ conditiones habere debeat. 511
Senectus, ac Senum Mores. 266. 489
Sermo Vid. Concio.

Sermocinatio & Dialogiſmus, ſeu ficta perſonarum colloquutio. 211 699
Servire Deo Regnare eſt, Servire Mundo, miſeria. 687
Sexus Laus. 76. 489
Sexus attendendus eſt ad Commotionis efficacitatem. 266
Silentium in Confeſſione damnandum. 686
Signa, quæ Judicii Diem prænuntiabunt. 690
Similia, Similitudo & Locus à Simili ductus. 68
De S. Simone & Juda Apoſt. Id. Conc. 595
Simonia & Simoniaci. Id. Conc. 138
Solitudo triplex. 675
Sorites, Argumentationis ſpecies. 160
Species, & Locus à Specie ductus. 61
Speculativæ rationes, ſtatim ſunt ad praxim deflectendæ. 7
Spes, ejus definitio, cauſæ & moderatio. 287
Spes in Deum. 338
quibus argumentis ſtatuitur. 339
B. Spiridion, arguit Triphyllum Epiſc. qui ut elegantiùs loqueretur Lectum pro Grabbato ſubſtituebat. 22
Spiritus S. receptio & Signa. 169. & ſeq.
De Spiritus S. deſcenſu. Id. Conc. 543 544
Spiritus S. arguet Mundum. 680
tria revelabit. 681
Spiritui S. alii reſiſtunt; alii eumdem contriſtant; alii extingunt. 680
Status & Conditiones hominum. 491. & ſeq. 495. & ſeq.
De S. Stephano Protomartyre. Id. C. 603
Studium, & Locus hinc deſumptus. 77
Stylorum varietas, virtutes & vitia. 223. & ſeq.
Suadentium & ſuadendorum conditiones. 614. 615
Suaſorium Dicendi Genus. Vid. Deliberativum, & Conſultatorium. 612. & ſeq.
Suaſionis Materia, Forma & Finis. 613
De Mediis ad Suadendum aptis. 616. & ſeq. 617. & ſeq.
Suaſionis exemplum. 617. & ſeq.
Suadendi Methodus. 629. 630. & ſeq.
quomodo inſtitui debeant argumenta ad ſuadendum idonea. 637
Subdiviſionum uſus & forma. 153 154
Subjectionis figura.
Suggeſtus Eloquentiæ ſacræ. 729. 730 & ſeq. Vide Pronuntiatio.
Suggeſtus Eloquentiæ Chriſtianæ ſpeculum, ad quod formari debeat Eccleſiaſta. 729. & ſeq.
Superbia Vid. Ambitio. eſt Dei contemptus. 319
Superbiæ cauſæ vanæ, effectus mali. 685
Suſpenſionis & ſuſtentationis figuræ. 104
Syllogiſmus, quid ſit & quid Orationi conferat. 157
Syllogiſmi Logici & Oratorii differentia. ibid.
Symbola triplicis generis, eorum uſus in Oratione. 92
Symbolica Oratio. 714
Sympathia unde oriatur. 267
Synecdoche quid ſit. 188. 194
Synonymia, Figura per Additionem. 193

T

Temperantiæ virtus, & ejus Species. 515. 516
Templum eſt Domus Orationis. 685
Templum, fit ſpelunca Latronum, per Simoniam, Indevotionem & Avaritiam. 685
Temporalia bona quomodo à Sacerdotibus diſpenſari debeant. 508
Teſtimonia SS. Patrum, quomodo in Concionibus adhibenda. 86
Thematis in Concione delectus & forma. 116
varietas juvat. 227
Themata quando & ubi debeant in Panegyribus uſurpari. 518
Themata, quando, quo Geſtu, qua voce debeant pronuntiari. 759
Theologia Poſitiva, Scholaſtica & Moralis

Iis quomodo in Concionibus adhibenda. 86. 87
Theologi laus. 523
De S. Thereſia. Id. C. 594
Theſis, quomodo ad Hypotheſim revocetur. 38
De S. Thoma Aquinate Ord. Præd. Id. Conc. 118. 527. 563
De S. Thoma Apoſt. 602
De S. Thoma à Villanova Epiſ. 589
Timoris definitio, Incitamenta, effectus, remedia. 289
Timor Filialis. 340. 341. Mundanus, ibid.
Topica. 51. & ſeq. Vide Loci.
Topographia, ſeu Loci deſcriptio 207
Totum & Partes, Locus Oratorius cujus. 60
Traditionum uſus in Conc. 83
Traductionis figura. 193
Transfiguratio Chriſti. 676
Tranſitionum utilitas, Inventio & uſus. 231. 232. variæ formæ. 234. 235
Tranſubſtantiatio in Euchariſtia explicatur & probatur. 443
Tribulatio, & ejus uſus. 643. & ſeq. 680. 690
De SS. Trinitate. Id. Conc. 545. 546
Triſtitia, ejus cauſæ, effectus & remedia. 286. 331
Tropus quid ſit. 186. & ſeq.
Turcæ quomodo in Controverſiis tractandi. 427

V

Valetudo corporis. 486
Varietas ſtyli, quid proſit & quomodo fiat. 227. & ſeq.
Varietas Concionum, Partitionum Argumentorum, & figurarum. 228. 229
Ars variandi Concionum formas. 694
Verbum Dei efficaciſſimum in ſua Simplicitate. 23
Verbum Dei, Inſpiratum, Prædicatum. Scriptum. 681
Venatio, materia laudis. 486. in fin.
Verecundia quid ſit. 340
Veritati reſiſtere quid ſit. 678
Veritatis Captivitas. 690
Verum, Suaſionis motivum. 628
Veſtium Luxus. 690
Viduæ & viduitatis virtutes. 494
De S. Vincentio M. Id. C. 559
Vindicta. Vid. Injuriæ inimici. Odium.
Vindicatio, eſt pars Juſtitiæ. 514
De B. Virgine. Id. Conc. à 546. ad 554 Vid. Maria.
Virginitas cum Angelis comparatur, ejus Dignitas, utilitas, cuſtodia. 495
Virgo, ejus dotes. 489
Virgo devota deterretur à Mundanis, 215
Virilis Ætatis Adjuncta. 488. 489. 556
Viſitatio B. Virginis. 552
Vitium quomodo dedoceatur. 408
Vituperatio, pars Demonſtrativi Generis. 450. ad eam procliviores ſumus quàm ad Laudationem. 455
Unitas Dei pingitur per Dilectionis concordiam. 303
Vocatio ad Eccleſiaſtis officium. 41
Vocatio ad Prælaturam triplex. 506
Vocationi Divinæ quinam non obſequuntur. 679
Vocis in Pronuntiatione, Eſſentia, proprietates, &c. 733. & ſeq.
Vocis Dotes, vitia & remedia. 734 & ſeq.
Vox emendata, pura, integra, virilis. 734. 735. dilucida, articulata, clara, fortis. 736. 737. Ornata, flexibilis, ſuavis, animata. 738. 739. apta Oratori, ſpatio, rebus. 740. 741. unitona. 742. ſubſultans. 742
Urbis Laus. 518
De Uſura Diſſertatio. 709
De S. Urſula V. M. 595
Utilitas eſt efficax ſuaſionis medium: quid complectatur. 620. 621
Uxorum Debita. 393. 493

Z

Zelus Concionatoris: 47. Ardens: 48. fortis ibid. Sollicitus. 49
Zeli conditiones. 681

Digitized by Google

Digitized by Google

005674143

Digitized by Google